

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01904317 3


B. R.
E
9
BIBL. RES.
Krijtberg S. J.
AMSTELAEDAM.


TRANSFERRED
ST. BASIL'S SEMINARY
LIBRARY


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY



THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,

ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPÆ CATHOLICÆ,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT

FR. J. P. ET V. S. M**.**

TOMUS QUINTUS.

APPENDICES DE ECCLESIA.

DE HÆRESIBUS.— DE CONCILIIS.— DE SS. PONTIFICIBUS.— DE SS. PATRIBUS. — DE USU LIBRORUM LITURGICORUM, — ET INSCRIPTIONUM CHRISTIANARUM, IN REBUS THEOLOGICIS. — SCHISMATICORUM ORIENTALIUM AD UNITATEM, — PROTESTANTIUM AD VERITATEM, — ULTRAMONTANORUM CUM GALLICANIS AD CONCORDIAM VOCATIO. — DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

PARISIIS,

APUD EDITORES,

IN VIA GALLICÈ DICTA :

RUE D'AMBOISE, BARRIÈRE D'ENFER.

1838.

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORO SORBONICO, 2.

JOSEPHI GAUTIER VITA.

De Josephi Gautier vitâ ac scriptis paucissima admodùm documenta collegimus. Societati Jesu adscriptus, theologiæ in universitate Coloniensi doctor ac professor publicus, sacrosanctas artes multâ cum laude docuit. Unicum quod ab eo scriptum novimus opusculum, quodque denuò typis mandamus, Coloniæ primò lucem aspexit, Venetiisque recusum est anno 1762, tanto jam nomine celebre, ut P. Zacharias id dignum judicaverit, quod *Thesauri Theologici* in limine quasi prostabulum insigne præponeretur.

COMPLEMENTUM TRACTATUS DE ECCLESIA.

DE PRÆCIPUIS SECTIS.

De præcipuis sectis, præsertim in fide erroneis, earumque auctoribus, fatis ac expugnatoribus.

Posteaquàm in *Locis Theologicis* egimus de propositionibus erroneis, quæ conclusionibus theologicis adversantur, illarumque censuris ; postquàm, in volumine præcedenti, Ecclesiæ notas, prærogativas et auctoritatem stabilivimus, haud abs re erit, capitales errores, ac reliquorum veluti fontes, qui terrarum orbem diversas in sectas distraxerunt, unà cum eorumdem auctoribus et fatis, item et heroibus qui illos seu scriptis seu censuris protriverunt, oculis hìc objicere.

Cæterùm id nobis in præsenti duntaxat est propositum, ut succinctam eorumdem ideam hìc exhibeamus, ac ubi expedire videbitur, paulò enucleatiùs ortum etiam, progressum, indolem, fataque enarremus.

Porrò, id ut præstemus ordinatiùs, sectas duas in classes distribuemus. Prima complectetur antichristianas, altera heterodoxas. Ad priorem revocabimus atheismum, polytheismum, deismum, judaismum, et mahumetanismum; ad alteram hæreses inter ipsos Christianos exortas.

Articulus primus.

Sectæ antichristianæ.

Quinque sectarum erronearum species, in primâ classe supra enumeratas, antichristianas appellare lubuit, non quòd nulli sint è Christianis, id est, Christo per S. Baptisma initiatis, qui fœdis istis erroribus contaminare se non cohorrescant; sed quia hi errores christianismi ipsius fundamenta convellunt; et istæ sectæ maximam partem ex iis coalescunt, qui nunquàm Ecclesiæ Christi aggregati, ejus etiam legem execrantur, aut flocci faciunt. Nunc ordine singulas istas species percurramus.

ATHEISMUS.

I. Atheus, ex nominis etymo, dicitur quasi sine Deo, seu Deum non agnoscens. Quapropter, attentâ hâc latissimâ nominis derivatione, illud tribuebatur olim nonnullis, quibus propria ejus pressaque significatio haud competebat. Etenim athei apud gentiles audiebantur non solùm ii qui deos patrios, quos ipsi colebant, eorumve simulacra non venerarentur, sed etiam Judæi et Christiani, qui idem facere renuebant. Quâ de causâ Socrates perhibetur, tanquàm atheus à suis morti fuisse adjudicatus; et Christi cultores velut ἀθεότητας ab ethnicis habitos, et neci traditos.

II. Rem ipsam quod attinet, multiplex est atheorum genus vel species. Nam in primis quidam sunt tantùm *indirectè* tales; quo nomine veniunt illi qui, licet numen aliquod supremum utcumque agnoscant, attamen eidem aliquam perfectionem detrahunt, velut Epicurus providentiam; aut imperfectionem affingunt, velut Stoici corpus. Alii directè tales; et hi iterùm duplicis speciei : quidam merè negativè tales, qui Deum simpliciter ignorant, seu purè carent Dei notitiâ (vincibiliter an invincibiliter, modò non disputo); cujusmodi feruntur inventi fuisse nonnulli in utroque orbe barbari, in sylvis ferarum more vitam agentes; è quibus aliqui ne nomen quidem ullum Deo imposuerint : an verò hi vel alii hujusmodi, nullam planè habuerint notitiam Dei, ne quidem sub aliquâ communi ratione, v. g., supremi gubernatoris, bonorum aucto-

ris, criminum vindicis, haud immeritò dubitatur. Certè Cicero, l. 1 Tuscul., liberè edixit, « nullam esse gentem tam barbaram, quæ non « fateatur esse aliquem deum; adeò quidem, ut « homines falsum deum habere maluerint, quàm « nullum. » Verùm de hoc dubio agitur in tractatu de Deo. Alii dicuntur athei positivè tales, qui seu interiùs seu exteriùs, ore vel opere Deum esse negant. Unde triplex denuò classis atheorum emergit.

III. Prima illorum qui semetipsos excæcantes et rebelles lumini etiam naturali, internè in animo judicant, vel saltem sibi persuadere conantur, non dari Deum. Et hi dicuntur athei speculativè ac strictè tales. Altera classis eorum est qui, ut effrenatis suis moribus velum prætendant, saltem ore vel calamo protervè Deum inficiantur, etsi fortè contra intimum conscientiæ sensum, quem extinguere planè non possunt. Tertia est illorum qui, licet tum mente Deum agnoscant, tum ore profiteantur, adeò tamen perditè vivunt, ut si Deum non agnoscerent, vel non formidarent; quem etiam percuperent, reverà non existere, ne haberent quem timerent suorum criminum vindicem. Et hi dicuntur athei practicè, vel etiam corde, tales de quibus Apostolus ad Tit. 1, v. 16: *Qui confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.*

Hujus tertiæ classis atheos complures ipsos etiam inter Christianos existere satis compertum est. Atheos secundæ classis, qui saltem apertè Deum negent, quosdam, sed paucos dari, etiam est extra controversiam; talem, enim fuisse Diagoram quemdam, testatur S. Aug., l. 3 cont. Litt. Petil. c. 21; Lactantius l. 1 Divin. Inst. c. 2; Sextus Empiricus, aliique qui ejusdem impietatis reos faciunt Democritum, Epicurum, Euphemerum, Missenium, Diogenem Phrygem, Theodorum Cyreneum, Melium, idcircò ab Atheniensibus expulsum; et alios, ut dixi, paucos insipientes, et insigniter impios; quorum numerum adaugere non exhorruerunt hoc et proximè lapsis seculis è Christianis inprimis Nicolaus Machiavellus Florentinus, sub initium seculi decimi sexti, id est, anno 1528 vel 1529 vitâ functus; qui Dei nomen ad terrendos tantùm, et in officio continendos homines excogitatum fuisse, blasphemavit. Deinde Vaninus, ob hanc impietatem per Gallias disseminatam, vivus flammis Tolosæ traditus anno 1619. Item Spinosa, natione Batavus, religione primùm Judæus, tum Protestantium partes amplexus, anno 1677 defunctus; qui nullum alium agnovit deum, quàm mundum universum, in quo unicam substantiam extensione et cogitatione præditam ponebat, eamque Deum vocabat. Denique, teste cardinali Gotti, de Verit. Relig. Christ. tom. 1, tr. 1, c. 1, § 1, recentiùs Sylvester Legni, et Julius ejus filius, cum aliquot sociis qui Romæ deprehensi ac de atheismo convicti, post solemnem tantæ impietatis ejurationem perpetuo carcere ibidem damnati sunt, anno hujus seculi 19.

IV. An porrò reipsà dentur aliqui athei primæ classis supra relatæ, nempe speculativè et strictè tales, qui animo sobrio et sincero per judicium internum positivum, obstinatè negent prorsùs dari Deum, dubium est denuò inter theologos scholasticos, suo loco dirimendum. Id magis videtur indubitatum, quòd sicut multi conscientiam suis sceleribus et obstinatâ illi resistendi contumaciâ, ita obdurant, ut ejus stimulos vix ampliùs persentiscant, atque idcircò dicuntur ab Apostolo, 1 Tim. 4, v. 2, *cauteriatam* habere conscientiam; ita complures, etiam hodiedùm, nil nisi carnem et terrena sapientes, atque cœno vitiorum immersi, ingenitam quodammodò supremi Numinis notitiam, si non prorsùs extinguere valeant, ita saltem obscurent, ac secularibus negotiis obruant, ut velut excæcati signatum super se lumen divini vultûs vix aspiciant, aut etiam noctuarum instar protervè refugiant, et redeuntem identidem Dei cognitionem pervicaciter à se abigere, consopire, suffocare nitantur, intellectumque removere à consideratione eorum quæ Numinis existentiam evidentissimè ostendunt: instar impiorum illorum, qui dixerunt Deo: *Recede à nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus;* ne videlicet cogantur vel inviti agnoscere, quem deberent severum impietatis suæ ultorem reformidare. Neque desunt, qui quædam usque adeò in speciem, etsi nullius planè momenti, argumenta excogitant, ac sibi effingunt, quibus unicè quia ita perversè volunt, adeòque non tam rationum momentis, quàm depravatæ voluntatis imperio, persuadere sibi conantur, Deum non existere. Hic proinde non tam judicantis intellectûs error est, quàm maleferiatæ voluntatis. Atque utinam istiusmodi errore, hoc etiam ævo nostro, imbuti non forent plures pseudo-politici, præsertim in aulis principum, qui licet christiano, quin et catholico nomine palam glorientur, attamen ibidem omnia secundùm rationem statûs, ut aiunt, vel potiùs secundùm commodum

proprium metientes, omnem internam fidem ac religionem excutere moliuntur! Cæterùm hi suum istum errorem in corde latentem, vel nunquàm exteriùs apertè produnt ore vel calamo; ne, quales sunt, aliis appareant, impiissimi ac sceleratissimi : non raró tamen aliquid subobscurè insinuant apud suî haud multùm absimiles, vel etiam alios, à quibus minùs sibi timent, idque solùm, ut aiunt, discursûs gratiâ, neque tam ex suâ, ut prætendunt, quàm aliorum opinione; eò periculosiores, quò fallaciori larvâ induti suum virus incautorum animis instillant.

POLYTHEISMUS.

I. Polythei dicuntur, qui plures deos agnoscunt et colunt. Hos inter numerantur in primis gentiles idololatræ. *Gentilium* autem, aut *gentium* nomine, teste Calmeto in Dictionario Bibliotheco, apud Hebræos veniebant quicumque alterius erant ab Hebræorum fidei, legis ac numinis. Unde apud S. Paulum Judæus et Græcus eodem sensu usurpantur, ac Judæus et ethnicus, sive gentilis, eamdemque phrasin usurpat S. Lucas. Hinc etiam S. Paulus appellatur Apostolus, seu doctor gentium, sicut S. Petrus Judæorum : cujus rationem reddit ille, cùm ait, Galat. 2, 7 : *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis.* Quapropter fatetur Calmetus, « Jobum hoc « sensu gentilem fuisse, quòd cùm Judæorum « legem non profiteretur, propterea neque « circumcisionis gladium fuerit perpessus; « sicut et Melchisedech, aliique justi, inquit, « pagani vocantur, quo nomine, sic accepto, « despiciendi atque execrandi nihil induci« tur. » Eam ob causam polytheis accenseri dixi gentiles, non quoscumque, sed idololatras.

Iisdem deinde accensentur plures hæretici, qui polytheismum in ipsum adeò christianismum invehere moliti sunt, de quibus speciatim agetur in serie hæresum pauló post subjungendâ.

Interim polytheismus gentilium idololatriam sibi vel intimè imbibitam, vel proximè conjunctam habet; imò absque illâ consistere non potest. Etenim, cùm Deus verus unicus sit, eo ipso quòd plures dii colantur, necesse est, alicui saltem creaturæ cultum divinum tribui, in quo ipsa idololatriæ sita est improbitas. Quapropter de idololatriâ quidpiam dicere, haud erit ab hoc loco alienum.

II. Idololatria est cultus exhibitus creaturæ sicut Deo. Unde idololatræ dicuntur ii qui divinitatem, divinumve cultum creaturæ tribuunt. Duplex horum classis statuitur : Altera eorum, qui creaturam aliquam in seipsâ venerantur ut Deum, seclusis simulacris, statuis, aut imaginibus : v. gr., solem, ignem, etc., prout Romani, teste Varrone apud S. August. l. 4 Civit. c. 31, plusquàm annis 170 absque simulacris falsos deos coluêre, tum quos colebant Græci, etiam sine simulacris, uti testatur Halicarnasseus, l. 2, tum quos adjecit Numa Pompilius.

Altera classis illorum est, qui simulacra sibi conficiebant, iisque divinos honores exhibebant. Et hi, attentâ vocis etymologiâ, magis propriè dicuntur idololatræ. Idolum enim, Græcè, εἴδωλον, significat imaginem, seu figuram, soletque in S. Scripturâ pravo sensu usurpari, ut notat Calmet, nempe pro imagine numinum ethnicorum, sive imago illa homines, sive bruta, sive astra, picta, sculpta, cælata, aut alia quâcumque ratione expressa exhibeat.

Observat porrò S. Thomas, 2-2, q. 94, a. 1, divinum cultum hujusmodi simulacris diversimodè fuisse exhibitum. Quidam enim arbitrati in ipsis imaginibus aliquid divinitatis inesse, adeòque cultum iis deberi divinum, hunc illis tribuebant; maximè verò iis, quas per nefariam artem construxerant, et quæ virtute demonum certos aliquos effectus habebant, v. g., fundendi oracula, aliave edendi signa, quæ à malignis spiritibus profecta iisdem auctoritatem addebant. Alii verò non exhibebant cultum divinum ipsis imaginibus, sed aliis creaturis quas ipsæ repræsentabant, v. g., Jovi, Mercurio, etc.

III. Primam idololatriæ originem S. Augustinus, S. Hieronymus, aliique, tum antiqui, tum recentiores de idolis scriptores repetunt à posteris Chami, impii filii Noemi; è quibus omnium primi, qui Ægyptum occupavêre, excussâ paulatim, vel consepultâ primævâ unius veri Dei traditione, et inductis variis falsisque de divinitate opinionibus, conversi sunt ad sola præsentia et aspectibilia, resque corporeas deos esse finxerunt. Ac primùm quidem cœlestia, velut oculis magis exposita, suspicientes, eorum capti admiratione, soli, lunæ et astris Dei honorem adscripserunt. Deinde, cogitationibus suis inferiùs progressi, æthera, aerem, et ea quæ in aere sunt, deos appellavêre vani *homines, in quibus*, ut loquitur Sapiens, 13, 1, etc., *non subest scientia Dei... sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos puta-*

vere. Inde oculos deorsùm dimittentes homines animales et terreni, quibusdam tum hominibus, seu regibus, aut heroibus, seu aliis, naturâ vel arte magis insignibus; tum etiam brutis animantibus; quin et insensibilibus elementis, ac corporibus inanimatis divinos honores addixerunt; adeò ut invalescente hominum, non ex primævâ solùm labe contractâ, sed propriis vitiis ac sceleribus inductâ, corruptione, vanitate et insaniâ, integræ nationes tanquàm deos colere cœperint, vel cum Persis cœlum; vel cum Indis solem; vel cum Phrygibus lunam; aliæ velut Arabes lapidem; Scythæ acinacem; aliæ stupida, vilia, sordida et infesta animalia, canem, ranam; aut, ceu Ægyptii, crocodilum, quin et porrum ac cepe, quæ iidem adeò superstitiosè reverebantur, ut ea nec frangere, nec manducare auderent; quapropter non immeritò jocatur in illos Juvenalis hoc versu:

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!

Atque hæc quidem idololatriæ primæva origo fuit, et propagatio.

IV. Quo autem primo auctore, quove tempore cœperit simulacrorum cultus, non est adeò certum. Sacræ paginæ nullam idolorum mentionem faciunt ante tempora Labani, patriarchæ Jacob soceri, cujus filia Rachel dicitur abstulisse idola, seu deos, qui dicuntur *dii alieni.* Cæterùm Mercurius Trismegistus, qui Mosis tempore fertur floruisse, originem simulacrorum refert ad priscos proavos suos, uti testis est S. Augustinus l. 8 Civit. c. 24. Unde verisimile est, inquit Gotti, usitata fuisse idola tempore Thare et Nachor, è quibus ille fuit pater Abrahami patriarchæ: sic, ut primi idolorum effigiatores fuerint Chaldæi, præeunte Nino, Beli filio, Assyriorum rege, Thare contemporaneo, qui fieri curâsse traditur imaginem Belo patri suo, subditorum adorationi propositam, adjectis quibusdam ritibus superstitiosis, teste sancto Hieronymo in Oseam c. 2. Ad hanc vel haud absimilem idolorum originem videtur respexisse Sapiens, c. 14, v. 15, dùm ait: *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem; et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquàm deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia.* Subjungit mox ibidem Sapiens idololatriæ progressum his verbis: *Deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquàm lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Duplicem aliam profert illicò Sapiens idololatriæ in simulacris instituendæ, vel promovendæ rationem: alteram, quòd homines regis, v. g., absentis, quem colere volebant, imaginem fecerint, ut illum qui aberat, tanquàm præsentem colerent; alteram, quòd artifex volens placere illi qui ejus operâ utebatur, eximiâ diligentiâ laborârit, ut similitudinem in melius figuraret; multitudo autem hominum, abducta per speciem operis, eum, quem antea velut hominem honorârat, nunc deum æstimârit: *Et hæc,* concludit, *fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt.*

V. Cæterùm idolorum usus à Chaldæis proximè migravit ad Ægyptios, ut colligere est ex historiâ Exodi; tempore enim Moysis Ægyptus erat plena idolis, præsertim bestiarum; unde ad similitudinem eorum petierunt Hebræi ab Aarone, vitulum in deserto ex auro sibi fabricari. Ab Ægyptiis porrò propagata est hæc superstitio in reliquas orbis partes, ac speciatim ad Persas; hinc ad Græcos; ab his ad Romanos; item ad Indos et extremos terminos Sinarum, teste Kirchero, idque indicant etiam hodiernæ harum gentium consuetudines, cùm in Indiâ, Sinis, Japone, Tartariâ, quin et in Americâ, solis, ac lunæ, siderum, terræ, animalium omnis generis cultum non secùs, ac in Ægypto ab innumerabili tempore, etiam nunc vigere nostri deprehenderint missionarii.

VI. Tandem, crescente cum hominum malitiâ eorum pariter indigentiâ ac miseriâ, eò sese diffudit exitialis illa pestis, ut totum ferè orbem ante Christi tempora, ac non raró ipsum usque adeò populum Judaicum inficeret, atque falsorum etiam deorum ac idolorum numerus et absurditas in immensum penè augeretur, dùm homines ferè quicumque pro libitu illos pro diis sibi statuerent ac colerent, à quibus vel commodi aliquid reportâssent aut sperarent, vel aliquid nocumenti metuerent. Unde Tertullianus gentiles irridens: « Apud vos, inquit, Apol. c. 5, humano arbitratu Divinitas « pensitatur; nisi homini Deus placuerit, Deus « non erit: homo jam Deo propitius esse debebit. »

Inde etiam factum, ut stolidi mortales non modò homines etiam sceleratissimos in deorum numerum retulerint; bruta animantia etiam fœdissima ac vilissima divino cultu demulcere studuerint, sed aurum et argentum, ligna et lapides, *opera manuum hominum,* ut loquitur Propheta, quæ *oculos habent, et non vident,*

aures habent, et non audiunt, eodem venerationis cultu affecerint. Imò, ut observat S. Athanasius, Orat. cont. gent., eò progressi sunt, ut etiam simulacra eorum quæ nullo modo essent in rerum naturâ, deos facerent, humanam formam cum brutis permiscentes, naturasque dissimiles in monstri speciem conjungentes, ac adorantes; cujusmodi erant dii illi qui apud Ægyptios canis, serpentis, asini caput habebant; et apud Lybiæ populos, arietis capite insignis. Ad extremum inde quoque prodiit stupenda illa deorum apud gentiles multitudo. Triginta millia fuisse perhibent Hesiodus et Eusebius. Inter quos, ait Tertullianus, loc. cit. c. 10, « novi sunt ac veteres, bar« bari, Græci, Romani, peregrini, captivi, « adoptivi, proprii, communes, masculi, fe« minæ, rustici, urbani, nautici, militares, » etc. Imò S. Augustinus, l. 4 Civit., refert duodecim deos, quos quidam statuebant pro unicâ aristâ servandâ et fovendâ.

VII. Credibile tamen videtur, sapientiores è gentilibus magis excultis, veluti Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam, aliosque similes complures, neque tot, neque tam absonos deos interiùs agnovisse, quot et quos subinde ex metu principum, vel insanientis vulgi, exteriùs colebant. Imò Justinus Martyr, Clemens Alex., Lactantius, et alii apud card. Gotti, testantur gentiles philosophos et poetas, etsi plures deos venerarentur, unum tamen Deum deorum ac summum agnovisse. Sic, teste D. Thomâ, Platonici ponebant « unum « esse summum Deum causam omnium; post « quem ponebant esse substantias quasdam « spirituales, à summo Deo creatas, quos deos « nominabant, participatione scilicet divini« tatis; nos autem eos angelos dicimus : post « quos ponebant animas cœlestium corporum, « et sub his dæmones, quos dicebant esse ae« rea quædam animalia ; et sub his ponebant « animas hominum, quas per virtutis meritum « ad deorum vel dæmonum societatem assumi « credebant. Et his omnibus cultum divinitatis « exhibebant, ut August. narrat l. 8 Civit. c. « 14. »

Nihilominùs non populus duntaxat, sed suprema reipublicæ imperiique capita pro diis et idolis suis tantâ pertinaciâ tantoque furore pugnabant, ut eos qui illos læsissent, vel colere renuissent, extremis suppliciis afficerent. Quæ rabies sub prima nascentis et adolescentis Christi Ecclesiæ tempora, trium propemodùm seculorum decursu, et plurimas et gravissimas adversùs Christianos persecutiones excitavit, donec tandem respirare, atque liberiorem captare auram cœpêre fideles sub Constantino Magno, ad Christi fidem converso, qui superstitiosum deorum cultum abrogavit, idola evertit, polytheismum proscripsit : ex quo factum, quòd gentiles, cùm non auderent ampliùs impia sua sacra palam in urbibus exercere, confugerent ad pagos vel domos campestres, ubi liberiùs ea celebrarent.

VIII. Atque hinc Baronius repetit originem illius appellationis, quâ gentiles à Christianis pagani nuncupantur. Cujus etiam indicium esse potest, ut observat Gotti, quia nec in divinis Scripturis, nec apud auctores ethnicos ante tempora Constantini et Constantii ejus filii, *pagani* vox in hoc sensu usurpata reperitur; esto, ut idem eminentissimus advertit, jam ante fuerit in more positum, ut gentiles, aliique idololatræ suas superstitiones in villis, lucis, saltibus et antris peragerent; unde Cicero celebria festa, dicta *Paganalia,* feriasque paganicas commemorat.

Cæterùm non desunt, qui pagani nomen gentibus impositum à fidelibus esse arbitrantur ex eo quòd illi non militarent sub Christi vexillo. Etenim apud Romanos olim pagani dicebantur illi, qui militiæ sacramento auctorati non erant, sed vitam ruri domive liberè agebant. Utut sit, Paganorum nomine hodiedùm etiam veniunt Mahumetani, cùm infidelitas universim dividatur in paganismum, judaismum et hæresin, ut observat Suarez post S. Thomam.

IX. Polytheorum classe hucusque, quantùm satis videbatur, generatim propositâ, addi possent speciatim fœdissima errorum monstra, quæ in istis gentilitatis et paganismi tenebris orcus evomuit. Verùm sufficiat, tres illorum sectas magis celebres, quæ et quosdam è Christianis heterodoxis invenêre sectatores, paucis ob oculos sistere, nempe Epicureorum, Pythagoræorum et Stoicorum.

X. Epicurei dicti sunt ab Epicuro, gentili philosopho, Athenis circa annum urbis conditæ 412 nato; circa 485, et ante æram Christianam 271 vitâ functo; cujus præcipui hi fuisse perhibentur errores : 1° Negabat deos, si quos reipsà admittebat, fuisse mundi auctores : tum quòd credibile ipsi non videretur, deos qui tamdiù quieti stetissent, subitò suum mutâsse statum; tum quòd mundus multis laboraret defectibus, quorum iidem auctores esse nequiverint. Unde statuebat atomos æter-

nas, ex quarum fortuito concursu non hic duntaxat mundus fortuitò coaluerit, sed ante illum infiniti alii, quorum singuli elapso certo tempore fuerint dissoluti, sicut et hic pariter dissolvetur. 2° Diis pariter negabat mundi gubernationem, ne his curis eorum turbaretur felicitas. Ex quo perverso principio concludebat frustra deos coli, invocari, sacrificio placari. Imò visus est, deos reipsà penitùs negare cum atheis, cùm dixit, deorum ideam nobis non à ratione inditam fuisse, sed metum illorum provenire solùm ex imaginatione, quæ sæpè minacia phantasmata sibi fingit, ad quæ exhorrescimus; atque ex his falsis terroribus credit, deorum cultum unicè traxisse originem. Quapropter Epicurus à quibusdam atheis annumeratur, uti jam supra advertimus. 3° Nihil præter materiam et corpora statuebat, ipsamque animam nostram, aiebat, non esse nisi texturam materiæ subtilioris, per totum corpus diffusæ: ex quo inferebat primùm, illam haud immortalem esse, sed in morte hominis evanescere, instar vaporis; neque plus illi sensûs postmodùm inesse quàm ipsi corpori. Hinc deinde concludebat, fruendum vitâ præsenti sine curâ futurorum, et absque metu pœnarum alterius vitæ, quas confictas omnes aiebat, ad indicandas animi perturbationes et passiones, quibus homines in hâc vitâ cruciantur; unde demùm admonebat, abigendos hos terrores, qui unicè eò serviant, ut hujus vitæ quietem ac dulcedinem interturbent.

Porrò beatitudinem hujus vitæ, quam unicè agnoscebat, sitam esse dicebat in voluptate; quod quidem complures ex ipsius discipulis interpretabantur de voluptatibus corporis, etiam fœdis ac immoderatis, unde belluinum illud eorum carmen:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas;

ex quo factum, quòd permulti senserint, ipsum Epicurum in iisdem voluptatibus beatitatem reposuisse. Verùm alii hanc putant fuisse calumniam ipsi à Stoicis ipsius famæ invidentibus impactam, ipsumque proinde vindicare nituntur, maximè ex eo quòd ipse temperanter admodùm vixerit, ut testantur Laertius et Cicero, aliique recentiores critici ostendere moliuntur. Cæterùm S. Augustinus expressis verbis attestatur, Epicurum summum bonum ac vitam beatam constituisse in corporis voluptate, atque idcircò ab ipsis philosophis appellatum fuisse porcum, volutantem se in cœno vitiorum.

XI. Pythagorici nomen suum traxêre à Pythagorâ, gentili item philosopho, ex Samo oriundo, qui vixit circa annum ab urbe conditâ 220, mortuus 257, vel 258, octogenarius, vel, ut aliis placet, nonagenarius. Is auctor sectæ quæ dicta est Italica, eò quòd eam inceperit in eâ Italiæ parte quæ Magna Græcia nuncupatur, primus fertur ex philosophis ethnicis animæ immortalitatem agnovisse, aut certè palam docuisse. Verùm, ut illam assereret, in alium errorem incidit: dùm in primis asseruit, mundum esse animatum et intelligentem, atque animam immensæ hujus machinæ esse æthera, unde omnes animæ tum hominum, tum brutorum extrahantur. Deinde animas ejusmodi è cœlo lapsas hinc inde errare in aere, et occupare sine discrimine primum corpus, quod ipsis occurrit. Denique docuit metempsycosin, seu animarum transmigrationem de uno corpore in aliud, et quidem iterùm absque discrimine, ita ut anima hominis ex ejus egressa corpore migraret in corpus aliud sive humanum, sive cujuscumque bruti. Hinc prohibebat esum animalium, credebatque non minus crimen esse occidere leporem quàm hominem, eò quòd censeret utriusque animas easdem esse.

XII. Stoicorum secta ducem habuit Zenonem, ex insulâ Cypro oriundum, 129 olympiade vitâ functum. Nomen verò accepêre Stoici à porticu, græcè *Stoa* nuncupatâ, ubi suos conventus habebant. Profitebantur virtutem planè austeram, sed pleni erant vanitate; atque errabant inter cætera primùm in eo quòd crederent omnia evenire ex fatali quâdam necessitate, quam definiebant ordinem ab omni ævo constitutum quibusvis rebus invicem concatenatis; qui ordo nec ab ipsis diis immutari posset, et hoc *Fatum* vocitabant. Deinde omnia scelera docebant esse æqualia, ita ut æquale crimen foret occidere bovem ac hominem.

XIII. Omitto Academicos, ab Academiâ, juxta S. Augustinum sic dictâ, quòd esset à populo secreta, nuncupatos, tum veteres, qui Platonem habuêre auctorem, unde dicti Platonici; tum novos ab Archesilâ Platonis post Polemonem successore institutos; quibus omnia erant incerta, quosque impugnat S. Augustinus tribus libris contra ipsos conscriptis, et alibi sæpiùs: necnon affines Scepticos, qui duce Pyrrhone, de omnibus censebant esse dubitandum. Hi videntur fuisse præcursores modernorum pseudocriticorum.

DEISMUS.

I. Deistarum nomine non veniunt hìc ii hæretici, quos seculo 16 exortos Genebrardus et alii eo vocabulo designant : cæteroquin rectiùs dictos novos Arianos, eò quòd Filium et Spiritum sanctum negent eamdem cum Patre naturam habere. Itaque nomine illo, magis propriâ et generaliori significatione accepto, intelliguntur certi homines, quos Galli præcipuè vocant spiritus fortes, per omnes, etiam Christianorum sectas dispersi ; qui agnoscunt quidem esse unum Deum, ejusque Providentiâ mundum gubernari ; fortassè etiam immortalitatem animæ, pœnasque et præmia post hanc vitam haud inficiantur ; sed non credunt alia christianæ Religionis dogmata ; neque alium Dei cultum exhibendum esse putant (nisi fortè in speciem, ne palam detegantur) quàm arbitrarium ; nulla denique alia quàm legis naturalis præcepta esse observanda arbitrantur.

II. Ad hanc classem videtur reduci posse 1° Philosophismus, seu eorum sive antiquorum, sive quorumdam etiam hodiernorum philosophorum genus, qui, solam rationem ducem se sequi professi, ea duntaxat pro veris, aut agendis, vel omittendis admittunt, quæ lumen dictat naturale, unde et naturalistæ nuncupantur. 2° Libertinismus, seu illorum secta, qui, repudiatâ quoque omni religione revelatâ, ipsisque sacris litteris, admissâ tamen Dei existentiâ, et aliis paucis quæ sibi à rectâ ratione dictari arbitrantur, cæteras pariter fidei veritates respuunt, Deumque colunt et vivunt penè arbitratu suo. 3° Indifferentismus laxior, quem saltem occultè profitentur illi qui sibi persuadent quemlibet in suâ sectâ posse salvari, modò in unum Deum credat, eumque colat juxta suæ sectæ leges, sive dein Judæus fuerit, sive Turca, sive Christianus. Ad quem Indifferentismum laxiorem pedetentim ducit Indifferentismus strictior, qui contendit saltem in quâvis Christianorum sectâ viam patere ad salutem : necnon Syncretismus, quo quidam hoc etiam ævo moliuntur, ex religionibus dissentientibus unam conflare, cedendo dogma ritumve unum vel alterum aliis, et sibi vicissim alia quædam concedi postulando, pacis, ut aiunt, gratiâ.

MAHUMETANISMUS.

I. Mahumetani originem fœdæ suæ sectæ hausêre à Mahomethe, vel Mahumeto, Muhamede, aut Moamedo, quem ex patre ethnico, matre Judæâ, utroque ex infimâ fæce plebis, circa annum Christi 570 in Arabiæ urbe Meccâ prognatum, vel, ut alii malunt cum Natali Alexandro, origine Cyrenæum, sed cùm adhuc puer esset, à prædonibus captum, et in Arabiam deportatum, ab initio idolorum cultorem, S. Joannes Damascenus Antichristi præcursorem appellavit. Is, cùm inopiâ laboraret, diviti primùm mercatori suam operam addixit, cujus viduam postmodùm duxit, à quâ bonorum amplorum hæres est institutus. His inflatus initiis homo vafer juxta ac ambitiosus, ad eminentem inter suos gradum aspiravit, ac prophetam se esse à Deo missum popularibus suis, hominibus rudibus, persuasit ; eum in finem, comitiali, quo laborabat identidem, morbo abusus, ac cùm ex illo à sensibus alienaretur, mentitus se tunc ad inspicienda superna arcana evocari per archangelum Gabrielem, quem sub specie columbæ cicuratæ, atque ad aurem ipso eo tempore rostro vellicandam, edoctæ, latere fingebat. Ab eodem sibi per partes allatum fuisse fabulabatur librum, quem Arabicè *Alcoran*, id est, collectionem, seu volumen præceptorum, vocavit; ipse verò, Sergio quodam monacho, Nestoriani erroris lue infecto, adjutore et amanuensi, conscripserat innumeris blasphemiis, fabulis, et insaniis refertum.

II. Alcorano hoc suo complexus est novam suam sectam ex Gentilismo, Judaismo, Christianismo, variisque hæresibus compilatam, ut hâc mixturâ populos diversis religionibus obnoxios ad se pelliceret. Nam 1° unum quidem Deum, et Christum velut sanctum prophetam agnovit; sed illum in personis trinum cum Sabellianis ; hunc Deum esse cum Arianis et Nestorianis negavit ; et cum Manichæis, non Christum, sed ipsius umbram, vel alium hominem ipsi similem, asseruit fuisse affixum cruci, quam execratur. 2° Cum Judæis retinet circumcisionem, sive quòd illam requirat velut necessariam instar baptismi, ut quidam volunt ; seu, ut malunt alii, eam usurpari solùm velit, aut permittat in venerationem Abrahæ, quem laudibus prosequitur. Item cum iisdem permittit polygamiam ac libellum repudii, præcipit varias ablutiones, abstinentiam à suillâ, et vetat insuper usum vini cum Tatianis hæreticis. 3° Cum Epicureis summum hominis bonum constituit in voluptatibus corporalibus, etiam fœdissimis ; quapropter indulget fornicationem, vagam libidinem, aliaque nefanda, atque hominis post hanc vitam felicitatem

fore in iisdem voluptatibus constitutam comminiscitur. Prohibet autem suis sectatoribus homo astutus, ne probationem eorum inquirant, quæ ab ipso tradita sunt, neve de suis præceptis aut dogmatibus ineant disputationem.

III. Hos impiissimos errores naturæ corruptæ sensualitati tam accommodatos, conciliatâ sibi per illos, adjunctâque prædonum aliorumque sceleratorum ingenti copiâ, spargere cœpit, sub annum 622, apud Arabiæ populos, primùm Agarenos appellatos ab Agar, ancillâ patriarchæ Jacob, Ismaelis matre; unde et dicti Ismaelitæ, ac demùm Saraceni, qui Heraclio Cæsari, id temporis somnolentiùs imperanti, rebelles, Mahometem jam opibus potentem in ducem sibi elegerunt, atque incredibili celeritate maximas Asiæ partes cum Africâ et aliquâ Hispaniæ parte inundârunt. Ille verò, postquàm sex vel octo annis dominatum exercuisset, et sectæ suæ pestem diffudisset, omniaque stupris, adulteriis, aliisque sceleribus replevisset, ac idcircò infamem se etiam apud suos gregales reddidisset, ab iisdem veneno hoc ex orbe ejectus est anno Christi circiter 631.

Eadem hæc pestis postmodùm, partim armorum vi ac successu, partim grassante inter Orientis nationes schismate, morumque corruptione; partim demùm Græcorum imperatorum somnolentiâ, sub auspiciis duorum potentissimorum imperiorum, Saracenorum primò, ac deinde Turcarum, maximam Asiæ, magnam Africæ, nec modicam Europæ partem occupavit, maximè cùm anno 1453, Turcæ Constantinopolim expugnârunt, Orientisque imperium sibi adjunxerunt.

IV. Sunt tamen in hâc ipsâ sectâ schismata plurima, quorum aliqui ad 67 numerant, quæ hìc nimis longum et inutile foret recensere. Quatuor sunt sectæ particulares præcipuæ: 1° Turcarum, quæ auctorem habet Omarum, unum è primariis Mahumetis discipulis; estque hæc secta liberior. 2° Persarum, quam vocant Imanianam, ductam ab Ali, ejusdem falsi prophetæ altero celebriori discipulo. 3° Maurorum et Arabum, quæ ducem agnoscit quemdam pseudo doctorem nomine Melich, omnium maximè superstitiosam. 4° Tartarorum, à quodam Odemano profecta, quæ censetur simplicior. Omnes tamen dicunt, se convenire in essentialibus Mahumetismi dogmatibus, è quibus duo hæc præcipua esse aiunt, quòd *detur unus solùm Deus verus, et quòd Mahomet sit ipsius propheta.*

JUDAISMUS.

I. Judæi, nomen hoc adepti à Judâ, patriarchæ Jacob filio, cæteroquin etiam dicti Hebræi ab Heber, Abrahæ proavo, veram utique religionem olim habuerunt; imò, tanquàm populus electus, speciatimque dilectus à Deo, peculiaribus etiam beneficiis affecti fuêre. In plures tamen sectas postmodùm divisi sunt, ac præcipuè quatuor: Samaritanorum, Sadducæorum, Pharisæorum et Essenorum, quæ Christi tempore maximè vigebant.

II. Samaritani populi fuêre Samariæ, quæ Palæstinæ provincia erat, inter Judæam et Galilæam sita; in quâ urbs regia ejusdem nominis, derivati à monte Somer, in quo erat ædificata. Habebant religionem mixtam ex Judaismo ac gentilismo; colebant enim verum Deum Israel, simulque idola Assyriorum, quales erant origine, etsi haberi vellent Judæi, cùm Samariam, Judæorum partem, Judæis mixti incolerent, horumque religionem ex parte sequerentur. Cæterùm habebantur à Judæis aliis tanquàm schismatici, vel hæretici; schismatici quidem, quia cùm Judæi statis anni temporibus Jerosolymam convenirent ad adorandum in templo Salomonis, Samaritani sese ab illis diviserant, dùm sub rege Jeroboam, duce Manasse, Jaddi summi sacerdotis fratre, parem dignitatem ambitiosè prensante, favente cum principe Samariæ, cujus filiam duxerat, Alexandro Magno, templum Jerosolymitano æmulum ædificârunt in suâ ditione, nempe in monte Garizim, urbi Sichem adjacente, in quo olim Jacob patriarcha, Moses et Josue, sacrificârant; ad quod Samaritani certis quoque diebus sacrificaturi accedebant. Hæretici verò insuper habebantur à Judæis Samaritani, tum quòd præter Deum verum alios colerent, tum quòd inter alios errores, quos recenset Epiphanius, resurrectionem mortuorum minimè crederent.

III. Sadducæi nomen traxerunt vel à Sadoc sacerdote, à quo originem ducebant, vel à Sedec, quod Hebraicum vocabulum significat *justitiam,* quam illi exactissimam profitebantur. Errabant, teste Josepho, et aliis, quòd negarent 1° Providentiam; 2° spirituum existentiam; 3° resurrectionem corporum, unde S. Lucas Act. 23, 28: *Sadducæi dicunt,* inquit, *non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum;* 4° animarum immortalitatem, adeòque illarum post mortem præmia vel supplicia; 5° juxta aliquos, omnes traditiones re-

spuebant; quin et omnes Scripturæ libros, excepto Pentateucho. Contra hos creditur scriptus fuisse liber Sapientiæ.

IV, Pharisæi nomen traxêre à voce Hebræâ *paras, explicationem* vel *doctionem ;* vel *phares, divisionem* ac *separationem,* indicante quia legis doctores esse volebant, sublimioremque ejusdem doctrinam, ac observantiam accuratiorem exteriùs affectabant, quâ se ab aliis sectis distinguebant; unde Pharisæus ille evangelicus: *Non sum*, inquiebat, *sicut cæteri hominum*, Luc. 18, 12. Cœpêre, teste S. Hieronymo, in c. 8 Isa. paulò ante adventum Messiæ, cujus ævo magnam sibi apud populum famam comparabant crebris jejuniis, prolixis orationibus, largis eleemosynis, exactâque decimarum solutione. Verùm exteriora hæc opera ostentationis, ac vanæ apud plebem gloriæ captandæ causâ exercebant; reipsà superbi, avari, hypocritæ; idcircò à divino Salvatore sæpiùs reprehensi, ac sepulcris dealbatis comparati.

Errabant insuper 1° quòd legem Mosaicam perversis expositionibus, et confictis humanis traditionibus corrumperent, eam nunc nimiùm alleviando, uti cùm docebant, concupiscentiam internam non esse peccatum; odio haberi posse inimicum, etc.; nunc nimiùm aggravando : quapropter Christus ipsis exprobrat : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram :* et iterùm de illis : *Alligant,* inquit, *onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. 5, v. 6, et 23, v. 4. 2° Præter varias superstitiones, quibus erant addicti, astrologiam judiciariam præcipuè colebant, fatumque inducebant, quod tamen cum hominis libertate conciliare satagebant.

3° Metempsychosin, saltem bonorum, admittebant, ex quo errore ortum duxêre illi sermones, quibus alii Christum dicebant esse Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis; quia nempe putabant, animam alicujus ex illis in Christum transmigrâsse.

Cæterùm existentiam spirituum, animarum immortalitatem, earumque post mortem præmia et supplicia, necnon corporum resurrectionem contra Sadducæos agnoscebant; unde censebatur hæc secta purior et nobilior; atque in tantum S. Paulus gloriatur, se fuisse, imò adhuc esse Pharisæum, nempe quoad illa vera dogmata cum Christi fide congruentia, quæ Pharisæi tuebantur contra Sadducæos, à quibus Apostolus distinguere se volebat, etsi ab ipsorum etiam Pharisæorum erroribus esset remotissimus.

V. Esseni, sive Essæi, quorum ignoratur origo, dicti sunt, quasi sancti et pii, eò quòd vitam religiosiorem profiterentur : divitias enim contemnebant, bona tantùm in communi possidentes; societatis in se leges inviolatas servabant; à conjugiis et omnium voluptatum usu abstinebant, uti testatur Josephus; alienos tamen filios adoptabant, quos suis legibus imbuebant : unde Plinius l. 5, cap. 17, scribit, gentem fuisse à plurimis seculis absque conjugio et sexuum commixtione subsistentem : *Incredibile dictu*, inquit, *gens æterna est, in quâ nemo nascitur.*

Cæterùm ab erroribus immunes non erant. Nam 1°, ut tradit Josephus, fatum adstruebant; 2° de animarum statu post mortem ferè cum ethnicis sentiebant, probas ad campos Elysios, improbas ad regnum Plutonis migrare credentes; 3° à cæteris Judæis schismate erant divisi: unde nec in templo sacrificabant; tum ne, ut aiebant, aliorum hominum minùs proborum consortio contaminarentur; tùm quòd dicerent, se cæremoniis sanctioribus uti. Christo tamen favebant præ Pharisæis et Sadducæis, qui acerrimè illum prosequebantur.

Omitto sectas alias Judæorum antiquas minùs celebres : veluti 1° Nazaræorum, qui rejiciebant Pentateuchum et sacrificia, carnisque usu prorsùs abstinebant. 2° Hemerobaptistarum, ita nuncupatorum, quòd quotidiè baptizarentur; rati, non posse hominem vivere, nisi singulis diebus in aquâ mergeretur, atque sic ablueretur et sanctificaretur. 3° Galilæorum, qui sub Christi tempora exorti, dicebant non licere Judæis, tanquàm populo fideli, divino cultui addicto, subesse Cæsari gentili et idololatræ, eique tributum dare. Unde Christus et Apostoli, veluti Galilæi, ejus erroris falsò insimulati sunt; et divinus Servator à Pharisæis, tentandi causâ, interrogatus, *liceretne censum dare Cæsari, an non,* Matth. 22, statim asseruit, ut omnem illius erroris suspicionem à se, suisque amoliretur. 4° Herodianorum, qui Herodem Ascalonitam dicuntur pro Messiâ habuisse, eò quòd in ipso, velut alienigenâ, utpote Idumæo, Judæorum regem declarato defecisset *sceptrum de Judâ,* et *dux de femore ejus,* quod erat signum adventûs Messiæ juxta prophetiam Jacobi, Genes, 49, 10. Quòd pravis imbuti essent dogmatibus, liquet ex eo quòd Christus monuerit, esse *cavendum* à fermento Herodianorum. Quænam autem ista dogmata fuerint, non satis constat.

VI. Abrogatâ post Christi mortem lege Mosaicâ, capitalis et communis Judæorum error est, quòd negent Messiam adhuc venisse, illumque esse Jesum Nazarenum, quem crucifixerunt, ac ipsum Deum esse. Sunt tamen inter illos etiamnum particulares quædam sectæ, ac præsertim Karaitarum, qui Scripturæ soli adhærent, et Rabbanitarum, qui simul sequuntur traditiones Rabbinorum, comprehensas in libro quem *Talmud* appellant, id est, *Disciplinam,* quia continet jura et cæremonias Judæorum, constatque duabus partibus : Prima quæ dicitur *Mischna*, et prodiit circa annum æræ christianæ 188, complectitur constitutiones et traditiones antiquorum Rabbinorum; altera, quæ dicitur *Gemara,* continet glossas et expositiones ab aliis Rabbinis priori parti velut textui adjectas. Utraque verò referta est pluribus blasphemiis, fabulis et ineptiis; quapropter non solùm Catholicis à sacrâ potestate, uti jam dictum fuit, sed etiam ipsis Judæis à politicâ liber ille prohibitus fuit.

ARTICULUS II.

Sectæ præcipuæ à temporibus Christi et Apostolorum per singula secula ad moderna usque tempora deductæ.

I. Notissimum est omnibus illud Apostoli oraculum : *Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Hujus verò apostolici effati veritatem probavit eventus, quando nullum ferè à Christi Apostolorumque temporibus seculum fluxit, quo non una vel multiplex etiam hæresis exorta sit.

Plures autem harum pestium fontes detexêre SS. Patres; quorum præcipui censeri possunt : Primùm, ab initio nascentis Ecclesiæ, gentilismi reliquiæ in neoconversis pluribus superstites; item philosophorum ethnicorum placita nondùm depurata, quæ nonnulli fidei veritatibus, quibus reipsà adversabantur, in speciem per sophismata conciliare contendebant, aut potiùs fidem et Religionem christianam ad illa accommodare. Deinde universim superbia, quæ omnes penè hæresum auctores stimulavit, ut, cùm vel in proprio sensu abundarent, saperentque ultra quàm oportet sapere ad sobrietatem, nec reprehendi se, errorisve coargui patienter ferrent, ejusmodi errori pertinaciam adjunxêre; aut, cùm quempiam ecclesiastici honoris gradum, suis licet meritis altiorem, ambitiosè prensarent, ab eo repulsi, vindictæque æstu abrepti, ore simul et calamo Ecclesiam, velut illius repulsæ causam, cœperunt impugnare; ejusque detrectare auctoritatem.

II. Speciatim ad hæresin viam sternit præposterus novitatis amor, et vanus omnia ad crisin immodicam ac effrenem revocandi pruritus, propullulans ferè ex pravâ æmulatione, ac cupidine supra vulgus eminendi, et aliquam reconditæ magis doctrinæ famam præ aliis aucupandi. Denique, quod S. Hieronymus exemplis ætati suæ vel coævis, vel anterioribus ostendit, vix ulla hæresis extitit sine feminâ vel adjutrice, vel comite. Has ferè hæresum origines complexus est Epiphanius, hæresi 76, his verbis : « Hæreses omnes pessimo ex eorum, « qui ab initio usque ad finem extiterunt, con« silio profectæ sunt; sive illas gloriæ cupidi« tas, aut arrogantia, sive voluptatum libido, « sive aliorum æmulatio, sive commotio quæ« dam animi, aut temeritas impulerit. » Quæ præmonuisse juverit, ut nôrint tirones, à quibus syrtibus, vel sirenibus sibi sit declinandum, ut triste fidei naufragium securè devitent.

III. Nunc hæreses inter ipsos Christianos exortas per singula secula sic recensebo, ut minùs famosas, vel cum suis auctoribus jampridem sepultas, nec facilè hoc ævo suscitandas, suis in cineribus obmutescentes, et ego vel tacitus omninò prætercam, vel nonnisi uno alterove verbulo designem; alias verò, quæ hâc præsertim ætate caput altiùs extulerunt, aut olim etiam latiùs grassatæ sunt, paulò accuratiùs depingam, eo consilio ut cùm eædem toties jugulatæ jampridem hydræ statis temporum intervallis ex orco revocatæ caput rursùs attollant, sitque ea modernorum etiam novatorum in eruderandis antiquis præcursorum suorum erroribus, quantùmvis absonis, effrenis licentia, vix ut ulla sit istarum pestium, quam hinc inde revehere in orbem non sint moliti; pariter intelligant tirones, quibus è lacunis ista mephitis hauriatur, eòque vehementiùs eam exhorrescant, quò certiùs noverint quantas jam olim strages in orbe ediderit.

Ad extremum nonnihil de vitâ et moribus eorum dicendum operæ pretium esse duxi, qui fuerunt primarii errorum architecti, hæresumque fabricatores; ut ex his quoque lector intelligat quanti illorum facienda sit doctrina, quorum mores fuêre tam corrupti; et vel inde prudenter æstimet, credine possit, quòd Christus homines tot flagitiis conspurcatos mittere voluerit ad reformandam Ecclesiam sponsam suam, *ut illam exhiberet ipse sibi gloriosam.... non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid*

hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata, Eph. 5, v. 27.

HÆRESES EXORTÆ SECULO PRIMO.

CAPHARNAITÆ.

Prima hæresis, Augustino teste in psal. 5, exorta est inter Christi discipulos, occasione hujus effati Joan. 6, 25: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* etc., quod, cùm audissent multi ex discipulis Capharnaitis, ac perversè ista verba interpretarentur: *Durus est,* dixerunt, *hic sermo, et quis poterit eum audire?* Et, quamvis divinus Salvator, qui eorum corda nôrat, sensum istorum verborum reconditum exponeret, *tamen ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò; et jam non cum illo ambulabant.* Hos, et in iis Capharnaitarum pronepotes hujus seculi novatores, imò hæreticos quoscumque confutavit, modumque se dociles Christo, ejusque Ecclesiæ præbendi edocuit ipse Apostolorum princeps, quando Christo mox interroganti: *Numquid et vos vultis abire?* tanquàm caput, omnium nomine, reposuit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quâ promptâ confessione docuit Petrus, fidei mysteria non esse superbâ curiositate examinanda; sed, Deo loquente, humili fide suscipienda, etiamsi intellectu non comprehensa, sicuti nec Petrus tunc mysterium illud comprehendebat. Quapropter S. Augustinus, relatis Petri verbis: « Intendite, « obsecramus vos, inquit, et parvuli discite « pietatem. Numquid jam Petrus intelligebat « secretum illius sermonis Domini? nondùm « intelligebat; sed bona esse verba, quæ non « intelligebat, piè credebat. Ergo si durus est « sermo, et nondùm intellectus, durus sit im« pio, tibi autem pietate molliatur, » etc.

SIMONIANI.

I. Post Salvatoris in cœlos ascensum, primus qui hæresis pestem in orbem invexit, teste Epiphanio, fuit Simon Magus circa annum Christi 98, cujus mentio habetur in Actis Apostolorum c. 8. Is, ut ibid. perhibetur, è Samariâ oriundus, cùm antea magus fuisset, seducens gentem Samariæ, postea verò à Philippo baptizatus videret Spiritum sanctum in eos quibus manus imponebant Apostoli, illabi, oblatâ pecuniâ voluit ab Apostolis potestatem emere similiter conferendi Spiritum sanctum, quo facto labis, ab ipso dictæ Simoniacæ, primum jecit fundamentum. Verùm à S. Petro his verbis, ceu anathemate percussus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possidere,* magicas artes repetiit, et alios impiissimos fœdissimosque errores spargere cœpit.

II. Primò, se esse magnam virtutem Dei, imò Deum ipsum, qui in Samariâ apparuerit ut Pater, in Judæâ ut Filius, in gentibus ut Spiritus sanctus, quâ insaniâ facem prætulit Sabellio ad negandam realem Personarum in Deo Trinitatem. Secundò, Christum verè non venisse, nec realiter esse passum, sed solùm apparenter. Tertiò, vagam quamdam mulierculam natione Tyriam, nomine Helenam, cum quâ clam omni se libidinum genere polluebat, jam blasphemabat esse Spiritum sanctum, jam fabulabatur esse Minervam, et sub hujus simulacro suis discipulis præbebat adorandam, sicut se ipsum sub simulacro Jovis. Quartò, mundum aiebat non fuisse conditum à Deo sed ab angelis, quos per Helenam, primam suæ mentis conceptionem, ipse creavisset. Quintò, legem dicebat non à Deo, sed à sinistrâ quâdam intelligentiâ latam fuisse; quapropter reverà duos deos fingebat, unum malum, auctorem legis; alterum bonum, à quo se descendisse affirmabat, ut à deo malo homines liberaret; sicque Manichæis, aliisque Christianis polytheis præludebat. Sextò, omni sublatâ lege, ac bonis operibus eliminatis, velut minimè necessariis, amplam suis cultoribus ad omne scelus impunè patrandum viam aperiebat; speciatim verò indifferentem feminarum usum permittebat. Septimò negabat carnis resurrectionem cum Sadducæis, metempsychosin verò cum Pythagoricis adstruebat, verosimiliter ut novam quam somniârat de suâ Helenâ fabulam firmaret, quam dicebat in varia muliebria corpora, ac speciatim famosæ illius Helenæ Trojanæ corpus transmigrâsse, ut adversantium sibi angelorum insidias declinaret; seque idcircò, stolidus nequam aiebat, velut pastorem bonum in terras descendisse, ut ovem hanc errabundam inquireret, atque in cœlum reduceret.

III. Postquàm hos errores per varias orbis partes circumtulisset, multisque falsis signis, ope dæmonum perpetratis, persuadere studuisset, tandem Romam venit, ubi cùm, eorumdem ope, in cœlos evolare tentaret, quò se verum Deum probaret, precibus S. Petri præceps ruit, et confractis ossibus, animam exhalans ad inferna descendit.

IV. Simonis discipuli, vel successores fuêre postea Menander, à quo Menandriani; Saturni-

nus, à quo Saturniani; et Basilides, à quo Basilidiani, qui magistri sui blasphemias, impietates ac insanias, vel alias haud absimiles propagârunt, novisque adauxerunt, quas minùs utile videtur hìc vel repetiisse, vel commemorâsse.

PSEUDOAPOSTOLI.

Inter primos hujus seculi hæreticos numerantur etiam Pseudoapostoli, seu, ut Scriptura loquitur, *quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt;* sed ita Evangelium Christi recipiebant, ut interim observationem legis antiquæ, præcipuè circumcisionis necessariam esse contenderent. Contra hos primum Apostolorum concilium Hierosolymis fuit habitum. Hoc in errore fuêre alii, dicti speciali nomine Nazareni, quos, cùm Galatiæ S. Paulus invenisset, anathemate feriit.

NICOLAITÆ.

De his aperta fit mentio in Apocalypsi c. 2, v. 15; magistrum, à quo nomen accepêre, habuerunt, teste S. Irenæo, *Nicolaum, ex septem qui primi ad diaconium ab Apostolis ordinati sunt.* Dubitatur tamen an ipse hæresin hanc docuerit, ut plures è SS. Patribus sentiunt apud Gotti: an verò ex aliquo Nicolai facto, in pravum sensum detorto, hæresin condendi sub ejus nomine occasionem alii sumpserint, ut malunt alii. Cæterùm illi errabant primò, quòd docerent, mundum non esse factum à Deo, sed à quibusdam principibus quos exprimebant nominibus barbaris ac horrendis, quibus terrorem suis auditoribus incuterent; secundò indifferentem feminarum usum indulgebant; unde tertiò docebant, licere scortari; quartò etiam vesci idolothytis.

CERINTHIANI.

Nuncupati à Cerintho. Hic ex Judæo factus Christianus, cum Baptismo circumcisionem, velut ad salutem necessariam, volens esse jungendam, varias contra Christi discipulos excitavit contentiones tum Hierosolymis, tum Antiochiæ et alibi, teste Epiphanio. Capitalis autem ipsius error (ut reliquos, qui dubiè ipsi tribuuntur, vel ab ejus deinde discipulis additi sunt, prætermittam) in eo stetit, quòd Jesum à Christo distingueret, diceretque, illum non de virgine, sed de muliere, maritali commercio intercedente, conceptum ac natum esse; Christum verò, seu Spiritum sanctum sub columbæ specie in eum descendisse, eique sanctitatem, et vim eam aliis communicandi, patrandique miracula tribuisse. Addebat, Christo in cœlum reverso, solum Jesum passum ac mortuum esse; quem aliqui ex ipsius discipulis postmodùm dixêre, nondùm resurrexisse, et priùs resurrecturum cum aliis in communi resurrectione.

EBIONITÆ.

I. Ebionitæ, seu Ebionæi sic appellati, vel, ut quidam censent, non à quâdam singulari personâ, sed ab ipsâ etymologiâ nominis Ebion, quod Hebraicè idem sonat ac pauperem, eò quòd minùs humiliter de Christo sentirent; vel, ut communiùs et probabiliùs alii, ab Ebione quodam ejus sectæ auctore, Apostolis coævo, qui, Epiphanio teste, circa annum Christi 70 sequentes errores docuit:

1° Christum esse purum hominem ex Josephi et Mariæ concubitu, more hominum aliorum, progenitum; nonnulli tamen ejus discipuli postea dixerunt, ex virgine natum, sed etiam ante hanc nativitatem haud extitisse; 2° Circumcisionem et alia legalia post Christum adhuc esse servanda, Ebionitæ contendebant; 3° Virginitatem à suis cœtibus repellebant, qui etiam propriùs aliorum hæreticorum genius fuit; 4° Uxorum pluralitatem permittebant. S. Hieronymus, de Script. eccles., dicit quòd S. Joannes Evangelium suum scripserit « adversùs maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, quod asserit Christum ante Mariam non fuisse. »

II. Narrat quoque Epiphanius, quòd idem Apostolus, cùm ad balneum accedens audîsset Ebionem ibi adesse, ingemiscens suis comitibus dixerit: *Properate, fratres, abeamus hinc, ne balnea concidant, et cum Ebione, qui intùs est, ob ejus impietatem obruamur.* Id quod S. Polycarpus narrat de Cerintho. Fortassè, inquit cardinalis Gotti, uterque tunc eo in balneo fuit.

HÆRESES SECULI II.

GNOSTICI.

I. Sic dicti fuêre à rerum omnium γνῶσι, sive scientiâ, quam sibi præ cæteris superbè arrogabant. Eorum auctor præcipuus, ut communiùs censetur, fuit quidam Carpocrates, vel Carpocras nomine, à quo etiam dicti Carpocratiani; propagatrix verò Marcellina mulier, quæ illam hæresin papæ Aniceti tempore Romam invexit, multosque ibi seduxit, teste Epiphanio.

II. Delirabant autem præcipuè in sequentibus capitibus:

1° Duos admittebant deos, unum quem *Bar-*

belo vocabant, atque in supremo cœlo collocabant; et hunc patrem universorum ipsiusque Christi, qui ad nos descendit, esse dicebant. Alterum, quem in septimo cœlo ponebant, et *Sabaoth* vocabant, faciebantque creatorem cœlorum qui sub ipso sunt, ac mundi hujus inferioris. 2° Dicebant mundum non esse factum à Deo, sed ab angelis. 3° Carpocrates Christum aiebat quidem verè fuisse hominem, sed purum, instar aliorum progenitum; cujus anima tamen, priusquàm in corpus immitteretur, fuerit cum Patre ingenito, et omni ab illo scientiâ ac virtute exornata. Alii verò Gnostici contendebant, Christum non esse ex Mariâ natum, sed per illam ostensum, et hinc S. Dei genitricem ludibrio habebant; ipsum verò Christum non habere carnem, nisi apparenter talem. 4° Duas in homine animas fingebant, alteram bonam et ratione præditam; alteram malam et rationis expertem; illamque, non item istam volebant esse de Dei substantiâ. 5° Metempsychosin admittebant; carnis verò resurrectionem ac judicium futurum negabant. 6° Licitum esse dicebant Christiano ad vitanda tormenta Christum abnegare, et idola colere. 7° Jejunia et castitatem aversabantur. Horrenda sunt, quæ de nefandis eorum turpitudinibus scribit S. Epiphanius.

VALENTINIANI.

I. A Valentino quodam, cujus patria stirpsque ignorantur. Is, cùm ingenio et eloquentiâ emineret, et hinc spem episcopatûs concepisset, alter verò ipsi prælatus fuisset, indignatione spirituque vindictæ accensus, Ecclesiam oppugnare cœpit, uti testatur Tertullianus, l. cont. Valent., c. 4. Errores primùm spargere occultè cœpit in Ægypto; deinde sub Hygino papâ Romam profectus, initio speciem pietatis præ se tulit; tum inter fideles eosdem errores clam disseminavit; tandem detectus, et Româ pulsus, Cyprumque delatus, animum omninò depravavit.

II. Errorum ac deliriorum summarium his ferè capitibus præcipuis absolvebatur: 1° Duo statuebat prima principia: Profundum, et Silentium, sive Chaos, velut primos duos deos, quorum alterum masculum, alterum feminam dicebat; atque ex his duobus, velut ex conjugio, seu immediatè, seu mediatè processisse Æonas triginta, è quibus 15 mares, totidem feminas. 2° Triplex fingebat hominum genus, pneumaticum, seu spirituale; psychicum, seu animale; et hyginum aut choicum, seu materiale. Primo hominum generi, cujusmodi se Valentiniani omnes esse credebant, tribuebat animam suâ naturâ bonam, et nullis sceleribus, quæ impunè ipsi licerent, contaminandam; atque ideò ejus generis hominem aliquando resurrecturum aiebat, sed cum alio corpore, nempe spirituali, et certò salvandum. Alteri generi tribuebat animam boni malique capacem, et pro diversâ vivendi ratione salvari, damnarive posse contendebat. Postremo denique generi animam naturâ malam inesse aiebat, et ad exitium conditum esse asserebat eâ ratione, ut cum corpore simul et animâ interiret. 3° Docebat propter medii generis homines Christum à Patre, id est, à Profundo missum esse, sed spiritale vel cœleste corpus secum attulisse; adeòque nihil sumpsisse de Virgine Mariâ; sed per illam, tanquàm per rivum, aut fistulam transîsse.

Omitto plura ejusmodi deliria; Valentinianos Tertullianus acriter impugnavit; et Zachæus Cæsariens. Ep. anathemate feriit. Primarius Valentini discipulus ac successor fuit Secundus, à quo Secundiani nomen habent. Is magistri errores duntaxat ampliavit, excogitatâ novâ Æonum serie ac naturâ.

MARCIONITÆ, etc.

Marcionitæ à Marcione, Appellitæ ab Appelle, Cerdoniani à Cerdone quodam appellati, Manichæis præluserunt, dùm duo rerum principia duosque deos statuerunt, unum bonum, alterum malum; illum Christi patrem, hunc legis, ac prophetarum auctorem. Hunc errorem adoptârunt Tatiani, dicti etiam Encratitæ, seu continentes, quòd à nuptiis dicerent esse abstinendum, neque carne vinoque uterentur, quæ aiebant profluxisse à principio malo: unde et in ipso Missæ sacrificio aquam solùm adhibebant sine vino.

MONTANISTÆ.

Nomen traxêre à Montano, in provinciâ Phrygiæ, ex parentibus gentilibus orto, qui adjunctis duabus mulierculis Priscillâ et Maximillâ, quas velut prophetissas venditabat, 1° docuit in seipsum hasque feminas Spiritum S. majori plenitudine descendisse, quàm in ipsos Apostolos; et hinc Spiritum S. se appellabat, imò Deum Patrem; ex quo videtur forsan in suspicionem venisse, quòd et personarum in deitate trinitatem sustulerit, et seipsum deum esse finxerit; quod tamen plures vocant in dubium. 2° Negabat in Ecclesiâ dari potestatem remittendi peccata quædam graviora,

post baptismum commissa, velut adulterium, homicidium, lapsum in idololatriam et alia similia; adeòque pro eorum remissione Deum duntaxat esse exorandum. 3° Secundas nuptias illicitas esse proclamabat, et pro fornicationibus habebat. Ex adverso matrimonium dissolvi posse aiebat. 4° Negabat esse licitum Christianis, fugam capere in quâcumque persecutione. 5° Nova jejunia prædicabat, tanquàm jure divino præscripta.

Secta hæc, propter eam quam ejus asseclæ præ se ferebant vitæ severitatem, primùm in æstimatione habita à multis, tandem, fraude detectâ, damnata fuit tum in Asiâ et Græciâ ab episcopis, tum à Zephirino et Aniceto PP., tum in concilio Constantinopol. I, can. 7.

TERTULLIANISTÆ.

Dicti à Tertulliano, Carthaginensi presbytero, viro acris et vehementis ingenii, teste S. Hieronymo, primoque post Victorem et Apollonium Latinorum scriptore; qui, postquàm contra Montanistas strenuè pugnâsset, seu invidiæ adversùs Victorem gentilem suum, in pontificatu sibi prælatum, stimulis agitatus, seu austeræ indolis impulsu, falsâque severioris disciplinæ quam Montanus præ se ferebat specie, atque etiam somniis Priscillæ ac Maximillæ delusus, illorum errores adoptavit, et novis adauxit.

Nam docuit 1° angelos esse corpora tenuia ac subtilia; animam quoque nostram, licet immortalem, corpoream tamen esse, eamque crescere, adolescere, cibos desiderare, et in cæteris cum corpore convenire; unde illi tribuebat longitudinem, latitudinem, sublimitatem, effigiem, sexum, habitum, terminum, ut corpori. 2° Teste S. Augustino, dicebat, animas sceleratorum hominum post mortem converti in dæmones. Errores alii illi tribuuntur à quibusdam, à quibus illum purgant alii; hinc eos prætermitto.

QUARTODECIMANI.

Sic idcircò fuerunt appellati, quòd pascha à Christianis simul cum Judæis vellent esse celebrandum quartâ decimâ lunâ mensis martii, quocumque septimanæ die illa incideret. Auctor, vel auctores hujus sectæ sunt incerti: fautor verò fuit Polycrates Ephesiorum episcopus. Quanquàm autem videretur ab initio esse controversia de solo ritu et disciplinâ, ut observat Gotti, c. 25, n. 4, et hinc ille mos pascha celebrandi in Asianorum Ecclesiis à pluribus pontificibus fuerit toleratus; postmodùm tamen, cùm quidam, evulgare cœpissent, eum morem etiam de præcepto divino esse retinendum, atque in hoc observandam legem Mosaicam etiam à Christianis, controversia hæc meræ disciplinæ et ritûs esse desiit, et ad fidei dogma cœpit pertinere, ut idem eminentissimus ibidem animadverit. Hinc Victor papa circa annum 198 instituit, ut pascha ab omnibus Christianis celebraretur, non decimâ quartâ lunâ, quocumque hebdomadæ die occurrisset more Judæorum, sed die Dominico decimam quartam lunam, et æquinoctium vernale immediatè sequente, prout ab Apostolis traditum erat, et observabat Ecclesia Romana.

Cùm tamen nondùm acquiescerent multi Orientales episcopi, hoc ipsum definitum ac statutum fuit in concilio Nicæno I, eam ob controversiam, inter cæteras causas, convocato, ut testatur Eusebius, l. 3 de Vitâ Constant. c. 5, et ipse Constantinus M. in Epistolâ suâ, quâ œcumenicum hoc decretum Ecclesiis notum fecit; in quâ simul prudentissimas rationes enumerat, quibus moti fuêre Patres concilii ad illud concipiendum. Jure proinde miremur posse cuipiam sincerè Catholico in mentem venire, ut interroget: « Cur in re, « quæ instituti merè humani est, tantoperè « colluctentur Christiani? Quid luna plena « æquinoctialis ad rem faciet? Quid Pascha « instar Nativitatis Dominicæ celebramus fixo die « mensis martii? Ad quid tanta varietas in cal« culo temporis ecclesiastici, ut mox citiùs, « mox seriùs Pascha et Pentecostes habeatur? » Princ. p. J. P. E. c. 1, n. 14.

HÆRESES SECULI III.

NOVATIANI.

Nomen hoc adepti primùm à Novato, tum etiam à Novatiano, illo Carthaginensi, hoc Romano presbytero; postmodùm Catharos ipsi se, id est, mundos et puros, superbè appellârunt. Porrò Novatus, uti genere humili obscuroque progenitus erat, ita impietate, avaritiâ, turbulentiâ insignis, utpote qui proprio parenti fame extincto ne sepulturam quidem dedit; impacto in prægnantis, quam primùm duxerat, uxoris uterum calce, abortum eidem causavit; nec viduarum, nec pupillorum, ac ne ipsius Ecclesiæ bonis pepercit; denique exitiosas inter fratres discordias excitavit, quæ omnia testatur S. Cyprianus, ipsius episcopus, Ep. 40, ad Corn. Quapropter damnandus in concilio Africano, quod tamen ingruens per-

secutio impedivit, Romam profugus, supremam ibidem cathedram post Fabianum sibi, vel cuipiam ex suis, asserere molitus est; quâ spe per electionem Cornelii pontificis dejectus, primum schisma contra illum incœpit. Ad quod invenit paratum Novatianum, gentilium parentum superstitionibus ab infantiâ imbutum, exinde tamen, cùm graviter decumberet, in lecto utcumque baptizatum; qui, cùm philosophicis, stoicorum tamen, ut fertur, disciplinis excultus, editisque etiam libris ecclesiasticis, ut perhibet S. Hier., de Script. Eccles., clarus extiterit, reclamante tamen clero, presbyter effectus, pontificatum etiam ambiit.

Hi fuêre sequentium errorum disseminatores : 1° Iis qui à fide defecerant, vel in alia crimina, saltem graviora, veluti adulterium, homicidium, etc., post Baptismum lapsi erant, spem omnem veniæ eripiebant, saltem obtinendæ ab Ecclesiâ ; cui proinde potestatem ejusmodi peccatis veniam indulgendi denegabant. 2° Accedentes ac redeuntes ad suam sectam iteratò baptizabant, existimantes baptismum extra illam collatum, esse irritum. Cæterùm Confirmationis sacramentum penitùs negligebant. 3° Martyres eorumque reliquias contemnebant. Demùm cum Montanistis secundas nuptias damnabant.

SABELLIANI.

A Sabellio, ex Africâ vel Lybiâ oriundo, juxta quosdam, et vel episcopo Ptolemaidis, vel presbytero Constantin. Is novam hæresin non tam primus excogitavit, quàm à Praxeâ, Montani priùs assecla, postea desertore, alioque quopiam Noeto acceptam propagavit, docens esse in Deo unam duntaxat reipsà personam, sicut et unam naturam, licet secundùm triplicem notionem tribus nominibus expressam; unde et Sabelliani dicebant, Patrem quoque in Christo passum fuisse, quapropter etiam appellati fuêre *Patripassiani*. Damnati sunt in concilio Constantinop. I.

Sabellii hæresin deinde adoptârunt tum Photinus natione Galata, dein in Pannoniâ episcopus, qui et Christo cum Ebione, divinitatem detraxit; demùm idcircò episcopatu pulsus, tum Paulus à natali urbe Samosatâ dictus Samosatenus, vel Samosatensis, episcopus Antiochenus, homo fastu et arrogantiâ supra modum elatus, utpote qui inter cætera angelum se è cœlo delapsum prædicari à suis patiebatur, psalmosque in suî laudem à mulierculis in Ecclesiâ decantari. Cæterùm paulò aliter unitatem personæ in Deo tuebatur, quàm Sabellius, et ita quidem, ut non cogeretur admittere, Patrem fuisse passum. Tandem in synodo Antiochenâ propter hæresin et mores episcopo indignos à fidelium communione abscissus, et episcopali sede dejectus fuit. Sabelliana pestis dicitur ætate nostrâ suscitata in Angliâ à quibusdam apud Gotti, c. 37, v. 1, n. 10, sicut Samosetanam suscitârunt Sociniani, de quibus infra.

ORIGENISTÆ.

I. Duplicis generis recensentur. Utrumque ab Origene, sed diverso : uno obscuro et ignoto, qui Gnosticorum fœditates arripuit ac promovit, de quibus nil ampliùs attinet dicere; altero percelebri, Alexandriæ nato, qui et *Adamantius* fuit cognominatus, sive propter adamantinam quam in primâ et mediâ ætate præ se tulit fidei constantiam, sive propter infractum in Scripturis sacris legendis, librisque scribendis studium ac laborem, unde et *Synctates* sive *Lucubrator* etiam appellatus; et acumine ingenii ac eloquentiâ talis habitus inter Græcos, qualis Tertullianus inter Latinos. Is, postquàm adhùc puer tam ardenti flagrâsset desiderio martyrii, ut, ne ad illud ultrò se sisteret, per vim à matre domi detineri debuerit, postmodùm, patre istâ laureâ coronato, sacerdos effectus, cùm plures alios ad illam carpendam instruxisset atque animâsset, imò ipse sub Decii persecutione in vincula conjectus, acerbissimos cruciatus pertulisset. ad extremum formidabile imbecillitatis humanæ posteris exemplum reliquit, dùm in sequentes exitiales errores prolapsus est.

II. Error primus fuit circa creationem et naturam animarum. Fingebat enim, ut refert S. Thomas, 1 p., q. 47, a. 2, O, quòd Deus primò creârit rationales creaturas omnes æquales; eas verò, quæ ex libero arbitrio magis vel minùs ad Deum conversæ fuerant, ad diversos angelorum ordines pro meritorum diversitate fuisse promotas; illas quæ à Deo sese avertebant diversis corporibus fuisse alligatas, et animas evasisse, corpori magis vel minùs imperfecto, pro diversitate demeritorum, velut carceri inclusas. Ex quibus ulteriùs delirabat animam etiam Christi, antequàm corpori uniretur, præextitisse; item solem, lunam et astra animatas quasdam virtutes esse, ut testatur S. August., l. 4 de Civ. c. 23. Error alter fuit circa corporum resurrectionem, quam equidem admittebat, sed aiebat illa non surrectura



rectæ, ut modò, sed orbicularis figuræ; neque cum sanguine et membris, quæ habent modò, quia pro illo statu haud servituris, sed subtilia et aerea esse futura. Error tertius erat circa statum animarum post hanc vitam. Præterquàm enim quòd negaret, damnatorum animas quidpiam pati ab igne corporeo, insuper negabat illorum, dæmonumve ipsorum pœnas in æternum esse duraturas. Addebat, Christum iterùm crucifigendum esse pro dæmonibus. Ad extremum eò usque deliravit, ut, « sicut ponebat dæmones et animas damnatorum quandoque à pœnâ liberandas, ita » poneret, « angelos et animas beatorum quandoque à beatitudine in hujus vitæ miserias devolvendas, » S. Th., in Suppl., q. 99, art. 2, O. Imò damnatos ad hoc quoque seculum rursùs redituros, et hinc ad beatitudinem evocandos, dæmonesque in priorem statum et ordinem restituendos.

III. Damnata fuit Origenis doctrina primùm in synodo Alexandrinâ, sub antistite Theophilo; eoque urgente in synodo, Cypri à S. Epiphanio, Salaminæ episcopo, congregatâ. Deinde ab Anastasio papâ reprobata. Demùm in concilio Constantinopolitano seu synodo quintâ profligata cum auctore suo, qui obiit anno 256, ætatis 70.

MANICHÆI.

I. His appellationem dedit Verna quidam, natione Persa, qui antea Cubricus vocabatur. Is à viduâ, cui famulatus erat, libros quosdam pestiferos à Saraceno quodam, nomine Scythiano, homine maleficiorum perito, conscriptos, hæreditate acceperat, è quibus errores hausit pestilentissimos. Hos cùm disseminare primùm cœpisset, ut memoriam antiquæ servitutis deleret, Cubrici nomen abjecit, et vocari voluit *Manes*, quod vocabulum Persis idem est ac *allocutio* vel *dissertatio*, ut se, qualis sibi videbatur, dialecticum alicujus nominis venditaret. Cùm autem advertissent ejus discipuli, *Manen* apud Græcos *insaniam* sonare, eum, inquit S. August., l. de Hær. c. 46, geminatâ *n* litterâ Mannichæum vocârunt, quasi manna fundentem; se verò *Mannichæos* appellitârunt. Verùm et illi *Manis* vel *Manichæi*, his *Manichæorum* nomen adhæsit apud orthodoxos.

II. Fata Manis, priusquàm ejus errores exhibeam, paucis aperio. Cùm impostor ille sua deliramenta sub initium nullo, vel exiguo successu disseminaret, ut iis ac sibi conciliaret auctoritatem, regem Persarum adiit, eique promisit, ægrotanti filio sanitatem ex arcanis suis libris à se restitutum iri. Verùm eo, post porrecta medicamenta, inter impostoris manus exstincto, à rege in vincula conjectus, corruptis pecuniâ custodibus, fugâ postmodùm elapsus est in Mesopotamiam; ubi, adlectis sibi duodecim discipulis et quibusdam virginibus, apostolum se Jesu Christi primum, tum etiam Spiritum S. esse, blasphemavit. Verùm inde quoque, procurante Archelao episcopo, cedere compulsus, atque in Persidem redire coactus, iterùm capitur, jussuque regis, detractâ pelle, vitam infamem pari fine clausit circa annum 278. Reliquit autem inter alia scripta Epistolam, quam vocat *Fundamenti*. Eam egregiè confutavit S. Augustinus. Ejus verò discipuli in varias regiones ab ipso missi (è quorum tribus præcipuis unus nomine Thomas Evangelium conscripsit, quod Thomæ Apostolo falsò attributum fuit), magistri suosque errores latissimè et citissimè per Africam, Asiam, magnamque Europæ partem, Hispaniam præsertim ac Galliam propagârunt. Sunt autem errores isti præcipuè sequentes :

III. 1° Statuebant Manichæi duo principia opposita, et quidem æterna, immortalia, ab invicem independentia : unum Bonum, quod principem lucis et absolutè Deum ac lucem appellabant, omnisque boni dicebant auctorem; alterum Malum, quod *principem vel gentem tenebrarum*, aut *principem mundi; Malignum, Materiam* vocitabant, et volebant originem esse omnis mali, quod malum dicebant esse substantiam quamdam bono adversantem. Porrò Deum faciebant corporeum, finitum et divisibilem, cùm eum certis regionibus circumscriberent, aliis verò principium malum, et omnia bona vellent effici ex illius, omnia mala ex hujus substantiâ. Insuper Patrem, Filium et Spiritum S. quidem admittebant, sed unum Deum dicebant sub triplici nomine. 2° Carnem aiebant pervenire à malo principio, et esse de ejus substantiâ. Quapropter inprimis negabant, Christum veram carnem habuisse, ac proinde verè natum ex Virgine, ne inquinaretur; neque verè passum, crucifixum aut mortuum dicebant, sed solùm apparenter et similitudinariè, atque pari solùm modo resurrexisse. Quamobrem et die dominico jejunabant, ut ostenderent, se in Christi resurrectionem veram non credere. Quanquàm et dicantur, eo die jejunium servâsse in honorem solis, sicut et feriâ secundâ in honorem lunæ, quibus cultum deferebant, si non tanquàm



diis, certè tanquàm Dei sedibus, ad quas animæ purgatæ ferebantur. Deinde addebant, Christum non ad corpora liberanda, sed ad solas animas salvandas venisse; et solarum animarum, non corporum resurrectionem admittebant. Denique, etsi mulieribus uterentur, tamen abhorrebant nuptias, et generationem impediebant, ne deo malo cooperarentur. 3° Duas uni corpori fingebant animas insidere, alteram *bonam* et rationalem, à bono principio efformatam et de ejus substantiâ, adeòque instar illius corpoream; alteram *malam* et animalem, pariter effectam à principio malo. Hasque animas aiebant inter se confligere, cùm caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem. Hinc inferebant, hanc concupiscentiæ pugnam non profluere ex peccato primi hominis (atque hinc fortè baptismum planè respuebant, velut inutilem), sed ex substantiâ mali, nobis intimè inhærentis et pugnantis cum substantiâ boni. 4° Animarum metempsychosin cum Pythagorâ asserebant, adeò ut anima hominis post mortem migraret in corpus bruti vel etiam plantæ; quapropter ab esu carnium necnon ovorum, lactis et vini usu sibi temperabant, quanquàm et hoc idcircò quòd putarent ea prodiisse à principio malo; unde et ex odio carnis reliquias sanctorum aversabantur. Item ab extirpatione plantarum abstinebant. Imò eum qui animal occidisset, in animal ejusdem speciei; qui plantam vel vulsisset vel cæcidisset, in similem verti plantam credebant. Animas tamen suorum *auditorum,* id est, quos adhuc in suâ sectâ instar catechumenorum instruebant, in corpora *electorum,* id est, eorum qui ipsorum sectam majori zelo observabant ac promovebant, transire arbitrabantur, ut in ipsis purgatæ in nulla ampliùs corpora reverterentur. 5° Mala culpæ negabant esse tribuenda libero hominis arbitrio; ne, cùm hoc procedat à Deo, hic pariter sit auctor illius. Illa igitur tribuebant animæ, naturâ suâ malæ, à principio malo profectæ, quæ ad illa vel invitos cogeret. Omitto varia alia deliramenta, quæ fabulabantur circa ipsius mundi, primorumque parentum productionem, libro Genesis penitùs repugnantia; ex quo ne convinci possent, dicebant, vetus Testamentum auctorem non habere Deum verum, sed quempiam è principibus tenebrarum; neque illum prophetis esse locutum. Interim fingebant, Christum fuisse serpentem illum, qui Adamo et Evæ per esum pomi scientiam boni et mali infuderit; rursùs, ipsum esse solem hujus orbis, vel saltem in sole et lunâ habitare, Spiritum sanctum in aere. Théod., l. 1 Hær. Fab. c. 26.

His erroribus S. Augustinus adhuc juvenis implicitus aliquandiù fuit, ut ipse deplorat initio libri de duabus Animabus; verùm eamdem hæresin ætate provectior non solùm execratus est, sed funditùs evertit. Eamdem tamen seculo XIII excitare moliti sunt Albigenses, ut videbimus.

HÆRESES SECULI IV.

DONATISTÆ, seu DONATIANI.

I. Nomen et errores hausêre à duobus Donatis, altero Casarum-Nigrarum in Numidiâ episcopo, velut auctore; altero episcopo Carthaginensi, velut promotore. Primus, instinctu *Lucillæ*, potentis ac factiosæ feminæ, Majorinum hujus domesticum, coemptis ab eâdem votis, intrusit in sedem Carthaginensem, pulso Cæciliano, ejus legitimo antistite, cujus criminabatur ordinationem tanquàm invalidam. Hinc primum exortum schisma fuit, quod deinde brevi in apertam hæresin erupit, altero Donato eam strenuè promovente, ejusque successore Parmeniano, contra cujus Epistolam S. Augustinus Libros conscripsit. Hæc pestis adeò invaluit, ut in solâ Africâ quadringenti et supra episcopi eâ infecti fuerint; grassataque est ibidem præcipuè per tria secula, donec tum à Melchiade papâ in concilio Romano, tum in Arelatensi damnata, postmodùm extincta fuit.

II. Præcipui errores sunt sequentes: 1° Ecclesiam perversorum communione toto orbe terrarum periisse contendebant, et in solâ Africâ inter Donatistas remansisse. Cùm verò considerarent, veram Ecclesiam non consistere sine communione cum Romanâ, in quâ, ut loquitur S. Augustinus, ep. nunc. 43, olim 162, « semper Apostolorum cathedræ « viguit principatus; » Romam aliquem ex suis secretò mittebant, qui suæ factionis homines ibidem degentes velut episcopus gubernaret. 2° Ex primo illo errore hunc alium trahebant: illum solummodò baptismum esse validum, qui apud ipsos conferretur; quapropter, si Catholicorum aliqui ad eos deficerent, illos rebaptizabant. 3° Plures illorum, prætextu martyrii, spontè aliis se occidendos tradebant; imò sibi ipsis violentas manus frequenter inferebant, atque ita sese martyres existimabant et jactitabant. Qui hoc insano furore correpti erant, Circumcelliones

appellati fuêre; quia, ut scribit S. Augustinus, l. 1, cont. Gaudent. c. 28, victûs sui causâ cellas circuibant rusticanas; ipsi tamen malebant se *Agonosticos* appellare, quasi bonum certamen certantes.

III. His erroribus, præter infensissimum, quo, hæreticorum omnium more, flagrabant, in monachos odium, plura impiissima facta adjungebant, quibus etiam novatorum non paucis præludebant. Etenim, non solùm altaria vel frangebant, vel radebant, vel removebant; pallas, vela sacra sacrosque calices profanabant; sed aliquando sacrum chrisma effuderunt, et divinam Eucharistiam canibus projecerunt. Insuper belluinâ penè immanitate sub Juliano Apostatâ in Catholicos, præcipuè clericos, nec solùm in vivos, sed et in mortuos sævierunt, ut testantur Optatus Milev., l. 2, c. 16, et l. 6, c. 7, et S. August., qui et hanc hæresin profligavit.

IV. Donatum verò damnavit Melchiades papa, à cujus sententiâ cùm Donatistæ appellâssent ad Constantinum imperatorem, is respondit: « Petitis à me in seculo judicium, « cùm ego ipse judicium Christi expectem: « dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum « judicium ita debet haberi, ac si ipse Domi« nus residens judicet. » Eadem verba scripsit imperator ad episcopos concilii Arelatensis, per quæ significare voluit, spirituales causas judicandi jus non sibi, ceu laico, competere, sed episcopis.

ARIANI.

I. Arianorum hæresis auctorem habuit Arium, è Libyâ oriundum, presbyterum Alexandrinum; peritum dialecticum, sed hominem ambitiosum; externâ verò corporis, oris ac habitûs specie gravi et modestâ, milleque dolis simulatâ pietate tectis, comitate item ac urbanitate verborum ad seducendos homines apprimè idoneum. Is proinde ambitione et invidiâ in S. Alexandrum, quem sibi eo in episcopatu Alexandrino prælatum fuisse ægrè ferebat, stimulatus, eidem de sanctissimæ Trinitatis mysterio, atque honore tam Filio quàm Patri in divinis debito palam disserenti, cœpit obstrepere, ac deinde spargere sequentes capitales errores.

II. 1° Etiamsi tres personas, Patrem, Filium et Spiritum sanctum admittere se profiteretur, solam tamen primam Deum verum, æternum, immutabilem esse contendebat. Hinc 2° negabat, Filium et Spiritum S. esse ejusdem cum Patre substantiæ, vel naturæ; imò asserebat, Filium habere naturam planè diversam à Patre; et Spiritum S. diversam à Patre et Filio. 3° Filium, quemadmodùm et Spiritum sanctum aiebat, ex nihilo factum esse in tempore, adeòque esse creaturam, et hinc Patre minorem; sed Filium esse creaturam primam, ante omnia secula factam, omniumque perfectissimam, et maximè ad Deum accedentem, quæ ideò per excellentiam vocetur Filius Dei, et Deus per quamdam *participationem*, non per *naturam*; Deum verò per illum velut per ministrum secula et omnia alia fecisse. Spiritum sanctum autem dicebat præcipuam Filii creaturam, et hinc *Creaturam Creaturæ* nominabat. Unde etiam loco istius glorificationis versiculi, quem canere consuevit Ecclesia catholica: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* ipse suos canere docuit: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.*

III. Arius propter hos errores, quibus, Epiphanio teste, hæresi 69, præter presbyteros septem ac diaconos duodecim, etiam septingentas virgines Deo consecratas brevi temporis spatio infecit, ab Alexandro episcopo, coacto concilio, damnatus et gradu motus, Alexandriâ relictâ, in Palæstinam abiit; ubi *Thaleiam* suam, seu ab unâ ex Musis, seu à lætitiâ nuncupatam, composuit, id est, cantilenam mollem et impuram, in quâ totum hæreseos suæ virus expressit, ut illud suavibus modulis in hominum, ac præsertim mulierculàrum, ad voluptates proclivium, animos sensim irreperet.

IV. Verùm, admonitis per episcopos catholicos de his Arii turbis ac blasphemiis, tum Sylvestro papâ, tum Constantino Magno imperatore, coactum est illius auctoritate concilium Nicænum I, in quo Arius cum suis erroribus damnatus fuit; et à Constantino, mox ignominiâ notatus atque exilio mulctatus. Postea verò, propitiato per fraudem cujusdam Ariani presbyteri Constantino, ad aulam quidem advocatus, et, cùm sinceram erga concilii Nicæni definitiones submissionem simulâsset, ac dolosam æquivocamque fidei formulam imperatori obtulisset, ab eo redire Alexandriam permissus fuit: imò anno sequenti Constantinopolim redux per suos asseclas ab imperatore, fraudis omnis ignaro, mandatum extorsit ad Alexandrum, ejus urbis episcopum, quo jubebatur Arium in fidelium communionem recipere. Cùm autem

hic ad preces et jejunia pro abigendâ hâc peste ab ecclesiâ confugisset, Arius eâdem, quâ ab ipso, ut credebat, recipiendus, ad ecclesiam suis stipatus arroganter properabat, horâ, subito seu terrore, seu viscerum dolore correptus, alvumque exonerare coactus, animam simul cum intestinis repentè effudit, anno 336. Constantino exinde piè vitâ functo, Ariana hæresis invaluit sub Constantio illius filio, per ejusdem, cujus ante memini, Ariani presbyteri fraudem eâ lue infecto, sub quo, maximè post Constantis fratris obitum, totius imperii Occidentalis juxta ac Orientalis gubernacula adepto, totum ferè orbem pervasit, præsertim postquàm in concilio Ariminensi formulæ fidei, dolosè ab Arianis confectæ, partim Constantii violentiâ, partim Arianorum fraudibus, subscripsêre Patres Occidentis plus quàm 400, adeò ut detectâ fraude *miraretur mundus se esse Arianum*, inquit S. Hier. Interim invictè opposuit se grassanti malo, ejusque auctoribus S. Athanasius episcopus Alexandrinus, propterea 46 annis ab illis gravissimè impetitus, ac è sede suâ sæpiùs ejectus. Ad extremum in variis synodis particularibus, ac in concilio œcumenico Constantinopolitano I, sub Theodosio Orientis, et Valentino Juniore Occidentis imperatoribus, penitùs profligatum fuit.

SEMIARIANI.

I. Partim hi assentiebantur Arianis, partim ab illis dissidebant. Nam cum illis quidem de Spiritu S. idem prorsùs sentiebant, ac Filium Patri *consubstantialem*, seu ejusdem cum illo naturæ esse, negabant; attamen secùs ac illi dicebant, hunc esse Patri per omnia, atque adeò etiam in essentiâ similem; quapropter eumdem quidem renuebant appellare ὁμοούσιον, id est, consubstantialem; dicebant verò ὁμοιούσιον, seu similem in substantiâ. Auctores habuêre Semiariani Basilium Ancyram, et Georgium Laodicæum.

II. Fuêre et alii hæretici inter Arianos et Semiarianos velut medii, dicti Acaciani ab Acacio Cæsariensi episcopo, qui Filium nèc Patri consubstantialem dicebant cum Catholicis, nec eidem planè dissimilem cum Arianis, neque similem in substantiâ cum Semiarianis, sed duntaxat in accedentibus et formâ, sicut statua aurea suo prototypo, quod repræsentat. Acacius à Felice et Gelasio Romanis pontificibus tanquàm hæreticus, et in hæresi mortuus post mortem anathemate percussus fuit.

MACEDONIANI.

I. Arianorum surculi nomen et errorem accepêre à Macedonio, qui et ipse Arianus, vel Semi arianus, ab ejusmodi factionis asseclis, favente Constantio imp., in sedem Constantinopolitanam, pulso per injuriam alterâ vice Paulo, legitimo ejus possessore catholico, non sine plurium è Catholicis reclamantibus, millium cæde intrusus, gravem etiam postmodùm persecutionem in orthodoxos excitavit, illisque haud absimilem, quibus gentiles imperatores olim in primorum seculorum fideles desævierant. Postea verò, cùm homo perfidus et cruentus Constantii gratiâ excidisset, simul ab eodem cathedrâ depulsus, in locum quemdam juxta urbis regiæ portas secessit, atque extremum ibi diem obiit. Priùs tamen suæ hæresi condendæ manum applicuit, et, Arii doctrinâ ex parte rejectâ, propriam cudit.

II. Docebat autem, teste Sozom. l. 4, c. 21, Filium quidem Deum esse, per omnia similem Patri; imò, ut loquitur sanctus Augustinus, *unius, ejusdemque* cum illo *substantiæ*, vel *essentiæ;* Spiritum verò sanctum creaturam esse, ejusdem cum Patre et Filio dignitatis expertem; imò famulum ac ministrum eum appellabat. In apertum prodiit hæc hæresis circa annum 360, et magnam Orientis partem pervasit. Damnata autem fuit primùm in synodo Alexandrinâ, anno 362, deinde in synodo Illyricâ, anno 367; tum in duplici Romanâ, sub Damaso pontifice celebratâ; demùm in concilio œcumenico Constantinop. I.

AERIANI.

I. A quodam Aerio exorti sunt, qui, ut testis est Epiphanius, è Ponto oriundus, audaciâ ac insolentiâ ad omnia paratissimus, cùm episcopatu Sebasteno, quem ambiebat, exclusus fuisset, contra episcopalem ipsam dignitatem deblaterare cœpit, Luthero quodammodò præludens, qui similiter propter denegatam suis indulgentiarum publicationem, in ipsum indulgentiarum valorem et earum dispensatorem summum pontificem cœpit debacchari.

II. Itaque primum ac præcipuum errorum Aerii caput erat, quòd episcopi non sint presbyteris superiores, neque ab his ullâ in re discriminentur. Huic errori alios subinde addidit: nempe orationes pro defunctis, et

bona pro illis suscepta opera nihil iis prodesse, adeòque esse rejicienda. Præterea jejunia ab Ecclesiâ statuta, et à Christianis observari solita non esse servanda. Ecce ex quo fonte similes errores hauserint novatores! Demùm negabat Aerius, pascha à Christianis esse celebrandum.

AETIANI ET EUNOMENIANI.

I. Ab Aetio et Eunomio nuncupati, Arianæ quoque hæresis soboles extitêre, eamque novis blasphemiis auxêre. Fuit autem Aetius patriâ Antiochenus, professione primùm artifex, deinde medicus, mox philosophus; sed ob nimiam sentiendi, loquendique temeritatem Antiochiâ pulsus. Demùm illùc reversus, ac factus diaconus, ad sacras litteras animum applicuit, ac fidei mysteria sub sophismatum et geometriæ figuris involvere cœpit circa annum 360.

II. Eunomius gente Cappadox, postquàm rhetoricæ primùm, ac deinde, ut fertur, militiæ se addixisset, factus Aetii scriba et discipulus, Scripturarum licet foret ignarus, eas fucatis eloquentiæ verbis ad suum sensum ausus interpretari, magistri doctrinam novis cumulavit erroribus, propter quos ab ipso Constantio imp. in exilium missus, miseram ad mortem usque vitam traxit.

Primus istorum hæreticorum error fuit, quòd dissimilem per omnia assererent Patri Filium, et Filio Spiritum S.; ex quo dicti etiam sunt *Anomœi*, id est, *Dissimiles*. Quapropter non baptizabant verbis à Christo institutis, sed, ut refert Epiphanius, sub hâc formulâ: *In nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritûs S. sanctificatoris à Filio procreati;* ideòque baptizatos à Catholicis ad se accedentes rebaptizabant. Secundus error fuit quòd dicerent se Deum ita perfectè cognoscere, sicut Deus ipse se cognoscit; unde et se illum pariter comprehendere blasphemabant. Tertius error fuit quòd Verbum divinum animam non assumpsisse, sed divinitatem animæ vices supplevisse, assererent. Quartus, quòd sanctorum reliquias contemnerent, et miracula ad eorum invocationem à Deo patrata dæmonum præstigias esse effutirent. Quem errorem, saltem quoad priorem partem, moderni novatores adoptârunt. Quintus, quòd docerent malam vitam conjunctam cum fide, quam ipsi prædicabant, nihil obesse; sic, ut quibuscumque peccatis quis irretitus foret, etiamsi in eis perseverare vellet, dummodò fidem suam servaret, æternæ vitæ particeps esse posset.

Contra hanc sectam scripsit præter alios S. Basilius, et ejus frater S. Gregor. Nyssenus; eamque Theodosius Senior. imp. anno 381, legibus latis coercuit. Illam tamen multis jam seculis sepultam extumulârunt moderni Servetiani, Sylvanistæ, et alii quidam pseudo-reformatorum nepotes.

APOLLINARISTÆ.

I. Secta hæc auctorem habuit Apollinarem unum, vel duplicem, patrem et filium; illum genere Alexandrinum, dein presbyterum, et grammatices præceptorem; hunc Ecclesiæ lectorem, et rhetorices magistrum: utrumque, eò quòd contra episcopi Theodoti interdictum cum quodam ethnico sophistâ periculosam familiaritatem texeret, ab eodem ex Ecclesiâ ejectum, postea tamen, peractâ pœnitentiâ, in eam receptum. Uterque, vel, quod cardin ali Gotti videtur, solus Junior Apollinaris sequentes errores producit:

II. 1° Quòd Verbum non assumpserit animam saltem rationalem, seu mentem, sed ejus vices suppleverit; ac primùm quidem rotundè negavit, illud animam assumpsisse; postea verò testimoniis evangelicis adductus ut id admitteret, distinxit animam in *sensitivam* et *rationalem*, sive *mentem;* et illam quidem à Verbo assumptam confessus est, non item istam. 2° Quòd Christus veram carnem non habuerit; unde S. Athanasius. l. de Incarn. adv. Apollin. de Apollinaristis: « Interdùm, « inquit, increatam, cœlestemque carnem, » nempe Christi; « aliquando Deitati aiunt esse « consubstantialem; » et S. August.: « Asseve« rantes Verbum carnem factum, hoc est, « Verbi aliquid in carnem fuisse mutatum, « non autem carnem de Mariæ carne susce« ptam. » 3° Circa SS. Trinitatem, ut error est inconstans, variè delirabat: aliquando enim Trinitatem personarum ita confundebat, ut videretur sentire cum Sabellio, teste Theodoret., l. 1 Hæret. Fab. c. 10, aliquando tres quidem personas in Trinitate substantiæ confitebatur, sed inter illas diversitatem excellentiæ constituens, ad Arium accedebat. Dicebat quippe, Spiritum S. *Magnum*, Filium *Majorem*, Patrem *Maximum;* atque ex his tribus Trinitatem constituebat, velut ex *splendore, radio et sole*, ut loquitur S. Greg. Nazianz., Orat. 52. His erroribus ridiculum addebat commentum, nempe post universalem resurrectionem nos rursùs ad observationem legis Mosaicæ esse reversuros.

III. Apollinaris diu texit hoc virus in pectore latens; unde non mirum quòd et S. Basilius aliquandiu cum eo communionem habuerit, ut ipse testatur, Ep. 343, nunc 224, et S. Hieronymus eodem Laodicææ usus sit præceptore, ut et ipse scribit, Ep. 65, nunc 41; atque adeò S. Athanasius eum in pretio habuerit, teste Epiph. Hær. 77. Erupit tamen pestis circa annum 372. Quare delatus ab ipso S. Basilio, et aliis Orientalibus episcopis, ad Damasum papam, ab eodem, coacto Romæ concilio, unà cum Vitali et Timotheo ejus discipulis damnatus fuit cum suâ hæresi, quam et damnavit synodus Antiochena, cujus meminit concil. Constantinop. II. in Epistolâ Synod. Adversùs eamdem hæresin strenuè pugnârunt è Patribus præcipuè SS. Athanasius, Gregorius Nazianz. et alter Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, etc.

IV. Neque tamen statim extincta hæc pestis fuit, quin latissimè per totam præsertim Asiam propagaretur: cujus propagationis causa triplex à scriptoribus historicis profertur: Prima, ipsius Apollinaris eruditio, et hinc parta auctoritas; nam et plurimos libros conscripserat, in quorum etiam aliquibus suum pro fide catholicâ zelum antea palam fecerat. Altera, ipsius, et ejus discipulorum externa sanctimonia et vitæ austeritas. Tertia, quædam ab ipso Apollinari, poeticæ quoque perito, composita, et in vulgus sparsa brevia Cantica, numeris adstricta, instar Hymnorum qui in Ecclesiâ cani solent, ad Dei laudem in speciem spectantia, quæ in ipsis etiam conviviis, atque inter laborandum à viris et mulieribus frequenter et cum oblectamento decantata, errores simul quos continebant, suaviter instillabant. Duplicem verò lapsûs Apollinaris causam assignat S. Basilius, Ep. 44, modò 263: tum intemperantem scribendi libidinem, tum quòd illius de theologiâ disputationes, non petitis ex Scripturâ probationibus, sed humanis argumentis niterentur.

PRISCILLIANISTÆ.

I. Hanc luem in orbem intulit quidam Marius Ægyptius, qui, in Hispaniam appulsus, eam afflavit inter alios cuidam Helpidio rhetori; hic verò Priscilliano, viro nobili, erudito, facundo, ac disserendi disputandique arte promptissimo, sed profanâ hâc scientiâ inflato, ac vanissimo, ingenio præterea inquieto. Sic illum ferè depingit Sulpitius Severus, l. 2 Hist. Ab eodem Priscilliano hæresis ista per Hispaniam propagata, simul ab eodem nomen accepit. Quippe humilitatis speciem ore et habitu prætendens honorem suî ac reverentiam cunctis injecit; et hâc auctoritate, arteque blandiendi ac persuadendi, suam in sectam attraxit multos nobiles, pluresque populares; mulieres item, novarum rerum cupidas, fluxâ fide, et ad omnia curioso ingenio passim instructas.

II. Eapropter unà cum Helpidio, necnon Instantio et Salviano, binis quos ad suas partes traxerat episcopis, damnatus in concilio Cæsar-Augustano circa annum 380. Romæ verò, quò se contulerat, à Damaso papâ repulsus, necnon Mediolani ab Ambrosio; sed Gratiani imp. favore pecuniâ coempto, in Hispaniam rediit; verùm à Maximo, Gratiani successore, de illius fraudibus et flagitiis edocto, jussus inde ad synodum Burdigalensem perduci, cùm episcopale judicium declinans ad principem provocâsset, ab Evodio præfecto, cui causæ cognitionem imperator demandârat, variorum pudendorumque scelerum convictus, ab imperatore capitis damnatur, et reipsà eo minuitur Treviris, anno 385, cum aliis quibusdam sociis, haud tamen probante S. Martino: tum, quòd *novum et inauditum nefas esse* diceret, ut *causam Ecclesiæ judex seculi judicaret;* tum quòd Maximo suggereret satis superque sufficere, ut illi episcopali sententiâ hæretici judicati Ecclesiis pellerentur. Porrò Priscillianum occisum ejus sectatores velut martyrem colere cœperunt, et ejus errores latiùs disseminârunt, plura secula pervagatos.

Errores autem istos ab omnibus ferè, qui antea extiterant, hæreticis mutuârunt. Nam 1° cum Sabellio unam duntaxat in Deo personam agnoscebant. 2° Cum Arianis de Filio sentientes, quasdam virtutes ex Deo cœpisse procedere somniabant; diabolum verò nunquàm fuisse bonum, neque ejus naturam esse opificium Dei, sed ex Chao et tenebris emersisse, illumque omnis mali principium et substantiam esse, adeòque et corporum etiam humanorum; et hinc à carnibus quoque abstinebant, et Christum veram habuisse carnem negabant. 3° Cum Manichæis animam hominis particulam divinæ esse substantiæ fingebant. 4° Cum Origene animas priùs in cœlo peccâsse dicebant, et in pœnam fuisse in corpora detrusas. 5° Cum Stoicis homines non spontè, et liberè peccare aiebant, sed invitos et fatali siderum necessitate compulsos. 6° Denuò cum Manichæis nuptias et matrimonium dam-

nabant, quia, inquit S. Leo, Ep. 15, ad Turrib. c. 7, « in eo non est libertas turpitudinis, « quam quærebant, ubi et pudor matrimonii « servatur, et spes sobolis. » 7° Addebant de suo, licitum esse mendacium, etiam juramento firmatum, et hoc, ut suas celarent turpitudines ; unde S. Aug. : « Propter occultandas, « inquit, contaminationes et turpitudines suas, « habent in suis dogmatibus et hæc verba : « *Jura, perjura, secretum prodere noli.* »

AUDÆANI, seu ANTHROPOMORPHITÆ.

I. Audæum, sive Audium habuerunt auctorem, natione Syrum, virum principio domi clarum, inprimis propter vitæ integritatem et divinæ fidei zelum, ut loquitur Epiphan.; attamen postea, gravium sibi illatarum contumeliarum impatiens, primùm schisma fecit, et seipsum ab Ecclesiâ segregavit. Quia verò populos quoque passim ab Ecclesiæ obsequio retrahebat, in Scythiam ab imperatore relegatus est.

II. Huic schismati accessit hæresis Anthropomorphitarum, sub quo nomine Audiani prodierunt tempore Theodosii M., circa annum 395, in partibus Ægypti; quod quidem nomen accepêre ex palmari suo errore, quo sentiebant Deum esse corporeum, et membra ad formam humani corporis habere; quod cùm rusticitati eorum tribueret Epiphanius, non verò pertinaciæ, idcircò illos non redarguit ut hæreticos, sed velut schismaticos.

JOVINIANISTÆ.

I. Hæc hæresis nomen sortita est à Joviniano, quem cardinalis Gotti haud immeritò dicit Lutheri aliorumque modernorum novatorum præcursorem. Nam in primis Jovinianus fuit, omnesque monasticas austeritates pertæsus, è monasterio seu Romano, seu, ut alii volunt, Mediolanensi erupit, ut mollem voluptuosamque vitam ageret. Deinde cœlibatum monachorum et sacrarum virginum abrogare molitus est, eo ad hoc usus artificio, quòd virginitati nuptias quoad meritum adæquaret; quâ fraude nonnullas sanctimoniales, etiam provectæ jam ætatis, in nuptias detraxit, quamvis ipse nuptias haut contraxerit, non majoris, ut aiebat, meriti titulo, sed conjugii molestias vitandi causâ.

II. Atque hic fuit primus ac palmaris error Joviniani; quem non tantùm adoptavit, sed verbo et facto multùm adauxit Lutherus et alii ejus sequaces. Alter Joviniani error fuit, quòd jejunia et abstinentiam à certis cibis doceret ad salutem nihil prodesse; quapropter ab Hieronymo *Christianorum Epicurus* fuit appellatus. Liquet et hunc errorem fuisse à novatoribus adoptatum. Tertius erat, quòd qui plenâ fide in baptismo renati sunt, à diabolo non possint subverti, sive peccare. Et huic post Pelagium visus est Lutherus subscripsisse, l. de Capt. Babyl. Quartus fuit, quòd cum Stoicis doceret omnia peccata esse in gravitate paria; item paria esse omnia merita, atque parem proinde omnium in cœlis remunerationis gradum. Eumdem pariter errorem suscitârunt novatores. Addebat denique Jovinianus hunc quintum errorem, quòd B. Virgo, licet ante partum virgo fuerit, et Christum intactâ virginitate conceperit, neque ullum seu ante, seu post partum cum Josepho maritale commercium habuerit, tamen in ipso partu pariendo fuisse corruptam, et ejus destructam virginitatem.

Contra Jovinianum calamum strinxerunt SS. Hier. et Aug. Ipsi verò imperatores contra primum illius errorem severissimas tulêre leges. Damnatus fuit Jovinianus à Siricio papâ in concilio Romæ coacto anno 390.

Haud multùm à Joviniano et modernis novatoribus quibusdam in punctis ablusit Vigilantius Barcinonensis presbyter, vir, uti indole procax et audax, ita sacrarum litterarum ignarus. Is enim primùm virginitatem et continentiam despiciebat, ac clericorum cœlibatum, sicut et jejunia ecclesiastica aversabatur. Deinde cultum damnabat SS. martyrum reliquiis impensum à Catholicis, quos propterea *Cinerarios* et idololatras appellabat, qui mortuorum hominum ossa venerarentur; imò, ut mentiebatur, adorarent; et gentilium superstitionem imitati, cereorum fulgore illustrari pleno etiam die martyres arbitrarentur. Denique martyres frustra invocari à nobis, utpote pro quibus eos orare negarent. En iterùm unde hos errores hauserint novatores.

HÆRESES SECULI V.

PELAGIANI.

I. Dicti à Pelagio, natione Britanno, seu Anglo, professione monacho; non eorum è numero, qui vel in cœnobio vel in eremo, sed qui solitariam suis in ædibus id temporis vitam agebant, vel palliati, philosophorum instar, incedebant, et sui juris existentes hùc illùc errabant. Unde à S. Aug. appellantur, *veluti monachi*. Fuit, ut scribit S. Aug. etiam presby-

ter; « ingenioque fortissimo, celerrimo et « acutissimo; sed non minùs litigioso ac ver« sipelli; » quos enim privatim disseminabat errores, sæpè palam inficiabatur. Scripsit etiam libros nonnullos, sed, ut S. Hier. notat, præcipuè ad feminas. Quippe hic hæreticorum mos fuit olim, et est hodiedùm, ut suos faciliùs insinuent errores, feminas ad seducendum faciliores, et novitatum magis avidas ac ambitiosè tenaces, adsciscere sibi adjutrices.

II. Porrò capitales ejus errores, quos circa annum 405, Romæ primùm sparsit, tum circa annum 415, in Syriâ Palæstinæ, quò profectus erat, ut monachi habitum indueret, sunt sequentes :

1° Docebat, primævum primi hominis statum fuisse statum naturæ, non beneficium gratiæ, et Adæ posteros nunc nasci, qualis Adam conditus fuit, hoc est, inquiebat, sine virtute et vitio, sine gratiâ et peccato. Censebat verò, Adamum in illo statu etiam ante peccatum fuisse obnoxium hujus vitæ miseriis ipsique adeò morti, sicut nunc nos sumus, adeòque etiamsi non peccâsset, fuisse tamen corpore moriturum; ac proinde mortuum jam esse, non culpæ demerito, sed conditione naturæ. Ex quo inferebat ulteriùs, mortem et reliquas hujus vitæ miserias in genus humanum derivari modò ex eâdem naturæ conditione, non ex originali noxâ ex Adamo à nobis contractâ. Etenim 2° negavit, ab Adæ posteris ex ipso contrahi peccatum originale, ac proinde Adamum aiebat peccando sibi soli nocuisse, non posteris. Ex quo inferebat parvulos, utpote omni etiam originali culpâ immunes, non egere baptismo ad illam abluendam; egere tamen illo volebat eos, ad intrandum in *regnum cœlorum,* quod distinguebat à *vitâ æternâ,* asserens parvulos, sine baptismo ante rationis usum decedentes, *æternâ vitâ,* eâque beatâ, non item *regno cœlorum* esse potituros. Cùm verò hos errores in synodo Palæstinâ voce tenùs revocâsset Pelagius, sed à suis postmodùm ideò increpitus fuisset, respondit se solùm intellexisse, Adæ peccatum nocuisse posteris, non quidem *propagatione,* sed *imitatione,* seu *exemplo,* quatenùs omnes ejus posteri, qui deinde peccaverunt, illum peccando imitati sunt. 3° Contendebat, hominem per solas liberi arbitrii vires posse divina omnia mandata servare, tentationes omnes vincere, omnia planè peccata vitare; ac etiam opera bona salutariter, seu, *prout oportet ad salutem,* exercere; adeòque hanc ipsam salutem solis iisdem suis viribus adipisci; quapropter negabat, ad istorum quippiam necessariam esse Dei gratiam. Unde Faustus Reiensis summam totius hæresis Pelagianæ hâc unâ propositione clausit: « Dicit Pelagius « quòd ad obtinendam salutem natura hominis « sibi sufficiat. »

Cùm verò à Palæstinâ synodo coactus fuisset, juxta clarissimos Scripturæ textus, gratiam aliquam admittere, verbo tenùs quidem admisit, reipsà tamen non aliam quàm naturalem et externam; donum videlicet creationis et liberi arbitrii; item legem et doctrinam SS. Bibliorum, prædicationem evangelicam, exhortationes, et sanctorum exempla, aliave similia; gratiam verò internam, præcipuè supernaturalem, saltem inspirationis, constanter repudiavit. Unde, ut refert S. Aug. (l. de Grat. Chr. c. 3), tria distinguebat: « Possibilitatem, « quâ potest homo esse justus; voluntatem, « quâ vult esse justus; actionem, quâ justus « est; horum trium primum, id est, possibili« tatem, datum confitetur à Creatore naturæ, « nec esse in nostrâ potestate: duo verò reli« qua, id est, voluntatem et actionem, nostra « esse asserit. » Iterùm distinguebat inter *possibilitatem,* per quam intelligebat solam naturam, et *adjutorium possibilitatis,* per quod intelligebat legem et doctrinam, prædicationem et exempla, etc., vel ad summum interiorem quamdam intellectûs *illustrationem,* quam visus est aliquando admisisse.

4° Qualecumque gratiæ adjutorium admiserit Pelagius, illud duplici rursùs errore fœdavit: nam inprimis negabat, illud esse gratuitum, volebatque dari secundùm merita, quorum nomine intelligebat boni cupiditatem, fidem quamdam, vel orationem etiam merè naturalem, etc. Deinde negabat, illud esse *simpliciter* necessarium ad vitandum malum, et operandum salutare bonum; dicebatque, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur *faciliùs* impleatur, adeòque sine illâ etiam, etsi minùs *facilè,* fieri tamen posse quod præcipitur. Addebat his erroribus etiam istum, vitam justorum in hoc seculo nullum habere peccatum, et ex illis Ecclesiam Christi in hâc mortalitate perfici, ut refert S. Aug. Ac demùm doctrinam de prædestinatione sanctorum, tanquàm hominis libertati contrariam, respuebat.

Bini fuere Pelagii discipuli magis celebres: Alter Cœlestius, natione Campanus, vel, ut alii malunt, Hibernus, ejusdem cum Pelagio instituti monachus et presbyter; vir acerrimi ingenii, magistro vafritie haud inferior, supe-

rior etiam audaciâ. Hic illius hæresin, in Africâ præcipuè, sophisticis rationibus strenuè disseminavit, unde et illius fautores Cœlestiani fuère nuncupati. Alter Julianus, in Apuliâ natus, Capuensis in Italiâ, vel, ut censent alii, Enclatensis episcopus; sed, post haustam et publicè proditam luem Pelagianam, gradu dejectus. Vir quoque acris ingenii et satis eruditus, multa scripsit contra fidem catholicam et S. Aug. Verùm hic sanctus antistes non eumdem solum, sed totam Pelagianam turmam ac hæresin, conscriptis libris quamplurimis, penitùs protrivit ac debellavit; de quo triumpho S. Hier., qui primus in aciem contra Pelagium prodierat, eidem et Alipio ejus adjutori his verbis gratulatur, Ep. ad Alip. et Aug. modò 81, aliàs 79: « Si posset fieri, assumptis « alis columbæ vestris amplexibus implicarer: « semper quidem pro merito virtutum vestra- « rum, sed nunc maximè, quia cooperatoribus « et auctoribus vobis, hæresis Cœlestiana ju- « gulata est. »

In causâ ejusdem hæresis congregata sunt concilia 24, è quibus unum generale, reliqua particularia. Inter hæc synodi celebriores fuère tum Diopolitana, in quâ Pelagius, objecta hæreseos capita ancipiti responso eludens, catholicus declaratus, errore tamen puri facti personalis; tum Carthaginensis et Milevitana anno 416 celebrata; in quibus Pelagius et Cœlestius, velut hæreseos auctores, sunt delati ad Innocentium I, pontificem maximum, qui, coactâ anno subsequenti Romæ synodo, hæresin istam cum suis auctoribus et sectatoribus condemnavit. Unde S. Aug., serm. 2, de Verb. Apost.: « Jam de hâc causâ, inquit, duo concilia Ro- « mam missa sunt ad sedem Apostolicam; inde « jam rescripta venerunt; causa finita est, uti- « nam aliquando finiatur error! » Romæ itidem anno 418, congregatâ synodo, eadem iterata fuit damnatio à Zozimo papâ, qui sententiam in Pelagianos latam promulgavit per epistolam, quæ *Tractoria* fuit appellata, ad omnes christiani orbis episcopos directam, ut singuli formulæ isti subscriberent: quod ab omnibus præstitum, exceptis cum Juliano duce episcopis 18, qui, exemplo eatenùs inaudito, appellârunt ad œcumenicum concilium, proptereaque excommunicati, depositi et è sedibus suis pulsi sunt, eorum verò appellatio contempta: donec, postquàm ab aliis etiam summis pontificibus Bonifacio I, Cœlestino I, Sixto III, repetitis fulminibus protriti, tandem anno 431, concilio generali Ephesino unà cum Nestorio penitùs fuêre profligati.

SEMIPELAGIANI.

Pelagio gloriosis S. Augustini laboribus prostrato, et variis in conciliis damnato, duplex alius error exsurrexit: alter Pelagiano è diametro veluti oppositus; alter eidem affinis et illius occasione exortus; de quo potior nunc agendi locus.

I. Primum suscitârunt quidam Adrumetini in Africâ monachi, qui, libris S. Augustini sinistrè intellectis, aut aliunde perperam haustâ ac perceptâ ipsius doctrinâ, divinæ gratiæ necessitatem ita prædicare cœperunt, ut ipsius hominis everterent libertatem, assererentque proinde neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantùm orandum, uti testatur S. Aug., l. 2 Retract. c. 67. Huic errori ut mederetur, S. præsul scripsit librum de Correptione et Gratiâ, brevique effecit, ut isti monachi illum errorem deponerent.

II. Alterum errorem spargere cœperunt quidam Massiliensis Ecclesiæ in Galliâ presbyteri, qui lecto, quem mox laudavi, S. Aug., librotum etiam duobus illis quos S. D. de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ exaravit, pravè intellectis, mediam quamdam viam in eundam putârunt, quâ nec omninò ad Pelagianos accederent, neque ex toto ab illis recederent; sed eorum doctrinam quasi pro dimidiato profiterentur; ex quâ doctrinæ Pelagianæ quasi medietate sunt dicti Semipelagiani, sicut et à loco, in quo illam disseminare cœperunt, appellati sunt *Massilienses*, dicti etiam *Pelagianorum reliquiæ*, quòd ex eorum veluti cineribus excitati partem aliquam errorum, cum ipsis sepultorum, facerent superstitem.

III. Semipelagianorum primi, vel primarii duces fuisse perhibentur Joannes Cassianus, Faustus Reiensis, et quidam Vincentius. Joannes Cassianus, seu Scytha, seu Romanus fuerit, ut veteres perhibent, seu Gallus, ut recentiores malunt, professione monachus fuit; primùm quidem in Ægypti Palæstinæque cœnobiis; tum factus Massiliensis presbyter, in cœnobio Massiliæ constructo. Nomen *Collatoris* eidem adhæsit propter Patrum Collationes ab ipso conscriptas; quarum præsertim 13 Semipelagianos errores sat apertè inseruit; quos S. Prosper libro contra Collatorem inscripto confutavit: ipse verò Collator, cùm nondùm essent ab Ecclesiâ damnati, innoxiè defendit. Vir cæteroquin vitæ probatissimæ, quam cum insi-

gni sanctitatis opinione felici fine coronavit. A S. Greg. M. sanctus appellatur; ejus memoria Massiliæ celebratur 23 junii. Faustus, natione Britannus, primùm cœnobii Lyrinensis in Provinciâ monachus, deinde abbas, postremò Reiensis in Galliâ episcopus, errores, quos à Cassiano hauserat, editis duobus de Gratiâ et Libero Arbitrio libris, disseminavit. Attamen et ipse, teste Gotti, sacros honores in Reiensi Ecclesiâ adeptus est, quòd, eo vivente, prædicti errores nondùm ab Ecclesiâ fuissent damnati. Quis Vincentius ille sit, qui sexdecim conscripsit objectiones, dictas *Vincentianas*, quas S. Prosper diluit in scripto cui titulum fecit: Responsiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum; an Vincentius Lirinencis cœnobii abbas, auctor Commentarii duplicis adversùs Hæreticos; an quispiam alius, eodem nomine insignitus, disputant inter se eruditi critici. Eidem errori favisse perhibetur Gennadius, itidem Massiliensis presbyter, præcipuè in libro de Viris illustribus. Quòd verò etiam alii Semipelagianis adscribunt quoque Severum Sulpitium, S. Honoratum Massiliensem antistitem; imò, quod facit Jansenius Iprensis, S. Chrysostomum, S. Hieronymum, aliosque nonnullos Patres, præcipuè Græcos, insignes tum theologi, tum critici editis apologiis meritò reprehendunt, et istam ab ipsis labem solidè propulsant.

IV. Nunc subjungere juvabit, in quibus sigillatim capitibus Semipelagiani recederent à Pelagianis; in quibus verò ad illos accederent: ita tamen, ut hoc posteriùs præstando, capitales duntaxat ac communiores, atque etiam certiores eorum errores recenseam; iis ferè prætermissis, et ad singula theologiæ ipsius dogmatico-scholasticæ loca remissis, de quibus controvertunt ipsi catholici, vel critici, an illi fuerint reipsà à Semipelagianis, saltem omnibus, asserti, necne.

Recedebant autem à Pelagianis Semipelagiani, 1° quòd primigeniam originis noxam admitterent, in Adæ posteros derivari. 2° Quòd abstruerent necessitatem gratiæ et baptismi ad illius deletionem. 3° Quòd agnoscerent pariter naturæ nostræ infirmitatem, ex eâdem originariâ culpâ profluentem. 4° Fatebantur quoque, saltem eorum plerique, gratiæ etiam *interioris* necessitatem, ad opus bonum saltem perficiendum et consummandum; ac proinde non posse hominem solis suis naturalibus viribus ad salutem pervenire.

V. Accedebant verò ad Pelagianos, et errabant Semipelagiani primariò ac præcipuè in eo quòd dicerent initium fidei, adeòque justitiæ et salutis esse à nobis, seu à solis naturæ viribus sibi relictis; nullamque ad ejusmodi initium gratiam interiorem prævenientem esse necessariam. Ita testatur S. Aug., qui et fatetur, se aliquando ante episcopum Semipelagianorum erroribus fuisse implicitum. Idem haud obscurè eruitur ex damnatione propositionis 4 Jansenianæ, quæ sic habet: « Semipelagiani « admittebant interioris gratiæ prævenientis « necessitatem ad singulos actus, etiam ad « initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd « vellent eam gratiam talem esse, cui posset « humana voluntas resistere vel obtemperare; » cui propositioni ab Innoc. X et Alex. VII, duplex inuritur censura: quòd sit *falsa* et *hæretica*. Falsa utique quoad primam partem, quæ historica est; hæretica quoad alteram, quæ est dogmatica. Perperam verò Janseniani, ad eludendam priorem censuræ partem, dicunt, illam versari circa quæstionem facti, in cujus decisione pontifex non sit infallibilis. Miratur verò Natalis Alexander, ex ordine Prædicatorum, quosdam doctores catholicos, « nullâ « habitâ ratione istius damnatæ propositionis, « temerè asserere, Semipelagianos gratiam ali« quam internam ad initium fidei admisisse. » Certè Gonethus ipse, Thomista percelebris, hanc opinionem, quam primùm docuerat, postea his verbis retractavit: « Re atten« tiùs et maturiùs consideratâ... Semipelagiani « omnes gratiæ interioris prævenientis neces« sitatem ad initium fidei constantissimè negâ« runt. » Videri potest Liberius Gratianus, sub quo nomine latet P. Livinus de Meyer S. J. in Dissert. de Pelag. et Massil. erroribus, c. 17 et 18.

VI. Porrò capitalem illum errorem suum Semipelagiani, ipsiusque totum systema hâc ratione proponebant ac ordinabant: 1° aiebant: Is cui prædicatum exteriùs fuit Evangelium, solis naturæ viribus concipit fidem aliquam initialem, seu pium credulitatis affectum erga Salvatorem, velut potentem, ac volentem ipsum liberare à miseriâ per peccatum contractâ. 2° Succedebat desiderium sanitatis spiritualis aut salutis, ex illâ fide initiali excitatum, illudque merè naturale. 3° Sequebatur iners aliquis surgendi, seu ex illâ miseriâ emergendi conatus, solis itidem viribus naturæ; quæ, cùm ad surgendum reipsà non sufficerent, 4° voluntas ad Deum recurrebat, quærendo et pulsando per óra-

tionem et implorationem auxilii ad id necessarii, pariter merè naturalem. 5° Dicebant, Deum ejusmodi actibus merè naturalibus, atque absque interiori gratiâ elicitis, moveri ad conferendam tali homini interiorem gratiam, quâ posset ad fidem perfectam et sanitatem spiritualem, seu justificationem pervenire, et accedente talismodi gratiâ ulteriùs benè et salutariter operari, mandata Dei observare, ac tandem salutem ipsam æternam adipisci.

Ex hoc porrò systemate liquidò sequebatur, ipsam quidem fidem, justificationem et salutem provenire ex gratiâ, primum tamen fidei, justificationis, et salutis initium esse ex solis viribus naturæ, liberique arbitrii sibi relicti. Idem systema, teste S. Hilario in suâ ad S. Aug. Epistolâ, explicabant Semipelagiani similitudine ægroti, qui, licet seipsum sanare non possit, agnitâ tamen suâ infirmitate, medicique illum sanare potentis ac volentis peritiâ ac bonitate, de se potest desiderium salutis ab illo obtinendæ concipere; ipsum advocare, opem ejus implorare, rogare ut succurrat, atque ita sanitati per ejus opem recuperandæ initium dare. Porrò sicut isti actus non computantur inter opera medicinæ, ita dicebant actus illos ad fidem et justificationem prævios, solis viribus naturalibus elicitos, non esse numerandos inter opera justitiæ: ne videlicet apertè repugnarent Apostolo dicenti, Rom. 11, v. 6: *Si gratia, jam non ex operibus.* Cùm autem urgerentur, saltem initium illud fidei et conatus naturales promereri primam gratiam ad opera justitiæ, adeòque hanc non esse gratiam; hoc negabant ex eo quòd ea fundaretur in aliâ gratiâ purè gratuitâ, quam initialem vocabant, et tandem cogebantur fateri non esse nisi naturam rationalem cum libero arbitrio gratis à Deo primitùs conditam, atque ita in Pelagianismum recidebant.

VII. Fundamentum sui hujus capitalis erroris duplex statuebant Semipelagiani: Primum erat idem ferè quod prætendebant Pelagiani, nempe actum esse de libertate arbitrii nostri, nisi post Adæ lapsum id saltem naturali arbitrio superesset, ut auditâ Evangelii prædicatione, aliquam initialem fidem concipere posset in Salvatorem, et medicum sibi annuntiatum ex desiderio salutis, per illius opem obtinendæ accersere, rogareque ut sanare velit. Paratum quippe illum esse, si vocetur, et laturum opem merito fidei et desiderio laborantis. Alterum fundamentum erat, quòd Deus, contra dictum Apostoli, foret *acceptor personarum*, non voluntatum, si conferret uni primam gratiam ad fidem et justificationem, non item alteri, nullo prævio discrimine inter unum et alterum, utpote qui quos vellet immerentes ad fidem et salutem vocaret et perduceret.

VIII. Cùm verò à S. August., Prospero aliisque premerentur ex eo, quòd ex multis nationibus aut hominibus, in quibus omnibus nec fides ulla initialis, nec alius ex prædictis arbitrii actibus præextitit, tamen quibusdam Evangelium prædicetur, non item aliis in alium prolapsi sunt errorem, ut videlicet dicerent, Evangelium iis prædicari quos Deus conditionatè prævideret, si illud audirent, ex solis naturæ viribus elicituros quoddam fidei initium, de quo supra; aut saltem ex solo naturæ affectu benè dispositos fore ad fidem suscipiendam, si veritas evangelica ipsis annuntiaretur, cæteris verò Evangelium prædicari noluerit.

IX. Verùm, cùm ulteriùs urgerentur exemplo parvulorum ante rationis usum decedentium, qui, cùm omnes sint in originariâ labe infecti, omnesque cujusvis fidei initialis eliciendæ per ætatem incapaces, attamen quidam ex iis baptismi gratiam ante mortem consequuntur, alii sine illâ decedunt, ad tertium errorem progressi sunt, dixeruntque ex illis parvulis alios ante mortem baptismi gratiam obtinere propter merita merè naturalia, quæ conditionatè prævisi sunt à Deo fuisse possessuri, si diutiùs vixissent; alios verò gratiâ istâ privari propter demerita, similiter solùm prævisa, et à baptismo saluteque repelli.

X. Ex his palmariis erroribus plures alios Semipelagiani, velut affines aut consectarios derivabant. Nam docebant 1° Deum paratum esse indifferenter sua omnibus dona communicare, exspectareque solummodò conatum creaturæ naturalem, et velut medicum præstolari, ut non ante, quàm vocatus, accurrat; creaturam verò naturali illo conatu cœlestis medici opem et gratiam promereri. 2° Deum æquè velle omnes salvos fieri, si ipsi velint; nempe voluntate ex suis solis viribus naturalibus quærente, pulsante, petente. Similiter Christum indifferenter pro omnium hominum æternâ salute mortuum esse, et hinc omnes homines, si pari ratione velint, ipsius Redemptionis æquè fieri participes; sic, ut ad nullos uberiùs, quàm ad alios Redemptoris

gratia ad salutis adoptionem derivetur, nisi ad illos qui naturalis arbitrii viribus majorem ex hoc thesauro, omnibus indifferenter exposito, portionem haurirent. 3° Negabant proinde, Deum singulari voluntate, consilio et proposito, affectuque speciali velle prædestinatorum salutem, magis quàm reproborum; aut illis magis efficaciter, quàm istis redemptionis suæ fructum applicare; majorave ex Christi morte beneficia in vasa misericordiæ, quàm in vasa iræ derivari. 4° Etsi ad opera justitiæ, vitæ æternæ meritoria, inter fidem initialem, et perseverantiam media, tum incipienda, tum perficienda, faterentur necessariam esse gratiam interiorem prævenientem, sicut tamen initium fidei, ita et perseverantiam negabant esse singulare Dei donum, gratiamque specialem, contendentes, in potestate cujusvis arbitrii esse, ut, si velit, perseveret. Addebant, neque talem esse perseverantiam, à quâ deficere nemo posset; atque adeò non esse certum prædestinatorum numerum, æterno ac immutabili Dei decreto constitutum, sed in hunc ordinem quosdam in dies adscribi, quosdam ex eo expungi. Hinc demùm 5° nullam agnoscebant vocationem secundùm propositum, ut loquitur Apostolus, neque gratuitam prædestinationem, seu ad primam gratiam, utpote quam non conferret, nisi ad conatus naturales humanæ voluntatis, neque ad gloriam, utpote ad quam illos solos eligi dicebant qui viribus arbitrii perseverare vellent; atque iis proinde solis gratiam et gloriam ab æterno Deum destinâsse, quos prævidit, si Evangelium ipsis prædicaretur, vigore naturæ gratiam illam esse promerituros, et in bono perseveraturos, aut si de parvulorum ad gloriam electione sermo foret, quos prævidit, si diutiùs vixissent, idem fuisse facturos. Ex quibus jam manifestè sequebatur, initium fidei, justitiæ, salutis, discretionem fidelis ab infideli, electi à reprobo fieri ex meritis, et quidem merè naturalibus et quidem conditionatis, et quoad parvulos purè talibus; atque in liberum tandem hominis arbitrium, sibi relictum, debere refundi contra illud Apostoli: *Quis est qui te discernit?* etc.

XI. Ex his liquet primò vastum discrimen inter errores Semipelagianorum et dogmata catholica, quæ Jansenius perperam cum illis magnam partem confundit. Etenim asserimus equidem Catholici 1° Deum omnibus hominibus adultis, ratione utentibus dare gratias sufficientes; sed negamus, eas dari ex merito fidei, vel alterius actûs merè naturalis, maximè conditionatè solùm prævisi. 2° Contendimus, Deum sincerâ ac seriâ beneplaciti voluntate velle, omnes homines per Christum salvos fieri, si velint; non tamen si velint præcisè naturæ viribus sibi relictis, sed superno gratiæ prævenientis adjutorio elevatis. Agnoscimus præterea Deum quosdam speciali affectu præ aliis vocare, atque jam ab æterno elegisse, et ad supernam gloriam præordinâsse. 3° Similiter fatemur, Christum pro æternâ omnium hominum salute mortuum esse, et sanguinem fudisse; quod Semipelagianum non esse discimus inter alia ex damnatione propositionis 5 Jansenianæ, quæ id perperam asserebat; fatemur insuper, omnibus hominibus ex illius meritis, ast non ex merito naturali ipsorum, conferri gratiam sufficientem, at non omnibus æqualem, cùm nec pro omnibus æquè sit mortuus, sed magis specialiter pro electis, in quos majora gratiæ beneficia, et uberiorem redemptionis suæ fructum derivari voluit.

XII. Liquet secundò vastum pariter discrimen inter Semipelagianorum errores et catholicam sententiam multorum theologorum orthodoxorum, qui scientiam conditionatam, quam *mediam* appellant, in Deo admittunt, quâ etiam in suis efformandis decretis dirigatur. Nam inprimis hæc scientia, ex unanimi mente ipsius assertorum, non exhibet Deo actum ullum salutarem, etiam qui sit solum fidei initium, elicitum ex solis naturæ viribus. Deinde, quamvis exhibeat illi actum aliquem salutarem, sub conditione hìc et nunc eliciendum ab homine gratiâ supernâ prævento et adjuto, si hanc gratiam habuerit vel haberet; negant tamen hujusmodi actum, præcisè aut conditionatè prævisum esse motivum, cur Deus talem gratiam conferat, vel hominem talem ad Evangelii auditionem fidemque perducat. Denique multò magis pernegant merita vel demerita purè conditionata, id est, nunquàm futura absolutè, sed sub conditione nunquàm implenda, qualia sunt ista parvulorum supra memoratorum, esse Deo motivum, quibusdam baptismi gratiam impertiendi, aliis denegandi.

Quapropter Natalis Alex. ordinis Prædicatorum auctor percelebris, Hist. Eccl. ad sec. V, c. 3, art. 8, n. 6, monet: « Cavendum, ne « recentioribus quibusdam theologis, qui præ« destinationem electorum ad gloriam intuitu « meritorum à Deo fieri contendunt, et scien-

« tiam quamdam *mediam* propugnant, Semipe« lagiani erroris notâ inuratur; quod imprudenter et temerè novi quidam auctores fecerunt; « vel Semipelagianorum dogmatum ignari, vel « studio partium in transversum acti. Magnum « enim est, quantùm ad hoc utrumque dogma, « inter Semipelagianos et theologos illos dis« crimen. » Idem planè judicium est emin. Gotti. de ver. Rel. cath. tom. 2, c. 73, § 1, n. 11.

XIII. Semipelagianis acriter sese opposuêre, 1° S. Aug. duobus libris contra illos editis, altero de Prædestinatione sanctorum, altero de Dono perseverantiæ; et post S. præsulis obitum S. Hilarius, S. Fulgentius Ruspensis episcopus; S. Cæsarius Arelatensis, Petrus Diaconus, etc.; præcipuè verò S. Prosper, qui, vivente adhuc S. Aug., Semipelagianorum errores confutârat in Epistolâ ad Rufinum; postea verò idem præstitit in libro contra Collatorem: et in Resp. tum ad 15 Capitula Gallorum, tum ad Excerpta Genuensium, tum denique ad Capitula Objectionum Vincentianarum, necnon in Carmine de Ingratis, et aliis. 2° Ex pontificibus primùm Cœlestinus I Semipelagianorum doctrinam coercuit, datâ ad Gallicanos episcopos Epistolâ anno 432, tum Gelasius I, anno 494, in Epistolâ ad Picenos. Ex conciliis tum Valentina synodus à Cæsario Arelatensi anno 529, indicta, tum Arausicana II, eodem anno celebrata; utraque à Bonifacio II confirmata, Semipelagianos, damnatis eorum erroribus, ultimo ictu confodit, qui ab eo tempore haberi cœperunt hæretici, cùm eò usque adhuc gauderent nomine catholico, imò à SS. Aug. et Prospero, fratrum, et dilectorum suorum titulo decorarentur.

PRÆDESTINATIANI.

I. Hoc vel affini prædestinatorum nomine veniunt illi qui hoc eodem de quo jam scribimus, seculo ex optimis S. Aug. libris, præsertim de Gratiâ et Prædestinatione, pessimè intellectis, docuerunt 1° ex hominibus alios antecedente Dei voluntate absolutâ et efficace destinatos esse ad gloriam; alios ad pœnam æternam. 2° Neque eos proinde qui sunt ad vitam æternam prædestinati, ullo modo posse damnari; neque illos qui sunt ad gehennam præordinati, ullâ ratione posse salvari. Hinc inferebant 3° per Dei prædestinantis voluntatem liberum hominis arbitrium penitùs extingui, aut certè nihil valere, seu ad obtinendam salutem, si destinatus à Deo sit ad damnationem; neque ad hanc incurrendam, si ad illam fuit præordinatus. Unde 4° insuper intulêre, neque bona opera quidquam prodesse reprobis, neque mala obesse prædestinatis; neutrosque proinde esse debere sollicitos, seu ut agant benè, seu ne agant malè.

II. Etsi non defuerunt, qui cum Jansenio negârunt, Prædestinatianorum hæresin, ita expositam, unquàm extitisse, sed Prædestinatianorum nomine S. Aug. discipulos à Semipelagianis fuisse traductos; contrarium tamen sentiunt, ac solidè evincunt alii cum Baronio, Spondano, Didaco Alvarez, Sirmondo, Natali Alex., card. Gotti, etc., tum ex variis probatæ hâc in re fidei historicis, videndis apud Nat. Alex. loc cit. art. 11, tum ex eo quòd in causâ Prædestinatianorum celebratæ sint duæ synodi anno 456, Arelatensis et Lugdunensis. Cæterùm, eamdem hæresin seculo IX recruduisse in Gotteschalco, et seculo XVI in Luthero, Calvino et aliis, dubium esse nequit.

NESTORIANI.

I. Nestorius ex Syriâ oriundus, primùm Antiochiæ monachus, inde patriarcha Constantinopolitanus, Nestorianis nomen et errores dedit. Vir eloquentiâ et opinione percelebris, sed non minùs animo elato ac crudeli, quem tamen externâ sanctitatis specie, fucatoque fidei zelo tegebat, suum virus primùm prodidit, dùm, exorto propterea tumultu, quòd Anastasius presbyter, ipsius familiaris et consiliarius, quâdam die publicè in ecclesiâ hæc verba protulisset: « Nemo Mariam vocet Dei« param: Maria enim homo fuit: ex homine « autem Deus nasci non potest; » monitus de hâc blasphemiâ Nestorius, non modò Anastasium non corripuit, sed ejus dictum confirmans idem in Ecclesiâ palam docere non dubitavit; quo factum, ut mox in suspicionem veniret, quòd Pauli Samosatensis ac Photini dogma rursùs in Ecclesiam invehere moliretur, nempe, Christum esse purum hominem, et hinc B. Virginem nollet appellari Deiparam. Atque hæc reipsà fuit ipsius errorum summa.

II. Errabat itaque 1° quòd duas in Christo personas statueret, illumque veluti divideret in Filium Dei et Filium hominis; illum non ex Mariâ, sed ex Deo ante secula genitum; hunc ex Mariâ, in seculo natum. Hinc 2° Mariam nolebat dici: Θεοτόκον, seu Deiparam, sed Χριστοτόκον, seu Christiparam. 3° Quod consequens erat, negabat Filium Dei pro no-

bis passum esse, aut mortuum; sicque, ut rectè S. Cyrillus, redemptionis nostræ mysterium evacuabat. Porrò hos ut errores tueretur, negabat veram physicam substantialem unionem Verbi divini cum humanitate in unitatem Personæ; admittebatque duntaxat unionem quamdam moralem, vel accidentalem inter personam Verbi et personam istius hominis qui Christus dicebatur; quam unionem statuebat tum in speciali affectu, quo Verbum et iste homo se invicem complectebantur, quo sensu dici solet, amantium esse cor unum et animam unam; tum in speciali modo, quo Verbum habitabat in Christo, sicut in templo, aliter quàm in aliis justis : tum denique in eo, quòd iste homo foret instrumentum, seu organum Verbi divini.

III. Exitiosis his erroribus qui christianæ Religionis fundamenta subvertebant, strenuè sese opposuit S. Cyrillus præsul Alexandrinus, datis primùm quidem ad ipsum Nestorium, quibus illum ad saniora revocaret, litteris, sed incassùm; tum deinde aliis ad Cœlestinum I, pontificem, quibus Nestorium, ejusque prava dogmata ad ejus tribunal deferret. Ista dogmata in synodo Romæ anno 430 habitâ damnavit pontifex, sententiamque excommunicationis et depositionis tulit in Nestorium, nisi intra decimum ab insinuato hoc pontificio decreto diem errores suos agnosceret, ac ejuraret. Cyrillus, cui vices suas ad hujus decreti executionem procurandam Cœlestinus demandaverat, celebres illos 12 anathematismos edidit, quibus Nestorius subscriberet, et ita suas hæreses recantaret. At tantùm abfuit, ut obtemperaret homo pertinax, ut efferatior factus, alios 12 anathematismos ederet, Cyrillianis è regione oppositos.

IV. Quapropter Cœlestinus, urgente Theodosio imperatore, synodum œcumenicam indixit Ephesi, anno 431, in quâ, præside S. Cyrillo, et jure suæ sedis, et titulo legati sedis Apostolicæ, dùm alii Româ à Cœlestino missi exspectabantur, ab episcopis plusquàm ducentis ex Oriente et Occidente illùc appulsis condemnatus, ac sede suâ pulsus fuit Nestorius, probantibus sententiam Apostolicæ sedis legatis, etsi seriùs adventantibus; plaudente, publicis etiam ignibus, clero et populo, qui ægerrimè tulerat, sibi redemptorem Deum eripi, et intemeratæ Virgini titulum Matris Dei; qui, ut illi deinceps perpetuò constaret, creditur sub id tempus Salutationem angelicam hoc additamentum accepisse : *S. Maria, Mater Dei.*

Cæterùm Nestorius haud multò post à Theodosio in exilium relegatus, pertinax infelici fato interiit, blasphemâ linguâ post obitum vermibus scatente.

V. Ex his juvat obiter animadvertere 1° quo spiritu ducantur illi Jansenianæ factionis hypocritæ, qui abstinendum volunt fidelibus à titulo Deiparæ, seu Matris Dei, tribuendo divæ Virgini; non quòd, inquiunt, verè illi non conveniat, sed ut, ad fucum faciendum, prætendunt præ reverentiâ, quòd nos non deceat istum titulum pronuntiare, illamque eo salutare. 2° Quantùm hallucinatus sit, qui principia juris publici ecclesiastici Catholicorum pollicitus, hanc propositionem : B. V. Maria non est Θεοτόκος, iis duntaxat accenset, quæ sunt hæresi proximæ, cùm tamen manifestè sit hæretica : primò, quia concilium Ephesinum I, eâdem illam damnatione involvit cum illâ quæ Christum esse Deum negat, et utramque eodem anathematis fulmine feriit : « Si quis, inquit, non confitetur Emmanuelem « Deum esse, et ob id S. Virginem Deiparam... « anathema sit. » Idem præstitit S. Cyrillus 1 ex 12 anathematismis, ab eâdem synodo comprobatis : « Si quis, aït, non confitetur Deum « esse veraciter Emmanuel, et propter hoc ipsum « Dei genitricem S. Virginem... anathema sit. » Similiter synodus VI, can. 6, anathematizat eum, « qui abusivè et non verè Dei Genitricem « dicit sanctam, gloriosam, semperque virgi- « nem Mariam. » Deinde quia synodus VI œcumenica, Act. 4, eâdem fidei formulâ, cum Verbi incarnatione Deiparæ titulum profitetur : « Confitemur, inquit, Verbum... incarna- « tum de Spiritu S., et S. immaculatam, sem- « perque virginem..., verè ac propriè Dei Ge- « nitricem. » Demùm quia in prædictâ propositione, istud inficiante, totum erroris sui virus velut collectum Nestorius abscondebat, ut observant Petavius et Tournelius; qui simul adnotant, in hâc unicâ voce Θεότοκος, quam Nestorius respuebat, totius mysterii incarnationis veritatem, substantiamque contineri, vocemque illam tesseram esse, Catholicos à Nestorianis secernentem in mysterio incarnationis, sicut vox ὁμούσιος illos secernebat ab Arianis in mysterio Trinitatis.

EUTYCHIANI.

I. Ab Eutyche seu Eutychete denominationem accepêre. Fuit autem Eutyches presbyter, et monasterii celeberrimi in urbe Constantinopolitanâ archimandrita, postea dictus abbas,

Is, cùm adhuc diaconus in synodo Ephesinâ I, et illâ etiam ad finem perductâ, contra Nestorium acerrimè pugnâsset, tandem anno post celebratum illud concil. 18, Christi verò 448, jamque senex, seu ex imperitiâ magis quàm ex versutiâ, ut videtur innuere S. Leo, Epist. modò 29, 30, 31, seu zelo nimio, non secundùm scientiam, in extremum errorem abreptus est, incidens in Scyllam, dùm vellet nimis procul vitare Charybdim.

II. Capitalis itaque Eutychetis error fuit, quòd cùm Nestorium acriùs perstringit, duas in Christo personas statuentem, ipse non unam solùm in eo personam adstruat, sed etiam unam post unionem naturam; contendens Christum esse quidem ex duabus, sed non in duabus naturis; seu duas quidem ante unitionem fuisse naturas, sed unicam post unitionem; ita ut in ipso incarnationis articulo ex utrâque naturâ, divinâ et humanâ, una substantia coaluerit; sive jam senserit Eutyches id factum esse per confusionem aut mixtionem, sicut ex 4 elementis fit natura mixti; sive per conversionem unius naturæ in aliam, sicut aqua in Cana Galilææ conversa est in vinum; sive per compositionem, uti ex corpore et animâ fit una natura humana; seu contenderit, naturam humanam à divinitate fuisse penitùs absorptam : neque enim mens illius satis comperta est, de quâ disputant etiam hodiedùm theologi.

III. Eutycheti se invictè opposuerunt S. Leo papa; Boetius, edito libro de 2 Naturis; S. Prosper Aquinatus in diversis Epistolis adversùs Eutychetem; S. Flavianus Constant. antistes. Eutyches verò propter contumaciam damnatus, et sacerdotii honore privatus est in synodo Constantinop., sed non diu post, favente Theodosio imp. per Dioscorum, præsulem Alexandrinum, eidem conciliato, ab aliâ pseudo-synodo Ephesinâ, quam latrocinium Ephesinum vocant, perperam absolutus, et pristino honori restitutus fuit. Verùm hujus pseudo-synodi acta, Romæ à Leone coactâ synodo rescissa; ac tandem Eutyches cum ipso toto latrocinio Ephesino in concilio œcumenico Chalcedonensi, 600 et ampliùs episcoporum judicio novo fulmine percussus fuit, Dioscorusque pariter episcopatu, sacerdotiique ministerio exutus.

Interim Eutychiana pestis, haud secùs ac Nestoriana, grassatur adhucdùm præcipuè in Oriente, illaque ad ipsos etiam Indos, ut fertur, est propagata. Eutychianæ præsertim hæresis magnus per Africam propagator fuit sexto currente seculo quidam Jacob, homo natione Syrus, unde Jacobitæ, Copti item, qui in eâ regione suum habent patriarcham.

HÆRESES SECULI VI et VII.

Tria Capitula, eorumque auctores.

I. Trium Capitulorum nomine veniebant 1° libri Theodori Mopsuesteni episcopi, quibus duas in Christo personas visus fuit asserere cum Nestorio, 2° Theodoreti episcopi Cyrensis Commentarius, in quo 12 S. Cyrilli Anathematismos aculeatè perstringit. 3° Ibæ episcopi Edessini Epistola ad Marium Persam, in quâ S. Cyrillum perinde ac Nestorium erroris coarguit, ac censurâ temerè feriit.

Circa hæc tria capitula celebris et diuturna seculo preced. excitata, hoc VI seculo acriùs recruduit controversia, quæ sat diuturni inter Ecclesiam Orientis et Occidentis schismatis radix fuit. Cardo autem controversiæ in eo vertebatur : non, utrùm proscribi deberent errores Nestorii, quod jam fecerat synodus Ephesina, sed, utrùm errores Nestorii, vel iis affines in tribus istis capitulis continerentur, propter quos ipsa et eorum auctores condemnari mererentur; id primum inficiantibus pluribus etiam catholicis, qui orthodoxum illis sensum affingere conabantur.

II. Synodus IV neutiquàm approbaverat ista tria capitula; sed, quia Theodoretus et Ibas palam anathema dixerant Nestorio, utrumque in concilio, ac suâ etiam episcopali sede subsistere permisit. Sed neque tunc necessum esse judicavit, quippiam circa illorum, quippe jam publicè resipiscentium, uti nec adversùs Theodori Mopsuesteni, jam fatis functi, scripta pronuntiare. At verò, cùm postmodùm ista scripta in manibus fidelium versari pergerent, et pro catholicis haberentur, atque ita propagaretur error, integro ferè seculo evoluto congregata est V synodus, in quâ tria illa capitula proscripta fuêre, et damnatus Theodorus, qui sine retractatione suis erroribus erat immortuus; non item Theodoretus et Ibas, utpote qui suum errorem in IV synodo palam deposuerant.

III. Sed hinc novarum contentionum inter ipsos Catholicos occasio. Multi enim Occidentis episcopi diu recusârunt, V synodum agnoscere velut legitimam, eò quòd errore facti decepti putarent synodum IV, quam quidem jure pro legitimâ habebant, tria illa capitula approbâsse, cùm Theodoretum et Ibam ad

Ecclesiæ communionem admisisset. Ipse etiam Vigilius papa eodem facti errore præventus, etsi id temporis Constantinopoli moraretur, cùm V synodus ibidem celebrata fuit, tamen illi neque interesse voluit, neque statim eam approbare. Comperto tamen errore, eamdem et ipse postea probavit confirmavitque; et ejus successores, præcipuè Gregorius M., qui et Orientalibus Ecclesiis fidei formulam misit, quâ profiterentur, se V synodum recipere; eodemque ferè tempore eamdem episcopi etiam Occidentales recepère.

MONOTHELITÆ.

I. Nomen accepère à duplici Græco vocabulo: *Monos*, id est, unus, et *thelema*, id est, voluntas, quasi unius voluntatis professores, quia nimirùm in Christo nonnisi unam agnoscebant voluntatem et operationem. Opinabantur enim quòd humana natura in Christo nunquàm moveretur proprio motu, sed solùm secundùm quòd mota erat à Verbi divinitate.

II. Ista hæresis, quæ Christi Ecclesiam tempore haud modico miserrimè vexavit, duces habuit, circa annum 629, Athanasium Antiochenum, Sergium Constantinopolitanum patriarchas; et Cyrum episcopum Alexandrinum, favente Heraclio imperatore, qui nimiâ credulitate decipi se passus est, eo prætextu, quòd isto suo dogmate à Nestorianis simul et Eutychianis erroribus recederent, cùm tamen Eutychianum virus de unâ in Christo naturâ sub unius voluntatis velamine contegerent; dùm enim unam tantùm voluntatem ac operationem admittebant, necessum erat ut unam quoque duntaxat naturam in eo faterentur. Interim hæc eorum vafrities nonnisi post annos complures detecta fuit; unde sub catholico nomine longo adhuc tempore gavisi sunt; donec compertâ fraude, inprimis Sophronius, patriarcha Jerosolymitanus, in synodo hanc ob causam coactâ, eos qui duas operationes in Christo expressè non profiterentur, anathemate feriit. Deinde Severinus pontifex, et postea Martinus I, in synodo Romanâ Monothelitas damnavit. Demùm synodus VI, œcumenica, Constantinopoli, anno 680 celebrata, eosdem planè protrivit.

III. De Honorio papâ quæ nonnulli scribunt, vel monothelismi fautore, et idcircò damnato pariter à VI synodo, non est hujus loci operosiùs confutare. Duo suffecerit obiter indicâsse, prolixiùs alibi exponenda:

Primum est, illum equidem in Epistolâ privatâ, quâ respondit ad litteras Sergii, adhuc id temporis publicâ famâ orthodoxi piique antistitis, sinceræ erga sedem Apostolicam submissionis et zeli, pro conservandâ pace in Ecclesiâ, contestatione, plenis, nil planè fraudis suspicatum, annuisse, ut ad extinguendas quæ prætendebantur à Sergio inanes controversias, tantisper abstineretur à voce unius, vel duplicis in Christo voluntatis; at nullis efficacibus momentis evinci potest, quòd Honorius Monothelitarum dogma positivè probârit; seu asserendo, unam duntaxat in Christo esse voluntatem, seu negando esse duplicem; nisi ad summum in sensu quorumdam, qui, ut Sergius dolosè, suum ut errorem tegeret, ad Honorium perscribebat, duas in Christo voluntates creatas, sibique contrarias, adstruebant, unam spiritûs, alteram carnis, quam concupiscentiæ fomitem dicebant. Etverò, quòd ipse Sergius non existimârit, istam Honorii Epistolam suo errori favere, vel inde liquet, quòd non fuerit ab ipso publicata vivente Honorio, sed, hoc vitâ functo, primùm à Sergii successore et fautore, postquàm hic Constantinopoli pulsus esset. Ex quo etiam credibile est Epistolam illam vitiatam esse, aut è latino non fideliter græcè redditam. Alterum, quod hic venit indicandum, est quòd VI synodus et Leo II, ex quodam fortassis errore facti, Honorium, jam vitâ functum, acerbiùs perstrinxerint, quòd Monothelitas eorumque hæresin fovisset; ipso nempe facto, mitiùs cum illis agendo, ac debuisset, non item publicâ editâ sententiâ, quâ doctrinam illorum probaret, cùm in eâdem VI synodo lectæ, et omnium suffragiis probatæ sint binæ epistolæ Agathonis papæ, in quibus dicitur omnes Petri successores, quos inter fuerat Honorius, fratres suos in fide confirmâsse.

HÆRESES SECULI VIII ET IX.

ICONOCLASTÆ.

I. Alio affini nomine dicti Iconomachi, seu SS. imaginum contemptores, impugnatores, eversores, circa annum 723 debacchari cœperunt, duce Jezido, vel, ut alii, Gizide, Saracenorum principe, per Judæum quemdam impulso; favente item Leone Isaurico imperatore, qui, Judæis pariter instigantibus, imò urgente etiam Constantino, Natoliensi in Phrygiâ episcopo, sacras omnes imagines tanquàm idola per totum imperium aboleri, atque unà cum sanctorum reliquiis flammis tradi præcepit. Hoc extincto, eodem furore

exarsit ejus successor Constantinus Copronymus, sic appellatus, quòd sacrum baptismatis fontem, quo infans abluendus erat, suis fœdâsset sordibus, necnon ejus filius Leo IV.

II. His furiis obstitêre S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, Gregorius II, Romanus pontifex, qui Leonem Isaurum anathemate percussit; et præsertim S. Joannes Damascen. illas planè compressit, et sacrarum imaginum cultum restituit Irene imperatrix cum filio Constantino VI, sub quibus, anno 787, celebrata fuit septima synodus œcumenica, quæ fuit Nicæna II, in quâ damnati Iconoclastæ; quorum tamen hæresis postliminiò revocata fuit à Nicephoro, Leone Armeno, Michaele Balbo, ac præsertim à Theophilo; sed rursùs à Theodorâ Theophili conjuge, cùm pro filio Michaele imperium administraret, profligata fuit in Oriente; at post aliquot secula recruduit in Occidente, sedulò eam promoventibus Hussitis, Lutherique et Calvini asseclis.

GRÆCUM SCHISMA.

I. Cœpit illud seculo IX, auctore præsertim Photio, homine ut natalibus et eruditione claro, ita ambitioso, perfido ac crudeli. Is, dejecto per invidiam à sede Constantinopolitanâ S. Ignatio, dolosis Sardæ, supremi in aulâ Michaelis III imp. satrapæ, artibus, ex laico sex dierum spatio à Gregorio, Syracusæ episcopo, excommunicato, consecratus, in eamdem patriarchalem sedem intrusus fuit. Verùm à Basilio Macedone, Michaelis successore, revocato Ignatio, inde pulsus, primùm à Nicolao I, quem dolosis quoque litteris deludere molitus erat; copertâ fraude, anathemate percussus, anathema vicissim illi dixit, exemplo Dioscori, litterasque encyclicas contra Romanam Ecclesiam conscripsit: atque has ob causas in VIII synodo œcumenicâ anno 869 celebratâ, è Catholicorum cœtu submotus fuit. Cùmque nihilominùs deinde à Basilio, ipsi propitiato, eidem sedi, post Ignatii mortem, restitutus fuisset, denique tamen à Leone VI, Basilii filio, iterùm ex illâ dejectus, et intra cœnobii parietes reclusus, ibidem vitam finiit.

II. Hoc schisma recruduit sub Sissinio patriarchâ, et incrementa accepit sub Michaele Cærulario imp., nequicquam obstante Leone IX, papâ; anno 1274, tentata est concordia et unio Græcorum cum Latinis feliciter restituta in concilio Lugdunensi II, maximè operâ S. Bonaventuræ; sed Michaele Palæologo, Orientis imperatore, fatis functo, Græci ad vomitum reversi sunt. Major spes affulsit anno 1439, in concilio Florentino, cui interfuit cum Eugenio IV papâ Joannes Palæologus; productique primùm sunt 5 articuli præcipui, in quibus Græci dissidebant à Latinis, suntque sequentes:

III. 1° Quòd Spiritus S. non procedat à Patre et Filio. 2° Quòd Eucharistia non in pane azymo, sed in solo fermentato confici possit. 3° Quòd non detur Purgatorium. 4° Quòd nec justis æterna detur felicitas, nec impiis æternum infligatur supplicium ante judicii diem. 5° Quòd Romanus pontifex non sit totius Ecclesiæ caput, et B. Petri successor. De horum falsitate convicti Græci, Romanæ sedi et Ecclesiæ sese subdiderunt; sed, domum reversi, instigante præsertim Marco Ephesino, paulò post fidem Græcam probaverunt, et in pristinum schisma, veteresque errores relapsi sunt.

HÆRESES SECULI X ET XI.

I. Seculo X, quod fœdârunt cùm nequiores nonnullorum pontificum mores, tùm secularium principum, sacra profanis miscere volentium, molimina, singulari Numinis in Ecclesiam suam providentiâ, vix ulla nova hæresis exorta est, quæ saltem radices egerit. Secta duntaxat Manichæorum, in Oriente penè jam extincta, quas adhuc superstites scintillas habebat, in Occidentem diffudit; ac primùm quidem in Bulgariam sub finem seculi IX, tum postea in Germaniam; inde in Italiam, ac demùm in Galliam transmisit; quas ibidem Albigenses seculo XII collegerunt, et novum illìc incendium suscitârunt, uti paulò post dicetur.

II. At seculo XI exsurrexit Berengarius, famosus ille Sacramentariorum parens, vel antesignanus, et eorum hæreseos disseminator præcipuus. Hic vir, natione Gallus, patriâ Turonensis, cujus genii fuerit, describit Guitmundus, ex monacho archiepiscopus Aversanus, l. 1 de Corp. et Sang. D. Verit. in Euch.: « Cùm juveniles, inquit, in scholis « ageret annos, elatus ingenii levitate ipsius « magistri sensum non adeò curabat, condisci« pulorum pro nihilo habebat. » Interim præfectus est postea Turonensi scholæ S. Martini, ac in magnâ versatus est apud multos opinione eruditionis, sed quæ reverà minor erat, quàm superbiæ tumor, quo inflatus, pompa-

tico incessu, sublimique præ cæteris suggestu, dignitatem magistri potiùs simulabat, quàm rebus ostendebat. Ita fermè laudatus Guitmundus, l. c. Nihilominùs vulgaris ista eruditionis fama effecit, ut primùm in Ecclesiâ S. Martini Turonensis, camerarii et thesaurarii dignitates obtineret; ac deinde archidiaconus et thesaurarius Ecclesiæ Andegavensis crearetur. Ibi suas hæreses vulgare cœpit circa annum 1035, vel, ut mavult Nat. Alex., 1047, vel 1048.

III. Præcipua hæresum istarum capita erant sequentia: 1° Baptismum parvulorum evertebat. 2° Legitima conjugia abrogabat, impudenter asserens licitam esse cum omnibus scortationem. 3° Quòd Christus januis clausis ad discipulos non intraverit, asseverabat. 4° Eucharistiam non esse verè et substantialiter corpus et sanguinem Domini, sed solam illius umbram et figuram adstruebat. 5 Ac propterea panem et vinum per verba consecrationis non converti substantialiter in verum corpus et sanguinem Christi. Atque in hoc uno postremo ac capitali errore Berengarius perstitit, dimissis tribus prioribus, ac præcipuè duos, quos velut nimis duros aut absurdos cerneret à piis ac honestis auribus respui, neque à se ullatenùs vel in speciem ex Scripturis posse probari, uti testatur iterùm Guitmundus.

IV. Si ulla unquàm alia, certè hæc Berengarii hæresis, quâ veram et realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ præsentiam negabat, hactenùs inaudita in Ecclesiâ, vix Catholicorum aures feriit, cùm viros doctos quamplurimos, ad nudam ejus perceptionem cohorrescentes, statim excitavit, ut adversùs illam calamum stringerent. Præstitêre id fortiter ac invictè cæteros inter Adelmannus, Berengarii olim sub S. Fulberto condiscipulus, Brixiensis postea episcopus, in Epistolâ ad ipsum datâ, in quâ etiam eumdem saluberrimis olim ab eodem S. magistro datis monitis, ipsi in memoriam revocatis, ad saniora reducere conatus est. Tum etiam Hugo Linconiensis antistes, Guitmundus, ac præcipuè Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus, uti jam insinuavimus, et alii quamplures.

V. Pluribus etiam in conciliis profligata est hæc pestis, cum suo auctore. Ac 1° quidem in concilio Romano sub Leone IX, anno 1050, ubi damnatus quoque fuit liber Joannis Scoti Erigenæ de Eucharistiâ, ex quo Berengarius suum virus hausisse creditur. 2° Eodem anno in conventu Brionensi. 3° Anno item eodem in synodo Parisiensi. 4° Anno 1055, in Florentinâ, sub Victore papâ. 5° Eodem anno in Turonensi, in quâ Berengarius præsens, à Lanfranco convictus, errorem suum, datâ subscriptione, ejuravit. Sed cùm postea fidem fregisset, damnatus est 6° in concilio Romano, sub Nicolao II, anno 1059, in quo iterùm convictus à Lanfranco, iterùm virus saltem in speciem exspuit. Paulò post denuò reversus ad vomitum, librum insuper edidit quo non suam hæresin duntaxat defensabat, sed Romanam Ecclesiam, ipsumque summum pontificem impiissimè proscindebat. Quapropter, posteaquàm ab Alexandro II, Nicolai successore, paternis litteris, ut ad se Ecclesiæque gremium rediret admonitus, obstinatior effectus, impudenter etiam illis respondisset, non solùm à Mauritio Rothomagensi præsule, coactâ anno 1063 synodo, Berengarius cum suis sectariis anathemate confixus fuit, quod anno 1705, synodus Pictaviensis confirmavit; sed tandem à Gregor. VIII, ad synodum Romanam vocatus, post varias tergiversationes, præsens errâsse se coram toto concilio confessus, veniamque demissè petens, ex apostolicâ clementiâ, præmissâ fidei confessione, obtinuit. An deinceps in sanâ fide ad mortem usque perstiterit, dubitant aliqui, asserunt plures. Obiit anno 1088, annum agens ætatis circiter 90.

HÆRESES SECULI XII ET XIII.

ALBIGENSES.

I. Manichæorum secta, ut supra adnotavimus, ex Oriente in Occidentem delapsa, virus suum evomuit primùm circa annum 1120, apud Tolosates per Petrum Brussum, seu de Bruis, natione Gallum, et Henricum Tolosanum, monachum apostatam, illius discipulum, à quibus eorum asseclæ dicti Petro-Brussiani et Henriciani. Ii fœdis Manichæorum erroribus hos addebant: Missæ sacrificium nihil esse; baptismum absque fide parvulis nil conferre; neque fidelium preces quidquam prodesse defunctis; quibus ævi moderni novatoribus præludebant.

II. Eadem secta, stabilem sedem nacta Albiæ civitate Tolosæ vicinâ, inde nomen fecit Albigensibus hæreticis, qui exiguo temporis spatio universam penè Galliam corruperunt.

Docebant autem Albigenses, 1° cum Manichæis duo esse rerum principia. 2° Cum Sadducæis carnis negabant resurrectionem. 3° Infernum simul cum purgatorio explodebant. 4° Baptismi et Eucharistiæ sacramenta respuebant,

III. Opposuêre se iis strenuè primùm Innoc. III, vocato in auxilium brachio seculari, præcipuè comitis Simonis Montefortii, herois fortissimi; qui duce et adjutore Domino exercituum, cum octo duntaxat Catholicorum millibus centum hæreticorum istorum millia, pugnantia sub Petri II Arragoniæ regis vexillo, fertur profligâsse. Deinde spiritualia profanis arma conjunxit S. Dominicus cum sociis suis, quorum insigni operâ, et erecto Tolosæ sacræ, ut vocant, Inquisitionis tribunali, hæretica ista factio penitùs dissipata fuit, et pax Ecclesiæ reddita.

PETRUS ABÆLARDUS.

I. Dictus à quibusdam Abælardus; gente Gallus fuit, ingenio acri et facundo, sed tam arrogans, teste Ottone Frisingensi, l. 1 de rebus Gest. Frid. I Imp., « et illi tantùm confidens, ut « vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis « suæ humiliatus descenderet. » Inde, ut superbis haud rarò contingit, in fœdum carnis flagitium cum Heloissâ discipulâ suâ prolapsus, atque eidem matrimonio copulatus, cùm privatam idcircò infamiam passus esset, illâ spontè ad monasterium feminarum sese recipiente, ipse monachus ad S. Dionysium effectus est; verùm post tempus aliquod ab obedientiâ abbatis sui solutus, in publicum denuò prodiit, docendique munus, quod cum magnâ nominis celebritate ante sustinuerat, Parisiis resumpsit.

II. Hoc in munere cùm circa annum 1116 versaretur, varios in errores incidit, ac præsertim in Sabellii hæresin; quapropter in synodo provinciali Suessoniensi, anno 1120 celebratâ, præsente sedis Romanæ legato, Sabellianus hæreticus est judicatus, et ab episcopis jussus, libros quos ediderat, manu propriâ igni tradere. Interea, cùm 19 annorum spatio errores adeò non exueret, ut novos superadderet, adeò ut Ariana, Nestoriana, Pelagiana labes ipsi affricaretur, uti videre est apud Gotti, de Ver. Relig. Chr. c. 90, § 5; hinc ad eum coercendum coacta est synodus Senonensis anno 1140, ad quam invitatus inter reliquos fuit S. Bernardus, abbas Clarevallensis, qui in consessu virorum ex omni ordine sapientiâ et dignitate præstantium, ipsiusque etiam Galliæ regis Ludov. VII, contra Abælardum disputaret. Sed hic, pontificem Roman. Innoc. II appellans, repentè concilio se subtraxit. At Innocentius ipsius dogmata damnavit, eique tanquàm hæretico, perpetuum silentium imposuit.

III. Ad extremum Abælardus, ad Cluniacense cœnobium se recipiens, editis sinceræ pœnitentiæ signis, à Petro Cluniacensi abbate, S. Bernardo et Innocentio II reconciliatus, obiit anno 1142; quapropter juxta Gotti l. c., cùm, ejuratis erroribus, verè pœnitens et catholicus mortuus sit, hæreticis non videtur annumerandus.

WALDENSES.

I. His nomen dedit Petrus Waldus, mercator opulentus Lugdunensis in Galliâ, vir litterarum expers. Is, viso repentino et inopinato cujusdam è præcipuis suis concivibus fato, perculsus, sub prætextu instaurandi vitam apostolicam, omnes opes suas pauperibus erogavit, idemque ut facerent aliis multis, præsertim rusticanis, persuasit. Porrò hâc magnificâ manu ingentem pauperum multitudinem sibi devinxit atque adjunxit; unde Waldenses alio nomine dicti sunt *Pauperes de Lugduno*. Illos cùm voluntariam paupertatem Christi et Apostolorum exemplo, uti prætendebat, profiteri sectarique docuisset, homo planè rudis novum Testamentum vulgari sermone explicare ac prædicare, et, quod pronum erat, errores docere cœpit; quos, ab Ecclesiæ prælatis ac clero propterea reprehensus, magis adauxit.

II. Errores isti præcipuè hi fuêre : 1° Ecclesiam Romanam defecisse à tempore Sylvestri I, quo possessiones habere cœpit. Unde inferebat nullum in eâ, quantùmvis probum, salvari posse; spernendas esse ejus indulgentias, benedictiones, consecrationes, cæremonias; non esse pendendas Ecclesiæ decimas; neque ab ullo obtemperandum summo pontifici, episcopis aliisve Ecclesiæ prælatis. 2° Ministros Ecclesiæ Christi, propria possidentes, peccare omnes contra præceptum Christi : *Nolite possidere aurum*. 3° Ministerium Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum, non ad solos sacerdotes pertinere, sed ad omnes et quosvis etiam laicos. 4° Omnem potestatem, etiam laicam, solo peccato mortali deperdi, ac proinde sacerdotem in peccato mortali existentem nec consecrare nec absolvere; laicum è contra justum ista ritè facere; quem errorem moderni Janseniani adoptârunt. 5° Demùm, ut plura omittam, nullam orationem, præter Dominicam, esse faciendam.

III. Cùm annis circiter 50, per agrum Lugdunensem vicinasque regiones grassata fuisset ista pestis, tandem extincta fuit, tum Alexandro III, in fanaticos illos anathematis fulmen vibrante; tum à Friderico imp. eosdem læsæ

majestatis reos declarante. Interim eamdem luem seculo XIII, saltem ex parte, denuò excitàrunt, et, si fides Trithemio, infandis obscœnitatibus, sub specie pietatis, adauxerunt, dicti Fraticelli, damnati à Bonifacio VIII, et postmodùm à Joanne XXII.

DULCINISTÆ, BEGUARDI et BEGUINÆ.

I. Fraticellorum, seu, ut quoque vocabantur, *Fratrum de paupere vitâ*, colluvies, duplicem hanc pestem effudit. Ac prima quidem propagatorem habuit quemdam Dulcinum Italum, patriâ Novariensem, qui cum Margaritâ ejus scorto Fraticellorum errores, et iis attributas fœditates pluribus hominum millibus afflavit, præsertim in Alpibus. Contra illos à Clemente V sacri inquisitores ex ordine Prædicat. excitati strenuè pugnârunt. Dulcinus cum pellice à congregato adversùs impiam illam turbam fidelium exercitu membratim concisus interiit, amborum ossibus igne consumptis.

II. Alterius pestiferæ Fraticellorum sectæ viri Beguardi, feminæ vocabantur Beguinæ. Unde tale nomen hauserint, incertum. Apud Germanos plurimùm debacchati sunt, et sub falsâ sanctitatis specie suas turpitudines diffuderunt. Præterea sequentes sparserunt errores, quibus Quietistis et Molinosistis, de quibus infra, præluserunt. 1° Docebant, hominem in hâc vitâ posse tam perfectum evadere, ut reddatur impeccabilis, et ampliùs in gratiâ crescere non possit. 2° Eum qui talem perfectionis gradum erat assecutus, non ampliùs esse subditum obedientiæ humanæ, nec proinde teneri ampliùs jejunare nec orare, nec ulla præcepta Ecclesiæ adimplere; imò nec debere Christi corpori, cùm in Missâ elevatur, assurgere vel reverentiam exhibere, ne ab altitudine et puritate suæ contemplationis descenderet. 3° Ex adverso tunc sensualitatem esse tam perfectè spiritui et rationi subjectam, ut homo possit liberè corpori concedere quidquid placet. 4° Hominem ejusmodi posse in hâc etiam vitâ beatitudinem assequi ita perfectam ac in patriâ, neque ad Deum videndum et beatè eo fruendum, animam indigere lumine gloriæ ipsam elevante.

III. Damnati fuêre in concilio œcumenico Viennensi sub Clemente V, anno 1311. Eorum tamen errores et fœditates saltem ex parte innovârunt anno circiter 1575, et iterùm anno 1623, quidam in Hispaniâ dicti *Illuminati*, quorum capitale, turpeque dogma fuit, quòd tantam cum Deo unionem, talemque perfectionis statum vi orationis mentalis se assecutos jactarent, ut nec bonis operibus, nec Sacramentis ampliùs egere se dicerent, et posse sine culpâ turpissima quæque patrare.

HÆRESES SECULI XIV ET XV.

WICLEFFISTÆ.

I. Joannes Wicleff, vel Wicleph, natione Anglus, presbyter ac theologiæ doctor in academiâ Oxoniensi, huic sectæ auctor fuit circa annum 1375. Vir ingenii vehementis, sermone disertus, sed superbiâ et ambitione tumidus, cùm præfecturam collegii Cantuariensis contra jus fasque invadere molienti obsisteret archiepiscopus et Urbanus V papa, concepto in Romanam Ecclesiam odio, nefaria dogmata tum contra Deum et sanctos, tum contra ordinem ecclesiasticum spargere cœpit, quibus instillandis, partim vitæ severioris quam exteriùs profitebatur specie, partim regiæ secularisque potestatis, quam supra ecclesiasticam extollebat, amplificatione, facilè apud incautos viam aperuit.

II. De Wicleffi doctrinâ anno sequenti Londini habita quæstio ab archiepiscopo Cantuariensi; sed propter tumultus à quibusdam aulicis Wicleffo faventibus, in ipso conventu excitatos, nihil effectum, nisi quòd Wicleffo silentium fuerit indictum. Interim perlata ad Gregor. XI erronea 19 capita, ex Wicleffi libris excerpta, ab eodem pontifice ex cardinalium consilio damnata fuêre; et 22 maii 1377 datæ litteræ tum ad plures Angliæ episcopos, quibus errores à se damnatos transmittit, et præcipit ut Wicleffum ad suum tribunal citent, comprehensum examini subjiciant, eumque implorato etiam brachio seculari reclusum detineant, ac ejus responsa Romam mittant : tum ad Eduardum III, Angliæ regem, quibus illum ejusque filios adhortatur, ut tam justæ causæ manum adjutricem præstent. Anno 1382, Londini ab archiepiscopo Cantuariensi celebrata synodus fuit, in quâ examinatæ ac proscriptæ 24 Wicleffi propositiones, quas et compulsus est præscriptâ formulâ palam in illâ synodo ejurare.

III. Verùm, in suâ pertinaciâ Wicleffus persistens, anno 1385, festo S. Thomæ Cantuariensis archiep. cùm loco panegyris satyram parâsset in illum declamandam, subito paralysi vel apoplexiâ tactus, ac linguæ usu privatus, biduò post, festo nempe S. Sylvestri, quem etiam crebris invectionibus exasperaverat, miserè extinctus est. Ejus ossa postmodùm è

tumulo effossa, et in cineres redacta jussu concilii Constantiensis, quod et ipsius nomen diris devovit, et 45 propositiones ex ipsius libris Dialogi, Trialogi, aliisque, quos jam anno 1413 Joan. XXII, in synodo Romanâ, cum damnatâ ejusdem doctrinâ, prohibuerat, publico decreto sess. 45 edito condemnavit anno 1418.

IV. Potest autem istarum propositionum virus et doctrinæ Wiccleffianæ summa ad hæc ferè capita revocari. 1° Contra Deum blasphemat, quòd debeat obedire diabolo, prop. 6. Cùm verò prop. 27, effutit omnia ex necessitate absolutâ evenire, divinam simul ac humanam libertatem è medio tollit. 2° Contra Ecclesiam Romanam. Eam ait esse synagogam Satanæ, prop. 37, negatque esse de necessitate salutis credere, illam esse supremam inter alias Ecclesias, prop. 41. 3° Contra papam. Ipsum negat esse proximum et immediatum vicarium Christi et Apostolorum, prop. 37. Ejus electionem à cardinalibus ait esse à diabolo introductam, prop. 40. Post Urbanum VI non esse aliquem recipiendum in papam; sed vivendum more Græcorum sub legibus propriis, prop. 9. Si fuerit præscitus, seu reprobus et malus, non habere potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare, prop. 8. Decretales epistolas exsibilat, prop. 38. 4° Contra potestatem ecclesiasticam et civilem. Docet nullum esse dominum civilem, nullum esse prælatum, nullum esse episcopum, dùm est in peccato mortali, prop. 15. Populares posse ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere, prop. 17. Parochianos propter peccata suorum prælatorum posse ad libitum suum decimas auferre, prop. 18. 5° Contra Ecclesiarum et ecclesiasticorum possessiones asserit, Sylvestrum papam, et Constantinum imper. errâsse Ecclesiam dotando, prop. 33. Imperatorem et dominos seculares esse seductos à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus, prop. 39. Ditare clerum esse contra regulam Christi, prop. 32. Contra Scripturam S. esse, quòd viri ecclesiastici habeant possessiones, prop. 10. Et hinc papam cum omnibus clericis suis possessionem habentibus esse hæreticos, eò quòd possessiones habeant, et consentientes eis, omnes videlicet dominos seculares et cæteros laicos, prop. 36. 6° Contra religiosos, præcipuè Mendicantes et eorum institutores, debacchatur, aiens religiosos viventes in religionibus privatis non esse de Religione christianâ, prop. 23. Sanctos instituendo religiones privatas peccavisse, prop. 22. Augustinum, Benedictum, Bernardum esse damnatos, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerint possessiones, et instituerint et intraverint religiones; et sic à papâ usque ad ultimum religiosum omnes esse hæreticos, prop. 44. Peccare quoque fundantes claustra, et ingredientes esse viros diabolicos, prop. 31. Omnes religiones indifferenter introductas esse à diabolo, prop. 45. Omnes de ordine Mendicantium esse hæreticos, et dantes eis eleemosynas esse excommunicatos, prop. 20, 24 et 34. 7° Contra Sacramenta universim decernit, si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, ipsum non ordinare, non consecrare, non conficere, non baptizare, prop. 4. Speciatim verò circa S. Eucharistiam, substantiam panis materialis, et similiter substantiam vini materialis, remanere in Sacramento altaris, prop. 1. Accidentia panis non manere sine subjecto in eodem Sacramento, prop. 2. Christum non esse in eodem Sacramento identicè et realiter in propriâ præsentiâ corporali, prop. 3. Denique non esse fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit, prop. 5. Contra sacramentum Pœnitentiæ, si homo fuerit debitè contritus, omnem confessionem exteriorem esse illi superfluam et inutilem, prop. 7. Addit inter alios plures errores, quos hìc non recenseo, fatuum esse credere indulgentiis papæ et episcoporum, prop. 42. Vim excommunicationis penitùs evacuat, prop. 11, 12, 13, 30.

Hæc Wicleffi dogmata, qui cum novatorùm, altero circiter post seculo exortorum, exactè contulerit, haud difficulter animadvertet, quo ex fonte isti hauserint, ut pridem admonuit concilium Senonense anno 1528 celebratum, in Præfatione.

HUSSITÆ.

I. Hussitarum pestis, quæ per omnem penè Germaniam sese diffudit, circa annum 1408, Pragæ erupit ex Joannis Wicleffi libris, in Bohemiam ex Angliâ delatis, avidè copiosèque pervolutis à Joanne Huss, ex villâ ejusdem nominis, quod patrio idiomate anserem significat, oriundo, unde et cognomentum est mutuatus. Vir fuit ingenio peracri, sed rerum novarum opinionumque peregrinarum supra modum cupido; linguâ insuper disertâ, et mundioris quoque vitæ famâ clarus. His subsidiis non presbyter modò, sed academiæ Pragensis rector promotus; ubi satis fidei comparatum

sibi existimavit, venenum quod jampridem è Wicleffi lacunis imbiberat, palam emovere cœpit.

II. Ac 1° quidem universim Wicleffi dogmata amplexus est, cùm propositione 25, inter 30 damnatas à concilio Constantiensi, asserit condemnationem 45 articulorum Joannis Wicleffi per doctores factam esse irrationalem et iniquam, et malè factam, etc. Sunt tamen qui ex ejus scriptis quædam proferunt documenta, quibus realem corporis et sanguinis in Eucharistiâ præsentiam, ac ipsam etiam transsubstantiationem fateri videtur; aitque card. Gotti, l. c., c. 105, § 2, n. 5, ipsum coram concilio protestatum fuisse, contrarios errores, et quosdam alios Wicleffianos sibi falsò imponi. Cæterùm calicis usum laicis etiam esse concedendum mordicùs cum suis sustinebat; unde Hussitæ dicti sunt quoque Calixtini. 2° Ecclesiam docuit constare ex solis prædestinatis, propp. 1, 2, 3, 6, 21. 3° Caput unum Ecclesiæ visibile post Christum non esse necessarium ad illam in spiritualibus regendam, propp. 27, 28, 29. Tale caput non fuisse S. Petrum, prop. 7. Neque Romanum pontificem esse caput Ecclesiæ seu cujuscumque particularis, seu particularis Romanæ, saltem si non sit prædestinatus, vel si sit malus; neque tunc esse verum et manifestum successorem Apostolorum principis Petri. Similiter cardinales non esse veros et manifestos successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi, propp. 10, 11, 12, 13, 20, 22, 23, 24, 26. Addit propositione ultimâ, nullum esse dominum civilem, nullum prælatum, nullum episcopum, dùm est in peccato mortali. 4°, Ut omittam alia, asserit omnia opera hominis virtuosi esse bona; omnia vitiosi esse mala, prop. 16. Obedientiam ecclesiasticam et vim excommunicationis explodit, prop. 15, 17, 18.

III. Damnata primùm Hussii dogmata ab universitate tum Pragensi, tum Parisiensi. Ipse verò à Joanne XXIII, ad causam dicendam Romam evocatus, cùm obsequi detrectaret, à Sigismundo imp. sistere se jubetur concilio Constantiensi, in quo exhibita ipsi errorum capita, ex ipsius scriptis excerpta, ejusque ad singula responsiones auditæ à cardinalibus Cameracensi, Florentino et aliis præsulibus. Cùm verò errorum istorum convictus, ut eosdem recantaret, ab iisdem præsulibus, ipsoque etiam Cæsare suaviter, sed frustra monitus, fugam tentaret; ex illâ retractus atque arctiori custodiæ traditus, contumacior etiam fieret, et pluribus litteris ad Bohemos scriptis, illos in suis erroribus confirmaret, tandem 5 julii anno 1415, ad synodum adductus est, ut exciperet condemnationis sententiam, quâ concilium inprimis articulos, quos ipse Hussius palam confessus fuerat suis in libris contineri, alios erroneos, temerarios, scandalosos; alios apertè hæreticos pronuntiavit, eosdem doceri prohibuit, ipsiusque libros concremari jussit, et in ejus fautores severè ab inquisitoribus animadverti. Deinde Hussim ipsum declaravit esse manifestum hæreticum, pertinacem ac incorrigibilem, ideòque ipsum ab ordine sacerdotali cæterisque ordinibus deponendum ac degradandum. Quâ lugubri cæremoniâ solito ritu peractâ, demùm traditus est potestati seculari, à quâ jussu imperatoris ad rogum damnatus, cùm denuò, ut resipisceret, nequicquam admonitus fuisset, eodem miserè consumptus est, cineribus ejus in Rhenum projectis.

IV. Eodem infelici fato propter simile crimen paremque pertinaciam interiit Hieronymus de Pragâ, primarius Hussii discipulus, vir perspicacis ingenii, etc., teste cardin. Gotti, l. c. § 5, n. 4, in Parisiensi, Pragensi, Coloniensi et Heidelbergensi universitatibus doctor. Is propter disseminatos quos hauserat Hussii errores ad Constantiense concilium cum illo citatus, cùm primùm, affixo programmate imperatori, et synodo paratum se ostendisset ad doctrinam suam coram universâ synodo defendendam et adversantium, sibi hæresin affigentium, calumniam diluendam, postmodùm errorum conscientiâ perterritus, fugam arripuit; sed interceptus in itinere, custodiæ traditur; tum à Petro de Alliaco cardinali Cameracensi, et aliis deputatis ad errorum agnitionem, et, editâ 23 sept. anni 1415 fidei formulâ, ejurationem propriâ manu conscriptam et subscriptam permotus fuit. Sed, brevi reversus ad vomitum, anno 1416, palam in concilio ejurationem recantavit, aiens, se in illâ mentitum fuisse velut fatuum ob timorem pœnæ ignis. Quapropter à concilio sess. 21, lata sententia, quâ « illum hæreticum, et in hæresin relapsum, « excommunicatum, anathematizatum pro« nuntiat, declarat, atque damnat. » Quâ lectâ sententiâ Hieronymus seculari potestati extraditus, Hussio magistro, sicut in errore, ita in pertinaciâ socius, eodem quo ille supplicio justè punitus est.

Interim post mortem Hussius et Hieronymus

habiti sunt à suis velut martyres, quòd mirâ constantiâ tam grave supplicium, editis etiam quibusdam fucatæ pietatis indiciis tolerârint; quos propterea quoque novatores, ceu gloriosos suos antecessores solent deprædicare. Sed redarguuntur isto magni Augustini oraculo, serm. 274 : « Multi latrones patientissimè torquentur; et non cedentes, et tortorem vincentes, postea æterno igne puniuntur. Causa discernit martyrem à patientiâ, imò duritiâ sceleratorum. »

HÆRESES SECULI XVI.

LUTHERANI.

I. Martinus Lutherus, horum et penè innumerorum aliorum sectariorum parens, lucem primam aspexit anno 1583, die 22 octobris, Islebii, Saxoniæ oppido, patre Joanne Lotter; quod nomen, quia materno idiomate scurrile nimis visum ipsi fuit, in *Luther*, quod *purum* sonat, illud commutavit, exemplo tum Manichæorum, qui nomen sui hæresiarchæ *Manes*, quod *insaniam* redolebat, in *Mannes*, quod ad manna propiùs accedebat, immutârunt; tum Novatianorum, qui se *catharos* seu *puros* appellabant. Litteris humanioribus Magdeburgi et Isenaci; philosophicis disciplinis Erfordiâ excultus, et degustatâ per annum jurisprudentiâ, repentino sui studiorum socii, quocum in campo ambulabat, ante pedes ipsius fulminis ictu prostrati ac extincti fato perterritus, S. ordinem eremitarum S. Augustini ibidem anno 1504 amplexus est; in quo anno 1507, sacerdotio initiatus, Wittembergam studiorum causâ missus, ibidem in academiâ à duce Saxoniæ recens erectâ supremam theologiæ lauream adeptus, sacram doctrinam per annos aliquot, non sine ingenii quidem laude, sed simul ambitionis et ferventioris animi editis luculentis indiciis, professus est.

II. Iconem illius vivis coloribus adumbrat cardin. Pallavicinus, Hist. Conc. Trid. l. 1. c. 4, n. 2, his planè verbis : « Martinus Lutherus... acuto, vividoque fuit ingenio, propensus ad studia litterarum, et in iis corpore et mente indefessus. Cùm inops litteraturæ non esset, longè ditissimus sibi videbatur; quippe cui in linguâ, tanquàm in numerato, sua omnia in promptu erant; ejusque linguæ dexteritate, laterum etiam robore pollentis, eorum semper plausum sibi conciliabat, qui sensu magis, quàm mente de disceptante judicium ferunt. Hæ dotes replebant animum mirâ superbiâ, et apud vulgus opinionem, quæ illam aleret, provocabant. Ex hoc animi tumore oriebatur despectus spectatissimorum scriptorum, et arrogantia quâ suam scientiam jactitabat, quasi non ab antiquis doctoribus hæreditariam eam haberet, sed totam ingenio suo comparaverit. Idcircò duo nomina ad summam in scholis venerationem evecta, Aristotelem in philosophicis, S. Thom. in theologicis evertendos susceperat. Et jam tum hujus facinoris spargebat semina in Wittembergensi academiâ. Igitur ab evulgatis indulgentiis libenter opportunitatem arripuit.... consilium immanis audaciæ plenum suscipiendi, seu persuadendi, humanum genus universum decipi, erroribus, non nisi à se detectis, implicatum. »

III. Occasio hæc fuit : Leo X indulgentias concesserat Christi fidelibus, qui eleemosynam aliquam erogarent in vastam S. Petri basilicam, Romæ à Julio II inchoatam, ad coronidem perducendam. Harum indulgentiarum promulgationem per Germaniam faciendam pontifex demandârat Alberto Moguntino archipræsuli; hic verò id muneris delegavit Joanni Tetzelio, præclaro ordinis Prædicatorum theologo, ac oratori, præteritis Patribus Augustinianis, qui à multis jam annis munus illud in Germaniâ obire consueverant. Hinc ansam invidiæ Lutherus accepit; ac primùm quidem contra indulgentiarum abusus et earum præcones, deinde contra ipsas indulgentias debacchari cœpit, tum pro concione, tum propositis anno 1517 et ad templi valvas Wittembergæ affixis 95 thesibus, non, ut inquiebat, ad illas defendendas, sed examinandas ad eruendam veritatem, quas et per Germaniam totam dispergendas curavit. His opposuit Tetzelius 106 alias theses, quas Francofurti ad Oderam publicari fecit. Inde verò Lutherus magis exardescens, quas propositiones ab initio duntaxat velut dubias in medium protulerat, eas, adversariorum quibus cedere nollet pressus argumentis, defensandas suscepit, in sensu etiam damnato. Atque hæc quidem fuêre turbulenti schismatis exordia, quod sequenti anno 1518, in apertum, funestissimumque Germaniæ incendium erupit.

IV. Nam homo vafer litteras equidem dedit ad Leonem X, quibus conqueritur, se velut hæreticum injuriâ haberi à quibusdam, illasque claudit his verbis fucatâ humilitate ac obedientiâ plenis : « Quare, beatissime pater, pro-

« stratum me pedibus tuæ B. offero cum omni« bus quæ sum et habeo. Vivifica, occide ; vo« ca, revoca ; approba, reproba, ut placuerit, « vocem tuam, vocem Christi in te præsiden« tis, agnoscam, » etc. Verùm has illusorias voces fuisse ipse comprobavit, dùm suas assertiones ad eumdem transmisit, præmissâ protestatione, se nihil in eis dicere, et tenere nisi quod S. Scriptura docet et Ecclesia tenet. Circa quod idem ferè tempus Joanni Eckio et Sylvestro Prierati, S. Palatii magistro, qui contra ipsius errores scripserant, ita respondit, ut superbè potiùs errores illos tueri, quàm agnoscere recantareque velle videretur. Demùm à Leone ad dicendam causam Romam evocatus, minimè obtemperavit, corporis valetudinem et itineris pericula causatus. Cùm verò à cardinali Cajetano, quem legatum in Germaniam miserat idem pontifex, hujus jussu citatus Lutherus, urgeretur, ut quæ malè scripserat et prædicârat, sincero animo ejuraret, ipse renuit, et ad sententiam universitatum Basileensis, Friburgensis, Lovaniensis, ac præcipuè Parisiensis provocavit. Tum noctu Wittembergam profugit, affixâ priùs palam appellatione ad papam. Quia tamen prævidebat, se ab eo condemnandum, novam condidit juridicam protestationem, quòd, etsi paratus foret obtemperare pontifici benè instructo, tamen se appellare ad concilium generale contra id omne quod papa posset contra ipsum decernere, eò quòd, utut papa, tamen errare posset. Atque mox à legati potestate elapsus, abjectâ larvâ, tanquàm rabidus canis contra papam velut Antichristum, et principes catholicos velut ejus adoratores latrare cœpit.

V. Anno 1519, mense junio, habita est Lipsiæ celebris disputatio inter Joannem Eckium et Lutherum, huic suppetias ferente Carolstadio, de quo infra. Eò adductus Lutherus, ut polliceretur se staturum judicio universitatum Erfordiensis et Pariensis, ad quas istius disputationis acta mitterentur. Eodem hoc anno Lutheri dogmata acri censurâ perstrinxerunt universitates, Coloniensis primùm, tum etiam Lovaniensis, uti superiùs indicatum fuit, ac demùm anno 1521, Parisiensis, quæ propositiones ultra 100, ex Lutheri libris extractas, damnavit tanquàm schismaticas, hæreticas, blasphemas. Homo suî impotens, in furorem actus, Sorbonæ respondit solis scommatis, conviciis et invectionibus, quibus scurriliter eos lacerabat, ad quos velut magistros jam iteratâ vice appellârat. Neque alio seu stylo, seu modo respondit Henrico VIII, Angliæ regi, qui doctum tractatum ediderat adversùs Lutheri librum de Captivitate Babylonicâ.

VI. Tandem, cùm adeò non resipisceret, ut novos in dies errores novis editis libris accumularet, post abscissam spem omnem illius infringendi pertinaciam, Leo X, anno 1520, 17 kal. jul., bullam edidit, quæ incipit : *Exurge, Domine*, per quam articulos 41, summâ moderatione et accuratione discussos, ut ostendit Pallav., variis censuris profligat, velut respectivè hæreticos, scandalosos, etc., de quo censuram ferendi modo dixi superiùs. Infrenduit hoc audito Lutherus, et insolentiùs multò quam ante furere cœpit. Nam libellum mox evulgavit contra *execrabilem*, ut loquitur, *bullam Antichristi;* et cùm simul intellexisset suos libros publicè fuisse concrematos, ipse vilis homuncio juris pontificii codices Wittembergæ publicè combussit, hâc adjectâ blasphemiâ : « Quoniam tu conturbâsti sanc« tum Domini, ideò te conturbet ignis æter« nus. »

VII. Exinde efferatior semper effectus, multò quàm ante furiosiùs ad devastandam Ecclesiam incubuit, tum blasphemis seditiosisque sermonibus, tum editis libris compluribus, quibus morum suorum characteres, effreniumque affectuum impetus, superbiam, ambitionem, impudentiam, audaciam, libidinem, scurrilitatem, impietatem orbi toti patefecit ; donec abjectâ anno 1524 religiosâ veste, sequenti anno Catharinam de Bore, raptam è monasterio monialem, votis solemnibus adstrictam, sacrilegis nuptiis sibi copulavit ; cum quâ vixit ad annum 1546, ætatis 63, quo tam impiis fœditatibus, damnatisque suis erroribus, fato penè repentino est immortuus Islebi.

VIII. Errores suos non simul ac semel Lutherus vel ex antiquis hæreticis adoptavit, vel de novo procudit ; sed, ut genius hæresis est, ex uno in alium prolapsus fuit. Initium fecit ab impugnandis indulgentiis, quibus peccatorum pœnæ expiantur. Inde cùm facilis passus esset ad ipsam justificationem, quâ culpa ipsa remittitur, illam ita explicare cœpit, ut penè evacuârit. Ex his ad alia dogmata catholica convellenda progressus, cùm id facere se posse desperaret, nisi ipsius catholicæ Religionis fundamenta subrueret, ad ea saltem concutienda animum applicuit. Præcipua istiusmodi errorum capita, quia vulgò ferè nota, breviter hic attingam, idque non tam

ordine temporis, quàm systematis proponam.

IX. Systema porrò, ad Ecclesiam, quam contra solemnia Christi promissa mentiebatur jam à multis seculis defecisse, revocandam aut reformandam, Lutherus ut fabricaret, duo primaria fidei catholicæ fundamenta, Scripturam et traditionem, quatere et subvertere molitus est; bina item stabilire principia ad morum subversionem haud obliquè tendentia.

Ac Scripturam quidem, etsi magnoperè ac unicè commendaret, atque ad illam solam perpetuò provocaret, attamen antiquorum penè omnium hæreticornm more, illam pro solo arbitratu ad genium suum, et prout ad illos quos sustinendos susceperat errores magis accommodatum sibi videbatur, instruebat; eos inprimis libros in canonem recipiendo, aut ex illo expungendo quos lubebat; deinde eâ, sæpèque variâ, utendo versione vel editione quam eumdem in finem favere magis arbitrabatur; item privatâ auctoritate textum audacter corrumpendo, ut liquet vel ex voculâ *sola*, quam ideò, quia ipsi ita placuit, Apostoli textui inseruit, quo dicit, *justificari hominem per fidem sine operibus legis;* Rom. 3, v. 28; denique ex privato spiritu sensum Spiritûs S. divinando, et Scripturæ verba ad sensum sibi magis faventem detorquendo. Traditiones verò omnes divinas et apostolicas cum Arianis, Pelagianis, Nestorianis, aliisque hæreticis antiquioribus, velut humana commenta explosit: atque idcircò fortè SS. Patres, fideles illarum custodes ipsaque concilia, etiam œcumenica, earumdem conservatoria, saltem pleraque superbè contempsit; multò verò magis Ecclesiam Romanam, quam *synagogam Satanæ*, etc., summumque pontificem, quem Antichristum passim appellabat.

X. Ex binis autem principiis, morum subversivis, quæ stabiliebat, primum fuit, quòd post Adæ peccatum liberum hominis arbitrium sit extinctum, et res de solo titulo; careatque proinde nunc homo libertate saltem à necessitate ad faciendum bonum, et omittendum malum; imò quòd humana voluntas habeat se velut jumentum, cui, « si insederit « Satan, inquit in libro quem de Servo Arbi« trio conscripsit, vult, et vadit quò vult « Satan; si insederit Deus, vult, et vadit « quò vult Deus. » Atque ita, « quidquid sit à « nobis sive boni sive mali, ex merâ necessi« tate fieri, » asserit sub ingressum libri mox indicati. Hunc porrò errorem eruderaxit ex Stoicis, Manichæis, Waldensibus, Wicleffo et aliis ejusdem furfuris. Alterum principium, priori affine, est, quòd homo in hâc vitâ Dei mandata non possit etiam cum ejus gratiâ adimplere, tom. 1 Wittemb. fol. 158, in Ep. Gal. p. 3; ipsaque præcepta Decalogi Christianos nil attinere, sed Judæos tantùm, tom. 5 Wittemb. fol. 211. Et nihilominùs audet Lutherus asserere, opus omne bonum cujuslibet hominis, etiam justi, esse peccatum, et quidem ex naturâ suâ mortale; nullum enim agnoscit ex suâ naturâ veniale, sed ex solâ misericordiâ Dei, illud justis, ac fidelibus non imputantis; art. 31, 32, 35, excepto unico peccato infidelitatis.

XI. Præter ista universalia errorum capita, plures Lutherus particulares adjecit, qui tamen eò quoque universim tendunt, ut illum ad quem prima catholicæ fidei, genuinaque morum principia collimant, scopum, nempe hominis christiani justitiam, adeòque salutem labefactent, penitùsque sufflaminent. E quibus præcipuos duntaxat enumero.

1° Novum dogma procudit circa justificationem. Nam inprimis cum Anomæis et Jovinianistis fieri eam dicit solâ fide, quam confundit cum fiduciâ. Deinde justitiam ipsam asserit homini merè extrinsecam: puta justitiam Dei, vel Christi, ejusmodi fide apprehensam et imputatam omni et soli qui certò credit seu confidit se per Christum justificari, et hanc justitiam negat amitti posse nisi per solam infidelitatem quâ quis in Christum credere nolit. Cæterùm fructum justificationis, bonorum operum vim meritoriam penitùs evacuat, et hominem ex solis Christi meritis, per fidem apprehensis, salutem assequi contendit.

2° Novæ legis Sacramenta, justificationis nostræ instrumenta, variis modis enervare molitur. Ac primùm quidem universim, tum quoad numerum dùm modò tria, modò duo duntaxat admittit; tum quoad efficaciam, dùm negat, illa gratiam conferre, vel ulla illorum imprimere characterem. Speciatim verò vim baptismi sufflaminat, cùm post illum asserit remanere peccatum; neque hoc per illum tolli, sed solummodò tegi. Confirmationem è Sacramentorum numero expungit cum Waldensibus. In S. Eucharistiâ cum Impanatoribus ait manere panem unà cum Christi corpore; neque hoc præsens fieri, nisi in ipso usu; usum verò utriusque speciei à Christo omnibus etiam laicis, esse præceptum. Missam nec à Christo institutam, nec

sacrificium esse, sed potiùs idololatriam. Pœnitentiæ nomen vult significare solam mentis mutationem, aut novam vitam; sacramentum verò Pœnitentiæ, quale visus est aliquando admittere, modò dicit, aliud non esse, quàm reditum ad baptismum per hujus memoriam, modò fatetur esse absolutionem. Contritionem pronuntiat, ad peccatorum remissionem minimè esse necessariam, art. 11, 12; imò eam quæ concipitur ex metu pœnarum, facere hominem hypocritam et magis peccatorem, art. 6. Confessionem auricularem esse merum humanum inventum, neque in illâ esse exprimenda omnia mortalia aut illorum circumstantias, art. 8, 9. Absolutione sacerdotis, ait, non remitti peccata, sed solùm declarari esse remissa, id est, Lutheranâ phrasi, tecta. Hunc porrò effectum induci, etiamsi sacerdos non seriò, sed joco absolvat; imò, ubi sacerdos non est, tantumdem facere quemlibet Christianum, etiam mulierem aut puerum, modò quis credat sibi per Christum remissa esse peccata; quæ fides si desit, peccatum, remittente licet sacerdote, nulli remissum sit, sed maneat. Extremæ Unctionis sacramentum cum Albigensibus signanter exsibilat, et Epistolam S. Jacobi quæ tam apertam illius mentionem facit, *stramineam* appellat. Ordines sacros profanat, dùm Christianos omnes, etiam laicos, ne ipsis quidem exceptis mulierculis et pueris, declarat, ex æquo esse sacerdotes, à quibus et Eucharistia confici possit, et absolutio à peccatis impertiri. Matrimonio denique Christianorum sacramenti dignitatem abjudicat; at Joviniani et Vigilantii supergressus errorem, satis non habuit illud exæquare virginitati; verùm hanc non erubuit damnare tanquàm malam, et divino præcepto contrariam. Quapropter et cœlibatum, etiam sacerdotum nostrorum, velut juri divino, si non etiam naturali, repugnantem improbat. Insuper polygamiam asserit esse Christianis liberam, in c. 16 Gen. et ob varias causas solvi posse prius matrimonium et novum iniri, in c. 7 1 Cor. Impedimenta verò ecclesiastica demùm omninò repudiat.

XII. 3° Reliqua ferè justitiæ christianæ seu promovendæ, seu conservandæ, seu adaugendæ subsidia vir suæ salutis incurius et immitis abjicit à se, et à suis removet. Ac inprimis sanctorum, apud Deum regnantium, invocationem et impensam nobis ab illis apud eum intercessionem, eorumdemque et illorum reliquiarum cultum cum Anomæis et Vigilantio explodit; deinde jejunia ecclesiastica, continentiam et vota religiosorum, velut superstitiosa ac impia esse spernenda, et, suo nempe exemplo, frangenda pronuntiat cum eodem Vigilantio, Joviniano et Gnosticis: item opera supererogatoria proscribit: ecclesiasticas cæremonias, quibus fideles ad pietatem excitantur, deridet; censuras verò, quibus contumaces ad officium redire compelluntur, superbè despicit et execratur; atque ita virgam quâ corripi possent, è manu patris pervicaciter eripit, ac in frusta comminuit; demùm indulgentias, quibus residuæ peccatorum pœnæ elui in hâc vitâ possint, velut inanes ac pias fraudes cum Waldensibus, Wicleffistis et Hussitis contemnit; purgatorium verò cum Albigensibus prorsùs exsibilans, simul cum Aerianis ac Petrobuissianis negat, animabus ullis, ex hâc vitâ profectis, nostras preces posse prodesse, sicque purgandis illis animabus suffragia detrahit, quibus juvari possent, ut citiùs eum in locum introeant, in quem non intrabit aliquod coinquinatum, Apoc. 21, v. 27.

XIII. Ecce præcipua ferè Luthericorum errorum capita, in unum veluti systema redacta, è quibus nonnullos quidem Lutheri asseclæ vel nepotes, postmodùm expunxerunt, mitigârunt, aut immutârunt; quosdam alios etiam deinceps addiderunt, uti liquet ex tot tamque variis fidei confessionibus, quas successu temporis Augustani, Argentinenses, aliarumque civitatum vel nationum ministelli procuderunt. Nempe proprium hæreseos est, ut notat S. Hilarius post Tertullianum, variare errores; et, ut loquitur S. Chrysostomus, « una novitas « aliam parit; et aberratur sine fine, cùm se- « mel aberrare cœptum fuerit. »

PRÆCIPUI LUTHERI DISCIPULI.

XIV. Discipuli, vel asseclæ Lutheri præcipui fuêre sequentes. Andreas Carolstadius, vel Charlostadius, antea archidiaconus Wittembergensis, si fides Melancthoni, homo ferus, sine ingenio, sine doctrinâ, sine sensu communi. Is, postquàm Luthero adhæsisset, primus è sacerdotibus, quamvis provectæ jam ætatis, sacrilegas nuptias contraxit Wittembergæ magnâ cum solemnitate, editâ etiam eam in rem Missâ propriâ, impiâ, scandalosâ, et sacerdotum cœlibatui plurimùm injuriosâ. Postea verò Missam penitùs sustulit, imagines è templis ejecit, S. Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit, improbante ipso etiam Luthero, non tam quòd hæc fecisset, quàm quòd fecisset

injussu suo. Quamobrem hic contra illum detonuit, eumque Wittembergâ cedere coegit. Unde Carlostadius præ paupertate et pudore agricolam agere coactus, ut suam prætensæque uxoris nobilis vitam utcumque sustentaret, ad extremum, qui jampridem erat sacerdos, à Tugurinis in Helvetiâ diaconus ordinatus, et Basileæ ministelli munere perfunctus, ibidem peste obiit. Inter cæteros errores, sepultam olim Sacramentariorum hæresin excitavit, seu eorum qui negant Christi corpus et sanguinem adesse secundùm substantiam in S. Eucharistiâ.

XV. Huldricus Zwinglius Helvetus, primùm parochus Zurichensis, vel, ut mavult Florimundus Remundus, è milite canonicus Constantiensis effectus, dein Lutheri doctrinam amplexus, demùm, retentis licet pluribus ejus erroribus, ab eo recessit, præcipuè in negandâ cum Carlostadio et Sacramentariis reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ; cujus doctrinæ expositionem fatetur, se in somnio accepisse ab aliquo monitore, qui, *utrùm ater fuerit, an albus,* scribit se non meminisse. Ex quo vel solo patescit, quantùm isti dogmati sit fidendum. Cæterùm, quia hanc hæresin, à Carolstadio duntaxat insinuatam, Zwinglius in plenam lucem revexit, idcircò dux Sacramentariorum passim audit. Solemne fuit illi hoc effatum : *Evangelium sitit sanguinem.* Suum ipse fudit, cùm in acie adversùs catholicas Helvetionum acies dimicaret anno 1531.

XVI. Joannes OEcolampadius, linguarum peritiâ clarus, ex monacho ordinis S. Brigittæ factus apostata, et, uxore ductâ, maritus sacrilegus, Zwingli fidus Achates fuit, ejusque errorem de Eucharistiâ professus, licet in modo illum explicandi nonnihil ab eo differret, post multas excitatas seditiones ad Dei tribunal evocatus fuit, anno 1521. Lutherus à diabolo noctu in lecto eum strangulatum esse dicit; alii alio mortis genere ferunt obiisse.

XVII. Philippus Melanchton, ex Palatinatu Electorali oriundus, rejecto germano patrioque cognomine, *Schwartzerd*, istud sibi aliud assumpsit. Anno 1519, Luthero se adjunxit; ejusque libros vir ingenio vafer, et sophisticam artem apprimè callens, adversùs Parisiensem censuram defendit. Cæterùm, cùm omnes religiones dissidentes conciliare invicem moliretur, Luthero tandem displicuit; cujus doctrinam aliquantùm emollire studuit in celebri Confessione Augustanâ, quam ipse compilavit, et Carolo V in comitiis, anno 1530 Augustæ celebratis, obtulit; postea verò sæpiùs ad incudem revocavit, additâ etiam ejusdem Apologiâ. Ab hâc confessione illius sectatores *Confessionistæ* nuncupati sunt; et ob emollita Lutheri dogmata, *Lutherani molliores.* Excessit è vitâ anno 1560.

XVIII. Martinus Bucerus, Argentorati patre Judæo natus, sacris initiatus, è monasterio profugus, sanctimonialem sibi connubio copulavit, exemplo Lutheri, cujus primùm sub signis fuit; dein verò ex illius et Zwingli sectâ unam conflare molitus est (unde emerserunt Luthero-Zwingliani), adjectis pluribus aliis erroribus, quos ex Judaismo asportârat. Vitam finiit in Angliâ, quò profugerat metu imperatoris, anno 1551.

XIX. Gaspar Schwenckfeldius, nobilis Silesius, negavit sacra Biblia continere verbum Dei, contendens unicè credendum esse revelationibus privatis. Plures veterum hæreticorum, veluti Sabellii, Eutychetis, Manichæorum et Valentinianorum errores innovavit; quibus hoc inter alia deliramentum superaddidit, corpus Christi è cœlo assumptum modo quodam aereo pani circumfundi. Permultos habuit sectatores, præcipuè post mortem Lutheri, contra quem plures libros scripsit; mortuus ipse anno 1554.

XX. Joannes Agricola, dictus Islebius, quia eodem quo Lutherus, in oppido natus, illius primò discipulus fuit, sed inconstans; suam enim fidem vel propriis commodis, vel genio, quo erat vertibili, accommodavit. Circa annum 1538 spargere cœpit legem Christianis omnibus prorsùs inutilem esse; propterea dictus eorum parens, qui *Antinomi*, id est, *legis adversarii* nuncupantur, et latissimam omnibus flagitiis portam aperiebant hoc suo impudenti principio : *Quidquid libet licet, modò in Christum credas.*

Postea verò verbi præco Berolini effectus, cùm marchioni Brandeburgico in pretio esset, delectus est, ut unà cum Julio Pflugio, episcopo Neoburgensi, et Michaele Heiding, episcopo titulari Sidoniensi, ac suffraganeo Moguntino, operam conferret, ad condendam illam credendorum summam, 26 articulos complectentem, quam Carolus V, anno 1548, in comitiis Augustanis per solemnem constitutionem jussit in imperio teneri, donec concilium generale circa controversa inter Catholicos et Lutheranos fidei capita definitam

sententiam tulisset; quapropter *Cæsarei interim* nomen obtinuit. Neque tamen Catholicis, minùs summo pontifici, placuit, utpote quæ sacerdotum connubia, et usum calicis interea permitteret; neque etiam omnibus Lutheranis arrisit, quòd in cæteris ferè capitibus faveret Catholicis. Quidam tamen ex Luthericis eam recepère, unde dicti fuère *Interimistæ*. Quanquàm et horum duplicis generis fuère: alii *Imperiales*, qui illam Cæsaris constitutionem integrè recipiebant; alii Lipsienses, qui, duce Pacio aliisque theologis Lipsiensis Universitatis quædam immutârunt, et Lutheranos ipsos inter se conciliare studebant. Fatis cessit Agricola anno 1566.

XXI. Joannes Brentius, patriâ Suevus, è sacerdote et canonico Wittembergensi factus apostata, et uxoratus circa annum 1540, inter cæteros errores, quibus Luthero partim assentiebatur, partim adversabatur, parens *Ubiquistarum* extitit, asserens, corpus Christi ex vi unionis personalis cum Verbo esse *ubique;* ex quo inferebat, illud, etiam ante consecrationem, esse in pane. Contra illum doctè scripsit Petrus à Soto Dominicanus, cui Brentius pro responso convicia rependit.

XXII. Mathias Flaccus, *Illyricus* dictus, quia in finibus Illyrici natus anno 1520, à Luthero et Melancthone errores primùm hausit Wittembergæ; sed ab iis deinde in multis secessit, novos errores confingens; et inter reliquos, peccatum originale esse ipsammet hominis substantiam, quæ, peccato primi hominis, Dei imagine, libero arbitrio omnique motu ad bonum privata, inevitabili necessitate fertur in malum, à quo sola fides in Christum eam liberare possit. Magdeburgi domicilium denique fixit, ubi præcipuus fuit, qui cum aliis tribus adjutoribus famosas illas Centurias Magdeburgenses, quibus Historiam ecclesiasticam, quam Tridentino concilio opponerent, anno 1560, compilare cœpit, multis erroribus refertas: adeò, ut Schusselburgius ipse, famosus scriptor Lutheranus, Marcum Illyricum suo catalogo hæreticorum inseruerit, eò quòd manifestè impingeret in Arianorum et Manichæorum blasphemias. Auctæ postmodùm sunt istæ Centuriæ ab aliis, ita ut jam 13 ampla volumina impleant, omnia tamen innumeris mendaciis erroribusque scatentia. Illis cardinalis Baronius opposuit Annales suos ecclesiasticos. Obiit Marcus Flaccus Francofurti ad Mœnum anno 1575.

XXIII. Martinus Chemnitius, in marchionatu Brandeburgensi ortus, sub Melancthone studiorum initia posuit, ejusdemque imbutus spiritu, conciliationem Lutheranorum cum Sacramentariis in dogmate de cœnâ, et etiam cum Catholicis tentavit, irrito tamen conatu. Scripsit Examen concilii Tridentini, in quo, licet aliqua probet, pleraque tamen reprobat; vel eo, quem sibi ipse finxit, sensu perverso duntaxat admittit, ac permultos Lutheri errores, licet quandoque nonnihil mitigatos, apertè propugnat; denique multa falsa per calumniam concilio imponit, quasi ab eo docerentur. Obiit anno 1586.

XXIV. Nicolaus Storckius, etiam *Pelargus* nuncupatus, natione Silesius, initio Lutheri discipulus, ab illo postmodùm discessit; factus primus, ut fertur communiùs, si non auctor, saltem evulgator impiæ Anabaptistarum sectæ, quam, teste Ulembergio, in vitâ Lutheri apud card. Gotti, l. c. c. 110, n. 1, Lutherus præformârat; Thomas Muntzerus autem, ex sacerdote catholico, et ipse Lutheranus primùm effectus, latè dein propagavit, idcircò etiam illius auctor existimatus; propter hos suos errores, et excitatas per illos in plebe præcipuè rusticanâ seditiones capite minutus. Anabaptistæ verò dicti sunt, quòd damnarent *pædobaptismum,* seu baptismum puerorum, tanquàm illicitum et invalidum, et hinc adultos in infantiâ baptizatos rebaptizarent. Alios insuper errores tuebantur, veluti, omnia bona esse debere communia; nullas leges seu ecclesiasticas, seu politicas posse obligare homines, quos Christus in plenam libertatem asseruerit. Unde ex hâc Anabaptistarum cloacâ emerserunt novi Libertini, seu Liberi, ab iis quos jamjam memoravimus, diversi. Hi enim à divinis humanisque legibus, decimis, tributis, etc., se per Christum immunes esse gloriabantur, aliaque impura dogmata spargebant. Hanc sectam in Gallias invexit Quinctinus quidam, eamque Antonius Pocquius propagavit. Ad Anabaptistas quoque pertinent Mennonistæ, qui nomen et errores accepêre à Mennone, in Frisiâ nato, quanquàm et plures Socinianorum errores adoptârint. Vigent potissimùm in Hollandiâ.

XXV. Michael Servetus, Hispanus, Anabaptista primùm fuit, et communia sectæ hujus deliria amplexus est; mox recentium Anti-Trinitariorum agmen ducens, librum edidit de Trinitatis erroribus, in quo hæreses omnes antiquas contra SS. Trinitatem et Christum excitavit auxitque, ac execrandas insuper

blasphemias in hunc et illam evomuit. Quapropter, etiam promovente ipso Calvino, ex senatûs Genevensis sententiâ vivus combustus est, anno 1553.

XXVI. Ex his et aliis Lutheri discipulis propullulârunt sectæ propemodùm innumeræ, quas longum nimis foret hìc recensere. Unum ad extremum observandum, quòd Lutherani universìm alio nomine *Protestantes* ex eo appellentur, quòd, cùm anno 1529, in comitiis Spirensibus per Ferdinandum archiducem et alios principes catholicos statutum fuisset, Catholicos non posse Religionem mutare usque ad concilium quod à pontifice postulatum erat, neque interea prædicandum Evangelium, nisi secundùm sensum approbatum ab Ecclesiâ, contra hoc statutum protestati sint principes Luthero jam addicti, postulantes, ut juxta decretum anni 1536, sibi relinqueretur libertas conscientiæ ad celebrationem concilii; quibus se adjunxêre 14 civitatum imperialium legati. Idem Protestantium nomen placuit deinde etiam Calvinianis, uti et nomen *Evangelicorum*, quod Lutherani sibi pariter arrogârunt, quasi purum Christi Evangelium profiterentur.

CALVINIANI.

I. Sicut Lutherana pestis afflavit primò ac potissimùm Germaniam, ita Calvianiana Galliam, unde in plures alias Europæ provincias dimanavit. Hæc porrò nomen et errores accepit à Joanne Calvino, qui aliàs nomine paterno Cauvinus appellabatur. Is Novioduni in Picardiâ, Galliæ provinciâ, lucem aspexit anno 1509. In juventute sacris primùm à patre destinatus, postea duobus venditis beneficiis, quæ hic ipsi procurârat, ad jurisprudentiam applicuit animum, cujus utcumque peritus fuit; theologiæ tamen expers, uti testatur Beza, celebris ipsius discipulus, de quo infra. Cùm interea virus Lutheri hausisset à quodam Melchione Wolmaro, natione germano, quo Græcæ linguæ professore utebatur, et Parisiis cum Lutheranis et Zwinglianis clandestinos conventus agentibus, familiaritatem iniisset, novas res moliri cœpit.

II. Verùm cùm rex Franciscus I, et substituti ab eo judices, in novatores solerter inquirunt, et meritis pœnis gravissimè animadvertunt, Calvinus, Lutetiâ profugiens, variis aliis Galliæ imò et Germaniæ urbibus peragratis, Basileam se recepit; ibidem 4 libros Institutionum christianæ Religionis, ut vocat, edidit anno 1536, ætatis 26. Opus, Gallicè primò scriptum, deinde in Latinum idioma traductum, ex Lutheri, Œcolampadii, Melancthonis et aliorum sectariorum laciniis magnam partem consarcinatum; ab eo pro animi levitate, et dogmatum incertitudine pluries recoctum ac immutatum; novâ tandem methodo et purioris latinitatis elegantiâ ad fucum incauto lectori faciendum, ut mos novatorum est, adornatum; ausus est Francisco I nuncupare, funesto emblemate in fronte libri depicto, gladio scilicet flammeo cum symbolo : *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Basileâ in Italiam profectus, sed hinc brevi, inquisitionis metu, Galliam repetens, Genevam pervenit; quæ urbs paulò ante tum à Sabaudiæ ducis obedientiâ, tum à Religione catholicâ ad Sacramentariorum hæresin defecerat. Hic, anno 1536, concionator et theologiæ professor à magistratu designatus, et novam suam Ecclesiam fabricare aggressus, quamdam doctrinæ formulam, Genevensium ingenio accommodatam, compilavit, ab iisque obtinuit, ut à senatu populoque ejusdem civitatis, in capita novæ Religionis à se præscripta juraretur.

III. Vanam exinde fortunam expertus est Calvinus. Nam, propter exorta quædam inter illum et Genevenses circa cœnam dissidia, ab his urbe pulsus anno 1538, Basileam repetiit; inde Argentoratum venit, ubi, suadente Bucero, uxorem duxit, demùmque, conciliatis sibi denuò Genevensibus, ad illos reversus est, summo totius populi plausu receptus anno 1541. Ibi, senatu probante; totam suæ sectæ disciplinam absolvit, additâ lege, quòd à doctrinâ Calvini ampliùs discedere nec ministris nec civibus liceret. Hâc aurâ inflatus homo superbus, res ad Religionem pertinentes ut supremus arbiter moderabatur, dictus idcircò à quibusdam *papa Genevensis;* omnes verò, qui cum eo non sentiebant, impudenter aspernabatur; ut haud immeritò Bucerus, etiamsi amicus, illum *rabidum canem* vocaverit. Quare, cùm anno 1542 S. Facultas Parisiensis articulos 25 de capitibus fidei nostræ edidisset, Calvinus contra illa Antidotum vulgavit, stylo temerario ac petulanti exaratum, Sorbonam *gregem porcorum* calumniosè appellitans. Alibi Romanum pontificem insolentissimis conviciis proscindit, Tridentinam synodum canino dente petulantissimè arrodit. Ad æternitatem vocatus est anno 1564, ætatis 54. Ejus asseclæ in Galliâ dicti sunt *Hugonotti,* quod nomen unde profluxerit, incertum: Spondanus ait convenire plerosque

vocem illam deductam esse à portâ urbis Turonis, quæ regis Hugonis porta appellatur, et ad quam Calvinistæ sua conventicula celebrare consueverant. In Belgio *Geusii* sunt appellati, à Gallicâ voce, quæ *mendicos* designat, cujus vocis originem exponit Famianus Strada, de Bello Belgico, Dec. 1, l. 5, an. 1566.

IV. Errores, quos Calvinus Luthericis, à se maximam partem adoptatis, adjecit, præcipui sunt ferè sequentes : 1° Deum facit auctorem peccati; utpote qui non solùm illud efficiat, sed mandet, decernat, prædestinet, et ad illud efficaciter hominem moveat ac necessitet; addit, illum pro suo solo beneplacito voluntate antecedente prædestinâsse quosdam homines ad gloriam, alios ad supplicium æternum, independenter ab ullis illorum meritis, et horum demeritis; ita ut neque priores ad incurrendam damnationem, neque posteriores ad illam declinandam, et obtinendam salutem verâ gaudeant libertate. 2° Christum ait, esse mortuum pro solis prædestinatis; eumdem in cruce desperâsse, et in suo ad infernum descensu (quem tamen aliquando negavit) damnatorum pœnas sustinuisse impiè blasphemat. 3° Hominem lapsum asserit, quamvis spontè et absque coactione peccet, necessariò tamen peccare; ad bonum verò à Deo moveri, « non « qualiter multis seculis traditum est, ut nostræ « postea electionis sit motioni aut obtemperare « aut refragari. » Imò voluntatem à Deo præparatam suas in agendo partes non habere. 4° Sacramenta solùm duo admittit, baptismum et cœnam : baptismum filiis fidelium ait necessarium non esse; utpote qui sancti nascantur; filiis autem infidelium nihil prodesse. Eucharistiam dicit non continere corpus et sanguinem Christi, sed esse solùm illorum figuram, quæ dominicæ passionis memoriam excitet in nobis.

V. Successor Calvini in cathedrâ pestilentiæ Genevensis, ab illo designatus, Theodorus Beza, natus apud Vezelios, anno 1519. Prioratum non procul Lutetiâ adeptus, genio indulgere cœpit tam impotenter, ut fœdi sceleris apud senatum Parisiensem accusatus, sibi malè metuens, vendito fraudulenter non minùs, quàm impiè prioratu, adductâque secum sutoris cujusdam Parisiensis, adhuc viventis, uxore, quam deinceps conjugis loco habuit, Genevam clam profugerit, ubi se totum Calvino tradidit; quo procurante Græcam primùm linguam docuit, tum theologiam, quam quibusdam feminis certis diebus explicabat. Annis 41 post Calvini mortem Genevensem rexisse Ecclesiam, ac ejus disseminâsse errores dicitur, mortuusque anno 1605.

VI. Sectæ Calvinianorum sunt adeò multæ, ut, teste Laurentio Ferrario, in 28 diversa monstra statim ab ortu hæc pseudo-religio in semetipsam fuerit dissecta. Præcipuæ, ac veluti capita cæterarum, sunt sequentes : 1° Rigidiorum, qui Calvinum ad amussim sequuntur, quales sunt Genevenses; Reformati, uti se vocant in Galliâ et Palatinatu, plerique item in Helvetiâ ac Belgio. Denique Puritani in Angliâ et Scotiâ, de quibus postremis paulò post. 2° Arminianorum, qui nomen sunt adepti à Jacobo Arminio, Amstelodamensi primùm ministello, postea Lugduni Batavorum theologiæ professore, qui multa in Calvini doctrinâ præcipuè circa peccatum originale, liberum hominis arbitrium, divinam prædestinationem et gratiam, aliaque plura mitiganda censuit; oblato desuper Hollandiæ ordinibus anno 1609 scripto, quod *Remonstrationem* nuncupavit; unde ipse et ejus sectarii dicti sunt remonstrantes, et calvinistæ molles. His se opposuit Franciscus Gommarus, in eâdem Academiâ professor, à quo ejus sequaces Gommaristæ, et à libellis contra Arminianos ordinibus oblatis *Contraremonstrantes* sunt appellati. Mortuo jam Arminio, sed relictâ ingenti sectatorum multitudine, duas istas in partes scissa est primùm Academia, tum Batavia tota; unde synodus nationalis Dordraci congregata fuit, nequicquàm protestantibus Arminianis, in quâ anno 1610 horum dogmata fuêre rejecta. Inter Arminianos eminuêre Simon Episcopius Leydensis professor, et famosus Hugo Grotius syndicus Roderodamensis, propterea in arcem Lovenstenam conjectus. 3° Est Anglo-Calvinianorum, qui in plures denuò factiones dispescuntur, ut mox liquebit.

SCHISMA ANGLICANUM, et HINC ORTÆ HÆRESES.

I. Fatale hoc schisma, quod regnum florentissimum Ecclesiæ subtraxit, et illud innumeris hæresum monstris opplevit, ortum duxit ab Henrico VIII, Angliæ rege, postquàm is non tantùm novos Lutheri errores à suis ditionibus fortiter arcuisset, sed etiam illius libros publicè flammis aboleri fecisset; ac ipse librum adversus ejusdem de Sacramentis errores conscripsisset; propterea à Leone X, glorioso *defensoris fidei* titulo decoratus.

II. Occasio schismatis hæc fuit : Henricus Catharinam, catholici regis filiam, Caroli V,

Cæsaris materteram, sui fratris jam defuncti relictam uxorem, obtentâ à sede Apostolicâ legitimâ dispensatione, matrimonio sibi conjunxerat. Cùm, post pacificam 20 annorum cum illâ cohabitationem, pluresque ex eâdem susceptos liberos, vesana erga Annam Bolenam, longè inferiori loco natam ac lascivam mulierem, libidine correptus, ac Catharinam pertæsus, Thoma Volsæo, homine humili vilique genere nato, sed per adulationem, quâ scelestos regis ignes fovebat, ejus gratiam aucupato, atque ad archiepiscopatum Eboracensem evecto, ex impotente adversùs Carolum Cæsarem animi aversione, acriter impellente, prætendere Henricus cœpit, suum cum Catharinâ, utpote fratris uxore, matrimonium haudquaquàm validè contrahi à se potuisse, ac propterea pontificem per litteras ac legatos sollicitare vehementer institit, ut illud declararet illegitimum. Cùm verò pontifex meritò renueret, imò sub anathematis pœnâ præciperet, ne ad secunda cum Bolenâ, sicut cupiebat, vota transiret, Henricus, spretis his minis, uti et antea datis paternis monitis, faces ministrantibus Thomâ Crammero, ad archiepiscopatum Cantuariensem promoto, et Thomâ Cromwello, homine Lutheranæ factioni addicto, nequicquàm ex adverso obsistentibus Joanne Fischero episcopo Roffensi, aliisque quatuor potissimùm pietate ac doctrinâ spectatissimis præsulibus, unà cum Reginaldo Polo, postea S. R. E. card., et Thomâ Moro cancellario, viris integerrimis, AnnamBolenam Henricus clam primùm, tum solemni pompâ sibi copulavit anno 1533.

III. Ut verò quoddam legitimitatis velum his impiis nuptiis prætenderet, quasi ex legitimâ auctoritate institutis, Henricus se supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput primum declaravit; ac dein talem declarari ac agnosci se fecit in comitiis, anno insequente celebratis; exacto etiam novo à subditis juramento, quo eamdem suæ majestati obedientiam in causis etiam ecclesiasticis, ac spiritualibus voverent, quam antea Romano pontifici vovere consueverant. Posthæc semper in pejus ruit, atque in viros primarios, ecclesiasticos præcipuè ac religiosos; quin in ipsas etiam sanctorum imagines, reliquias, monumenta desæviit, monasteria quàm plurima suppressit, eorum bonis et sacrâ supellectile fisco addictis, etc., donec anno 1547, ætatis 56, vitam finiit.

IV. Sub Eduardo successore, puero novenni, hæresis in Angliâ schismati juncta est et caput extulit; Lutheri, Calvinique erroribus, quà data porta, irruentibus, præcipuè per Martinum Bucerum, Petrum Martyrem, Bernardinum Occhinum, olim sanctissimi Capucinorum ordinis generalem, nunc fœdum apostatam, aliasque similes pestes, quæ in cathedras theologicas sese insinuârant. Rem quidem catholicam restituere jam cœperat Maria Catharinæ primæ ac legitimæ Henrici uxoris filia, quæ post breve Eduardi regnum ei in throno successerat; verùm, illâ immaturò pariter et Catholicis lugendo fato è vivis sublatâ et sceptro Elisabethæ ex Annâ Bolenâ progenitæ delato, hæresis denuò, latiùsque ac ante serpere, ac dominari cœpit, variosque in ramos discindi; è quibus tres præcipuæ sectæ emersêre.

V. Prima est Anglo-Calvinianorum, qui etiam Protestantes appellantur, et neque ex toto Lutherani, neque ex toto Calviniani sunt; sed quosdam ab utrisque errores, et à posterioribus præcipuè Sacramentariorum hæresin mutuati sunt, retentis nonnullis etiam Catholicorum cæremoniis et ritibus. Nam etsi, Henrici VIII, schismati inhærentes, supremi Ecclesiæ Anglicanæ capitis potestatem statuant coronæ regiæ annexam esse, quamdam tamen hierarchiæ ecclesiasticæ speciem retinent et archiepiscopis, episcopis aliisque nonnullis gradibus constitutam; altaria quoque, cereos, superpellicea et quædam alia. Hanc sectam fabricârunt Thomas Crammerus Cantuariensis archiepiscopus, Luthero addictus, et Elisabetha regina Calvino favens, illamque profitetur rex cum aulâ.

VI. Secunda est Puritanorum, qui rigidam Calvini doctrinam puram integramque profitentur, et purum Dei verbum juxta ejusdem placita admittere se gloriantur. Negant hi regis in Ecclesiâ primatum; excludunt gradus ecclesiasticæ hierarchiæ, voluntque Ecclesiam suam, exclusis episcopis ac ministris, à solis senioribus, Græcè presbyteris, iisque laicis, gubernari : inde dicti presbyteriani. Quamcumque demùm liturgiam, ipsamque Orationem Dominicam, ac ritus omnes Ecclesiæ, præcipuè Romanæ, rejiciunt. Emerserunt circa annum 1563 vel 1568, latèque in Angliâ dominantur.

VII. Tertia est Independentium, qui in primis neque regem, neque episcopos, neque seniores ad Ecclesiæ regimen admittunt, voluntque quemlibet sibi ministrum esse, ac sine ullâ personarum, vel sexûs distinctione legitimum Verbi Dei præconem, quando, et ubicumque sentit se à Spiritu S. ad illud prædicandum impelli. Deinde statuunt, unum-

quemquè cœtum summum, et à quovis alio independens jus habere; adeòque nullam Ecclesiam esse aliâ superiorem. Demùm prætendunt, sectas omnes, quæ in Angliam irrepserunt, integram, prout cuilibet placet, credendi libertatem habere. Huic sectæ initium fecit Oliverius Cromwellus.

Mitto fanaticam Quakerorum, seu Tremulantium turbam, qui circa annum 1656, exurgentes, et in iis quas fingunt extasibus toto corpore contremiscentes, blasphemos et absurdissimos antiquorum hæreticorum errores suscitârunt; Verbum Dei scriptum respuentes, et negantes sanctissimam Trinitatem, corporum resurrectionem, cœlum et infernum, saltem pro corporibus esse constitutum.

SOCINIANI.

I. Appellationem et prava dogmata traxerunt à gemino Socino, altero Lælio, altero Fausto, prioris nepote; utroque Senis in Etruriâ nato. Lælius, habito cum præcipuis id temporis novatoribus, præcipuè cum Melancthone, Calvino, Bezâ, commercio corruptus, omnium simul antiquarum hæresum colluviem ab inferis revocavit: quam, illo circa annum 1562, ætatis 37, Tiguri extincto, Faustus, eâdem peste afflatus, in orbem effudit usque ad annum 1604, quo hinc abreptus fuit.

II. Utriusque errores præcipui sunt sequentes: 1° Vetus Testamentum velut inutile rejiciunt; 2° Unam in Deo duntaxat personam agnoscunt; 3° Filium Dei aiunt non propriè, sed metaphoricè Deum dici; 4° Spiritum S. non esse personam divinam, sed virtutem et effectionem Dei; 5° Negant Deum naturam humanam in unitate personæ assumpsisse; Christum ante Mariam fuisse; eum propriâ virtute à mortuis surrexisse; dici illum Salvatorem, non quòd salutem nostram operatus sit, pro nobis satisfaciendo; sed quòd æternæ salutis viam nobis annuntiârit; 6° Negant insuper, in primo homine fuisse justitiam originalem; aut originale peccatum contrahi ab ejus posteris; ac proinde baptismum esse præceptum, aut regenerationem operari; 7° Eucharistiam contendunt non esse nisi panem et vinum ac inanem ritum; 8° Nullam agnoscunt in Deo futurorum, quæ ex hominis libertate pendent, curam, et infallibilem prænotionem; nullum singulare decretum eorum quæ ad salutem, aut damnationem singulorum hominum attinent, 9° Asserunt animas à morte non superesse, impios, cùm morientur, penitùs annihilari; eos verò improbos qui in novissimo die vivi deprehenduntur, unà cum diabolo in ignem æternum detrusum iri; non tamen æternùm cruciandos, sed tandem omnes simul etiam abolendos.

III. Secta hæc impiissima variis in locis, præcipuè in Hollandiâ, et Angliâ adhuc serpit, ejusque veneno infecti sunt complures ex iis qui Deistæ nuncupantur, prout illorum libri, quibus in dies orbem inficiunt, apertè manifestant.

BAIANI.

I. Novæ et periculosæ sectæ sub medium ejusdem seculi auctor fuit Michael Baius, sive *de Bay*, Melini in Belgio natus anno 1513, postmodùm Lovaniensis academiæ doctor, decanus et cancellarius, vir ingenio et doctrinâ pollens, sed in novitates pronus. Hinc anno 1551, novos errores tum voce, tum scriptis, cum Joanne Hesselio, itidem Lovaniensi doctore, disseminare cœpit, Ruardo Tappero, ejus olim in theologiâ magistro (qui fertur antea dixisse, se ab hoc juvene nonnisi schisma exspectare), sub annum 1552, ex concilio Trid. reduce, Ravesteinio, Riethovio et Cunero, omnibus ejusdem academiæ doctoribus, nequicquàm obsistentibus.

II. Eapropter anno 1560, bini Patrum minorum Guardiani 18 articulos, à Baio assertos, misêre ad S. Facultatem Parisiensem; quæ eodem anno 27 junii meritâ eos censurâ perstrinxit. Verùm, cùm inde partes utrinque contra se invicem ferventiùs æstuarent, Pius IV, anno 1561, silentium iis imposuit. Baius verò, etsi suos errores dedoceri debuisset à concilio Trid. cujus tribus ultimis sessionibus interfuerat, illùc, commendatione cardinalis Commendoni, à Philippo II, Hispaniarum rege missus, illos tamen tueri perrexit. Eos verò variæ in Italiâ academiæ, ac speciatim in Hispaniâ et Lusitaniâ Complutensis ac Salmanticensis novis censuris anno 1566 affecêre.

III. Demùm die 1 octobr. anno 1567, Pius V, per solemnem constitutionem, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, complures Baii, ejusve asseclarum articulos, seu, ut vocat, sententias, « quanquàm nonnullæ, inquit, aliquo « pacto sustineri possent, in rigore, et proprio « verborum sensu, ab assertoribus (reticito « tamen eorum nomine) intento; hæreticas, « erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, « et in pias aures offensionem immittentes, « respectivè, » damnavit; deque eisdem et similibus posthàc quoquo pacto loquendi, scri-

bendi et disputandi facultatem quibuscumque interdixit. Hanc constitutionem eodem anno 23 decemb. sibi prælectam reverenter suscepêre Lovanienses doctores, uno excepto Baio, qui anno mox insequente Apologiam suarum opinionum ad pontificem misit. Hic verò, illâ maturè expensâ, datis ad Baium anno 1569 litteris, priorem constitutionem confirmavit, eumque ad damnatos errores ejurandos paternè cohortatus est.

IV. Verùm, cùm sive Baius, sive ejus asseclæ nondùm acquiescerent, Gregorius XIII, novâ constitutione, anno 1579, die 1 febr. editâ, quæ incipit : *Provisionis nostræ,* Pii V constitutionem confirmavit; ac Franciscum Toletum, S. J. theologum, et concionatorem pontificium, postea S. R. E. card. Lovanium misit, qui bullam illùc deferret, promulgaret, et ab omnibus, eâ quæ par est, reverentiâ recipi curaret; Baium verò præcipuè coram ad canendam psalmodiam permoveret. Hujus privatis colloquiis eò tandem adductus est Baius, ut anno 1580 recitatâ in frequentissimo Academiæ consessu pontificis constitutione, agnosceret, multos è suis articulis per illam damnari, et quidem in *sensu à se intento,* eosdemque palam quoque sincerè his verbis damnaret : « Damno secundùm bullæ ipsius intentionem, et sicut bulla damnat, » quod ipsum solemni ad pontificem scripto testatum fecit, et constans in sanâ doctrinâ deinceps perstitit ad mortem usque, quam oppetiit anno 1589, ætatis 77. Exemplum Baii secuta esse tota celeberrima Universitas, cujus una hæc vox fuit : « Articulos damnamus, bullam reverenter suscipimus atque obedientiam pollicemur. »

V. Non eadem fuit in Baii discipulis promptitudo. Nam post ejus obitum litem suscitârunt pridem ab illo motam, de famoso *commate,* seu virgulâ, in constit. Pii V, uti contendebant, transpositâ. Etenim, cùm pontifex in illâ bullâ, post enumeratas Baianas propositiones, ita concluderet : « Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquàm eorum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, etc., damnamus, » Baiani volebant illud comma, quod post τὸ *sustineri possent* adjicitur, esse ponendum post hæc verba, *in rigore et proprio verborum sensu ;* ita ut sensus foret, nonnullas earum propositionum « in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri posse, » atque ita legi aiebant in quibusdam exemplaribus : ex quâ commatis transpositione inferebant, quòd, cùm pontifex nullam determinet, quæ in rigore et proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, sustineri non possit, nulla pariter determinatè sit ex illis quæ isto etiam sensu non possit sustineri; adeòque, licet aliquæ indeterminatè damnatæ sint, singulæ tamen in eodem sensu possint defendi.

VI. Sed hanc cavillationem, aliunde infirmam, penitùs infregit Urbanus VIII, quando, editâ anno 1641 bullâ *In Eminenti,* constitutionem Pii V confirmavit, ejusque verba repetens, comma controversum apposuit post τὸ possent; ejusdemque Pianæ constitutionis exemplar Romæ recudi fecit ac authenticè consignari, in quo idem commati locus datus conspicitur. Porrò S. Congreg. cardinalium die 5 dec. eodem anno declaravit, « attendendum ad exemplar quod Romæ excusum est, non verò ad illa quæ aut Coloniæ aut Parisiis sunt expressa. » Accedit quòd card. de Lugo testetur, se anno eodem, die 2 octob. Pii V autographum, quod in archiviis S. Officii asservatur, inspexisse, et famosum illud comma eodem quoque loco positum legisse.

VII. Erroneæ propositiones, aut doctrinæ partim ex Baii, partim ex ejus asseclarum aut discipulorum libris, vel scriptis excerptæ, et in 79 articulos dividi solitæ, revocari posse videntur ad sequentia capita :

1° Quòd integritas primæ creationis non fuerit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio, prop. 26. Neque immortalitas primi hominis fuerit gratiæ beneficium, sed naturalis conditio, adeò ut primus homo non potuerit ab initio à Deo creari et institui, qualis nunc nascitur, aut sine justitiâ naturali ; propp. 55, 78, 79.

2° Quòd humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuerit integritati primæ conditionis et proinde naturalis dicenda sit, et non supernaturalis, propp. 21, 23, 24.

3° Quòd nec angeli, nec primi hominis merita rectè vocentur gratia ; sique hic in statu illo permansisset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia, utpote cujus nomine, secundùm usum S. Scripturæ, ea tantùm munera intelligantur, quæ per. J. C. malè meritis et indignis conferuntur : vitam verò æternam homini integro et angelo promissam fuisse intuitu bonorum operum ; et bona opera ex lege naturæ ad illam conse-

quendam per se sufficere, propp. 1, 3, 4, 5, 8, 9. Idem videtur insinuari, prop. 11, de piè justèque in hâc mortali vitâ usque in finem conversatis, sine respectu ad Christi meritum.

4° Quòd is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperiatur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato, et id quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fiat, prop. 39, 41; quòdque proinde homo peccet etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit, prop. 67. Imò, neque ad rationem et definitionem peccati pertineat voluntarium, prop. 46. Ex quo inferunt Baiani primò, peccatum originis (sine quo juxta prop. 73, nemo est præter Christum) verè habere rationem peccati, sine ullâ ratione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem trahit, prop. 47. Cæterùm illud esse parvulo habituali voluntate voluntarium, et habitualiter dominari in parvulo, eò quòd non gerat contrarium voluntatis arbitrium; et ex habituali voluntate dominante fieri, ut parvulus discedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet, prop. 48, 49. Inferunt secundò concupiscentiam et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, esse veram legis inobedientiam, et in renatis, relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum esse, sicut et alios habitus pravos, prop. 50, 51, 74, 75. Inferunt tertiò infidelitatem purè negativam in iis quibus Christus non est prædicatus, esse peccatum, prop. 68. Item omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum esse, illumque in omnibus suis actibus servire dominanti cupiditati, prop. 35, 40.

5° Quòd liberum hominis lapsi arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valeat, sitque Pelagianus error, admittere usum aliquem liberi arbitrii bonum, sive non malum; vel dicere quòd illud valeat ad ullum peccatum vitandum, aut tentationi ulli sine gratiæ adjutorio resistere possit, sic, ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur, prop. 28, 29, 30, 37, 65. Quòd item omnia infidelium opera sint peccata, et philosophorum virtutes sint vitia, prop. 22, 25.

6° Quòd nullum peccatum sit ex naturâ suâ veniale, sed omne opus malum sit mortis æternæ meritorium, et ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio, prop. 2, 20, 52, 53. Similiter quòd bonum opus, etiam citra gratiam adoptionis factum, ex naturâ suâ sit vitæ æternæ meritorium; neque accipiat meritum ex eo quòd fiat per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, prop. 13, 16, 18, 61, 62. Neque etiam opera justitiæ et temperantiæ quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis traxerint majorem valorem, prop. 19. Cæterùm non esse veram legis obedientiam, quæ fit sine charitate, prop. 17.

7° Quòd omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa sit cupiditas, quâ mundus diligitur, et quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum S. in corde diffusâ Deus amatur, prop. 38; vana autem sit et commentitia, etc., distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, prop. 34, 36. Quòd item charitas perfecta et sincera, quæ est plenitudo legis, esse possit sine remissione peccatorum, et consistere cum reatu æternæ damnationis, quem reatum dicit unicè manere, transeunte actu peccati, illumque propriè duntaxat tolli in sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, prop. 31, 32, 33, 56, 57, 58, 70. Cæterùm per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, non remitti crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti, prop. 71.

8° Quòd nihilominùs in hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum, sit vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum, prop. 43. Quòd verò justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistat formaliter in obedientiâ mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, et secundùm interiorem hominem renovatur, etc., prop. 42, 63, 64, 69. Quòd item per opera bona quæ à fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandatis pareant..., justificentur quidem homines, non tamen obtineant incrementa virtutum, prop. 44; neque satisfactio, aut solutio pro pœnis temporalibus propriè fiant per opera bona et indulgentias, sed tantùm meritis Christi debeat adscribi, prop. 10, 59, 60, 77. Quòd omnes etiam justorum afflictiones sint ultiones peccati actualis vel originalis; unde beata Virgo mortua sit propter peccatum ex Adamo contractum; et Job ac martyres, quæ

passi sunt, passi sint propter sua peccata prop. 72, 73. Denique quòd sacrificium Missæ non aliâ ratione sit sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus bonum, quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat, prop. 45.

HÆRESES SECULI XVII.

JANSENIANI.

I. Duo sub eodem Cornelii Jansenii nomine in Belgio, eodemque ferè tempore celebres fuêre; ambo SS. Theol. in Academiâ Lovaniensi doctores; ambo episcopali dignitate insignes: alter Gandavi, vir præclarè semper catholicus, anno 1576 vitæ stadium emensus, relictis præclaris in Vetus Testamentum monumentis, præcipuè verò celebri opere Concordiæ evangelicæ cum commentariis; alter, qui Jansenianæ factioni nomen dedit, anno 1585 natus in Bataviæ territorio Leerdamensi, Lovanii primùm à professore suo Jacobo Jansonio, doctrinæ Baianæ strenuo propugnatore, hanc ipsam doctrinam imbibit; dein valetudinis causâ, medicorum judicio aerem mutaturus, Lutetiam, ac postea Baionam, venit, ubi familiaritatem contraxit cum Joanne Vergerio, sive *du Vergier de Hauranne,* sub famoso nomine *Abbatis Sancyrani* notissimo, novis opinionibus jam infecto, à quo profundiùs venenum hausit. Ex Galliâ Lovanium redux anno 1617, laureâ doctorali ornatus fuit, ac paulò post regius sacrarum litterarum professor institutus; demùm, obitis non sine laude ac optato successu variis in Hispaniam legationibus, ab Universitate sibi commissis, ad Yprenses infulas à rege Hispaniæ anno 1636 promotus, expleto vix biennio, lue, quæ ibidem grassabatur, extinctus est 6 Maii 1638.

II. Vir fuit Jansenius acerrimi ingenii et indefessi laboris, ita ut glorietur, lib. Proœmiali, c. 28, se libros S. Aug. decies, imò vicies ac tricies perlegisse; attamen, si abbati à S. Germano, qui Jansenio familiariter usus fuit, fides sit adhibenda, à superbiæ spiritu minimè erat immunis, utpote qui se unum æstimaret, reliquos omnes contemneret. Et sanè in libris suis magnam præ se fert adinventæ veritatis præfidentiam, vix ferendam aliarum opinionum censuram, ac theologorum scholæ apertum contemptum, uti liquere potest ex supra relatis diss. 1. Ex illâ nimiâ præfidentiâ ortum videtur, quòd librum suum, quem, ut profitetur, 22 annorum spatio ac labore absolvit, inscripserit: *Augustinus,* quòd nempe confideret, se puram sancti illius præsulis doctrinam, à quingentis annis, ut quidem arbitrabatur, à scholis catholicis exulem, per illum in eas revocâsse. Hunc librum uno grandiori volumine in tres tomos distinxit; quorum primus octo libros continet de hæresi Pelagianâ; secundus quatuor partes complectitur. In primâ unicus extat liber de Ratione et Auctoritate in rebus theologicis; in alterâ unicus pariter liber de Gratiâ primi hominis et angelorum; in tertiâ libri tres habentur de Statu naturæ lapsæ; in quartâ demùm libri tres de Statu naturæ puræ. Tomus tertius in duas partes dividitur: In primâ sunt decem libri de Gratiâ Christi Salvatoris, quæ videtur fuisse finis ac scopus totius operis, et cui etiam epilogus apponitur; in alterâ unicus liber continetur, qui dicitur: Parallelon Massiliensium, et opinionis quorumdam recentiorum. Totum istud volumen manuscriptum moriturus supremis tabulis legavit Jansenius capellano suo Reginaldo Lamæo, eâ tamen conditione, ut hic cum Liberto Fromundo, Lovaniensi doctore, et Henrico Galeno, Mechliniensi canonico conferret, et disponeret de editione quàm fidelissimè. Quanquàm verò iisdem in tabulis dicat, sentire se, aliquid in eo libro difficulter mutari posse, mox subjungit: « Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, « sum obediens filius; et illius Ecclesiæ, in « quâ semper vixi, usque ad hunc lectum « mortis obediens sum. » Idemque jam contestatus fuerat c. 26 libri Proœmialis; necnon in Epilogo totius operis: quapropter hæretici nomen haud promeruit. Atque utinam istud magistri sui, sicut et Baii obedientiæ, et erga sedem Apostolicam observantiæ exemplum imitati fuissent eorum discipuli!

III. Vix morte diem clauserat Jansenius, cùm evulgato ejus volumine, novatores, præcipuè Calvinistæ, triumphum canere cœpêre, quasi doctrina ipsorum de libero arbitrio et gratiâ in illo contineretur. Quapropter Urbanus VIII opus illud, prævio accurato examine, per bullam, quæ incipit: *In eminenti,* 4 maii anno 1641 editam, damnavit, velut continens propositiones jam olim damnatas. Cùmque eodem anno, Romam missi à Baii Janseniique fautoribus, bini Lovanienses doctores Joannes Sinnichius et Cornelius Papius, pontificem urgerent, ut bullam illam vel revocaret vel mitigaret, Urbanus adeò nihil ipsorum instantiis detulit, ut formulam ad internuntium suum in Belgium miserit, cui doctores omnes

Lovanienses subscriberent, et illi bullæ obedientiam sponderent.

IV. Urbano VIII terris erepto, ejus successor Innocent. X sui prædecessoris bullam pluribus ad diversos directis brevibus confirmavit. Sed cùm nihilominùs serperet pestis, et gravissimis turbis Gallia commoveretur, major et sanior episcoporum regni illius pars, datis anno 1650 ad Innoc. X litteris, filialis observantiæ plenis, supplicârunt, ut, quas ei offerebant propositiones, è Jansenii Augustino excerptas, *de quibus*, inquiebant, *disputatio periculosior, ac contentio ardentior,* expenderet, ac perspicuam certamque sententiam ferret. Huic epistolæ episcopi Galliæ 85 subscripsêre, quibus tres alii accessêre.

Innocentius, congregatis pluribus tum cardinalibus tum theologis, canonicum, exactumque, ac maturum biennii integri spatio propositionum istarum examen instituit, celebratis 36 conventibus, quorum 10 postremis pontifex ipse præsedit; *adhibitâque diligentiâ,* uti testatur Alexander VII, Innocentii successor, qui eidem examini interfuit, quâ major desiderari non posset.

V. Auditi etiam Jansenianæ factionis fautores, ad ducis sui defensionem Romam ablegati; à quibus, 12 ante sententiam definitivam diebus, oblatus quoque pontifici fuit libellus supplex sub titulo : Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio; qui libellus vulgò scriptum trium Columnarum appellatur, eò quòd sub triplici columnâ, seu ordine tres diversos istarum propositionum sensus exhiberet. Prima columna exhibebat sensum Calvini, qui, ut inquiebant, illis propositionibus malignè posset affingi ; et hunc sensum vocabant *alienum* et *extraneum.* Altera columna proponebat sensum, quem volebant esse S. Aug., et ante damnationem appellabant *germanum, proprium* ac *legitimum*; atverò, post damnationem, ut hanc subterfugerent, dixerunt esse *extraneum* et *alienum;* priorem verò Calvini, *legitimum* et *proprium;* qui proinde solus damnaretur. Tertia columna continebat propositiones quinque propositionibus è Jansenio extractis, et ad supremum tribunal delatis, contrarias, prout ab adversariis, id est, ut contendebant, Molinæ sequacibus propugnabantur.

VI. His omnibus maturè expensis, et auxilio Dei per publicas preces sæpiùs implorato, Innocentius tandem sententiam definitivam tulit, editâ anno 1653, 31 maii, et 9 junii pro more promulgatâ constitutione, quæ incipit : *Cum occasione impressionis libri,* cui titulus : *Augustinus* Cornelii Jansenii, episcopi Yprensis, ac quinque sequentes propositiones ad ejus tribunal ab episcopis Galliæ delatas his censuris affecit.

Prima est : « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. » Hanc pontifex temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et hæreticam declarat, et uti talem damnat. — Secunda : « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur. » Istam hæreticam declarat, et uti talem damnat. — Tertia : « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione. » Hæreticam declarat, et uti talem damnat. — Quarta : « Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. » Declaratur falsa et hæretica, et uti talis damnatur. — Quinta : « Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. » Falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans et hæretica declaratur, et uti talis damnatur. Mandat deinde pontifex omnibus Christi fidelibus, « ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, sub censuris et pœnis contra hæreticos, et eorum fautores in jure expressis. » Ac tandem concludit, se non intendere tamen per hanc declarationem et definitionem super prædictis propositionibus factam, approbare ullatenùs alias opiniones quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Ex quâ clausulâ non levis oriri potest suspicio, plures adhùc errores in isto libro contineri; cujusmodi censentur ea quæ scribit de necessitate peccandi, et ignorantiâ invincibili; necnon alii quos ejus discipuli ex doctrinâ ipsius deduxêre, inter quos non immeritò videri possunt articuli ab Alex. VIII proscripti 7 dec. 1690.

VII. Interim laudata Innocentii X constitu-

tio, in Galliam missa jussu regis (qui, et datis 4 julii, anno 1653, ad pontificem litteris, gratias egit), in toto regno promulgata, ab episcopis ejusdem regni congregatis solemni ritu excepta, à Sacrâ Facultate Parisiensi, aliisque, necnon à regularibus omnibus ordinibus reverenter acceptata fuit; idemque pontificio decreto obsequium in reliquis orbis catholici partibus fuit exhibitum. Atverò Janseniani variis subterfugiis ac cavillis errorum ducis sui damnationem eludere conati sunt. Ac primùm quidem, qui antea 5 illas propositiones, velut genuinam Jansenii doctrinam, propugnaverant, atque idcircò earum damnationem omni conatu impedire studuerant, cùm damnatas illas viderent, vela verterunt, contendentes illas in Jansenii libro minimè reperiri. Sed, cùm adductis è Jansenii Augustino locis, in quibus singulæ legebantur, istud ipsis effugium præcluderetur, præprimis verò datis ab Innocentio X, anno 1654, ad episcopos Galliæ litteris, quibus declarabat, damnatam fuisse in 5 propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam, ejus libro contentam, cui titulus: *Augustinus;* dixerunt deinde propositiones istas non esse damnatas in *sensu à Jansenio intento;* neque ita damnari à pontifice potuisse, cùm ea sit quæstio facti, quam nec pontifex, nec ipsa Ecclesia decidere posset. Hinc demùm intulerunt, Jansenismum non esse, nisi purum phantasma, utpote in solâ pontificis, eique adhærentium mente existentem, qui putarent Jansenium ea sensisse, quæ nunquàm sensit. Atque hæc fuit prima origo famosæ illius distinctionis inter quæstionem juris et facti, ac controversiæ de infallibilitate Ecclesiæ circa hanc posteriorem.

VIII. Atverò utrumque effugium præciderunt primùm Galliæ præsules in comitiis anno 1654 celebratis. Deinde sacra Facultas Parisiensis, quæ Antonii Arnaldi, doctoris Sorbonici ac professi Jansenistæ duplicem epistolam, alteram breviorem, quam suppresso nomine, alteram prolixiorem, in quâ, detractâ larvâ, prædictorum cavillorum patrocinium suscipiebat, meritis censuris perstrinxit; ipsumque auctorem pertinaciter suis erroribus inhærentem è doctorum albo expunxit 27 junii 1655. Denique Alexander VII, qui Innocentio X in Petri cathedrâ proximè successit, editâ 16 octob. anno 1656 constitutione, quæ incipit: *Cùm ad sanctam B. Petri sedem,* declaravit ac definivit, propositiones *è libris Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento, damnatas fuisse,* et à se iteratò damnari. Insuper idem pontifex, postulantibus plurimis Galliæ episcopis, ipsoque rege, anno 1664 editâ novâ bullâ quæ incipit: *Regiminis apostolici,* solemnem *formulam* præscripsit, ab omnibus, clericis præcipuè, aliisve ad sacros ordines promovendis, vel ecclesiasticum aliquod beneficium accepturis, subscribendam, in hæc verba: « Ego N. constitutioni apostolicæ Innocentii X datæ die 31 maii 1653, et constitutioni Alexandri VII datæ die 16 octobris 1656, summorum pontificum, me subjicio; et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen: *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

IX. Hanc bullam et præscriptam ab illâ *formulam,* quæ universam Jansenianorum factionem, cujus omnia videbatur effugia præcludere, mirè conturbavit, rex à supremâ curiâ quam *parlamentum* vocant, die 29 aprilis ejusdem anni jussit acceptari; eidemque simpliciter et absolutè Galli archiepiscopi et episcopi omnes reverenter se subjecerunt, exceptis quatuor, qui formularium rejecerunt, et uno, qui nonnisi præmissâ distinctione dogmatis et facti illud suscepit. Priores tamen quatuor sincerè resipuerunt sub Clemente IX, qui eamdem formulam confirmavit, ac post ipsum Innoc. XII.

X. At occasione istius formularis scissa est in partes Janseniana factio: *Rigidiores* videlicet, qui negabant isti formulæ subscribi posse absque perjurio manifesto; et hinc ad illud subterfugiendum, simulque declinandas pœnas subscribere nolentibus à rege intentatas, in Hollandiam aut Belgium se recipiebant; et *Molliores,* qui licet et ipsi severiorem morum doctrinam exteriùs profiterentur, ac ne ipsum quidem restrictionis mentalis, aut æquivocationis nomen patienter ferrent, attamen, ne à sacris ordinibus aut pinguibus beneficiis ecclesiasticis repellerentur, variis excogitatis effugiis vel amphibologiis, sub quibus Jansenii sensum mente retinebant, subscribere formulari haud dubitabant. Cùmque horum complures falsò prætenderent, à Clemente IX rescissam esse legem *de interno, puro ac simplici obsequio bullæ Innocentii X* præstando, ab Alexandro VII confirmatam, aut ab Innocentio XII per bullam anno 1694

editam, declaratum fuisse, sufficere 5 propositiones damnare « in sensu obvio, quem verba « ipsa præ se ferunt, » præscindendo, an sensus ille obvius olim fuerit à Jansenio intentus, necne, inanem hanc cavillationem rescidit idem Innoc. XII brevi apostolico, anno 1696 in Belgium misso.

XI. Unde novum Jansenistæ effugium meditati sunt, procuso famoso illo *casu conscientiæ*, quo referebatur aut fingebatur, cuidam ecclesiastico negatam fuisse sacramentalem absolutionem, eò quòd nollet damnare 5 propositiones *in sensu à Jansenio intento;* cùm diceret se illas quidem absolutè damnare quoad *quæstionem juris*, seu doctrinam in illis expressam; quantùm verò ad *quæstionem facti*, seu quoad earum extantiam in libro Jansenii, aut sensum ab hoc intentum, existimare se sufficere *religiosum*, ut vocant, *silentium*, id est, quod exteriùs non refragaretur ei quod Ecclesia isto super facto definivit. Quærebatur jam an ecclesiastico, sic animo comparato, justè fuerit negata absolutio. Negârunt quadraginta doctores Sorbonici, isti casui subscripti, sed hanc resolutionem Clemens XI tribus apostolicis brevibus damnavit, eamdemque postmodùm omnes illi doctores revocârunt, uno excepto, qui ob contumaciam è doctorum albo erasus fuit.

Denique idem pontifex, rogatu duorum regum christianissimi et catholici, die 16 julii, anno 1705, solemnem constitutionem edidit, quæ incipit : *Vineam Domini Sabbaoth;* in quâ primùm questus, « quòd inquieti homines « variis distinctionibus, seu potiùs effugiis, ad « circumventionem erroris excogitatis, Eccle« siam turbarent, » Innocentii X et Alexandri VII constitutiones innovat ac confirmat, atque à perversis illis Jansenianorum cavillationibus vindicat, declaratque, *obsequiosum* istud *silentium* planè insufficiens; doctrinam demùm in casûs resolutione contentam severè perstringit, damnat, ac sub gravibus pœnis prohibet.

Hâc constitutione ab ipso clero Gallicano in generalibus comitiis, eodem anno celebratis, reverenter susceptâ, ab omnibus regni episcopis in suis diœcesibus promulgatâ, atque ab universo orbe catholico acceptatâ, causa quidem Jansenii finita dubio procul erat, sed nondùm finitus error, ut paulò post apparebit.

XII. Inter auctores ex omni ordine quàm plurimos, qui contra Jansenii librum et propositiones calamum doctè ac feliciter acuerunt, speciatim nominandus venit P. Stephanus Dechamps S. J., natione Gallus, in amplo volumine, quod inscripsit : De hæresi Jansenianâ ab Apostolicâ sede meritò proscriptâ; ac in tres divisit libros. In primo Jansenius *hæreticorum plagiarius* ostenditur; in altero, Jansenius *cum hæreticis damnatus* evincitur; in tertio, Jansenius *hæreticorum exemplo, S. Aug. Patrumque corruptor* demonstratur. Quæ tria vir eruditus adeò solidè probavit, ut è Jansenianis, quantùmvis aliàs linguâ calamoque promptis, nullus hactenùs ad opus illud confutandum animum manumve adjecerit.

NOVI QUIETISTÆ.

I. Quietistarum nomine quondam appellati sunt quidam Orientis monachi, qui sub specie contemplationis divinorum liberiùs exercendæ, in quiete, silentio ac tranquillitate, vel potiùs scelerato in otio, ab aliis separatim viventes, in varios errores, seu veriùs insanias ac fœditates abominandas, credendas, exercendas incidêre, quas referre nec vacat nec expedit. Hanc pestem suscitârunt seculo XII Dulcinistæ, Beguardi et Beguinæ, de quibus supra.

II. Labente seculo XVII, quietismus excitatus fuit in Italiâ, Galliâ et Hispaniâ, auctore præcipuè Michaele de Molinos, presbytero Hispano, à quo etiam dicti sunt Molinosistæ. Is versutissimus hypocrita anno 1665 Romam venit, ubi sub fucatæ sanctitatis specie, vultu, sermone, veste ad omnem modestiam composito, permultorum utriusque sexûs, etiam primariorum, gratiam et familiaritatem aucupatus est, ac interim venenum suum secretò instillavit; illudque magis latè diffudit, tum prædicatione, ex quâ doctoris illuminati nomen accepit; tum evulgato libro cui titulus : « Dux spiritualis, conducens « animas per viam interiorem, ad assequen« dam perfectam contemplationem et divitem « thesaurum pacis interioris. » Hic liber tum Romæ, tum sæpiùs in Hispaniâ recusus, varias urbes et regiones suâ peste infecit.

III. Venenum hujus pestis in his ferè Molinosii principiis delitescebat : 1° Docebat, in vitâ spirituali, sive mysticâ, hos solos perfectos esse censendos, qui per quamdam suî suarumque potentiarum annihilationem, uno actu non revocato, Deo semel se tradidissent, ac totaliter uniissent, resignâssent, reliquissent. Ejusmodi annihilationem præ se ferebant, quamdam velut extasin fingentes, præsertim in ecclesiis; sic, ut nec ad sanctorum

imagines, nec ad ipsum sanctissimum Sacramentum oculos conferrent, metu ne solo intuitu prætensam contemplationis quietem, et omnimodam cum Deo unionem interturbarent. 2° Hâc suî annihilatione, et cum Deo unione semel habitâ, nihil ampliùs curandum aiebat; abjicienda omnia bona opera, abstinendum ab omni virtutum actu, etiam amoris Dei, gratiarum actionis, petitionis; verbo, suspendendos esse omnes actus velut inutiles ac superfluos, instar rei inanimis permanendo, nihil prorsùs operando, nec volendo; sed silendo, et merè passivè se habendo, atque in absolutâ indifferentiâ circa omnia, sive præmium, sive pœnam, sive infernum, sive cœlum; sinendoque demùm, ut Deus operaretur, et suam voluntatem in ipsis adimpleret. 3° Cùm eâ ratione semel anima in Deo quievit, dicebat illam esse ab omni sorde puram, nec ampliùs voluntate peccare posse, sed omnem actum imputandum esse sive violentiæ tentationis, sive corporali passioni; adeòque quidquid eo in statu homini in corpore eveniret, etsi turpissimum, et cum advertentiâ, animæ ac voluntati, quia Deo traditæ, resignatæ et unitæ, in culpâ non esse, nec ejus perfectioni ac sanctitati officere.

IV. Ad istius amœnæ, ut videri poterat, atque ab omni culpâ vacuæ libertatis ducem, convolabant magno numero viri et mulieres, laici et sacerdotes, etiam insignis notæ; secretaque simul conventicula celebrabant, in quibus execrabiles Gnosticorum, Beguardorum et Beguinarum turpitudines absque scrupulo renovabant, facem libidinis præferente Molinosio, et partam fucatæ sanctitatis famam inter nefandas impuritates viginti duorum annorum spatio sustinente; donec tandem, detectis hujus sectæ sordibus, earum auctor Molinos ad carceres primùm abreptus est; ac, instituto processu, de fœditate doctrinæ ac vitæ convictus, 3 sept. anno 1687, Romæ in ecclesiâ S. Mariæ supra Minervam, errores in 68 propositiones, ex ejus scriptis excerptas, distributos, ab Innocentio XI damnatos, agnovit ut suos, ac ejuravit. Inde ad carceres reductus est, in quibus ferè decennio clausus, signa pœnitentiæ ac resipiscentiæ dedit ad mortem usque, quam obiit 28 dec. 1696.

V. Altero mox anno insequente, prodiit liber, idiomate Gallico conscriptus, cui titulus: Explication des maximes des saints sur la vie intérieure, etc., sive: Placita sanctorum explicata super viam interiorem, auctore illustr. dom. Francisco de Salignac Fenelon, archiepiscopo Cameracensi, etc., viro cæteroquin probitate ac doctrinâ clarissimo: qui, nobilis cujusdam dominæ, reipsà quietismo infectæ fucatâ pietate delusus, in ejus fortassè defensionem opus illud ediderat. Sed hoc Romam delatum ab Innocentio XI proscriptum fuit 12 martii anno 1699, ac 23 propositiones ex illo extractæ variis affectæ censuris. Huic pontificio decreto sese mox sincerè submittens piissimus antistes, rarum christianæ humilitatis, promptæque obedientiæ, ac simul animi verè heroici exemplum orbi præbuit, dùm ipsemet damnationem libri sui palam suscipere non erubuit, et promulgato edicto die 9 aprilis ejusdem anni, eam damnationem suis subditis patefacere. Simul, debitam illi submissionem, sine ullâ restrictione, professus, illosque ad suum exemplum imitandum adhortatus, severè prohibuit, ne quisquam librum illum legere deinceps, aut recudi facere præsumeret; quæ eximia in tanto viro docilitas immortalem ei laudem, ac reliquis ejus virtutibus singulare planè decus superaddit; et quam humanitùs errando passus est eclypsin, haud modico lumine resarciit.

QUESNELLISTÆ.

I. Jansenii pronepotes illius errores, pluresque alios hausère à Paschasio Quesnello, qui anno 1634 Parisiis natus, dein presbyter factus Oratorii, quod Berullianum appellant ab ejus auctore cardinali Berullo, Baii, Janseniique errores spargere primùm cœpit Lutetiæ; cùmque, monitus licet à rege, à Parisiensi archipræsule, à suis superioribus, tamen non resipisceret, ac Formulæ ab Alexandro VII præscriptæ subscribere pertinaciter renueret, Aureliam secessit: inde anno 1685, profugit in Belgium, ubi Bruxellis socium se junxit famoso Antonio Arnaldo, doctori Sorbonico, sed ob contumacem perversorum dogmatum defensionem è Sacræ Facultatis, ut aiunt, matriculâ expuncto, easque ob causas in Belgium pariter profugo, atque id temporis Jansenianæ factionis antesignano; ac apud illum, mutatâ sæpiùs veste et nomine, per quinquennium delituit, dùm ambo detecti jussi sunt exire Belgio. Unde migrârunt in Hollandiam, postea in ditionem Leodiensem, ubi postquàm sex mensibus latitâssent, Bruxellas reduces ad suas latebras, ex iis integro quadriennio pedem non extulerunt.

II. Arnaldo interim anno 1704 vitâ functo,

Quesnellus ibidem aliquandiù latere perrexit, donec, rogante archiepiscopo Mechliniensi, jussu regis catholici, per brachium seculare quæsitus, et in veste laicâ detectus, carceri archiepiscopali mancipatus est; è quo tamen effracto paucis post mensibus, ope suorum assectarum, elapsus, Jansenianos errores, velut jam illius factionis dux supremus et antesignanus, per orbem disseminare non destitit, editis præsertim variis libris, è quibus celebrior fuit is quem idiomate Gallico scripsit, sub titulo: Novum Testamentum Gallicè cum reflexionibus moralibus super quemlibet articulum: vel, ut alia exemplaria præferunt: « Epitome doctrinæ moralis Evangelii, Actorum Apostolorum, Epistolarum S. Pauli, « Epistolarum canonicarum, et Apocalypsis; « sive: Cogitationes christianæ super istos sacros libros. » In hoc libro conscribendo, quoad textum usus est versione sacræ Scripturæ Montensi, jam ante reprobatâ et prohibitâ: quoad reflexiones verò, Baii, Jansenii, et aliorum novatorum scriptis; atque in illo per partes absolvendo 22 annos insumpsit.

III. Prima libri illius editio facta est anno 1671, unico constans volumine in-12, complectebaturque solùm 4 Evangelia cum brevioribus reflexionibus. In eo reperiebantur tantùm 5 propositiones ex 101 postea damnatis: nempe 12, 13, 30, 62 et 65. Altera editio facta est anno 1687, aucta libris aliis novi Testamenti, et hinc duobus pariter voluminibus primo æqualibus; in quibus simul augebantur errores damnati ad 48 propositiones. Tertia postremis curis elaborata fuit anno 1693, et binis sequentibus; atque iterùm 1699, aliisque innovata, variis additamentis amplificata, et quatuor in-8° tomis, sub sermonis elegantiâ et pietatis specie, omnes complectens propositiones, quæ postmodùm ex illis tomis excerptæ meritâ censurâ perstrictæ fuerunt.

IV. Prohibitus iste liber primùm fuit circa annum 1697, ab archiepiscopis Lugdunensi, Viennensi, Massiliensi, Meldensi (qui fuit celeberrimus Bossuetius) et aliis. Deinde à Clemente XI, anno 1708, die 13 julii per decretum in formâ brevis, quod incipit: *Universi Dominici gregis*, sub pœnâ excommunicationis, ipso facto incurrendæ, ac jussus publicè flammis tradi, vetitusque deinceps imprimi. Demùm, Ludovici XIV, regis christianissimi rogatu, Romæ integro biennio ad examen revocatus, et habitis pluribus S. Officii congregationibus, anno 1713, die sept. 8, ab eodem pontifice 101 propositiones, ex illo libro extractæ, damnatæ sunt, et variis censuris notatæ per solemnem et famosam constitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, etc.

V. Errores istis propositionibus expressi maximam partem videntur posse revocari ad tria capita: Primum de gratiâ, ad quod spectant 43 priores propositiones; alterum de virtutibus, fide, spe, charitate ac timore; tertium de Ecclesiâ ejusque disciplinâ.

Ad primum caput revocantur errores: 1° Circa statum naturæ innocentis. Docet enim cum Baio Quesnellus, gratiam Adami esse sequelam creationis et debitam naturæ sanæ et integræ; nec produxisse merita, nisi merè humana, propp. 34, 35. Deinde, illam gratiam in eo differre à christianâ, quòd prior Adamum sanctificaverit in seipso, eamque unusquisque in propriâ suâ personâ recepisset: posterior verò non recipiatur nisi in personâ Christi, cui nos uniti sumus, et in quo sanctificamur, propp. 36, 37. 2° Circa statum naturæ lapsæ. In hoc enim non agnoscit in primis gratiam aliam, nisi efficacem; hancque dicit aliud non esse quàm voluntatem, vel operationem manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest vel retardare, cuique nulla voluntas humana resistit, propp. 10, 11, et quatuor sequentibus; item prop. 22 et tribus sequentibus. Deinde asserit, hanc gratiam efficacem necessariam esse ad omne opus bonum, et absque illâ non solùm nihil fieri, sed nec fieri posse, nisi malum; adeòque Deum in vanum præcipere, si ipse non det, quod præcipit, propp. 2, 3, 4, 9, 17; imò, sine illâ gratiâ, exhortationes et gratias exteriores non inservire, nisi ad cor magis obdurandum; ipsamque voluntatem, illâ non præventam, nihil habere luminis, nisi ad aberrandum; nihil ardoris, nisi ad se præcipitandum; nihil virium, nisi ad se vulnerandum; esse capacem omnis mali, et incapacem ad omne bonum; nec posse quidquam amare, nisi ad suam condemnationem, prop. 5, 39, 40. Porrò hanc gratiam negat fuisse datam Judæis in lege veteri, in quâ dicit quòd Deus reliquerit hominem suæ impotentiæ et propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem, et exigendo ipsius implementum et fugam peccati, prop. 6, 7, 8. Negat item, gratiam ullam conferri tum infideli ante fidem, tum peccatoribus ante justificationem, prop. 26, 27, 28, 29, 48. Unde concludit in primis omnem cognitionem Dei, etiam naturalem, etiam in philosophis ethnicis, non posse

quidem venire nisi à Deo; sed absque gratiâ (quâ isti ex prædictis carent) non producere nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, etc., prop. 41. Concludit deinde, peccatorem non esse liberum nisi ad malum sine gratiâ Liberatoris, quam negat ipsum habere; atque adeò nihil illi remanere nisi peccatum, superbam paupertatem et segnem indigentiam, hoc est, generalem impotentiam ad omne opus bonum, prop. 1 et 38. 3° Circa Christum, naturæ lapsæ, et gratiæ reparatorem, docet, illum se morti tradidisse ad liberandum pro semper suo sanguine electos, nullâ aliorum factâ mentione : illius desideria semper habere suum effectum : omnes quos Deus per illum vult salvare, salvari infallibiliter, prop. 30, 31, 32, 33.

VI. Ad alterum caput revocantur errores Quesnelli : 1° Circa fidem. Hanc, ejusque usum, augmentum et præmium, totum esse ait donum liberalitatis Dei; omnia alia salutis media contineri in fide, tanquàm in suo germine et semine; sed hanc fidem non esse absque amore et fiduciâ, nec ipsam operari, nisi per charitatem, prop. 51, 52, 68, 69. 2° Circa spem docet, totum deesse peccatori, quando ei deest spes; non esse autem spem in Deo, ubi non est amor Dei, prop. 57. 3° Circa charitatem. Primùm duos duntaxat cum Baio amores agnoscit, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amorem, *quo nos ipsos diligimus*, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus, prop. 44, 53. Hinc, inquit, ut nullum peccatum est sine amore nostrî, ita nullum esse opus bonum, aut fructuosum sine amore Dei; atque ideò legis obedientiam debere ex hoc charitatis fonte oriri; cæteroquin, quod apparet exteriùs, non esse nisi hypocrisin, aut falsam justitiam, prop. 46, 47, 48, 49, 50, 53, 54, 55, 56. Imò nec Deum, nec religionem esse, ubi non est charitas, prop. 57. Nihilominùs prop. 71, concedit homini potestatem ob suî conservationem seipsum dispensandi à lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. Et prop. 43, insinuat cum Joviniano, hominem baptizatum à carnis desideriis, concupiscentiâ, ac sensuum aberrationibus immunem esse. Deinde asserit, amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse esse, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat : adeò ut non horruerit Quesnellus pronuntiare, quòd oratio impiorum sit novum peccatum, et, quòd Deus illis concedit, novum in eos judicium, prop. 45, 59. 4° Timorem supplicii vel pœnæ specialim, non solùm ut infructuosum ac inefficacem è bonorum operum numero expungit, sed etiam ut violentum, malum ac peccaminosum describit, prop. 60 et 7 sequentibus.

VII. Ad tertium caput reducuntur errores Quesnelli : 1° Circa ideam Ecclesiæ, quam constituit ex solis justis et electis, prop. 72 et 4 sequentibus. Unde infert, eum qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessare interiùs habere Deum pro Patre, et Christum pro capite; sicque aliquem separari à populo electo, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio, prop. 77, 78. 2° Carpit Ecclesiam, in primis quòd dominatum exerceat supra fidem fidelium propter res quæ nec fidem lædunt, nec mores, prop. 94. Deinde quòd non omnibus promiscuè permittat lectionem sacræ Scripturæ, prop. 79 et 6 sequentibus. Item quòd contra praxin apostolicam et intentionem Dei non permittat simplici populo in sacrificiis preces cum sacerdote recitare, prop. 86. Rursùm, quòd nimis citò reconciliet peccatorem, etiam pœnitentem; cui etiam reconciliato negat jus assistendi sacrificio Ecclesiæ : aiens, hunc esse quartum decimum gradum conversionis peccatoris, prop. 87, 88, 89. Demùm propositione ultimâ haud obscurè sugillat præscriptum ab Ecclesiâ juramentum in Formulari Alexandri VII. 3° Non aliam Ecclesiæ auctoritatem excommunicandi concedit, nisi quam exercet per primos pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis, prop. 90. Atque varios prætextus schismaticos vim excommunicationis eludendi proponit, prop. 91, 92, 93, 97, 98, 99, 100.

VIII. Bullam *Unigenitus*, quæ hos tam apertos errores meritò condemnabat, totus orbis catholicus, extra Galliam, reverenter quàm primùm excepit; ac in ipsis etiam cleri Gallicani comitiis idem præstitêre anno 1714, episcopi 40, duce cardinali Armando de Rohan; quorum sententiæ annuens rex Ludovicus XIV, edictum pro bullæ observatione expediri jussit; quam et receperunt plerique alii Galliæ episcopi et universitates, quas inter etiam Parisina. Quo eodem anno eam recepêre inter alias Europæ academias Coloniensis et Trevirensis, edito publico instrumento. Atverò cardinalis de Noailles, Parisiensis antistes, qui Quesnelliani libri editionem anno 1695

factam approbârat, et cum illo 8 alii episcopi primùm suffragia in laudatis paulò ante comitiis reticuerunt; deinde obtenderunt, circa quasdam è damnatis propositionibus aliquid occurrere difficultatis, cujus elucidatio requirenda foret à papâ; demùm, sublato è vivis Ludovico XIV, episcopi quatuor, nempe Mirapicensis, de la Broue, Montispessulanus, Colbert de Croissi, Boloniensis, de l'Angle, Senecensis, Soanen, antiquorum hæreticorum more, edito instrumento publico, à constitutione appellârunt ad concilium œcumenicum liberè et legitimè celebrandum; cui appellationi adhæsêre cardinalis Noaillius, aliique 12 episcopi, necnon Parisina Universitas cum duabus aliis, suam nuperam illius constitutionis acceptationem vel inficiata, vel revocans: imò religiosæ quædam etiam, quod ridiculum est, monialium communitates, atque ab hâc appellatione Quesnellistæ seu Jansenistæ dici cœperunt *Appellantes*, sicut Lutherani Protestantes. Ipse Quesnellus, renovatâ ante vitæ exitum, quam dudùm præmiserat, appellatione, pertinax in erroribus, gravissimisque censuris innodatus, obiit Amstelodami[1], 2 dec. 1719.

IX. Cæterùm ista appellatio rejecta fuit anno 1718, tum à reliquis Gallicanis præsulibus, tum à Clemente XI, ejusque successore Innocentio XIII, anno 1722, et bulla à rege Ludovico XV, tanquàm lex non Ecclesiæ minùs quàm regni proposita; eademque iterùm commendata anno 1725, tum in concilio Romano sub Benedicto XIII, tum in Avenionensi; rursùsque anno 1727, in Ebredunensi, procurante præcipuè illustr. Petro de Tencin, illius sedis archiepiscopo, nunc S. R. E. card., in quâ posteriori synodo episcopus Senecensis, cùm nullis suorum collegarum adhortationibus ac precibus ad obedientiam constitutioni apostolicæ præstandam flecteretur, præmissâ trinâ monitione canonicâ, declaratus fuit suspensus ab omni officio et jurisdictione episcopali et ab omni exercitio ordinis tum episcopalis, tum sacerdotalis; quam sententiam Benedictus XIII confirmavit, et rex christianissimus probavit.

X. Nihilominùs, exemplo hucusque inaudito eodem anno contra constitutionem et concilium Ebredunense insurrexêre à Quesnellistis incitati 50 è Parisiensi, ut vocant, *parlamento*, advocati; idonei videlicet ad dijudicandas causas ecclesiasticas arbitri, perinde ac medici, vel chirurgi; atque illius synodi acta infirmare, erroresque in eâ damnatos tueri conati sunt, editâ famosâ, ut vocant, *consultatione*; quibus episcopi 12 accessêre. Sed et ista consultatio à reliquis episcopis meritò explosa, et ab ipso rege proscripta fuit.

XI. Lætiora dedit annus 1728, quando cardinalis Noaillius interjectam olim appellationem palam revocavit, et constitutionem *Unigenitus* simpliciter acceptavit, constans deinceps ad mortem usque. Hujus vestigiis institit tum capitulum cathedrale Parisiense, tum S. Facultas Parisina, anno 1729, die 10 decembris, rem præcipuè promovente viro eximio et apprimè catholico, Honorato Tournelio, et 96 doctorum suffragiis, contra 13 prævalentibus, decretum condidit, quo suam appellationem revocavit, et constitutionem simpliciter recepit.

XII. Interim anno 1730, novam, antiquorum hæreticorum more, ipsorumque etiam novorum, quos Tremulantes vocant, scenam aperuêre Jansenii Quesnellique sectatores Parisiis in cœmeterio S. Medardi; prætensa nempe miracula cujusdam diaconi, cui nomen Franciscus Parisius, professi Jansenistæ et Quesnellistæ, in appellatione ad futurum concilium pertinaciter immortui, atque ibidem sepulti. In isto cœmeterio fingebant triplicis generis miracula ad Parisii intercessionem patrari. Ad primum genus pertinebant variæ curationes morborum aut infirmitatum, ut prætendebant, auxilio humano penitùs incurabilium. Ad alterum spectabat famosum illud spectaculum *convulsionum*, quod primò super Parisii tumulum fuit exhibitum, ubi extensi humi promiscuè viri, etiam sacerdotes ac feminæ, horribili sæpèque fœdâ admodùm ac indecenti corporis et membrorum agitatione ac saltitatione, energumenis aut funambulonibus haud absimiles, ridiculam ac scandalosam concurrenti populo scenam dedêre; psalmos alternatim canentibus, aut recitantibus quibusdam aliis ejusdem furfuris sacerdotibus, unà cum mulierculis; cæteris probè catholicis ac ingenuis spectatoribus ad spectaculum adeò indecorum erubescentibus. Cùm verò ad publicum illud scandalum tollendum, rex christianissimus S. Medardi cœmeterium anno 1733 claudi jussisset, perrexerunt nihilominùs Janseniani, non minùs regiæ, quàm pontificiæ auctoritatis contemptores, in privatis ædibus super effossam ex eodem cœmeterio terram idem spectaculum exhibere. Ad tertium genus reduci possunt

quædam in speciem mira, quæ eodem in cœmeterio facta perhibebantur, nec humanis viribus videbantur fieri potuisse : cujusmodi fuère violenti in aerem raptus, stupendæ membrorum distentiones, validissimi stipitis ictus personis imbecillibus innoxiè inflicti : rerum antea ignotarum subitæ è memoriâ recitationes, nonnullæ, ut etiam à vulgo creditum fuit, rerum futurarum prædictiones.

Verùm horum omnium inanitatem, instituto accurato examine, apertè detexit tum archiepiscopus Parisiensis de Vintemille, tum eventus ipse, ac prudentum omnium sensus; deprehensumque tandem est, morbos illos vel studio confictos fuisse, coemptis pecuniâ qui eos fingerent, vel minimè sanatos : convulsiones item per sycophantas pretio pariter corruptos nihil miri habere præter indecentissimas gesticulationes, circumforaneis saltitatoribus haud insuetas; demùm cætera, quæ prædicantur mira, vel meras fuisse illusiones, aut fraudes, vel ope dæmonis patrata potiùs, quàm divinâ virtute miraculosè concurrente. Pergit nihilominùs pestis Janseniana et Quesnelliana per Galliam et Belgium serpere, ac in dies ferè caput altiùs extollere, quanquàm nunc in sectas scissa sit, quarum una *Figuristarum,* qui Scripturæ oracula per figuras exponunt, et hinc in varia deliramenta prolabuntur, quæ nimis longum foret enumerare (1).

Meditabar equidem hisce adnectere novissimas controversias, quæ circa laudatam constitutionem *Unigenitus*, et frivolam ab illâ ad futurum concilium appellationem exortæ sunt inter illustrissimum clerum Gallicanum, et supremum senatum, quem *parlamentum* vocant, occasione schedarum, peractæ apud legitimum ministrum sacramentalis confessionis testium, ab iis exigendarum, qui saltem notorii, ab eadem constitutione appellantes, suprema sacramenta in mortis articulo postulabant. Verùm, quia illustrissimi illi Galliæ præsules, qui anno proximè lapso ea super re maturè deliberârunt, cusas varias in comitiis id temporis celebratis propositiones ad supremi Ecclesiæ capitis tribunal mittendas esse sapientissimo sanè consilio duxerunt, consultò illis memorandis nunc supersedeo, donec hæc S. Aug. verba, sæpiùs jam ex æquo laudata, pronuntiare possimus : « Româ responsa venerunt, causa finita est. »

(1) Ex quo hæc scribebat Zacharias, sensim decrevit, favente Deo, ac tandem summo verè Catholicorum plausu, necnon Ecclesiæ pace, propemodùm extincta est hæresis Janseniana. (Not. ab Edit.)

DE CONCILIIS.

I. Principem inter christiana concilia locum occupare meritò hic debent apostolica, quorum tria videntur fuisse præcipua : Primum, juxta Baronium, anno Christi 41, juxta Labbeum 33, Jerosolymis à S. Petro, ceu capite ac præside supremo, coactum fuit, atque facta in eo novi Apostoli, in locum Judæ proditoris, electio, Act. 1. Alterum, eodem anno congregatum, in quo 7 diaconorum, ex Apostolorum concessione, à discipulis electorum, facta ab illis per manuum impositionem solemnis inauguratio, Act. 6. Tertium, quod fuit veluti sequentium omnium norma, anno 49 vel 50, celebratum est itidem Jerosolymis, propter exortas Antiochiæ controversias circa legalia iis qui à gentilismo ad Christi fidem conversi erant, observanda : quod onus iis imponendum non esse, Apostoli eo in conventu unanimi suffragio deciderunt sub hâc formulâ, quam sequentia deinde concilia adoptârunt : *Visum est Spiritui S. et nobis,* etc.; Act. 19. Plura Apostolorum concilia quidam numerant; ac inter illa etiam Antiochenum, quod Nicæna synodus Apostolorum conventum appellet, et ex quo canonem unum alleget. Utut sit, id, priusquàm ad reliquorum conciliorum post Apostolorum tempora celebratorum seriem progrediamur, juvat animadvertisse :

II. Canones qui vulgò dicuntur Apostolorum, et, cùm initio pauciores exhibiti fuerint, postea ad 85 extensi sunt, hodiedùm passim ab eruditis haberi tanquàm supposititios, neque, ut prætenditur, à S. Clemente, qui tertius à S. Petro in cathedrâ ejus sedit, reipsà fuisse collectos; esto omnes seculo VI, à Græcis, et 50 priores à multis Latinis veluti tales fuerint recepti. Momentum non unum affertur, ad illos, velut spurium Apostolorum, vel S. Clementis partum, repudiandos : 1° Quia Gelasius papa in concilio Romano 76 episcoporum eos

recenset inter libros ab Ecclesiâ rejectos, aut certè non probatos, utique saltem velut Apostolicos. 2° Quia S. Isidorus Hispalensis asserit, hos canones, nec à sede Apostolicâ recipi, nec à SS. PP., esseque confictos ab hæreticis, nempe quoad aliquos. 3° Quia reipsà quosdam errores complectuntur, v. g., can. 45, Baptismum ab hæreticis susceptum invalidum esse, etc. 4° Quia neque illorum meminère SS. Epiphanius et Hieron., cùm S. Clementis scripta recensent, uti nec illarum constitutionum, quæ vocantur etiam Apostolicæ, et 8 libris sub ejusdem D. Clementis nomine collectæ dicuntur; sed reverà spuriæ sunt, cùm plures quoque errores contineant, atque inter cæteros, quòd Pater sit Dominus Spiritûs sancti, etc. 5° Quia nullus primorum seculorum scriptor has constitutiones, vel illos canones unquàm allegavit, ne ipse quidem S. Cyprianus pro suâ opinione de iterando baptismo, ab hæreticis collato; nec Victor papa contra Asiaticos circa celebrationem paschæ, quod canone VII vetat cum Judæis celebrari.

Cùm itaque certum sit, quosdam è prædictis canonibus non esse ab Apostolis conditos, de reliquis, an ab iis conditi sint, saltem incertum, nulli præbent theologo argumentum, saltem irrefragabile, nisi, quidam adoptati fuerint ab aliquo, unde sufficientem auctoritatem trahant.

III. Post Apostolorum in universum orbem divisionem, atque excessum ex hâc vitâ, temporum iniquitas, tyrannorum persecutiones, quæ prima Ecclesiæ secula turbavêre, simul prohibuêre, ne è diversis mundi plagis synodi congregarentur œcumenicæ; donec Constantini M. et aliorum imperatorum ad fidem christianam accessus libertatem fecit, et exortarum deinde hæresum, ac hæreticorum protervia, eas cogendi quamdam imposuit necessitatem. Inde verò concilia œcumenica habita sunt, ex communiori veriorique calculo, numero 18, nempe 8 in Oriente, 10 in Occidente, quæ nomen ferè sortita sunt à loco in quo fuêre celebrata. Illa nunc ordine enumerare aggredior.

CONCILIA ORIENTIS.

Primum fuit Nicænum primum, Nicææ, quæ urbs Bithyniæ in Asiâ metropolis erat anno Christi 325, in palatio Constantini Magni (qui eidem, non ut judex, sed ut protector interfuit, nec nisi infra episcopos, iisque annuentibus, sedit), celebrari cœptum 13 kalend. julii sub Sylvestro papâ, qui eidem præsedit per legatos suos, Osium Cordubensem in Hispaniâ episcopum, et Vitum ac Vincentium Romanos presbyteros, qui locum principem obtinuerunt, et actis subscripserunt. Interfuêre Patres 318, quos inter S. Nicolaus, Myrrhæ episcopus, et S. Athanasius, tunc Ecclesiæ Alexandrinæ diaconus. Duplex in eo controversia decisa, una de Verbi divinitate contra Arium, edito symbolo, quod Nicænum vocamus, insertâque illi voce ὁμοούσιον, id est, consubstantialem; altera de celebratione paschæ die Dominicâ post 14 lunæ martii contra Quartodecimanos. Finitum fuit concilium eodem anno 8 Kal. sept., illiusque decreta Romam perlata à Sylvestro papâ rata fuerunt habita.

Secundum fuit Constantinopolitanum I, anno 381, sub Damaso papâ et Theodosio Seniore imper. coactum, convenientibus ex diversis Orientis provinciis episcopis catholicis 150, quos inter S. Gregor. Nazianz. et Cyrillus Hierosol.; Semiarianis 36 et 6 Macedonianis. In eo Nicæna fides contra varias pseudo-synodos ab Arianis celebratas confirmata; et Spiritûs S. divinitas asserta fuit contra Macedonium; atque articulus, quo illam profitemur, adjectus symbolo Nicæno, hocque eam in formam redactum, quo nunc in Missâ decantatur. Cæterùm, cùm huic concilio nullus papæ legatus præsederit aut interfuerit, tum primùm auctoritas œcumenici concilii eidem accessit, cùm, ejus actis Damaso papæ exhibitis ac probatis, in Romanâ synodo, ab eodem pontifice congregatâ, Occidentalis Ecclesia in eamdem fidem, et hæreticorum damnationem consensit.

Tertium fuit Ephesinum, Ephesi, Asiæ minoris metropoli, postulante Theodosio Jun. imp. contra Nestorium, auctoritate Cœlestini I papæ, qui jam in synodo Romanâ Nestorianam pestem damnârat, anno 431, ab episcopis plus ducentis celebratum, præside S. Cyrillo episcopo Alexand., nomine Cœlestini, qui et postea legatos misit, qui actis subscriberent. Interfuêre tanquàm legati, qui concilium tuerentur, missi à Theodosio Irenæus, et Candidianus, cum mandatis, ne se fidei ac Ecclesiæ negotiis immiscerent. Verùm mandati immemores, vel incurii, Nestorii partibus assumptis, multas in concilio turbas excitârunt.

Quartum fuit Chalcedonense, anno 451, à Leone I papâ, urgente Marciano imp. contra hæresin Eutychetis, et Dioscori convocatum Chalcedone, urbe Bithyniæ. In eo comparuêre episcopi 630; præsedit per legatos Leo I papa;

Marcianus quoque interfuit cum conjuge Pulcheriâ Augustâ, non judicis partes acturus, sed tutoris ac defensoris, prout palam in Act. 6 declaravit ipse princeps religiosissimus. Atque hæc sunt 4 prima concilia, quæ S. Gregorius M., uti supra diximus, sicut 4 S. Evangelii libros suscipiebat; et de quibus Justinianus imp. Not. 131, c. 1 : « Quatuor synodorum « dogmata, inquit, sicut sacras Scripturas acci- « pimus, et regulas sicut leges observamus. » Canonem tamen 28, circa privilegia sedis Constantinopolitanæ, et duos sequentes, absentibus legatis Romanis clam insertos, S. Leo non probavit.

Quintum fuit Constantinopolitanum II, anno 553, à Justiniano imp., annuente, licet ægrè, Vigilio papâ, convocatum, confluentibus episcopis 165. Damnavit hæc V synodus Origenem et tria Capitula, unà cum personâ Theodori Mopsuesteni, de quibus vide supra, de Hæres. sec. III. Isti synodo neque per se, neque per suos legatos interesse voluit Vigilius, etsi tunc Constantinopoli præsens; imò ejus acta primùm aliquandiù probare detrectavit: multa idcircò ab imperatore perpessus, ac etiam exilio mulctatus. Postea tamen in Italiam redux, libertatique restitutus, concilium ipsum suâ auctoritate firmavit, atque ita œcumenicum effecit. Probârunt et illud Vigilii in cathedrâ Petri successores, Pelagius II, Gregorius M., Leo II, Nicolaus I, necnon synodi œcumenicæ, post hanc quintam celebratæ, specialim VI et VII, eamque pariter ut œcumenicam agnovêre.

Sextum fuit Constantinopolitanum III, sub imperatore Constantino Pogonato contra Monothelitas convocatum auctoritate Agathonis papæ, qui per legatos ei præfuit, præsentibus episcopis 289, anno 680 inchoatum, sequenti absolutum fuit. Dictum est Trullanum, ex eo quòd celebratum fuerit in palatii imperatorii secretario, nomen trahente à Trullo, seu fornice sublimi, in altum porrecto, et in rotundum concamerato. Distinguenda tamen hæc synodus Trullana, ab aliâ pseudo-synodo ejusdem nominis, de quâ supra. Sedit equidem eminentiori loco imperator, sed ultimus his verbis, uti jam supra dictum, subscripsit : « Constantinus in Christo Deo rex, ac imp. « Roman. legimus, et consensimus. » Acta hujus synodi confirmata fuêre, non ab Agathone, qui interea è vivis excesserat, sed ab ejus successore Leone II.

Septimum fuit Nicænum II, anno 787, contra Iconoclastas à Constantino IV ejusque matre Irene congregatum ex consensu Adriani I papæ, qui eidem præsedit per suos legatos Petrum, Ecclesiæ S. Petri archipresbyterum; et alterum Petrum, S. Sabbæ abbatem. Interfuêre episcopi 350 et diversi monasteriorum archimandritæ, seu præsides supremi. Synodus Francofordiensis ad Mœnum, à Carolo M. coacta, et à 300 episcopis, anno 794; istam quidem Nicænam, ut alibi diximus, damnavit, sed ex duplici errore facti : quòd nempe, seu Iconomachorum fraude decepti, Patres, seu Græci idiomatis ignoratione laborantes, putarent, eam absque legitimâ pontificis auctoritate coaluisse; atque non solùm iconomachiam condemnâsse, sed etiam probâsse *iconolatriam*, seu adorationem SS. imaginum. Cæterùm, et Adrianus, missis ad Carolum litteris, errorem detexit; et Tridentinum, dùm sess. 25 decreto Nicænorum Patrum contra SS. imaginum oppugnatores institit, eamdem synodum à se probari sat luculenter ostendit.

Octavum denique, ac in Oriente postremum, fuit Constantinopolitanum IV, anno 869, jussu Adriani II papæ, operâ Basilii imp. ab episcopis ferè 330 celebratum; in quo tum Iconomachi denuò profligati; tum præcipuè exauctoratus Photius, Constantinopolitanæ sedis invasor, qui Græci schismatis prima semina jecit. Subscripsit quidem synodi actis imperator post patriarchas, ante episcopos; modestè tamen professus, hoc à se non fieri, nisi honoris gratiâ sibi à Patribus ultrò oblatâ, nec tanquàm definiente, sed consentiente. Synodum, Romam ab Anastasio Bibliothecario perlatam Adrianus recepit.

Atque hæc sunt octo concilia œcumenica in Oriente celebrata. Reliqua, propter invalescens Græcorum schisma et Mahumetanorum grassationes, habita in Occidente, suntque sequentia.

CONCILIA OCCIDENTIS.

Nonum ordine inter œcumenica, et primum in Occidente fuit Lateranense I, anno 1122, Romæ in basilicâ S. Joannis in Laterano, sic dicta à fundo ejusdem nominis, in quo fuit extructa, convocante et præsidente Callisto II, ab episcopis ampliùs 300 et abbatibus plusquàm 600, celebratum; tum ad promovendam expeditionem sacram adversùs Saracenos pro recuperandâ Terrâ sanctâ; tum ad finiendas controversias inter prædictum pontificem et Henricum V imperatorem, circa episcoporum

et abbatum investituras, quas imperator sibi arrogabat, et liberas illorum electiones, atque confirmanda concordata conventûs Wormatiensis inter utrumque inita circa beneficiorum ecclesiasticorum collationem.

Decimum fuit Lateranense II, anno 1139, ab Innoc. II, eodemque præside, sub Lothario II imperatore, ab episcopis circiter 1000, celebratum; in quo primùm sublatum schisma Petri Leonis antipapæ, sub nomine Anacleti II, in cathedram Petri contra Innocentium, à minore cardinalium parte intrusi, ejusque successoris Victoris, pariter antipapæ: hic se Innocentio submisit; illi jam vitâ functo, ipsiusque fautoribus, dictum anathema, et ipsius acta rescissa. Deinde damnatus Petrus de Bruis, cum ejus discipulo Arnaldo de Brixiâ. Demùm conditi pro reformandis clericorum, laicorumque moribus 30 canones, è quibus famosus est 15: *Si quis suadente diabolo*, etc., quo anathema dicitur illi qui clericis violentas manus injecerit; et ex quo nomen traxit sic dictum *Privilegium canonis.*

Undecimum fuit Lateranense III, quod in decretalium libris absolutè venit concilii Lateranensis nomine. Illud, post extinctum schisma trium pseudo-pontificum, Victoris IV, Paschalis III et Callisti III, anno 1179, sub Friderico I imperatore convocatum, et præses confirmavit Alexander III, præsentibus episcopis ampliùs 300. Statutum in illo, 1° ad impedienda pseudo-pontificum schismata, ut pontifex non esset, nisi qui à duabus tertiis cardinalium partibus electus foret. 2° Damnati Albigenses et Waldenses, de quibus supra. 3° 27 canones conditi, ad restituendam ecclesiasticam disciplinam, ac præcipuè ad extirpandam labem simoniacam.

Duodecimum fuit Lateranense IV, sub Friderico II, imperatore, ab Innoc. III convocatum, eoque præside celebratum à Patribus 1285, quos inter patriarchæ Constantinopolitanus et Hierosolymitanus; archiepiscopi 70, episcopi 400, abbates 12, præsules minores 800, ac insuper legati patriarchæ tum Antiocheni, tum Alexandrini, qui morbo vel itineris difficultate impediti erant; necnon imperatorum Orientis et Occidentis, aliorumque regum et principum; adeò ut, si ullum hactenùs, certè istud concilium et numero et dignitate convenientium fuerit conspicuum; quapropter in decretalibus simpliciter concilium generale appellatur. In eo primùm damnati rursùm Albigenses, necnon errores Almarici, Parisiensis doctoris, qui docuerat nec paradisum nec infernum extare, nec Christi corpus esse in Sacramento, etc. Item libellus abbatis Joachim de Unitate SS. Trinitatis; qui tamen, cùm sua scripta Ecclesiæ submiserit, inter hæreticos non numeratur. Deinde, hortante Innocentio, communi Patrum suffragio statuta varia, pro sacrâ in Palæstinam ad recuperandam terram sanctam profectione, qui præcipuus concilii congregandi scopus fuit. Demùm canones 70 ad Ecclesiæ disciplinam, fideliumque mores pristinæ integritati restituendos, efformati, quos inter celebris est is qui incipit: *Omnis utriusque sexûs*, quo præcipitur, ut quivis fidelis, saltem semel in anno, sacramentaliter confiteatur, et S. Communionem saltem in Paschate suscipiat.

Decimum tertium fuit Lugdunense I, anno 1245, Lugduni in Galliâ convocatum ab Innoc. IV, ei præsidente, ad ejus verò dextram sedente Balduino, Orientis imperatore, ad sinistram aliis principibus laicis, assidentibus 14 episcopis. In illo excommunicatus, ac depositus fuit Fridericus II imperator, tanquàm multorum in Ecclesiam criminum reus; innovatum decretum sacræ in terram sanctam expeditionis, cui dux designatus S. Ludovicus Galliæ rex. Confecti demùm varii canones, quos Bonif. VIII sexto Decretalium libro inseruit.

Decimum quartum fuit Lugdunense II, anno 1294, sub Rudolpho I Cæsare, convocatum à Gregorio V, illius præside; confluentibus ex omnibus mundi plagis facilè mille Patribus, quos inter 15 cardinales, 2 patriarchæ Constantinop. et Antiochens. archiep. 60 vel 70, episc. 500. In illo restituta Græcorum cum Latinis unio, annitente S. Bonaventurâ, qui durante synodo ad cœlos evolavit; plura item salubriter statuta tum pro sacrâ expeditione promovendâ, tum pro Romani pontificis electione. Ad eamdem synodum profectus S. Thomas Aquinas, in itinere ad superos migravit.

Decimum quintum fuit Viennense, anno 1311, Viennæ Allobrogum, urbe Delphinatûs in Galliâ, sub Henrico VIII imp. celebratum, convocante et præsidente Clemente V, præsentibus binis patriarchis Antiocheno et Alexandrino, episcopis 300, tribus regibus, Galliæ Philippo Pulchro; Angliæ Eduardo II, et Arragoniæ Jacobo II. Damnati in eo sunt Beguardi et Beguinæ, Fratricelli, Dulcinistæ; decretum, terræ sanctæ ferendum esse subsidium; ordo Templariorum extinctus.

Decimum sextum fuit Florentinum, anno 1438, in Italiâ Ferrariæ inchoatum, Florentiæ, unde nomen accepit, et quò, ob grassantem pestem, inde translatum fuit, anno sequente absolutum. Præsedit primùm, pontificis nomine, Nicolaus Albergatus cardinalis; deinde pontifex ipse Eugenius IV, qui convocârat. Interfuit Joannes Palæologus, Græcorum imperator, cum fratre Demetrio, Josepho patriarchâ Constantinop. et plurium episcoporum Orientalium amplissimo comitatu, universim episcopi 141; Græcis errores suos agnoscentibus, conditum est, ac solemni ritu promulgatum, unionis decretum inter utramque Ecclesiam, cui Armeni ac Jacobitæ, pariter cum Ecclesiâ reconciliati, accessêre.

Decimum septimum fuit Lateranense V, anno 1512, sub imp. Maximiliano I, à Julio II indictum et inchoatum, eoque vitâ functo, ab ejus successore Leone X, anno 1517 absolutum, præsentibus 114 Patribus. In illo rescissa sunt acta et gesta conciliabuli Pisani, quod, invito papâ, cardinales aliquot anno 1511 convocârunt: plura deinde deliberata ac statuta circa sanctionem Gallorum Pragmaticam, curiam Romanam, et pacem inter christianos principes componendam aut confirmandam.

Decimum octavum denique Tridentinum fuit, Tridenti, urbe Germaniæ in Tyroli sitâ, unde nomen habet, celebratum; anno 1542, à Paulo V indictum, anno 1545, sub eodem inchoatum, sed post biennium ab eodem pontifice, ob metum pestis, Bononiam translatum; inde à Julio III Tridentum anno 1549 reductum, atque ibidem ab eodem continuatum; postea, ob bellicos tumultus, anno 1552 interruptum, et sub Marcello II et Paulo IV per 10 ferè annos suspensum; denique à Pio IV regnante Ferdinando I Cæsare, instauratum ac sub eodem pontifice feliciter absolutum, atque ab ipso confirmatum anno 1563. Interfuêre per hujus concilii decursum cardinales legati septem, et alii duo: archiepiscopi tres; episcopi 235, oratores et legati imperatoris Ferdinandi, regum Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, reip. Venetæ, septem cantonum Helveticorum, ducum Bavariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, et aliorum principum etiam ecclesiasticorum. Denique theologi et jurisconsulti, ex præcipuis orbis partibus selectissimi, plusquàm centum. Sub finem concilii subscripsêre Patres 255.

Causæ illud convocandi fuêre Lutheri, aliorumque novatorum nuper exortæ hæreses; et mores corrupti tam in clero, quàm in populo. Hinc, ad illas profligandas, et hos emendandos, plerasque ex 25 in quas dividitur, sessiones, in duas rursùm partes subdivisit: quarum prima ad res fidei, altera ad morum reformationem dirigitur. Utraque pars in plura denuò secatur capita, quæ exactam ac perutilem exhibent doctrinæ catholicæ explicationem, hæreticorum pravis dogmatibus oppositam. Porrò decretis fidei subnectuntur plures canones, in quibus hæreses ipsæ damnantur, et earum assertores anathemate feriuntur. Fuit synodus Tridentina ab omnibus Catholicis, si aliquot decreta reformatoria excipias, reverenter acceptata.

Historiam Trident. concilii scripsit primùm livido pestilentique calamo Joan. Sleidanus, infamis apostata, Schmalcaldicis Protestantibus annuâ pensione coemptus, innumerarum penè falsitatum, non à Catholicis modò, sed etiam ab Acatholicis accusatus et convictus; adeò ut solus Latomus ex illius scriptis 1000 mendacia extraxerit. Eamdem historiam scripsit postea Petrus Suavis, innumerisque etiam mendaciis oppletam Londinum typis mandandam misit ad Marcum Antonium de Dominis, olim episcopum Spalatensem, tunc infamem apostatam. Perditissimorum hominum calumnias retudit cardin. Sfortia Pallavicinus, qui, ut eruditissimus Ignatius Hyacinthus Graveson S. ord. Prædic. pro merito scribit, ex sinceris actis ac monumentis Historiam concilii Tridentini concinnavit, adeò veritatis amans, et in scribendo modestus, ut nihil per assentationem finxerit, etc. Nihilominùs Petri Suavis pseudo-historiam postliminio Gallicè edidêre Ludovicus Ellies Dupin doctor Sorbonæ, vir libris Vaticano fulmine ustulatis famosus, et Petrus Franciscus Le Courayer, pari fermè fulgure clarus in Galliâ, unde in Angliam profugus, et in Oxionensi Academiâ doctor promotus, non sine laude consentientis ipsius doctrinæ cum Anglicanâ. Discant hinc Catholici, ex quo fonte haurienda sibi sit Tridentini historia, ut non venenum bibant, sed doctrinam salubrem.

INDEX CONCILIORUM

QUÆ NON AB OMNIBUS OMNINÒ APPROBATA SUNT.

Ad hanc classem revocari possunt 1° Sardicense, 2° Quinisextum seu Trullanum, 3° Pisanum, 4° Constantiense, 5° Basileense.

I. Sardicense (Sardica), anno 347, à Julio papâ I indictum. Ei præfuit per legatos; 370

adfuêre episcopi partim Occidentales, partim Orientales; hi à prioribus separaverunt se, et conciliabulum habuerunt Philippopoli in Thraciâ. Interea Occidentales sancti Athanasii innocentiam declarârunt, fidem Nicænam confirmârunt, canones circa ecclesiasticam disciplinam 20 condiderunt, jusque appellandi ad Romanum pontificem confirmârunt. Huic concilio præsentes fuerunt S. Anathasius et Osius Cordubensis episcopus. Sardicense veluti quædam Nicæni appendix, in veteribus nonnullis codicibus cum ejus canonibus conjungitur, adeò ut ejus canones 21, tempore Zozimi et Bonifacii Romanorum pontificum in Ecclesiâ Romanâ pro Nicænis habiti, locum fecerint controversiæ in Ecclesiâ Africanâ de numero Nicænorum canonum. Erroris occasio aut confusionis fuit, tum quòd in eo confirmata fuerit fides Nicæna, tum quòd huic concilio plerique Nicænorum Patrum interfuerint. Cùm autem ii qui recesserant, Ariani, Philippopoli in vicinâ Thraciâ concinnaverint Arianam formulam sub nomine concilii Sardicensis, hinc confuso in unum utroque conventu, S. Augustino aliisque Patribus non usque adeò probatum fuit Sardicense concilium.

II. Constantinopolitanum Trullanum, sic nuncupatum, quòd in secretario palatii habitum sit, quod ob fastigium concameratum Trulli, seu Trullæ nomine appellabatur. Dicitur Quinisexta synodus, quòd quintæ et sextæ velut appendix eo colore coacta sit, quòd quinta et sexta œcumenicæ synodi nullos canones edidissent de disciplinâ. Indicta est anno 688, ut probant Bellarminus et Natalis Alexander, ab imperatore Justiniano Juniore : canones edidit 102 non receptos à Sergio, aliisque Romanis pontificibus, nec à patriarchis Orientalibus, si Constantinopolitanum excipias, teste Anastasio Bibliothecario, eò quia non pauca cum Ecclesiæ Occidentalis moribus pugnantia continerent. Adfuêre episcopi supra 200.

III. Pisanum anno 1409 ad abolendum schisma indictum fuit à cardinalibus obedientiæ Gregorii XII et Benedicti XIII, qui de papatu contendebant. Utroque post citationem exauctorato, electus ab utriusque partis cardinalibus Alexander V, qui si fuisset pontifex certò illegitimus, Alexander VI, non sextum, sed quintum se appellare debuisset. Adfuêre præter cardinales etiam episcopi supra 300. S. Antoninus legitimum concilium negat, Natalis Alexander defendit.

IV. Constantiense, convocatum à Joanne XXIII, an. 1413, 9 decembris. Celebrari cœpit 16 novembr. 1414, finem habuit 22 aprilis 1418, sub Martino V, cujus electio facta est in ipso concilio, 41 sessione, 11 novemb. 1417, post depositum Joannem XXIII, sessione 12, 29 maii anno 1415, post cessionem factam à Gregorio XII, sess. 14, 4 julii ejusdem anni, post depositum Benedictum XIII, sess. 37, julii 26 anni 1417. In eo concilio damnati fuerunt *in globo* 45 articuli Joannis Wicleffi jam à pluribus annis defuncti, et 30 articuli Joannis Hus, qui traditus seculari potestati vivus exustus est : idem accidit Hieronymo de Pragâ in ejuratam sess. 19, 25 sep. 1415, hæresim relapso sess. 21, anno 1416. Martinus V, ultimis sessionibus, id est, 42, 43, 44 et 45, præfuit. Adfuerunt episcopi ampliùs 300. Hujus concilii decreta legitimo conciliorum more constituta approbavit Martinus V, sed decretum in prioribus sessionibus de concilii generalis immediatâ à Christo auctoritate, cui parere ipsi pontifices teneantur, quemadmodùm et decretum de conciliis universalibus per singula decennia celebrandis probaverunt nunquàm Romani pontifices. Illud ad casum schismatis, et dubios pontifices contrahit Turrecremata, et alii communiùs. Gallorum alia est sententia, quantùm ad illa decreta.

V. Basileense, ab omnibus indictione, seu convocatione œcumenicum, exitu autem schismaticum agnoscitur; sed quousque ejus duraverit œcumenicitas, grandis est inter theologos controversia. D. Tournely 16 primas tantùm sessiones admittit, cæteras rejicit; alii œcumenicum censent usque ad vigesimam quintam sessionem; alii etiam inter Gallos illegitimum statim fuisse existimant, ex quo scilicet, inquit Cabassutius in suâ notitiâ ecclesiasticâ, sibi supra pontificem Romanum auctoritatem indebitam arrogavit. Hujus loci non est tantas componere lites; brevem tantùm teximus historiam concilii Basileensis.

Indictum fuit à Martino V, anno 1430, ad comprimendam Bohemorum seditiones et hæreses, et fidelium mores reformandos. Inchoatum 14 dec. 1431, defuncto jam Martino, cui successerat Eugenius IV, à quo indictio confirmata est. Huic præfuit Julianus cardinalis, legatus apostolicus.

Post primam sessionem Eugenius IV concilium Bononiam transtulit. 1° Quia paucissimi admodùm convenerant Basileam episcopi, etiam post elapsos plures a præfixo termino menses. 2° Quia subortâ inter Austriæ et

Burgundiæ duces bella urbem Basileensem minùs tutam reddebant. 3º Quia Græci, quorum unio cum Ecclesiâ Latinâ valdè optabatur, locum postulabant commodiorem, et oris maritimis viciniorem. 4º Quia (ut modò diximus ex Cabassutio) Patres Basileenses supra Eugenium legitimum pontificem jus sibi indebitum usurpabant.

Huic translationi obstitit concilium Basileense, et sequentibus sessionibus usque ad decimam sextam, Eugenii depositionem meditati sunt Patres. Sess. decimâ sextâ Eugenius pro bono pacis concilii dissolutionem revocat. Decimâ septimâ vices suas committit card. Juliano, ut nomine suo cum quatuor aliis concilio præsideat, et certas præscribit leges et conditiones, quibus parere recusârunt Basileenses : hinc nova bella. Iterùm dissolvit conc. Eugenius, qui tandem à papatu injustè deponitur, sess. 39. In ejus locum eligitur et coronatur Amadæus à Sabaudiâ, appellatus Felix V, antipapa trigesimus octavus. Vide infra Indicem antipaparum. Decreta sive canones concilii Basileensis numerantur 33, sessiones 45, in quibus suffragiorum, non per singulos episcopos, sed per nationes habita ratio est.

« Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor : Nicænum scilicet..., Constantinopolitanum..., Ephesinum..., Chalcedonense..., quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit... quintum quoque concilium pariter veneror... cunctas verò quas præfata concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector : quia dùm universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit, » etc., S. Gregorius Magnus libro primo Epistolarum epistolâ 24. Obiit sanctissimus ille pontifex anno 604, quo tempore quinque tantùm concilia œcumenica celebrata fuerant.

Index alphabeticus

CONCILIORUM PARTICULARIUM.

Conciliorum particularium nomine hìc intelligimus ea quæ conciliorum œcumenicorum nomen et auctoritatem non habent. Ne immensùm excrescat hoc opus, indicabimus duntaxat pauca, quorum mentio frequentior est. Nemo in hisce studiis versatus ignorare potest, quàm difficile sit veram et accuratam conciliorum omnium chronologiam texere; sua cuique arridet. Nos Labbæo aut Harduino in omnibus ferè adhæsimus.

CONCILIA PARTICULARIA.

A

an. 529; III, an, 1228. Secundum concilium Arausicanum, cui adfuerunt tantùm episcopi 13, præside S. Cæsario Arclatensi, est maximæ in Ecclesiâ auctoritatis; de gratiâ et libero arbitrio condidit canones 25, confirmatos à Bonifacio II, Rom. pontifice.

Arelatensia (d'Arles), decem : I, anno 314; II, an. 353, Arianorum; III, an. 452; IV, an. 455; V, an. 475; VI, an. 524; VII, anno 554; VIII, anno 813; IX, anno 1282; X, anno 1285. Arelatense primum celeberrimum est, à Constantino Magno convocatum contra Donatistas; huic per legatos præfuit S. Sylvester, et adfuerunt 200 episcopi, juxta Annatum et plures alios cum Pagi, 600 juxta Adonem; juxta Fleuri triginta tres circiter. Multi critici existimant hoc fuisse concilium illud plenarium, de quo tam sæpè S. Aug. loquitur contra Donatistas scribens.

Ariminense (Italicè di Rimini, città della Romagna) an. 359 celebratum est sub Liberio papâ; huic adfuerant 400 circiter episcopi, quorum major pars fidem Nicænam generosè confirmaverat; verùm postea fraudibus Arianorum, minisque imperatoris Constantii tandem lapsi sunt : lapsum hunc ab hæresi excusant DD. Tillemont, Vitasse, et Patres Juenin et Alexander, non invisa multis nomina. Cùm factum hoc historicum ab hæreticis objectum semper fuerit adversùs Ecclesiæ infallibilitatem, in eo theologi catholici explicando toti fuerunt, nec sine fructu abiit eorum labor : summa responsionis est. 1° Patribus concilii Ariminensis fortiter obstitit Liberius papa. 2° Licet multi lapsi sint, tamen tunc temporis tantus erat episcoporum in Ecclesiâ catholicâ numerus, ut 300 aut 400 episcopi nonam vel decimam tantùm partem facerent. 3° Formula cui subscripserunt, non erat in proprio verborum sensu hæretica, sed malitia Arianorum paulò post dissolutionem concilii ad Arianum sensum detorta est, quod admirationem et indignationem in episcopis accusatis excitavit; unde brevi fidem Nicænam generosiùs defenderunt, et lapsûs sui pœnitentiam agentes in sedibus suis confirmati sunt.

Asiaticum circa annum 197, sub Victore I, contra Asiaticos Quartodecimanos.

Augustodunensia, sive Æduensia (Gall. d'Autun en Bourgogne) quinque : I, anno 670; II, an. 1055; III, an. 1072; IV, an. 1077; V, an. 1094.

Aurelianensia (d'Orléans) undecim : I, an. 511; II, an. 533; III, an. 538; IV, an. 541; V, an. 549; VI, an. 645; VII, an. 766; VIII, ann. 1022; IX, ann. 1029; X, an. 1127; XI, an. 1411.

Antissiodorensia (d'Auxerre) duo : I, circa annum 578; II, an. 1147.

Auxitana ; seu Auscensia, (Gall. Auch en Gascogne) quatuor : I, ann. 1068; II, ann. 1279; III, ann. 1300; IV, ann. 1308, ex Harduino.

B

Barcinonensia (Italicè di Barcellona, capitale di Catalogna) quatuor : I, an. 540 circiter; II, an. 579; III, an. 599; IV, an. 1064.

Barense, an. 1097.

Basileensia (Italicè di Basilea ne' Suizzeri) duo : I, an. 1061; II, an. 1431. Vide Indicem conciliorum generalium.

Bellovacensia (Gall. de Beauvais, en Picardie) quinque : I, an. 845; II, anno 1114; III, an. 1120; IV, an. 112[illegible]; V, anno 1161.

Beneventana quinque : I, an. 1087; II, an. 1091; III, an. 1108; IV, anno 1113; V, ann. 1567. Plura recentiora sub card. Ursino, qui fuit Bened. XIII.

Biterrensia (Gall. de Beziers, in Occitaniâ) quatuor : I, an. 356 (de eo S. Hilarius Pictaviensis episcopus dolo et fraude Arianorum in Phrygiam relegatus est); II, an. 1209; III, an. 1233; IV, an. 1246.

Bituricensia (de Bourges) duodecim : I, an. 767; II, an. 841; III, an. 1031; IV, an. 1145; V, an. 1215; VI, an. 1225; VII, ann. 1228; VIII, ann. 1276; IX, anno 1286; X, anno 1438; XI, anno 1440, pro Pragmaticâ sanctione. XII, an. 1584.

Bracarensia (Braca in Lusitaniâ) tria : I, quod Labbæo est II, an. 563; præter anathematismos septemdecim adversùs Priscillianistas, aliosque hæreticos, edidit 22 canones circa disciplinam. II, aliis tertium, à Martino Bracarensi episcopo anno 572 edidit canones 8. Ex hoc concilio videtur Martinus misisse canones 84, ex Orientalibus præsertim synodis collectos, ad conc. Lucense II eodem tempore in Gallæciâ congregatum, qui canones à collectoribus tanquàm Martini papæ sæpè laudantur : unde erroris occasio iis qui concilium Romanum, sive Lateranense sub Martino papâ contra Monothelitas cum hâc collectione confundunt. III, aliis quartum, anno 675.

Burdegalensia (Gall. de Bordeaux), octo : I, an. 385; II, circa annum 1075; III, an. 1093; IV, an. 1098; V, sub Alexandro IV; VI,

II, anno 350; III, anno 454; IV, anno 518; V, an. 536; VI, anno 553; VII, an. 633; VIII, anno 726; IX, anno 1099; X, anno 1107; XI, an. 1111; XII, anno 1142.

Hispalensia in Hispaniâ (Siviglia) duo: I, anno 590; II, an. 619.

I

Ilerdense in Hispaniâ (Lerida), anno 524.

Illyricianum an. 367, adversùs Pneumatomachos.

L

Laodicenum (à Laodiceâ, nunc Laudichia in Phrygiâ) ex 32 ep. Asianæ diœceseos. De disciplinâ edidit canones 59. Græci numerant 60. Duæ hujus concilii sunt versiones Arabicæ in Regiâ Bibliothecâ: in quarum alterâ, quæ Translata dicitur, cum Canonicis numerantur libri Judith, Machabæorum, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, quos in dubium revocant Protestantes. Ita ex D. Claudio Capellano doct. Sorbon. testatur Doujat, Prænot. l. 2, c. 10; Baronius et Binius ante syn. Nicænam, alii ad Liberii tempora sub an. 364, referunt.

Laudunensia (Gall. de Laon en Picardie), duo: I, anno 948; II, an 1231.

Lauriacense (Gall. Lorris, au diocèse d'Angers), anno 843.

Lemovicensia (Limoges), duo: I, anno 1029; II, an. 1031.

Leodiense (Liegi ad Mosam), an. 1081.

Ligonensia (Langres), duo: I, an. 859; II, anno 1080.

Lugdunensia (Lyon), tredecim: I, an. 185; II, an. 197; III, an. 475; IV, anno 517; V. anno 567; VI, anno 581; VII an. 583; VIII, anno 829; IX, anno 1055; X, anno 1080; XI, anno 1245; gen. XII, anno 1274; gen. XIII, an. 1449.

M

Matisconensia (de Mâcon ad Ararim fl.), quatuor: I, anno 581; II, an 585; III, anno 624 aut 626; IV, anno 1286.

Mecliniensia (Malines) duo: I, anno 1570; II, an. 1607.

Mediolanensia sexdecim: I, an. 344; II, anno 347; III, anno 350; IV, an. 355, Arianorum; V, an. 390; VI, anno 451; VII, anno 679; VIII, an. 1061; IX, an. 1287; X, anno 1291; XI, anno 1565; XII, an. 1569; XIII; an. 1573; XIV, anno 1576; XV, anno 1579; XVI, an. 1582. Sex posteriora habita sunt præside S. Carolo Borromæo, qui undecim synodos diœcesanas etiam celebravit.

Meldensia (Meaux), tria: I, anno 845; II, an. 1080; III, an. 1082.

Metensia (Gall. de Metz en Lorraine), octo; I, anno 590; II, anno 753; III, anno 835; IV, anno 859; V, anno 863; VI, anno 869; VII, anno 888; VIII, anno 1272.

Milevitanum (Milevi, Numidiæ urbe) ex PP. 61 contra Pelagianos, an. 416, quos, eorum causâ discussâ, detulerunt ad Innocentium I. Nullos in hoc concilio canones editos contra Pelagianos consentiunt jam ferè eruditiores, ait Nat. Alex. sec. V, cap. 3, quemadmodùm nec in Carthaginensi sub Aurelio antea, sed eodem an. 416 celebrato.

Moguntina viginti tria: I, anno 813; II, anno 829; III, anno 847; IV, anno 848; V, anno 852; VI, anno 857; VII, anno 888; VIII, anno 1023; IX, an 1049; X, anno 1069; XI, anno 1071; XII, anno 1075; XIII, anno 1085; XIV, anno 1105; XV, anno 1131; XVI, anno 1261; XVII, anno 1310; XVIII, anno 1327; XIX, anno 1420; XX, anno 1423; XXI, anno 1439; XXII, anno 1441; XXIII, anno 1549.

Mosomensia (Mouson, in diœcesi Rhemensi), duo: I, an 948; II, an. 995.

Murittense (de Moret), anno 850.

N

Nannetensia (Gall. de Nantes en Bretagne), quinque: I, anno circiter 658; II, anno circiter 890; III, anno 1127; IV, circa annum 1145; V, an. 1264.

Narbonensia (Narbonne), novem: I, circa annum 252; II, anno 599; III, anno 788; IV, anno 940; V, anno 994; VI, anno 1226; VII, anno 1235; VIII, an. 1551; IX, anno 1609.

Nemausensia (Nîmes), quatuor: I, anno 389; II, anno 886; III, anno 897; IV, anno 1096.

Neocæsariense (Neocæsarea est metropolis Ponti Polemoniaci, Turcis nunc Nichsar), paulò post Ancyranum, et ante Nicænum, an. 314 vel 315 congregatum, cui cum 16 episcopis interfuit Basilius Amaseæ episcopus, an. seq. sub Licinio passus. Extant hujus conc. canones 14, Græcis 15, decimo tertio, ut solet, in duos diviso.

Nivernense (Nevers ad Ligerim) anno 763.

Noviodunensia, seu Noviomensia (Gall. de Noyon en Picardie), quatuor: I, anno 814; II, anno 1017; III, anno 1271; IV, anno 1344.

P

Parisiensia triginta sex : I, anno 362; II, anno 555 circiter; III, anno 557; IV, anno 573; V, anno 577; VI, anno 614; VII, anno 824; VIII, anno 829; IX, anno 847; X, anno 849; XI, anno 1050; XII, anno 1073; XIII, an. 1092; XIV, anno 1145; XV, annó 1147; XVI, anno 1179; XVII, anno 1186; XVIII, anno 1187; XIX, anno 1196; XX, anno 1201; XXI, anno 1210; XXII, anno 1212; XXIII, anno 1223; XXIV, anno 1225; XXV, anno 1284; XXVI, anno 1290; XXVII, anno 1310; XXVIII, anno 1314; XXIX, anno 1323; XXX, anno 1329; XXXI, anno 1379; XXXII, anno 1394; XXXIII, anno 1398; XXXIV, anno 1428; XXXV, anno 1528; XXXVI, anno 1640.

Pictaviensia (de Poitiers), novem : I, an. 589; II, an. 590; III, an. 1002; IV, an. 1025; V, an. 1076; VI, an. 1078; VII, an. 1100; VIII, an. 1106; IX, anno 1117.

Pisana tria : I, anno 1134, contra Anacletum II, antipapam XXVII; II, anno 1409, ad tollendum schisma Gregorii XII et Benedicti XIII, à cardinalibus convocatum, in quo electus est 26 junii Alexander V, qui omnia in concilio gesta approbavit; unde est quòd ab eruditis multis concilium hoc Pisanum dicatur œcumenicum. Ei adfuerunt 300 episcopi et tres patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus et Jerosolymitanus. III concilium Pisanum, anno 1511, contra Julium II, verum ac legitimum pontificem celebratum, et proptèr id ab Ecclesiâ reprobatum.

Placentinum (Placentiæ in Æmiliâ, Piacenzia), anno 1095, ex pluribus nationibus convocatum, et propter immensam confluentium multitudinem extra urbem in campo celebratum. Capitula 14 statuit adversùs simoniacas et schismaticas ordinationes.

Pontigonense (Gall. Pont-Yon, en Champagne), anno 876.

Q

Quintinopolitana (Gall. Saint-Quentin en Picardie,) quatuor : I, anno 1231; II, anno 1236; III, anno 1239; IV, anno 1271.

R

Ravennatensia (Ravenna Italiæ in Flaminiâ) quatuor præcipuè : I, à Joanne VIII, cum Petro Gradensi patriarchâ et aliis episcopis ferè 132, anno 877, statuit 19 canones de disciplinâ et immunitate. II, à Joanne IX, cum 74 episcopis, anno 904, præsente Lamberto, qui in Italiâ imperabat. Decem decretis constitutis abrogavit Acta Stephani contra Formosum. III, à Joanne XIII, cum Aquileiensi patriarchâ 56 Italiæ episcopis, paucis è Germaniâ admixtis; Otto imperator restitutionem urbis atque agri Ravennensis pontifici confirmavit. IV, sub Gregorio V et Ottone III, à Gerberto ejus urbis archiepiscopo, an. 997, tribus circa disciplinam canonibus editis.

Redonensia (Gall. de Rennes en Bretagne), duo : I, anno 1069; II, an. 1263.

Regiense (Gall. de Riez en Provence), anno 439.

Rhemensia (de Rheims), viginti septem ; I, anno 625 aut seq.; II, an. 813; III, anno 879; IV, anno 893; V, an. 900; VI, anno 923; VII, an. 975; VIII, anno 991; IX, anno 995; X, anno 1049; XI, an. 1059; XII, anno 1085; XIII, anno 1092; XIV, anno 1094; XV, anno 1109; XVI, anno 1115; XVII, anno 1119; XVIII, anno 1131; XIX, anno 1140; XX, anno 1148; XXI, anno 1158; XXII, anno 1287; XXIII, anno 1363; XXIV, an 1393; XXV, an. 1455; XXVI, anno 1464; XXVII, anno 1583.

Romana centum viginti duo numerantur à Labbæo, et Lateranensia (in ecclesiâ et palatio sancti Joannis in Laterano Romæ) novemdecim; quæ omnia enumerare longum foret; vide indicem conciliorum generalium. Non est omittendum à Benedicto XIII celebratum fuisse concilium Romanum anno 1725.

Rothomagensia (Gall. de Rouen de Normandie) octodecim : I, an. 692; II, anno 1050 circiter; III, anno 1072; IV, an. 1073; V. an. 1074; VI, anno 1092; VII, anno 1096; VIII, anno 1107; IX, an. 1118; X, anno 1119; XI, anno 1186; XII, anno 1188; XIII, anno 1279; XIV, anno 1299; XV, anno 1310; XVI, anno 1445; XVII, an. 1514; XVIII, anno 1581.

S

Sardicense (Sardica), anno 347, à Julio papâ I indictum. Ei præfuit per legatos; 370 adfuêre episcopi partim Occidentales, partim Orientales; hi à prioribus separaverunt se, et conciliabulum habuerunt Philippopoli in Thraciâ. Interea Occidentales sancti Athanasii innocentiam declarârunt, fidem Nicænam confirmârunt, canones circa ecclesiasticam disciplinam 20 condiderunt, jusque appellandi ad Romanum pontificem confirmârunt. Huic concilio præsentes fuerunt S. Athanasius et Osius Cordubensis episcopus.

Salmuriensia (Gall. de Saumur ad Ligerim

« Quòd si ubi duo vel tres in nomine Domini « congregantur, licet sibi ipsis relicti falli pos« sint, continuò tamen in medio eorum sit « Dominus, quantò magis ubi summus pontifex, « cæterique primores ecclesiastici conveniunt, « ut hæresibus pullulantibus occurrant et Do« minicum agrum subortis expurgent zizaniis! » Conc. Senonense an. 1528 celebratum.

PATRES ET DOCTORES.

A

Achaiæ presbyteri ii sunt, qui martyrii S. Andreæ acta scriptis mandârunt primo seculo. Hæc acta genuina aliis, aliis spuria sunt.

S. Ado Viennensis, natus in Vastinio (le Gâtinais), versùs annum 800, educatus in monasterio Ferrariensi, postea electus abbas Prumiensis in diœcesi Trevirensi. Hinc Romam petiit, deinde Ravennam, postea Lugdunum, et à Rhemigio Lugdunensi archiepiscopo præpositus parochiæ S. Romani propè Viennam, anno 859, electus est et consecratus archiepiscopus Viennensis. Obiit circa annum 875. Inter ejus opera præcipua sunt Martyrologium, et Chronicon à mundo condito usque ad annum 875. Martyrologium Adonis post Rosweidum societatis Jesu iterùm edidit et illustravit D. Dominicus Georgi Romæ 1745.

Agobardus Lugdunensis archiepiscopus anno 859. Ejus opera in unum collecta et edita studio Stephani Baluzii 1666.

B. Albertus Magnus, Germanus natione, ordine Dominicanus, S. Thomæ magister, episcopus Ratisponensis, obiit anno 1280. Ejus opera 21 tomis in-folio continentur, typis impressa Lugduni, anno 1651.

Alcuinus Anglus, diaconus Eboracensis (York) à Carolo Magno vocatus, in Galliam venit versùs annum 790; ab eo pluribus abbatiis locupletatus, ibi floruit ad annum 804, quo obiit die Pentecostes 19 maii Turonibus (Tours).

Alexander Halensis, Anglus, ex ordine S. Francisci, magister S. Bonaventuræ, plura scripsit opera, ex quibus sola superest Summa Theologica. Obiit Parisiis 27 augusti 1245.

Algerus ex Leodiensi scholastico Cluniacensis monachus anno 1130. Post Lanfrancum et Guitmundum scripsit contra hæresim Berengarii libros tres, in quibus nonnulla correctione digna animadversa sunt. (Præterea libellum de Gratiâ et libero Arbitrio à P. Bernardo Pez divulgatum, ac librum tripartitum de Misericordiâ, Justitiâ, et de illis qui extra Ecclesiam, quem edidit Edmundus Martene.)

Amalarius Fortunatus Trevirensis archiep. obiit anno 814, edito libro de sacro Baptismate, qui falsò attribuebatur Alcuino, donec verum auctorem indicavit Jacobus Sirmondus in notis ad Theodulphi Aurelianensis opera. Contra verò Ludovici Pii jussu anno 827 conscripti libri quatuor de divinis Officiis, aliàs Officiales dicti, qui Amalario episcopo Trevirensi tribuebantur, Amalii diaconi Metensis sunt, sive Amalarii; cùm liber de Ordine Antiphonarii sit auctoris qui à Ludovico Pio se missum scribit ad Gregorium IV pontificem, ad cujus tempora non pervenit Amalarius Trevirensis. Ejusdem Amalarii Metensis est fortè Forma institutionis clericorum, et Sanctimonialium, in Aquisgranensi concilio probata anno 816.

S. Ambrosius, natus versùs 340, ordinatus die 7 decembris 374, archiepiscopus Mediolanensis, obiit anno 397, gloriosis pro fide catholicâ adversùs Arianos præcipuè et eximiè perfunctus laboribus. De Ecclesiâ pulchrè loquitur libro de Salomone capite 4 : « Etsi undarum fluctibus, aut procellis sæpè vexatur, nunquàm potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, id est, cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. »

Amphilochius Iconiensis in Lycaoniâ episcopus vivebat anno 392, ex Hieronymo de Script. Eccl. cap. 133. Opera illi à variis attributa, et Græcè, et Latinè Parisiis edita sunt 1644. Homilia in S. Deiparam, et Simeonem, aliæque adscribuntur à quibusdam alteri Amphilochio episcopo Sidensi, qui interfuit Ephesino.

S. Anastasius, abbas, discipulus S. Maximi, pro defensione fidei contra Monothelitas multa passus est. Exul obiit 24 julii 664.

Anastasius Apocrisiarius, id est, Nuntius Ecclesiæ Romanæ, eadem fermè à Monothelitis passus est, quæ alter Anastasius mox laudatus. In quodam castello conclusus fuit anno 666.

Anastasius Bibliothecarius, abbas Romanus, floruit seculo IX. Interfuit concilio generali VIII, id est, cap. 4. Multa acta collegit contra Monothelitas : alia etiam scripsit, et præcipuè vitas RR. PP., et vixit sub pontificatu Joannis VIII, qui electus anno 872, obiit anno 882. Incertus est mortis Anastasii annus.

Anastasius Nicænus, circa annum 690.

Anastasius Sinaita, patriarcha Antiochenus, sive Theopolitanus, anno 561.

S. Andreas Cretensis, natus Damasci, monachus Jerosolymitanus, à Theodoro patriar-

châ Jerosolymitano missus fuit ad concilium generale VI, anno 680, ubi strenuè se gessit adversùs Monothelitas. Postea ordinatus fuit archiepiscopus Cretæ, et obiit, juxta quosdam, anno 720, juxta alios, 723. Ejus festum celebratur à Græcis 4 julii. Celebres sunt ejus Homiliæ.

Antegisus abbas Fontanellensis IV, libros Capitularium vulgavit 827, quos velut publicum legum Franciscarum codicem regiâ auctoritate probatum à Ludovico Pio, et à Carolo Calvo laudatum, probat Stephanus Baluzius in præfat one ad Capitularia.

S. Anselmus, natus circa annum 1033, ordini S. Benedicti in monasterio Beccensi (Gallicè du Bec en Normandie) nomen dedit circa annum 1060. Prior Beccensis, abbas S. Stephani Cadomensis (Caen) archiepiscopus Cantuariensis in Angliâ (Cantorbery) successivè electus fuit. Obiit anno 1109. Multa sunt, eaque eximia, S. Anselmi opera.

Anselmus Laudunensis Ecclesiæ scholasticus, convenientes ex SS. PP. sententias excerpens, totum vetus ac novum Testamentum interlineari et marginali glossâ illustravit, quæ cum Glossâ ordinariâ Hugonis à S. Caro, et Nicolai de Lyrâ, aliorumque addimentis edi solet.

S. Antoninus, natus Florentiæ anno 1389, 16 annos natus sancti Dominici institutum amplexus, variisque decoratus in suo ordine dignitatibus, archiepiscopus Florentinus designatus fuit anno 1446. Obiit anno 1459; ab Adriano VI in numerum sanctorum relatus est anno 1528. Summam theologicam et historicam, aliaque opera scripsit.

S. Antonius, natus anno circiter 250, abbas Ægyptius, anachoretarum pater, obiit 356, ætatis 105. Vitam ejus scriptis commendavit S. Athanasius. Miro fuit S. Antonius contra Arianos cæterosque Ecclesiæ hostes zelo, ut constat ex his ejus verbis: « Schismaticorum « quoque hæreticorum venena vitate, meum« que circa eos odium consectamini, quia « Christi sunt inimici; scitis ipsi quòd nullus « mihi, nec pacificus quidem sermo cum eis « aliquando fuerit, propter eorum pravam vo« luntatem, et pertinax contra Christum bel« lum. »

Antonius monachus, et abbas Ægyptius conscripsit libros duos Sententiarum, sive capitum theologicorum de virtutibus et vitiis, ex PP. collectorum: qui Loci Melissæ, sive Favi inscribuntur. Ultimum è Patribus citat Joannem Damascenum, ut videatur vixisse non diù post, seculo VIII, aut paulò post; quare alius est à S. Antonio vitæ monasticæ auctore.

S. Antonius de Paduâ, natus Ulissipone (Lisbonne) anno 1195, relicto instituto canonicorum regularium, quod amplexus fuerat, ordinem S. Francisci adhuc viventis ingressus est. Obiit Paduæ (unde cognomen accepit), 13 junii 1231, annos natus 36. Scriptis, sermonibus et frequentibus miraculis multos ad fidem et bonos mores convertit.

Aquila et Theodotion, ambo ex paganis Christiani, et postea Judæi, ob translatam in Græcum Scripturam sacram veteris Testamenti celebres. Primus Synope in Ponto natus, versionem suam aggressus est circa annum 103. Alter circa annum 180. Accuratior est Theodotion quàm Aquila. His adjungimus Symmachum genere Samaritanum, qui ad Judæos, deinde ad Ebionitas defecit; novam veteris Testamenti translationem Græcam condidit. Floruit circa annum 201.

Arnobius, Africanus philosophus, ex pagano Christianus, scripsit contra gentiles circa annum 304.

Arnobius Junior vixit seculo V, circa annum 460. Presbyter fuit. Quasdam opiniones discipulorum S. Augustini impugnavit, et presbyteris Massiliensibus se adjunxit.

S. Athanasius, intrepidus fidei defensor contra Arianos, aliosque sui temporis hæreticos, cum S. Alexandro patriarchâ Alexandrino, cujus erat diaconus, interfuit concilio Nicæno. Patriarcha Alexandrinus consecratus fuit circa 326. Obiit 2 mai 373, post confirmatam plurimis operibus Ecclesiæ doctrinam.

Athenagoras, Atheniensis, philosophus christianus, Apologiam pro Christianis circa annum 165 Græcè scriptam obtulit imperatoribus.

S. Augustinus, natus Tagastæ an 354, conversus an. 387, presbyter an. 391, episcopus an. 395, obiit an. 430, quo indictum fuit concilium Ephesinum, ad quod convocatus fuerat. Summi vir ingenii, et catholicæ fidei zelator indefessus, omnes hæreticos debellavit scriptis, sed præsertim Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos et Semipelagianos. Certa quædam sunt effata S. doctoris, quæ juniorum, imò et seniorum theologorum mentibus utinam essent altè infixa! « Nolle, inquit libro « de Utilitate credendi, Ecclesiæ primas dare, « vel summæ impietatis est, vel præcipitis « arrogantiæ. » Et libro contra Epistolam Manichæi: « Evangelio non crederem, nisi Ec-

« clesiæ catholicæ me moveret auctoritas. » Patrum nullus est, cujus opera sæpiùs uberiùsque illustret Petavius, quàm Augustinus, in iis præsertim, quæ ad prædestinationem et gratiam, mortemque Christi pro omnibus, spectant. Vide ergo lib. 9 de Deo, tomum 3 et 5, seu quarti partem secundam.

Avitus (Sextus Alcimus Ecdicius) consecratus fuit post patrem suum Isicium archiepiscopus Viennensis, sexto ineunte seculo; nobilitate generis, vitæ sanctitate, doctrinâ celeberrimus. Præfuit concilio Epaonensi anno 517, et obiit anno 523.

B.

S. Barnabas, de quo in Actis Apostolorum, S. Pauli socius, Epistolam scripsit satis prolixam à Clemente Alexandrino, et aliis antiquis citatam. Ut genuinum S. Barnabæ opus nunc à nonnullis criticis existimatur.

S. Basilius (Magnus dictus) Cæsareæ in Cappadociâ episcopus, anno 370, obiit anno 378. Plurima quæ ad nos pervenêre tanti doctoris scripta summam pietatem, profundam scientiam, consummatissimam eloquentiam ostendunt. Pro veritate orthodoxâ firmissimus, graves toto vitæ suæ cursu lites exercuit cum Eunomianis, Sabellianis, Arianis aliisque hæreticis, à quibus multa passus est.

Basilius Seleuciensis anno 382.

Beda, cognomento Venerabilis, natus in Angliâ anno 672. Septennis puer commissus est curæ Benedictinorum, in quorum instituto crevit et consenuit. Obiit anno 735. Summam doctrinæ et pietatis post se famam reliquit. Extant plurima Venerabilis Bedæ scripta, inter quæ principem locum tenet Historia ecclesiastica gentis Anglorum à primo Julii Cæsaris in Britanniam adventum ad annum 731.

S. Benedictus abbas, Italus, natus Nursiæ in provinciâ Umbriæ circa annum 480. Româ, quò bonis litteris erudiendus missus erat, in eremum Sublacensem secessit anno 494. Relicto Sublaco, anno 528, montem Cassinum petiit, ubi circa annum 543 obiit. Scripsit Regulam monachorum, quorum caput, et veluti patriarcha in Occidente meritò dicitur.

Benedictus Levita anno 861.

S. Bernardinus Senensis, à frequenti urbis Senensis incolatu sic appellatus, ex ordine S. Francisci, obiit anno 1444, 20 maii, quo festum ejus colitur, 61 aut 63 ætatis anno. Sanctorum catalogo adscriptus est à Nicolao V anno 1450. Concionator fuit sermone potens et opere.

S. Bernardus, primus Clarævallensis abbas, natus est anno 1090, in castro Fontanis (Fontaine) propè Divionem. Obiit anno 1153, natus annos 63, post fundata in variis terræ regnis et provinciis 160 monasteria. Fuit S. Bernardus seculi sui decus singulare, paparum, episcoporum, regum, principum doctrinâ, sanctitate, miraculis quasi magister et oraculum, hæreticorum Abaelardi, Petri Brusii, et Henrici ejus discipuli quasi flagellum.

Berno Augiensis abbas ad annum 1014 ad 1045, diversus à Bernone Cluniacensi abbate I, qui Hincmari senioris auditor fuerat. Ejus est liber de Officio Missæ, sive de rebus Missæ officium pertinentibus.

Bibliotheca Patrum est collectio plurimorum operum à sanctis Patribus aliisque scriptoribus ecclesiasticis compositorum. Plures diversis temporibus prodierunt ejusmodi Bibliothecæ. Omnium copiosissima edita est Lugduni anno 1677, viginti septem voluminibus in-folio.

Bibliotheca Orientalis ex MSS. præcipuè Vaticanis edita est per clariss. Assemani.

Boetius (Anicius Manlius Torquatus Severinus) vir nobilis et doctus, post gestum consulatum anno 510, sub Theodorico Italiæ rege, ejus jussu in carcerem Papiæ conjectus, capite damnatus fuit anno 524. Inter opera ejus philosophica celebres sunt de Consolatione philosophiæ libri quinque, solutâ et strictâ oratione scripti. Opus etiam theologicum vulgavit adversùs Eutychen et Nestorium de duabus Naturis et unâ Personâ Christi, et aliud de Trinitate.

S. Bonaventura natus est in Etruriâ anno 1221. Ordinem fratrum Minorum ingressus anno 1243. Doctor Parisiensis anno 1255, totius ordinis sui minister generalis anno 1256, episcopus Albanensis et cardinalis anno 1272. Interfuit concilio œcumenico Lugdunensi II, anno 1274, sed paucis post primam sessionem diebus obiit 14 julii, à Sixto IV canonizatus anno 1482, à Sixto V, doctor Ecclesiæ declaratus anno 1588. S. Bonaventura fuit morum suavitate Deo hominibusque amabilis, et Luthero ipso teste, vir præstantissimus. Ejus operum octo tomi in-folio contentorum lectionem commendat Gerso, tanquàm maximè idoneam, et menti illustrandæ, et cordi ad pietatem accendendo.

S. Bonifacius Anglus, et Moguntinus archiepiscopus, à Frisiis paganis cæsus anno 754. Epistolas scripsit ad Gregorium II et III et Zachariam pontifices, atque ad proceres Fran-

corum, quæ collectæ sunt à Nicolao Serario.

S. Bruno, patriâ Coloniensis, canonicus Rhemensis, et scholarum magister, sacrum Carthusianorum ordinem fundavit anno 1084. Obiit anno 1101, 6 octobris. In cœlitum album relatus à Leone X, anno 1514. Multa ei à quibusdam tribuebantur opera, quæ sancto Brunoni Astensi episcopo Signiensi vindicanda sunt. Duæ tantùm Epistolæ ex eremo Calabriæ ab ipso scriptæ creduntur, una ad Radulfum Viridem, Ecclesiæ Rhemensis præpositum exhortatoria ad fugiendum mundum; altera ad suos majoris Carthusiæ incolas.

Burchardus Vormatiensis episcopus magnum illud Canonum volumen edidit, collaborante sibi in hoc magistro suo Olberto abbate, ait Sigebertus in Chronico ad annum 1008, ut haberent juniores clerici ejus diœceseos, unde jura canonica, et præsertim Pœnitentiarum formas admodùm confusas discerent, inquit idem Burchardus in Epist., Præfationis loco.

C

S. Cæsarius, primùm monachus et abbas Lirinensis, postea archiepiscopus Arelatensis anno 502, obiit anno 543 aut 544. Præfuit multis conciliis in Galliâ celebratis, et ipsi concilio Arausicano II (Orange). Fuit illustris pietate et doctrinâ; appellatur à doctis Benedictinis in novâ suâ Historiâ Galliæ litterariâ *Augustinus Galliarum*, propter propugnatam ab ipso sancti Augustini doctrinam.

Caius, presbyter Romanus, vivebat sub pontificatu Victoris I et Zephirini, id est, desinente seculo II, et III ineunte. Plura opera scripsit, quorum aliqua tantùm supersunt fragmenta apud Eusebium et Photium.

Aliud fragmentum huic Caio tribuit in Antiquitatibus medii ævi Muratorius, qui primus illud protulit.

Canones apostolici, dicti vulgò Canones Apostolorum, 85 numerantur, sed 35 posteriores, peritorum omnium judicio, apocryphos esse certum est; nunquàm enim ab Ecclesiâ Romanâ fuerunt recepti; et reverà canon 6, statuens pœnam depositionis aut excommunicationis in eos qui die sabbati jejunant, ab Ecclesiæ universalis usu abhorret; canon 85, à Scripturis canonicis (quibus falsò annumerat tertium librum Machabæorum) ablegat libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, sicut et Epistolam S. Judæ, et Apocalypsim S. Joannis. Nunc critici cum Albaspinæo, Cabassutio, etc., existimant 50 priores non esse genuinum Apostolorum opus, sed tamen esse valdè antiquos agnoscunt, et collectos ex pluribus conciliis ante synodum Nicænam celebratis à viris apostolicis, id est, ætatis Apostolorum supparibus.

Carolus Magnus, Franciæ rex anno 768, Romæ Occidentis imperator consecratus 25 dec. anni 800, obiit anno 814, 28 januarii, ætatis anno 72 nondùm completo. In tractatu de Incarnatione, ubi de cultu sacrarum imaginum, citantur libri Carolini, quos fatentur nunc omnes penè critici jussu Caroli Magni fuisse scriptos.

Cassianus. (Vide Joannes Cassianus.)

Cassiodorius (Magnus Aurelius Senator), natus in Lucaniâ circa annum 470, post gesta cum laude varia reipublicæ munia, consul creatus est anno 514. Seculo nuntium misit annos natus ferè septuaginta; monasterium in extremis Calabriæ finibus à se ædificatum rexit; studio ac pietati vacans, in senectute bonâ obiit anno ætatis plusquàm 93. (Præter Benedictum Garetium optimè de Cassiodorio meritus est Marchio Maffeius ὁ μακαρίτης, qui ejus Complexiones divulgavit, deque illius nominibus egregiam dissertationem conscripsit.)

S. Chromatius Aquileiensis, aliàs Romahanus episcopus, quem sui temporis episcoporum doctissimum et sanctissimum vocat S. Hieron. Præf. in LL. Paralipp., Homilias aliquas scripsit circa annum 400, quarum tres cum fragmentis aliarum supersunt in Bibliothecâ PP. At Epistolæ sub nomine Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, et hujus responsio, in quâ agitur de nativitate B. Virginis et de Martyrologio, quæ inter opera S. Hieronymi relatæ habentur, supposititiæ sunt, ut Baronius probat.

S. Chysostomus (Joannes), sic dictus ob eximiam et verè auream, quâ in publico perorabat, eloquentiam; natus est Antiochiæ circa annum 354. Diaconus Ecclesiæ Antiochenæ anno 381, presbyter anno 386, patriarcha Constantinopolitanus anno 398, obiit in exilio anno 407. In sancto Ecclesiæ doctore exquisita fuit rerum divinarum peritia, dicendi et scribendi summa facilitas; Judæos, gentiles, Arianos, etc., doctè admodùm confutavit. (Vitam S. Joannis Chrysostomi omnibus numeris absolutam edidit in Actis sanctorum tom. 4 Sept. doctissimus Joannes Stiltinghus. Ex Petavio plura erues ad Chrysostomi doctrinam pertinentia. Vide illum de Hier. Eccles. l. 2, c, 3; Dissert. Eccl., l. 1, c. 3, § 4; de Pœnit, lib.

cap. 19, § 14; de Incarn. l. 16, c. 18, § 5. Edidit Græcè et Latinè tomis 13 ejus opera Bernardus de Montfaucon Parisiis 1718, et ad codices MSS. emendavit.)

Clemens Alexandrinus, presbyter et scholæ Alexandrinæ præfectus, obiit circa annum 220. Plura scripsit volumina, « plena inquit « S. Hier. de Scriptoribus, capite 8, eruditio- « nis et eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, « quàm de secularis litteraturæ instrumento. »

S. Clemens I, papa IV, S. Pauli comes et adjutor, de quo ad Philippenses 4, v. 3, martyr occubuit an. 100, 13 novembris. Scripsit duas ad Corinthios Epistolas, quarum prima ferè integra ad nos pervenit : alterius unum superest fragmentum. Luculentum ex initio hujus secundæ epistolæ habetur divinitatis Christi argumentum, his verbis : « Fratres, ita nos sen- « tire oportet de Jesu Christo tanquàm de Deo, « tanquàm de judice vivorum ac mortuorum. »

Constantinus Magnus, primus imp. christianus, natus est anno 272, anno 306 imperator, anno 312 Crucis è cœlo rutilantis aspectu roboratus, tyrannum Maxentium devicit, et primus tantæ victoriæ fructus fuit ejus conversio ad fidem. Anno 325, concilio Nicæno I præsens adfuit, ejusque decretorum semper fuit tenacissimus, licet Eusebii Nicomediensis artibus deceptus, ea quandoque fecerit quæ Arianis favere viderentur. Obiit anno 337, ætatis suæ 66. Multas scripsit orationes et epistolas.

Constitutiones apostolicæ non sunt opus Apostolorum, sed auctoris tertii aut quarti seculi, qui se Clementem Apostolorum discipulum falsò jactitat. Legendum opus Joan. Baptistæ Cotelerii Sorbonici, cui titulus : « SS. PP. qui temporibus apostolicis florue- « runt, Barnabæ, Clementis, Hermæ, Ignatii, « Polycarpi, Opera edita et inedita, vera et « supposititia, ex MSS. codicibus, cum versio- « nibus, notis et novis accessionibus in edit. « Antuerpiensi 1698. »

S. Cyprianus Carthaginensis à Cæcilio presbytero (cujus deinceps nomen assumpsit) ætate jam provectâ baptizatus circa an. 246, presbyter circa finem anni 247, et episcopus Carthaginensis anno sequenti ordinatus est. Obiit martyr 14 sept. an. 258. Assiduè scripta Tertulliani magistri sui evolvebat, et ipse pluribus operibus, quæ S. Hieronymus vocat sole clariora, Ecclesiam ditavit.

S. Cypriani Opera edidit accuratè Jacobus Pamelius 1568. Eadem edita Amstelodami an. 1700, recognita et illustrata à Joanne Fello, qui se Oxoniensem episcopum dicit cum Annalibus Cyprianicis Joannis Pearsonii, et dissertationibus Cyprianicis Henrici Doyvelli. Tandem edita Parisiis curâ Stephani Baluzii, et per Maurinum monachum absoluta 1726.

S. Cyrillus Alexandriæ natus, et ejusdem urbis patriarcha an. 412, obiit an. 444. Conc. Ephesino generali III, an. 431, præfuit nomine S. Cœlestini I papæ. Hæreticos omnes, Novatianos inprimis et Nestorianos, indefesso studio et mirabili successu impugnavit. Ejus Opera magno semper in pretio habuêre Catholici.

S. Cyrillus Jerosolymitanus, primùm catecheseon magister, deinde episcopus Jerosolymitanus an. 350, adfuit conc. Constantinopolitano generali II, an. 381. Editionem Græco-Latinam curavit Augustinus Touttée Maurinus Parisiis 1720. Inter ejus opera celebres sunt Catecheses mystagogicæ ab eo adhuc adolescente, et ex tempore Jerosolymis prolatæ ad erudiendos tum accedentes ad baptismum, tum recens baptizatos ; in iis catholica doctrina de præsentiâ reali et substantiali corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ evidenter adstruitur; et inde est quòd novatores nostri eas Cyrillo abrogare nituntur : ipsi tribuendas apertè demonstrat ipse Casaubonus, Calvinista celebris.

D

Decretales seu epistolæ paparum trium priorum seculorum collectæ ab Isidoro Mercatore versùs finem VIII seculi, nunc ab omnibus ferè criticis etiam catholicis rejiciuntur, tanquàm suppositæ, nec unquàm à pontificibus, quorum nomine inscribuntur, compositæ. Excipienda tamen est prima Epistola S. Clementis I papæ ad Corinthios, quæ ad nos usque pervenit cum fragmento secundæ.

Decretum Eugenii IV summi pontificis ad Armenos continet compendiosas instructiones datas Armenis circa Sacramenta et dogmata definita contra Eutychetem et Monothelitas, quorum erroribus antea adhærebant. Decr. Eugenii datum fuit in publicâ sessione synodali celebratâ in Ecclesiâ majori Florentiæ anno 1439, 23 decemb. Est et decretum aliud ejusdem papæ pro instructione Jacobitarum.

Didymus, Alexandriæ natus anno circiter 309, utriusque oculi usu quinquennis puer licet orbatus, in omni eruditionis genere excelluit : totam Scripturam commentariis, et dogmata

plurima in operibus suis exposuerat. Obiit nonagenarius circa finem seculi quarti. Paucissima ejus scripta supersunt. Discipulos habuit S. Hier. et Rufinum. Adversùs omnes hæreticos, præsertim Arianos, validissimè disputavit.

S. Dionysius Alexandrinus, discipulus Origenis, presbyter factus, scholam catechisticam tenuit. Episcopus Alexandriæ ordinatus anno 247, obiit circa annum 265. Vocatus ad synodum Antiochenam, per litteras sententiam suam indicavit de Paulo Samosateno, quem ne salutatione quidem dignatus est. Accusatus fuit apud S. Dionysium papam, quòd scribens adversùs Sabellium, in errorem oppositum impegisset, dicendo Filium Dei esse creaturam; Litteris Apologeticis ab hoc errore se purgavit.

S. Dionysius Areopagita, id est, Areopagi senator, à S. Paulo Apostolo ad fidem conversus Athenis, circa annum 50 Christi. Utrùm in Gallias venerit; utrùm Parisiensis episcopus fuerit, et in Monte-Martyrum propè Parisios martyr obierit; utrùm auctor fuerit operum quæ sub ejus nomine vulgata sunt, ampla est disputandi scribendique materies. Sententia nunc communis Gallorum et Parisiensium est cum Sirmondo et Launoio, S. Dionysium Areopagitam esse omninò distinctum à S. Dionysio Parisiensi. Græco-Latina editio operum, quæ sub ejus nomine recepta sunt, cum scholiis Maximi monachi, et Georgii Pachimeræ paraphrasi prodiit Antuerpiæ, 1634, studio Balthasaris Corderii è Soc. Jesu: cæterùm eos libros post Hypatium Ephesinum episcopum in collatione Constantinopoli inter Catholicos et Severianos habitâ anno 532, Cajetanus, et Valla, et Erasmus, et plurimi alii negant esse S. Dionysii, quòd nulla mentio eorum librorum fiat ab Eusebio, à S. Hieronymo, aliisve ante S. Gregorium M. seculo VI. Alias etiam addunt rationes, quibus defensores respondent cum Natali Alexandro et aliis. A Dionysio Alexandrino scripta fuisse quædam scholia in Areopagitæ opera testatur Maximus monachus, nisi Dionysium rhetorem confundit cum Alexandrino. Eumdem à Cyrillo memorari Liberatus in Breviario, et à Chrysostomo dictum esse *Volucrem cœli* Anastasius Bibliothecarius annotavit. Prodiit anno 1603, Coloniæ, Gerardi Vossii studio ad calcem tomi 3 Operum S. Ephrem, et Sermo S. Joannis Chrys. antea parùm cognitus, in quo leguntur ea verba quæ Anastasius memorat Photius in Bibliothecâ ait se legisse librum Theodori Presbyteri, quo demonstrabat genuina esse opera S. Dionysii : Greg. M. Hom. 24 in Evang., hunc vocat antiquum et venerabilem Patrem.

Dionysius Carthusianus natione Germanus, diœcesis Leodiensis (Liége) obiit in Carthusiâ Ruræmundæ in Belgio (Ruremonde) anno 1471, ætatis 69, professionis 48, vir morum sanctitate et eruditione clarus; scripsit in omnes utriusque Testamenti et Magistri Sententiarum libros. Numero opusculorum parem ferè habuit neminem inter Latinos.

Dionysius Exiguus, à pusillâ corporis staturâ, sed doctrinâ et sanctitate magnus, natione Scytha, professione monachus, et abbas Romanus, obiit circa annum 550, aut aliquanto ultra, sed ante annum 556. Primus annos ab Incarnatione Christi supputavit. Opera ejus duo præcipua fuerunt: Codex canonum ecclesiasticorum, et Collectio decretorum pontificum Romanorum, à Siricio ad Anastasium II.

Diptycha erant tabulæ ecclesiasticæ continentes nomina præcipuè orthodoxorum episcoporum sive mortuorum, sive vivorum, quæ recitabantur inter Missarum solemnia. Tria Diptychorum genera distinguit card. Bona, l. 2 Rer. Litur. c. 12.

S. Dominicus, Hispanus, ex canonico regulari Ecclesiæ Oxomensis, ordinis FF. Prædicatorum auctor an. 1215, qui ordo approbatus fuit ab Honorio III, an. 1216. S. Dominici ingenium et virtus maximè enituit in refellendis Mahumetanorum et Albigensium hæreticorum erroribus. Bononiæ obiit 4 Augusti anno 1221, et relatus in numerum sanctorum à Gregorio IX. De Scriptis S. Dom. vid. Nat. Alex.

E

Eligius, patriâ Lemovicensis, professione aurifaber, Dagoberto I, Francorum regi, familiaris, et postea Noviomensis (Noyon) episcopus anno 646, obiit circa annum 663. Alii aliter ejus annos computant; dicunt episcopum fuisse anno 640, et obiisse anno 659. Conciones quasdam et homilias ad populum habuit, quarum aliquæ supersunt.

Ennodius (Marcus Felix), episcopus Ticinensis ab anno 490 ad 521, libellum *Apologeticum* edidit pro Symmacho et quartâ synodo Romanâ sub eodem, contra schismaticos calumniatores. Liber is, scriptus anno 503, et approbatus in V synodo, laudatur sub nomine Symmachi. Epistolarum præterea libros novem scripsit,

et varia opuscula edita à doctissimo P. Sirmondo, et inserta tomo IX Biblioth. PP. Ed. Lugd.

S. Ephrem, diaconus Edessenæ Ecclesiæ in Syriâ, obiit circa annum 378. In episcopum electus, statim in forum procurrit, et simulatâ dementiâ ordinationi se subtraxit. Hæreticos vehementer detestatus est, eorumque fraudes mirâ dexteritate sæpè detexit et refutavit. Ejus opera, quæ penè omnia ascetica sunt, tanto olim in honore habita fuerunt, ut post Scripturam sacram publicè in quibusdam Ecclesiis legerentur. Editionem cum accuratissimâ versione operum S. Ephrem curârunt ab anno 1732, Petrus Benedicti soc. Jesu, tum D. Joseph Assemanni.

S. Epiphanius, Salaminæ in Cypro episcopus circa an. 378, obiit circa annum 402, nonagenario major. Multa scripsit, sed præcipuè adversùs hæreses octoginta. Panarium, insigne illud opus, veluti præsentissimum adversùs omnes hæreses continet pharmacum: scripsit etiam Ancoratum, quod est veluti completa fidei expositio ad continendos in fide homines idonea, instar anchoræ.

Evagrius, Epiphaniæ, quæ est urbs Syriæ, natus circa an. 537, quadriennis grammaticorum scholas, postea Antiochiæ forum frequentavit: unde Scholasticus dictus est. Ejus mortis annus incertus. Scripsit Historiam ecclesiasticam sex libris contentam ab an. 431, quo damnata est hæresis Nestorii, usque ad annum 594.

S. Eucherius ex monacho Lirinensi factus est episcopus Lugdunensis anno 434; obiit circa an. 454. Antequàm in solitudinem secederet, matrimonium inierat, ex quo duos habuit filios, Salonium et Veranium, episcopatûs dignitatem postea adeptos. Eximium et continuâ lectione dignum opusculum composuit de Contemptu mundi. Sermones ejus eloquentissimi passim in Breviariis novis leguntur. Alium fuisse etiam Eucherium, Lugdunensem item episcopum, VI seculo quidam autumant, sed immeritò.

Eusebius, Emissenus in Syriâ episcopus, floruit anno 341, et obiit circa annum 360. Arianæ fuit, juxta S. Hieronymum, signifer factionis. Scripsit multas, sed breves homilias, quæ tamen hactenùs sub Eusebii Emisseni nomine vulgatæ sunt, non ipsi, sed partim S. Eucherio Lugdunensi, partim nonnullis aliis tribuendæ sunt.

Eusebius Pamphili, sic dictus ab arctissimâ ejus cum S. Pamphilo martyre amicitiâ; natus circa an. 270, fuit episcopus Cæsariensis anno circiter 315; an. 325, interfuit conc. Nicæno, in quo ad imperatorem Constantinum panegyrim habuit. Obiit circa an. 340; multa scripsit opera (præsertim Historiam ecclesiasticam) per quæ de Ecclesiâ et eruditis omnibus benè meritus fuisset, nisi aliunde Arianis apertè favisset.

S. Eusebius, Vercellensis episcopus, natione Sardus, missus est à Liberio papâ ad Constantium imperatorem tunc in Galliâ degentem an. 354, à quo obtinuit, ut episcoporum cœtus celebraretur. Obiit circa an. 370, et colitur ut martyr in Ecclesiâ Romanâ die 16 decembris, et reverà ab Arianis exilium, famem, sitim, verbera, aliaque diversa supplicia perpessus est. Extant nonnullæ ejus Epistolæ, quæ robur apostolicum et religionem ejus sapiunt.

F

Facundus, Hermaniensis in Africâ episcopus, floruit anno 540. Obiit post annum 550. Fuit acerrimus trium Capitulorum defensor, in quo sanè erravit: nam ab universâ Ecclesiâ in concilio Constantinopolitano II generali V, damnata sunt anno 553.

Faustus ex Britanniâ Armoricâ oriundus (Basse-Bretagne), presbyter et monachus Lirinensis, postea episcopus Regiensis (Riez en Provence), obiit ferè centenarius circa an. 484. Præsul pius et doctus, cujus festum celebratur die 16 Januarii in Ecclesiâ Regiensi. Lucidum Prædestinatianum ab errore revocavit per epistolam, quam primò synodus Arelatensis undecim, deinde Lugdunensis 27 episcoporum, subscriptionibus suis confirmârunt. Illarum synodorum impulsu scripsit libros de Gratiâ et libero Arbitrio. Faustum multi Semipelagianum fuisse credunt, imò aliqui cum malâ fide et pertinaci animo errâsse dicunt.

Ferrandus diaconus Carthaginensis S. Fulgentii Ruspensis, cujus Vitam scripsit discipulus, claruit an. 553 usque ad 550, quo circiter mortuus esse creditur. Scripsit multas epistolas, et ex iis aliquas in gratiam trium Capitulorum.

S. Flavianus patriarcha Constantinopolitanus consecratus an. 447, obiit an. 450, à Dioscoro, Chrysaphio, aliisque Eutychianis plurimis affectus suppliciis.

Flodoardus, Rhemensis canonicus, et Culmisiacensis parochus, deinde monachus, scripsit Chronicon ab anno 917, ad 966, quod mutilum ferè quatuor primis annis prodiit

primùm operâ Petri Pithæi, adjectâ aliquot annorum appendice. Scripsit et Historiam antistitum Rhemensis Ecclesiæ libris IV comprehensam ad an. 948, quæ Sirmondo primùm curante typis mandata est. Plura eum scripsisse de Vitis Sanctorum metricè, testis est Joannes Bunderius, qui vivebat an. 1550. In Indice MSS. codicum Belgii, ap. Nat. Alex. sec. X, cap. 5, art. 39. Obiit an. 966.

Florus, Magister dictus, diaconus Lugdunensis, floruit an. 837. Præclarâ eruditione tantum sibi nomen comparavit, ut ab Ecclesiâ Lugdunensi electus sit ad refellendum Joannis Scoti Erigenæ errorem de Præscientiâ, et Prædest. et lib. Arbit. Scripsit de Actione Missarum : et Collectanea in S. Pauli Epistolas juxta Sirmondum. Ignotus est mortis annus.

S. Franciscus Assisias natus an. 1182, circa an. 1210, ex Wadingo, ordinem Fratrum Minorum fundavit, approbatum postea in concilio Lateranensi IV, anno 1215. Obiit 4 octobris 1226; Sanctorum catalogo adscriptus est an. 1228, à Gregorio IX; ejus opera in unum volumen collecta sunt cum operibus S. Antonii de Paduâ.

Freculfus, monachus ord. S. Benedicti, deinde ep. Lexoviensis, scripsit Chronicon à mundi exordio ad an. circiter 600 Christi. Obiit circa an. Ch. 850.

S. Fulbertus, Carnotensis (Chartres) episcopus ab anno circiter 1007 usque ad annum 1028, quo obiit. Præsul liberalibus artibus valdè excultus, sanctitate et devotione erga beatam Virginem Mariam insignis.

S. Fulgentius natus est in Africâ circa an. 467; Ruspensis episcopus anno 508, obiit circa an. 533. Scripsit adversùs Arianos, quorum invidiâ, jubente Thrasimundo rege Wandalorum, exul ejectus est in Sardiniam insulam, sed postea revocatus decreto Hilderici an. 523 à suis honorificè exceptus est. Vocatus etiam fuit seculi sui Augustinus, ob defensam S. doctoris adversùs Semipelagianos doctrinam.

G

S. Gaudentius sancto Philastrio in episcopatu Brixiensi successit, à S. Ambrosio ordinatus circa an. 387. An. 405 à synodo Romanâ et Honorio imperatore missus est cum aliis ad Arcadium imperatorem S. Chrysostomo subinfensum, ut eum pacatiorem redderet. Incertus est ejus mortis annus, qui fuit, secundùm aliquos, 410, secundùm alios, 427. Scripsit vitam S. Philastrii, et multos sermones, seu tractatus de variis argumentis.

Gelasius Cyzicenus anno 475, et Gennadius Constantinopolitanus patriarcha anno 448.

Gennadius, Massiliensis presbyter, non autem episcopus, ut quidam censuerunt, vixit usque ad finem seculi quinti, et fortè nonnisi sequentis seculi initio obiit. De Scriptoribus ecclesiasticis librum unum, alium de Dogmatibus ecclesiasticis composuit. Semipelagianismi accusari solet.

S. Germanus, Antissiodorensis (Auxerre) episcopus floruit IV et V, sec. Anno 429, à Gallicanis episcopis missus est cum S. Lupo Trecensi episcopo in Angliam, ad refellendos, et convertendos Pelagianos. Iterùm postea ad Anglos eâdem de causâ reversus, fidem orthodoxam miraculis confirmavit, et post absolutam missionem profectus in Italiam obiit Ravennæ, circa an. 448 31 julii.

S. Germanus, patriarcha Constantinopolitanus ab anno 715 ad annum 730, quo ab impio imp. Leone Isaurico Iconoclastâ à sede suâ pulsus est nonagenario major; vixisse tamen creditur usque ad annum circiter 740.

Gerso (vid. Joannes Gerso).

Gratianus, Italus Benedictinus floruit usque ad annum 1151. Decreta canonica collegit, et ea simul conciliare nititur. Inscribitur ejus opus : Concordia discordantium canonum. Citatur semper sub nomine Decreti.

Goffridus Vindocinensis abbas, et cardinalis S. Priscæ ab Urbano II, vixit ad ann. 1130. Multa perpessus pro Romanâ Ecclesiâ; scripsit libros 5 Epistolarum, opuscula 8, sermones 51.

S. Gregorius M. vixit ad ann. 604. Ejus epistolarum Registrum, seu Regestum, constat XII libris. Heterodoxi, atque inprimis Jamesius in Vindiciis Gregorianis, aliquot ejus Epistolas ipsi abjudicant, ac præcipuè 54, l. 7, de Disciplinâ circa Lapsos, quam tamen eruditi cum Nat. Alexand. ab antiquis temporibus interpolatam concedunt; 64, l. 7, et 10, l. 11, et 32, l. 12, quam etiam deformatam concedit Nat. Alex. apud quem vide responsiones Catholicorum. Privilegium S. Medardi multos habet impugnatores cum Launoio : alii tanquàm legitimum tuentur cum Roberto Quatrimario, et Joanne Mabillonio in Apologeticis contra Launoium. Scripsit Moralia in Job, Librum Pastoralem, Homilias in Ezechielem et in Evangelia; libros Dialogorum, com-

muni auctorum et codicum MSS. consensu, quidquid plures heterodoxi, et nonnulli catholici dubitaverint. Commentarios in libros Regum, in 7 Psalm. pœnitentiales, in Cantica, negat esse S. Gregorii M. Nat. Alexan. in sec. VI, cap. IV et art. XVI, ubi de Antiphonario et Sacramentario, ejus novis deinde accessionibus aucto.

S. Gregorius, dictus Nazianzenus, quia natus est propè Nazianzum, et Nazianzenæ Ecclesiæ curam aliquandiù sublevandi patris sui illius urbis episcopi causâ suscepit, fuit episcopus Sazimorum in Cappadociâ, postea Constantinopolitanus electus, et confirmatus à concilio Constantinopolitano I, an. 381; quo tempore episcopatu se lubens pacis causâ abdicavit, et in patriam suam reversus, in senectute bonâ quievit circa an. 390, 9 maii, ætatis circiter 65. S. Basilio fuit amicitiâ conjunctissimus, omni scientiarum genere præcellens, in theologiâ summus; unde antonomasticè dicitur Theologus.

S. Gregorius Neocæsariensis, Thaumaturgus dictus à dono miraculorum, quo maximè pollebat, fuit Origenis discipulus circa an. 254, et, exacto sub tanto magistro quinquennio, Neocæsariensis episcopus ordinatus est. Septemdecim tantùm Christianos intrans reperit, et moriens totidem tantùm gentiles reliquit. Obiit circa an. 265.

S. Gregorius Nyssenus D. Basilii Magni, S. Petri Sebastæ præsulis, sanctæ Macrinæ abbatissæ frater ipse sanctissimus, anno circiter 370, Nyssæ in Cappadociâ episcopus constitutus fuit. Ob fidem Nicænam acerrimè propugnatam à Valente imp. Ariano in exilium missus, exul octo annos in variis locis erravit. Sedi suæ postea restitutus, anno 381 concil. II generali interfuit, et vixit usque ad an. 394. Vocatus est à VII synodo œcumenicâ Pater Patrum.

S. Gregorius Turonensis natus est apud Arvernos anno 644, ab avunculo Gallo episcopo Arvernensi (Clermont en Auvergne); bonis litteris institutus, Turones petiit, ubi primùm diaconus, deinde an. 573 archiep., tandem anno 595 obiit. Scripsit Historiæ sive Annalium Francorum libros 10 et alia quædam opera de miraculis plurimorum SS. martyrum, confessorum, et S. Martini.

H

Halitgarius Cameracensis episc. an. 823.

Haymo ep. Halberstadiensis circa an. 840.

Herardus Turonensis an. 859.

S. Hermas Pauli Apostoli discipulus, de quo mentio habetur c. 16 Epistolæ ad Romanos, versu 14, dicitur obiisse anno 80. Scripsit opuscula sub nomine Pastoris, quæ magno in pretio habita sunt primis Ecclesiæ temporibus.

Hesichius, sive Isicius episc. Salonitanus in Dalmatiâ, V sec. tempore Zozimi et S. Augustini, quorum extant ad eum epistolæ.

Hesychius, patriarcha Hierosolymitanus tempore Gregorii M., ut constat ex epist. 40. L.

Neuter videtur auctor septem librorum explanationum in Leviticum, sed intermedius quidam Hesychius, presbyter Hierosolymitanus, quem exeunte sec. V, probabilibus argumentis conjicit Labbæus scripsisse Græcè, licet opus à semibarbaro aliquo deinde versum sit, qui in quibusdam priscis codicibus presbyter Salonitanus dicitur.

S. Hieronymus natus est Stridone in confinio Dalmatiæ et Pannoniæ circa ann. 329. Presbyter an. 378, ordinatus à Paulino Antiocheno, obiit valdè senex an. 420. Multos habuit variis temporibus, et in vario scientiarum genere magistros, Gregorium Theologum, Apollinarium Laodicenum, Paulinum Antiochenum, Didymum Alexandrinum. Varios hæreticos feliciter confutavit, in primis Vigilantium, Helvidium, Jovinianum, Luciferianos, Pelagianos, Origenistas. A S. Prospero dicitur Hebræo simul et Graio, Latioque venustus eloquio, morum exemplum, mundique magister.

S. Hilarius Arelatensis, primùm Lirinensis monachus sub S. Honorato, tum ejusdem in Arelatensi episcopatu successor anno 429, obiit anno 454, juxta Morerium an. 449. S. Hilarium vivum S. Leo I papa graviter excepit, falsis contra eum accusationibus deceptus; sed re meliùs cognitâ, mortuum debitis laudibus honoravit.

Hilarius, diaconus Ecclesiæ Romanæ, unà cum S. Eusebio Vercellensi aliisque ejectus in exilium anno 355, incidit in Luciferianum schisma, ac rebaptizantium hæresim, vocatus idcircò à S. Hieronymo Deucalion orbis. Videtur esse auctor Commentarii in omnes S. Pauli Epistolas, quod inter opera S. Ambrosii habetur, et idcircò vocatur *Ambrosiaster*, id est pseudo-Ambrosius.

S. Hilarius, laicus, scripsit Epistolam ad S. Aug. contra eos qui tanti doctoris doctrinæ circa gratiam adversabantur. Falsò hujus Epi-

stolæ auctorem aliqui fecerunt S. Hilarium Arelatensem.

S. Hilarius, Pictaviensis episcopus ante an. 355; in exilium missus est an. 356, revocatus ab exilio an. 360, obiit circa an. 368. Ab omnibus SS. Patribus coætaneis et recentioribus impensè laudatus est; à S. Hieronymo vocatur eloquentiæ Rhodanus. Ejus zelo conservata in Galliis fides catholica. Arianæ factionis adversarius constans, eam vivâ voce, scriptis, frequentibusque synodis debellavit.

Hincmarus, Benedictinus, Rhemensis archiep. an. 845, obiit anno 882. In pluribus conciliis contra Gothescalcum monachum (ordinis etiam S. Benedicti) Prædestinatianum, primas partes habuit. Plura scripsit edita Parisiis studio P. Sirmondi. Ipsius Epistolæ historiam ejus temporis, et utramque politiam illustrant; plures habuit controversias cum Hincmaro Juniore ep. Laudunensi, cujus erat avunculus.

S. Hippolytus, S. Irenæi Lugdunensis discipulus, incertæ hucusque sedis episcopus, in Italiâ martyr obiit circa an. 230. Plura scripsit, quorum supersunt quædam fragmenta tantùm cum Cyclo Paschali.

Honorius, Augustodunensis presbyter et scholasticus, floruit circa annum 1120. Inter opera plura scripsit seriem Romanorum pontificum à S. Petro ad Innoc. II, anno 1130 electum; dedit et Catalogum hæreseon.

Hugo à S. Victore, aut Victorinus, natione Saxo, canonicus regularis in cœnobio S. Victoris Parisiensis, obiit circa an. 1140; cognominari solitus, *alter Augustinus*, vel *lingua Augustini*.

Hugo Carensis, sive de S. Caro Delphinas ex valle Barchinonetæ ad Ebredunum, ex ord. S. Dominici omnium primus cardinalis factus ab Innoc. IV, circa medium seculi decimi tertii. Concordantias Bibliorum primus excogitavit, pièque obiit Lugduni, sepultus in templo FF. Prædic., an. 1262.

I

Idelphonsus (S.) ep. Toletanus ab an. 658 ad 667, scripsit lib. de Virginitate S. Marci, et serm. de S. Mariâ, quem Nierembergius edidit. Reliqua opera sub ejus nomine Parisiis excusa pro supposititiis habet Joannes Poza.

Idiota diu incognitus mansit. Is est Raymundus Jordanus, primùm præpositus anno 1381. Ucetiensis (Uzes) deinde abbas Cellensis. Sapientis illius Idiotæ opera miram spirant pietatem.

S. Ignatius primùm S. Petri discipulus, deinde ejus in sede Antiochenâ post Evodium successor an. 70 usque ad an. 107 aut 108, quo martyr obiit Romæ, sub Trajano. Septem epistolas ad Smyrnenses, ad S. Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesianos et Philadelphios, ad Trallenses, ad Romanos, tanquàm genuinum S. Ignatii opus agnoscunt eruditi. Ex iis epistolis multa fidei dogmata, inprimis Christi divinitas, ejus in Eucharistiâ præsentia realis mirè confirmantur, ex iis, inquam, non secundùm vulgatas editiones, sed secundùm editionem Usserii ex MSS. Anglicanis, et Vossii ex codice Medicæo. Usserius corruptelas omnes miniatis litteris distinguit à verbis S. Ignatii.

Joachim, abbas ordinis Cisterciensis, ex Calabriâ oriundus, floruit XII seculo, et ineunte XIII obiit. Ejus liber contra quasdam Magistri Sententiarum opiniones damnatus est in concilio Lateranensi IV; sed intacta fuit Joachimi persona, quia vivus opera sua judicio sedis Apostolicæ subjecerat.

Joannes Cassianus, natione Scytha, in Bethleemitico cœnobio educatus à pueritiâ et Ægypti monasteria peragravit, et cum SS. Patribus frequentia de rebus asceticis habuit colloquia, unde Collationes ejus prodierunt. Constantinopolim profectus, à S. Chrysostomo magistro suo diaconus ordinatus, ab Innoc. I presbyter factus, post captam ab Alarico Romam, Massiliam venit anno circiter 410. Duo monasteria ibi fundavit. Obiit an. 448, juxta Labbæum, et juxta alios ann. 435. Multa opera tum ascetica tum polemica adversùs Nestorianos composuit.

S. Joannes Climacus, sic dictus ab opere, cui Græcè titulus est Climax, seu Scala, obiit valdè senex post transactos in monasterio Montis Sinai an. 60, circa finem seculi VI, et juxta alios anno 606.

S. Joannes, Damascenus à patriâ dictus, floruit seculo VIII, sub cujus medium obiit. Pro cultu sacrarum imaginum strenuè decertavit contra imperatores Leonem Isauricum, Constantinum Copronymum et alios Iconoclastas. Multa opera theologica scripsit contra Eutychianos et Nestorianos.

Joannes Duns Scotus. V. d. infra, Scotus.

Joannes Gerso, Gallus diœcesis Rhemensis, natus an. 1363. Doctor Parisiensis an. 1392, et paulò post cancellarius Universitatis. Anno 1414, interfuit conc. Constantiensi legatus regis Galliæ et provinciæ Senonensis. Concilio finito, Parisios reverti prohibitus, Lugdunum se recepit, ubi reliquum vitæ tempus libris conscri-

bendis, et parvulis catechizandis in æde divi Pauli insumpsit. Obiit an. 1429, mense julio, et in ecclesiâ S. Laurentii sepultus est. Mirâ fuit pietate affectus erga divum Josephum beatæ Virginis sponsum.

Jonas, Aurelianensis epicopus, IX seculo inter episcopos celeberrimus, scripsit Apologeticum contra Claudium Taurinensem episcopum Iconoclastam. Obiit anno 843.

Josephus, genere Hebræus, dignitate sacerdos, claruit anno Christi 67, non solùm apud suos, sed etiam apud Romanos, ita ut, referente Eusebio, in urbe Româ statuâ donaretur, ejusque libri propriâ manu Titi subscripti in Bibliothecâ publicâ fuerint collocati. Legitur præclarum de Jesu Christo testimonium, cap. 4, l. 18 Antiquitatum Judaicarum. An illud testimonium sit Josephi disputatur; longè probabilius est esse genuinum celeberrimi hujus historici fœtum. Obiit Josephus circa finem primi seculi.

S. Irenæus, S. Polycarpi primò discipulus, deinde Lugdunensis presbyter, ac tandem post S. Pothinum episcopus anno 178, obiit martyr paulò post annum 200, et fortè ante annum 202. Scripsit Græcè multa opera, præcipuè quinque libros adversùs hæreses.

S. Isidorus, Hispanus, successit in episcopatu Hispalensi S. Leandro fratri suo circa annum 595. Obiit anno 636, 3 aprilis. Præfuit pluribus conciliis, et ipsi Toletano IV nationali. Vocatur à conc. Toletano VIII Ecclesiæ catholicæ novissimum decus... et in seculorum fine doctissimus.

S. Isidorus Pelusiota ex vicino Pelusio urbe, dictus etiam Isidorus Presbyter, discipulus S. Chrysostomi, monachus sanctitate et eruditione insignis, claruit anno circiter 412, usque an. circiter 440. Supersunt auctoris illius bis mille et duodecim epistolæ, breves quidem, sed sacrâ eruditione refertæ.

Julianus Pomerius, in Mauritaniâ Africæ natus, et Arelate in Galliâ presbyter ordinatus, exeunte seculo V, et VI ineunte floruit. Scripsit de Vitâ contemplativâ libros tres, qui S. Prospero tribuebantur olim, sed falsò.

Justinianus imperator ab an. 527 usque ad 565, scripsit plurima ad rem ecclesiasticam spectantia; sæviit adversùs Nestorianos et Eutychianos. Indixit conc. V œcumenicum, in quo damnationem trium Capitulorum petiit et obtinuit. Notæ sunt etiam Institutiones Justiniani de Rebus civilibus.

S. Justinus, philosophus, ad fidem Christi conversus circa an. 133, obiit martyr circa an. 165. Inter alia scripta duas apologias pro Christianis composuit, primam circa an. 140, alteram paulò ante mortem. In omnibus editionibus Apologia quæ primo loco ponitur, est reipsà secunda; et ea quæ secundo loco ponitur, est reipsà prima.

Juvencus, presbyter Hispanus, carmine Latino vitam Christi quatuor libris descripsit circa an. 330.

L.

Lactantius Firmianus, quem nonnulli sic dictum aiunt à Firmo agri Piceni urbe, fuit Arnobii discipulus. Obiit valdè senex circa ann. 325 aut 330. Ob singularem eloquentiam Cicero Christianus appellatur. Dicitur à S. Hieronymo, in superstitionibus gentilium refellendis solidior, quàm in religionis christianæ dogmatibus confirmandis.

Lanfrancus natione Italus, ex monacho factus est prior Beccensis, postea abbas S. Stephani Cadomensis, et tandem Cantuariensis archiepiscopus, et Angliæ primas. Ab anno 1070 usque ad 1089, quo obiit, acerrimè disputavit contra Berengarium, eumque ita convicit, ut librum suum in ignem conjecerit. V. Indicem hæreticorum, v. Berengariani.

S. Leo pont. max. obiit an. 461; scripsit plures epistolas ac sermones, de quibus V Nat. Alex. aliosque ab eo citatos. Epistolam de chorepiscoporum privilegiis jamdudùm rejecerant Morinus ac Sirmondus. Legatur Josephus Antelmius in Dissertationibus criticis de veris operibus SS. PP. Leonis M. et Prosperi Aquitani, contra dissertationes Quesnelli in editione operum S. Leonis, quam ipse curavit.

Leo VI Orientis imperator, cognomento Sapiens, patre Basilio imper. sic jubente coronatus est à S. Ignatio patriarchâ Constantinopolitano coram Anastasio Bibliothecario an. 870. Post varia fortunæ discrimina, mortuo patre, potitus imperio invasorem Photium abjecit. Plura et eximia conscripsit opera, præcipuè orationes, et Epistolam insignem ad regem Saracenorum, de Veritate christianæ fidei, in quâ apertè docet processionem Spiritûs sancti à Patre et Filio.

Leontius Byzantinus, ex advocato monachus in Laurâ S. Sabæ propè Hierosolymam, floruit sec. VI, sub Justino Juniore et Tiberio. Scripsit librum de Sectis hæreticorum ac synodo Chalcedonensi, in X actiones distin-

ctum; tres libros adversùs Eutychianos et Nestorianos; duos adversùs fraudes Apollinaristarum; item Solutiones argumentorum Severi, etc.

Liberatus, Ecclesiæ Carthag. diaconus, unus de Africanis Trium Capitulorum defensoribus, libellum scripsit de Hæresi Nestorianâ et Eutychianâ, cui Breviarii nomen indidit, post annum 564. Lege Præfationem viri eruditi P. Garnerii, Soc. J. in Liberati Breviarium, quod emendatissimum edidit, et notis elegantibus illustravit.

Liber diurnus Rom. Pont., in lucem editus an. 1680, ex antiquissimo codice à P. Garnerio Soc. Jesu, cum notis et Dissert. Is probat scriptum fuisse, Librum Diurnum, sec. VIII, sub annum 714.

Liturgiæ sunt Rituales libri auctoritate publicâ Ecclesiarum scripti, earumque usu comprobati, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam Eucharistiam continentur. Plures vulgantur sub nomine sanctorum Petri, Matthæi et Marci, sed ostendunt critici non esse eorum opus genuinum. Liturgia S. Jacobi dicta, est illis antiquior, ejusque auctorem credunt S. Jacobum fratrem Domini, cardinales Bellarminus et Bona; excipiunt tamen quasdam orationes, quæ postea additæ fuerunt. Aliæ multæ sunt Liturgiæ, ut SS. Basilii Cæsariensis, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Theologi, Chrysostomi, etc.

Lucianus, presbyter Antiochensis, in Scripturæ sacræ, cujus peculiarem editionem adornavit, studio versatissimus, pro fide christianâ martyr obiit sub Maximino, an. 312 ineunte. Accusatur à multis tanquàm hæreseos Arianæ præcursor: huic accusationi locum dedêre præcipui Arianismi fautores, qui S. Luciani fuerant discipuli. Ab hâc labe eum excusat Baronius ad an. 311. Colitur ut martyr 16 januarii. Eximium illud de S. Luciano narratur, quòd carcere conclusus, cùm propter vincula et plagas loco se movere non posset, symbola Eucharistiæ supra pectus suum ab adstantibus concaptivis poni jusserit, et sic sacrificium peregerit, cui tum ipse, tum adstantes participaverunt.

Lucifer Calaritanus episcopus, an. 371 diem obiit. Scripsit autem libros duos pro Anastasio ad imp. Constantium, de regibus apostaticis, *de non conveniendo cum hæreticis*, aliaque quæ asperrimum in delinquentes zelum ostendunt. Colitur apud Sardos ut sanctus; cæterùm ab aliis schismatis reus habetur.

Lupus abbas Ferrariensis, sive S. Petri ad Ferrarias diœcesis Senonensis discipulus Rabani Mauri, idemque cum Servato Lupo obiit circa an. 83. Extat ejus liber Epistolarum, sive de tribus Quæstion., nimirùm de lib. Arbitr., de Prædest. bonorum et malorum, et de Redemptione sanguinis Christi.

Luitprandus, ex Ticinensi diacono ep. Cremonensis sub Othone imp. sec. X, scripsit Rerum suo tempore gestarum lib. 5. Sextus liber ab alio additus. Liber de pontificum Rom. Gestis à S. Petro ad Formosum, qui sub ejus nomine unà cum Anast. Bibliothecarii Pontificali, et Abbonis Floriacensis Epitome de Vitis eorumdem pontificum, operâ Joannis Busæi prodiit, suspectus est Vossio, ac potiùs tribuitur monacho Germano sub annum 895.

M

Maximus (S.) abbas et martyr, celeberrimam habuit an. 645 disputationem cum Pyrrho Monothelitâ expatriarchâ Constantinopolitano. Post abscissionem manûs et linguæ, obiit in exilio an. 662.

S. Maximus, Taurinensis episcopus (Torino) floruit V sec. Obiit valdè senex post an. 465; sed utrùm ad an. 470 pervenerit, aut etiam 476, ut aliqui credunt, incertum est. Plures egregiè et eleganti stylo homilias conscripsit, quarum nonnullæ diu SS. Ambrosio et Augustino sunt attributæ.

Melito, Sardensis episcopus (Sardi in Asiâ), an. 170 pro Christianis libellum apologeticum Antonino imperatori obtulit, ex quo quædam fragmenta Eusebius conservavit.

Metaphrastes. Vide Simeon.

Micrologi Liber est de ecclesiasticis Observationibus circa an. 1085 compositus, ut evincit Gregorii VII, et Anselmi Lucensis, velut hominum coætaneorum mentio: quis auctor fuerit, non satis compertum. Bernoni Augiensi adscribit Claudius Spencæus. At Guidoni abbati S. Crucis Avellanæ notarum musicarum repertori Possevinus, quos refellit Theophilus Raynaudus.

Minutius Felix, natione Afer, professione causidicus, Romæ floruit circa an. 220. Scripsit elegantem dialogum, cui nomen *Octavius*, inter paganum accusantem, et Christianum vindicem, patronumque Christianorum. In hoc dialogo gentilium cultum, deorumque prosapiam ingeniosè sugillat.

Moschus (Joannes) sub initium sec. VII, auctor Prati spiritualis, ut constat ex epistolâ ad

Sophronium libro præfixâ, et ex Photio in Bibliothecâ, ubi hæc addit : « Multorum magnorumque virorum, res præclarè gestas aggregavit, quas partim oculis ipse spectavit, partim « recenti tunc editione didicit... Cæterùm ex « his omnibus industrius quisque, et Dei amans « fructum capiens, nunquàm hujus scripti nimiam prolixitatem accusabit. » Hic liber à VII synodo, act. 4, et à S. Joanne Damasceno Or. 1 de Imaginibus laudatur sub Sophronii Hierosolymorum archiep. nomine. Hujus erroris occasio fuit, quòd Moschus Sophronio discipulo Pratum spirituale dedicaverit, quod testatur tum Epistola præfixa, tum Photius.

N

Nicephorus Callixtus, monachus, floruit anno 1333. Scripsit Historiam ecclesiasticam ex præcedentium scriptorum monumentis, Eusebii scilicet, Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Evagrii. Opus Nicephori cum delectu et acri judicio legendum monent viri eruditi, quia multas fabulas continet ex incertis et dubiæ fidei auctoribus collectas.

S. Nilus, primùm Constantinopolitanus gubernator, et B. Joannis Chrysost. discipulus, in deserto Sinai solitariam vitam elegit. A Photio *vir divinus* appellatur, multaque egregia volumina edidisse dicitur. Circa annum 420 mortuus est, ejusque memoriam colit Ecclesia die 12 novembris. Catalogum operum ejus vide ap. Labbæum de Script. eccl.

O

Odo (B.) Cluniacensis, musicus et archicantor ecclesiæ S. Martini Turonensis, postea monachus, ac Cluniacensis secundus abbas ab an. 927 usque ad annum 942, quo obiit Turonis, plura scripsit opera, quæ reperiuntur in Bibliothecâ Patrum.

Odo, Cameracensis, primùm scholasticus Aurelianensis, dein abbas S. Martini Tornacensis, demùm episcopus Cameracensis an. circiter 1105, obiit an. 1113, in monasterio Aquicinctino (Anchin) propè Duacum, quò secesserat post suam à sede Cameracensi expulsionem ab Henrico IV, imperatore, à quo investituram episcopalem accipere noluerat. Ejus opuscula habentur in Bibliothecâ Patrum.

OEcumenius vixisse dicitur post an. 1000 ; sunt tamen qui ad an. 800 aut 900 revocent. Magnam Novi Testamenti partem, ex Veterum scriptis, præcipuè S. Chrysostomi, cujus breviator est, clarè, dilucidè et concisè explicavit ; unde vocatur sæpè Scholiastes Græcus.

S. Optatus, Milevitanus in Numidiâ episcopus, acerrimus Donatistarum impugnator, claruit circa an. 368. Scripsit contra Parmenianum Donatistam episcopum, de Schismate Donatistarum libros septem, quibus totius schismatis originem et progressum aperit, schismaticorum fraudes ac mendacia refellit, doctrinamque Ecclesiæ tuetur non modestè minùs quàm doctè et acutè.

Ordo Romanus est liber de divinis Officiis et Ministeriis per totius anni circulum, scriptus circa an. 730 ; ejus auctor penitùs ignoratur ; non malè tamen conjicitur fuisse aliquem ex præcipuis Romanæ Ecclesiæ clericis.

Origenes, natus Alexandriæ circa an. 185, filius Leonidæ martyris, discipulus S. Clementis Alexandrini, ejusque successor in præfecturâ scholæ Alexandrinæ, presbyter ordinatus est anno ætatis suæ 42. Obiit circa an. 252. Celebris fuit Origenes doctrinâ, amore castitatis, fidei in carceribus et tormentis confessione ; propter errores tamen benè multos qui in ejus libris legebantur, sive ab ipso conscripti, sive ab aliis inserti variis in locis, condemnatus est. Innumera scripsit volumina, quorum pars magna ad nos usque non pervenit ; supersunt adhuc multa, inter quæ libri contra Celsum plurimi sunt.

Paulus Orosius Hispanus libros septem scripsit, « quibus, ut ait Gennadius, penè totius « mundi tempora (ab orbe condito ad annum « Christi 417) calamitates, et miserias ac bello« rum inquietudines replicans, ostendit magis « christianæ observationis esse, quòd contra « meritum suum res Romana adhuc duraret. » Scripsit etiam Apologeticum contra Pelagianos de arbitrii libertate, aliaque quæ Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispanâ vetere, et Fabricius Biblioth. mediæ et infimæ Latinit. lib. 14 fusè recensent.

Osius Cordubensis in Hispaniâ episcopus, præfuit concilio Nicæno, an. 325, nomine S. Sylvestri papæ. Vocatus est pater episcoporum et conciliorum, quibus benè multis præfuerat. Annos 100, natus exilio, ærumnis, plagis et mortis metu lapsus est, et Sirmiensi secundæ formulæ Arianæ subscripsit ; sed instante morte, ait S. Athanasius, in Ep. ad solitarios, vim sibi illatam quasi Testamento declaravit, et Arianam hæresim anathemate feriit.

Otho Frisingensis Leopoldi marchionis Au-

striæ filius, Conradi III, imperatoris frater, monachus Cisterciensis, abbas Morimundensis, deinde episcopus Frisingensis, sanctissimè obiit in monasterio Morimundensi an. 1158. Scripsit Chronicorum libros septem ab initio mundi ad sua usque tempora, id est, ad annum 1146.

P.

Papias (B.) Hierapolitanus episcopus in Phrygiâ, S. Joannis Apostoli discipulus, et S. Polycarpi sodalis, ex malè intellectis Scripturæ quibusdam textibus finxit mille annorum regnum, in quo beati post resurrectionem corporum cum Christo corporaliter regnarent.

Paschasius, diaconus Ecclesiæ Romanæ, floruit ab anno 492 ad 512. Olim ipsi tribuebantur lectissimi et luculenti libri de Spiritu sancto, quos eruditi critici nunc tribuunt Fausto Regiensi.

Paschasius Radbertus Gallus, natus est circa annum 786. Monasticum habitum induit in monasterio Corbeiensi, cui præfectus est anno 844. Copiosè scripsit de veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistiâ. Obiit anno 851, 26 aprilis. Alibi demonstratur non potuisse Paschasium introducere novum de præsentiâ reali dogma, ut fingunt Albertinus, Claudius, Laroquanus, Basnagius et alii ministri Calvinistæ.

S. Pacianus, episcopus Barcinonensis (Barcellona), floruit circa annum 370. Obiit admodùm senex sub Theodosio versùs annum 390. Nonnulla scripsit opuscula de Baptismo, ad pœnitentiam Parænesim, id est, exhortationem. Inter ejus opera maximè commendantur Epistolæ contra Novatianos; ob castitatem et eloquentiam à S. Hieronymo collaudatur.

S. Paulinus Nolanus, patriâ Burdigalensis, natus circa annum 354, presbyter an. 393, Nolæ in Campaniâ episcopus circa annum 410, obiit an. 431, 22 junii. Clarissimorum sui temporis virorum, scilicet Ambrosii, Augustini, Hieronymi, etc., elogiis, præcipuè ob insignem in pauperes misericordiam, nobilitatus est.

Petrus Blesensis (Blois) floruit ab anno 1160 ad 1200. Ex canonico Bituricensi, Bathoniensis in Angliâ, postea Londinensis archidiaconus et archiepiscopi Cantuariensis cancellarius, et ipsius regis procancellarius, Alexandri III papæ nomine ad Sultanum Iconii scripsit epistolam de Institutione fidei.

Petrus Cluniacensis abbas, qui et Petrus Venerabilis an. 1123.

Petrus Comestor, sive Manducator, decanus primùm S. Petri Trecensis, deinde Parisiensis Ecclesiæ, et Academiæ cancellarius, ac tandem ap. S Victorem canonicus regularis, qui auctor Historiæ Scholasticæ, sive enarrationis historicorum voluminum S. Scripturæ fuit, Gratiani et Petri Lombardi temporibus, iis tamen junior, sive sub finem sec. XII.

S. Petrus, Chrysologus ob eloquentiam dictus, episcopus Ravennæ in Italiâ ordinatus paulò post annum 430, obiit circa annum 450. Multi supersunt sermones ejus, et brevis, sed luculenta ad Eutychen hæresiarcham Epistola.

S. Petrus Damiani (sic dictus à Damiano fratre suo, quem semper patris loco veneratus est) ex monacho Benedictino episcopus Ostiensis, et cardinalis, multis pro Ecclesiâ Romanâ et cleri reformatione legationibus, ac laboribus perfunctus, gloriosè obiit anno 1072, ætatis 66, præclaram virtutis ac doctrinæ famam consecutus.

Petrus, natione Lombardus, vulgò dictus Magister Sententiarum, floruit ab anno 1141. Episcopus Parisiensis anno 1159 creatus est. Obiit anno 1164, 20 julii. Sententiarum libros quatuor commentariis illustrârunt postea innumerabiles theologi.

S. Philastrius, Brixiensis episcopus, obiit circa annum 390. S. Ambrosio maximè familiaris fuit. Scripsit librum de Hæresibus, qui catholicæ veritatis amorem undequàque spirat. Auxentio Mediolanensi Arianorum duci animosè restitit invictus fidei Nicænæ defensor.

Philo, Judæus Alexandrinus, de genere sacerdotali, claruit anno 40. Variam ac multiplicem sacrorum voluminum expositionem edidit; sed, relicto litterali sensu, allegoricum præcipuè sectatus est.

Photius S. Tharasii patriarchæ Constantinopolitani ex sorore nepos, schismatis quidem auctor fuit, sed doctrinâ claruit non vulgari. Bibliothecam inprimis reliquit, quâ libros à se lectos recensuit, censorium de iisdem judicium tulit, multorum excerpta et fragmenta transmisit ad posteros : opus hoc scripsit, cùm legatus in Assyriâ esset. Ipsum Græcè et Latinè edidit Andreas Schottus Soc. Jesu. Composuit Nomocanonem ex canonibus apostolicis et conciliorum collatis cum legibus imperatorum Romanorum. Scripsit Epitomen conciliorum

œcumenicorum, tractatum de Voluntatibus in Christo, dissertationes de Divinitate et Incarnatione Christi ab Henrico Canisio tom. 5 Antiquæ lectionis editas; Commentarium in Epistolas Pauli, ex quo multa in Catenam suam derivavit OEcumenius, ut Andreas Schottus in præf. observat. Epistolas scripsit 248, quas è MSS. cod. Bodlejano cum auctario quinque aliarum ejusdem de Rebus in Jure Orientalium dubiis, edidit Richardus Montacutius ex Protestantibus; Sermonem ejusdem in Nativitatem B. Mariæ edidit Combefisius tom. 1 auctarii Bibliothecæ PP. Græco Latinæ. Inter Photii Epistolas eminet, quam scripsit ad Michaelem Bulgarorum regem de Officio principis.

S. Phæbadius, Aginnensis episcopus in Galliâ, anno 359 interfuit concilio Ariminensi, ubi pro fide Nicænâ egregiè decertavit. Præfuit anno 384 concilio Cæsar-Augustano contra Priscillianistas. Vivebat adhuc anno 392, quo S. Hieronymus texebat Catalogum scriptorum ecclesiasticorum, in quo capite 108, hæc leguntur: « Phæbadius, Aginni Galliarum episcopus, edidit contra Arianos librum; vivit usque hodie decrepitâ senectute. »

S. Polycarpus, à S. Joanne magistro suo Smyrnensis episcopus creatus. Valdè probabiliter conjicitur eum esse *angelum Smyrnæ*, de quo tam præclara habet S. Joannes Apocalypsis capite 2. Sexaginta et ampliùs annos Smyrnensem Ecclesiam rexisse S. Polycarpum certum est; at quo anno martyr S. obierit non planè constat. Alii cum Eusebio dicunt obiisse anno 167, alii 169, alii 175, quidam verò 147.

S. Prosper, patriâ Aquitanus, non episcopus, ut diu creditum est, sed laicus, et aliquandiù S. Leonis I papæ ab epistolis, seu secretarius, obiit circa annum 460. Multa edidit opera contra Pelagianos, tum strictâ, tum solutâ oratione. Doctrinæ S. Augustini addictissimus fuit, et ad S. præsulem scripsit contra Gallos qui S. doctoris circa gratiam et prædestinationem sententiæ adversabantur.

Prudentius Hispanus, poeta, laicus, natus Cæsar-Augustæ circa annum 348, floruit ab anno 405, usque ad obitum, cujus annus ignoratur. Supersunt ejus opera poetica plurima, inter quæ principem locum tenet liber de Coronis, in quo plurimorum martyrum describit certamina et victorias. Est alius Prudentius Tricassinus, cujus nuper Trombellius edidit Florilegium ex sacrâ Scripturâ, anecdot. p. 2.

R

Rabanus Maurus, Alcuini discipulus, monachus et postea abbas Fuldensis, tandem Moguntinus archiepiscopus anno 877, anno sequenti collectâ Moguntiæ synodo, Gothescalcum præsentem invictis argumentis confutatum ad Hincmarum Rhemensem carceri includendum remisit; ejusdem errores paulò post variis opusculis strenuè oppugnavit. Obiit vir sanctissimus et doctissimus anno 886, 4 februarii.

Ratramnus, Corbeiensis monachus, postea abbas Orbacensis, obiit versùs annum 870. Scripsit librum de Corpore et Sanguine Domini adversùs Paschasium Radbertum; sed in eo non negat præsentiam realem corporis Christi in Eucharistiâ, ut fusiùs demonstrari solet in tractatu de Eucharistiâ. Ratramnus fuit ex iis qui errore facti personæ Gothescalci faverunt, non autem ejus erroribus. Jussu episcoporum Gallicanorum respondit objectionibus Græcorum missis à Nicolao I anno 867 ad dictos episcopos.

Raymundus Lullus, de quo ingens apud criticos est controversia, obiisse dicitur anno ætatis 80, anno 1315.

S. Raymundus de Pennafort, Barcinone natus, annorum 45, ordinem FF. Prædicatorum ingressus, « scripsit Summam casuum conscientiæ, qui solent in foro pœnitentiæ occurrere, magnæ doctrinæ atque auctoritatis, et tam confessariis quàm confitentibus valdè utilem ac necessariam, » inquit Clemens VIII, in bullâ canoniz. Scriptam antequàm Romam à Gregorio IX vocaretur, ex veteri MS. probat Diago ap. Nat. Alex., qui ex aliis monumentis putat colligi eam fuisse scriptam aut perpolitam Romæ post decretales Greg. IX, quas trium annorum spatio collegit. Addit scripsisse de Ratione visitandæ diœceseos, Modum justè negotiandi pro mercatoribus, denique de Bello ac Duello. Obiit anno ætatis penè 100, Ch. 1275.

Regino Prumiensis in diœcesi Trevirensi, abbas electus an. 945, verùm potentiâ æmulorum dejectus. Edidit Chronicon in duos libros distinctum ab Adventu Domini ad an. 908. Appendix pertingit ad an. 967. Ejus tractatus de Disciplinis ecclesiasticis ac Religione christianâ jussu Ratbodi Trevirensis archiepiscopi exaratus, atque in 90 fermè capitula divisus, teste Trithemio, collectio est canonum.

S. Remigius, Lugdunensis archiepiscopus

ordinatus anno 853, præfuit concilio III Valentino anno 855, et variis episcoporum conventibus, Tullensi, Lingonensi ; obiit 28 octobris, anno 875. Nomine Ecclesiæ Lugdunensis respondisse fertur tribus epistolis, quas Hincmarus, Pardulus Laudunensis, et Rabanus miserant ad Amolonem, cui Remigius successerat; aliudque opus scripsisse contra Capitula Carisiaca (de Quierzi) quibus confirmatur damnatio Gothescalci; verùm hos libros nec Ecclesiæ Lugd. nec B. Remigio tribuendos esse satis perspicuè contendunt duo auctores moderni, Honoratus scilicet à S. Mariâ Carmelita discalceatus eruditissimus, et Joannes B. Duchesne S. Jesu in libro Gallico, cui titulus le *Prédestinatianisme.*

S. Remigius Rhemensis, in pago Laudunensi quasi miraculosè ex vetulis jam parentibus natus anno 471, 22 ætatis suæ anno, Rhemensis episcopus constitutus est; Clodovæum Francorum regem ad fidem conversum baptizavit ipsâ nocte Natalis Domini, an. 496. Obiit anno ætatis 96, episcopatûs 74.

Richardus S. Victoris, natione Scotus, monasterii Victorini Parisiensis canonicus regularis, obiit anno 1173; vir, inquit Sixtus Senensis, honestate conversationis, et eruditionis doctrinâ conspicuus; scripsit præcipuè de asceticis.

Robertus de Sorbonâ à natali vico (Sorbon) dictus, S. Ludovici Galliæ regis pœnitentiarius, aut saltem sacellanus, canonicus primùm Suessionensis, deinde Parisiensis, florebat anno 1252, quo collegii Sorbonici fundamenta jecit. Obiit circa annum 1273.

Rufinus, Aquileiensis presbyter, S. Hieronymi primùm amicus, deinde adversarius, Origenis apologista, varios Græcorum libros Latinè transtulit, nempe Josephi Antiquitates Judaicas, Bellum Judaicum, et duos libros contra Appionem, Historiam Eusebii, Recognitiones S. Clementis, etc. Scripsit etiam ipse plura opera.

Rupertus abbas Tuitiensis in diœcesi Coloniensi, obiit 1135. Plurium operum auctor, in quibus sunt Commentariorum de sanctissimâ Trinitate et operibus ejus libri 42 ; de Victoriâ Verbi Dei libri 13; de divinis Officiis libri 12, de quorum auctoritate diu est dubitatum; præterea in multos S. Scripturæ libros Commentaria. Notatur quòd circa mysterium Eucharistiæ non rectè scripserit, significans panem assumi à Verbo divino, quemadmodùm assumpta est humanitas.

S

Salvianus, Massiliensis presbyter (non verò episcopus, ut aliquando creditum est), claruit ab an. 440 usque ad annum 495, ante quem non obiit. Eximia sunt ejus opera de Providentiâ Dei, et adversùs avaritiam.

Scotus (Joannes Duns Hibernus) ex ordine S. Francisci, doctor Paris., Subtilis dictus. Immaculatæ conceptionis beatissimæ Virginis defensor inclytus, floruit maximè XIV seculo. Obiit Coloniæ, die 8 novemb., anno 1308, natus annos 43, aut secundùm alios 34 tantùm ; tam brevi spatio innumera ferè ingenii sui monumenta reliquit. Non est confundendus doctor Subtilis cum altero Joanne Scoto Erigenâ seu Hiberno, qui IX seculo vixit, et cujus scripta crassis ac fœdis scatent erroribus.

Sedulius presbyter in Italiâ philosophiam et poesim didicisse legitur, in Achaiâ de Jesu Ch. scripsisse. Extat Paschale Carmen de Christi miraculis, et Paschale opus solutâ oratione circa an. Ch. 430. Utriusque operis meminit cum laude Gelasius papa in Can. *Sancta Romana,* dist. 5; sunt et alia ejusdem carmina tomo 8 Bibliothecæ PP. Parisiensis 1624. Aliud opus Collectionum contendit Labbæus ipsius fuisse, sed Collectaneum, seu expositionem in omnes Ep. Pauli, esse alterius Sedulii episcopi Scoti, qui post. an. 700 vixit.

Severus Sulpitius, presbyter Aginnensis SS. Phæbadio, Augustino, Hieronymo, Paulino familiaris, S. Martini discipulus, cujus vitam scripsit, Historiam sacram composuit, eamque ab initio mundi ad annum 400 perduxit, quo maximè tempore floruit. Sub finem vitæ à Pelagianis deceptus est, sed culpam agnoscens, quam loquendo contraxerat, silentio expiavit.

Sidonius Apollinaris natus est Lugduni anno 435. Variis in seculo præfecturæ et senatoriæ dignitatis perfunctus honoribus, anno 472 episcopus Arvernorum (Clermont en Auvergne) consecratus est. Obiit circa an. 487, vir in divinis Scripturis doctus, et in disciplinis secularium litterarum suo tempore omnium opinione eruditissimus. Scripsit tam metro quàm solutâ oratione multa præclara opuscula.

Simeon Metaphrastes floruit ab anno 950, aut ulteriùs, præsertim sub Constantino Porphyrogenito; fuit imperatoribus à secretis et intimis consiliis, ac summus logotheta. Scripsit Vitas sanctorum, ut Bellarminus quidem scribit, « Multis additis ex proprio ingenio, « non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potue-

« runt; addit multa colloquia, sive dialogos « martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam « conversiones adstantium paganorum in tanto « numero, ut incredibiles videantur; denique « miracula plurima et maxima, in eversione « templorum et idolorum, et in occisione per- « secutorum, quorum nulla est mentio apud « veteres historicos. » Displicet hæc censura Bollando in præf. generali ad Vitas SS. § 3. Asserit gratis dici colloquia conficta, etsi fortè explicatiùs proposita, cùm tot tantæque provinciæ tantillo tempore ad Christum conversæ sint, id factum non esse sine magnis miraculis.

Stephanus Edvensis, sive Augustodunensis episcopus an. 1112.

Strabus Walafridus, abbatiæ Fuldensis monachus, et deinde abbas Divitis, seu Majoris Augiæ ad Rhenum ex Rabani Mauri operibus librorum sacrorum expositionem decerpsit, atque ex illis, aliisque nonnullis circa annum 840 Glossam composuit, quæ *Ordinaria* dicitur, et *Magistralis;* quæ à posterioribus deinde aucta et ornata est, præcipuè ab Anselmo Laudunensi, adjectis PP. sententiis. Alteri quidem Strabo Fuldensi monacho hoc opus adscribunt Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus; Canisius tamen et Vossius Fuldensem Strabum eumdem faciunt cum hoc Strabo Augensi abbate. Scripsit etiam librum de Divinis Officiis, sive Exordiis rer. ecclesiasticarum.

Socrates natus Constantinopoli circa annum 380, Historiam Ecclesiæ scripsit, eamque à Constantini imperatoris primordiis usque ad annum 439 perduxit; accuratum esse hoc opus animadvertit Valesius. Novatianis paulò faventior fuit Socrates, sed eorum dogmati non consensit.

Sophronius episc. Hierosolymitanus an. 636.

Sozomenus, patriâ Palæstinus, professione causidicus, Historiam ecclesiasticam elucubravit, annos 115 complectentem, ab anno 324 ad annum 440, quo eam dedicavit Theodosio Juniori. Vincit Socratem coævum historicum sermonis elegantiâ, sed à Socrate vincitur judicii maturitate.

Symmachus. Vide v. *Aquila.*

T.

Tertullianus (Quintus Septimus Florens) Africanus Carthaginensis natus ex ethnicis parentibus paulò post medium II seculi, ad fidem conversus circa annum 185, presbyter factus circa 192, speciosis Montanistarum jejuniis et vigiliis deceptus, illorum sectam amplexus est. Obiit valdè senex circa annum 220. Multa scripsit opera sale et acumine plena; ejus Apologeticus adversùs gentes, et liber de Præscriptionibus hæreticorum singularem laudem merentur. (Vid. Præscriptiones t. 1 Theol.)

Theodoretus, natione Syrus, natus est circa annum 386. Cyri episcopus creatus anno circiter 420, obiit anno 457, aut 458, septuagenario major. Fuit condiscipulus Joannis Antiocheni et Nestorii; S. Cyrilli Anathematismos tanquàm hæreses impugnavit, concilio Ephesino noluit vocatus interesse, sed cum Joanne patriarchâ Antiocheno aliisque Orientalibus episcopis in consessum clandestinum abiit. In Chalcedonensi concilio tandem anathema dixit clarè Nestorio; nec aliâ conditione à Patribus concilii potuit suscipi : ejus tamen scripta adversùs Cyrillum damnata sunt in concilio V generali. Scripsit Historiam ecclesiasticam ab anno 322 ad annum 427 perductam, multosque commentarios in sacram Scripturam.

Theodorus Cantuariensis episc. an 697.

Theodorus Studites abbas, circa annum 810.

Theodotion. Vide v. Aquila.

Theodulphus, natione Italus, abbas Floriacensis (Gall. Benoît-sur-Loire, diocèse d'Orléans), postea episcopus Aurelianensis ante annum 794 consecratus, Carolo Magno ob virtutem et eruditionem charus et familiaris. Circa annum 810, accusatus conjurationis cum Bernardo Italiæ rege adversùs Ludovicum Pium Bernardi patruum, in monasterium Andegavense detrusus fuit, sed paulò post compertâ ejus innocentiâ, rex è carcere liberatum Aureliam remisit. Obiit circa annum 821.

Theophylactus, archiepiscopus Acridæ in Bulgariâ, in lectione operum S. Chrysostomi versatissimus, floruit circa annum 1071. Obiit versùs finem seculi XI. Multis commentariis Scripturam sacram explicavit, grandioribus S. Chrysostomi voluminibus velut in epitomen redactis. Non benè sensit de Processione Spiritûs sancti à Filio.

Theophilus Alexandrinus an 385.

S. Thomas Aquinas natus anno 1224. Anno 1241 Ordinis S. Dominici habitum induit. Anno 1255 doctor Parisiensis. Post recusatum archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente IV oblatum, vocatus anno 1274 à Gregorio X ad concilium Lugdunense, in itinere obiit 7 martii, ætatis anno 50. Nota est omnibus S. Thomæ eruditio, subtilitas, fœcunditas ingenii cum

sanctitate, castitate et modestiâ incomparabili.

Thomas Valdensis, Anglus, Carmelita, obiit Rothomagi (Rouen) 3 novembris anno 1430. Adversùs Hussitas, Wiclefistas et alios sui temporis hæreticos exactissimè disseruit Thomas Valdensis ordinis sui et theologiæ eximium decus.

V

Venantius (Honorius Clementianus Fortunatus) gente Italus, post sibi sanatos ope S. Martini oculos, Turones, postea Pictavium petiit, et hujus urbis episcopus consecratus est. Ob raras ingenii dotes et eximiam rhetoricæ ac poetices scientiam celebris fuit. Sanatus fuit à S. Martino ante annum 560. In vivis adhuc erat anno 600. Ignoratur ejus ordinationis et mortis annus.

S. Vincentius Lirinensis monachus et presbyter, S. Lupi Trecensis episcopi, ut quidam autumant, frater, anno 434 scripsit opusculum egregium, cui titulus: Commonitorium adversùs hæreses.

Victor Tununensis, seu Tononensis in Africâ episcopus, Trium Capitulorum acerrimus propugnator, eâque de causâ in Ægyptum deportatus jubente Justiniano, ac tandem Constantinopolim translatus, et monasterio inclusus, obiit circa an. 566. Ex Chronico, quod ab initio mundi ad initia Justini Junioris exaraverat, teste Isidoro Hispalensi cap. 25, de Script. eccl., superest tantùm postrema pars, quæ ab anno 444, in quo desierat Prosper, ad an. 565 pertinet; quod Chronicon continuavit Joannes ex Biclariensi abbate Gerundensis in Hispaniâ episcopus ad an. 590.

Usuardus, natione Gallus, S. Germani Parisiensis monachus Benedictinus, floruit IX seculo. Circa annum 870 scripsit Martyrologium quo Romana Ecclesia ac permultæ aliæ utuntur.

Y

S. Yvo, patriâ Bellovacensis (Beauvais en Picardie), episcopus Carnotensis, obiit 1115, ex Cartonensi Martyrologio. Scripsit collectionem decretorum, quæ Decretum Yvonis dicitur, et, ut plurimi putant, etiam breviorem aliam, quæ Pannormia inscribitur. Præterea epistolas 287, quæ promptuarium sunt ecclesiasticæ disciplinæ. Item serm. 24, et Chronicon breve de Regibus Francorum; Chronicon alterum à Nino, ad Ludovicum Pium, non Yvonis, ut nonnulli scripsêre, sed Hugonis Floriacensis, ex duobus MSS. optimæ notæ in bibliothecâ Regalis abbatiæ S. Victoris ad muros Parisienses. Ejus festum celebrat Ecclesia Carnotensis: canonici verò Lateranenses illud etiam celebrant ex licentiâ S. Pii V papæ.

Z

Zonaras (Joannes) Græcus, floruit initio XII seculi. Aulâ imperiali abdicatâ, in quâ honorificentissimè versatus fuerat, insignia munera obeundo, inter monachos Basilianos cooptatus est. Plures edidit tractatus, et præcipuè Annales scripsit ab orbe condito ad an. 1118, Alexii Comneni fatalem. Commentarios etiam exaravit in canones Apostolorum et SS. conciliorum, necnon in epistolas canonicas SS. PP. Dionysii, et Petri Alexandrinorum, Gregorii Thaumaturgi et Basilii. Canonum porrò et reliquarum epistolarum canonicarum expositionem eamdem esse cum illâ quam Theodorus Balsamon affert, viri eruditi jamdiù observârunt. Uter ab altero mutuatus sit, uter altero prior fuerit, non satis constat.

« Collatas inter se majorum sententias lector « consulat eorum qui diversis licet temporibus « et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ « communione ac fide permanentes Magistri « probabiles extiterunt; et quidquid non unus « aut duo tantùm, sed omnes pariter uno « eodemque consensu apertè, frequenter, per« severanter tenuisse, scripsisse, docuisse co« gnoverit, id sibi quoque intelligat absque « ullâ dubitatione credendum. Necesse est « omnibus Catholicis, qui sese Ecclesiæ legiti« mos filios probare student, ut sanctorum « Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, im« moriantur; profanas verò novitates detes« tentur, horrescant, persequantur. Concilio « enim Ephesino divinitùs placuit, nihil aliud « posteris credendum decernere, nisi quod « sacra sibi consentiens sanctorum Patrum « tenuisset antiquitas. » Vincentius Lirinensis in Commonitorio. (Vid. totum opus t. 1 Theol.)

INDEX SUMMORUM PONTIFICUM.

A

Sanctus Adeodatus, papa septuagesimus octavus, à die 22 aprilis anni 672, ad diem 26 junii anni 676.

Adrianus primus, Romanus, papa 97, à 9 februarii 772, ad 25 decembris 795. Nullus post sanctum Petrum pontifex tamdiù Romanam rexit Ecclesiam. Præfuit per legatos concilio generali VII, anno 787.

B

(du comté de Foix) et ordinis Cisterciensis, papa 199, à 20 decembris 1334, ad 25 aprilis 1342.

Benedictus XIII, Romanus, papa 249, ex nobilissimâ Ursinorum familiâ, et ordine S. Dominici à 29 maii 1724, ad 21 februarii 1730.

Benedictus XIV, Bononiensis de Lambertinis, papa 251, à die 17 augusti 1740, ad 3 maii 1758.

S. Bonifacius I, Romanus papa 43, à 29 decembris 418, ad 4 septembris 422. (Vide antipapam IV.)

Bonifacius II, Romanus, papa 56, à 22 septembris 530, ad 17 decembris 531. (Vide antipapam VI.)

Bonifacius III, Romanus, papa 67, à 19 februarii 607, ad 10 novembris ejusdem anni.

S. Bonifacius IV, Italus Marsus, papa 68, à 25 augusti 608, ad 7 maii 615.

Bonifacius V, Campanus, papa 70, à 23 decembris 619, ad 22 octob. 625.

Bonifacius VI, papa 114, anno 896. Sedit tantùm dies 15.

Bonifacius VII, à nonnullis dictus papa 140, anno 985. Difficultas est, utrùm fuerit legitimus pontifex. Anno 974, jam Apostolicam sedem invaserat, Joannem XIV fame, aut, secundùm alios, veneno necavit anno 985, 20 augusti. (Vide infra Indicem antipaparum.)

Bonifacius VIII, Anagninus, canonicus primùm Parisiensis, postea Lugdunensis, papa 195, à 24 decembris 1294, ad 11 octobris 1303. Ludovicum IX Galliæ regem in sanctorum numerum retulit. Inter eum et Philippum Pulchrum maximæ dissensiones.

Bonifacius IX, Neapolitanus, papa 205, à 2 novembris 1389, ad 1 octobris 1404. (Vide antipapam XXXV.)

C

S. Caius, Dalmata, papa 29, à 15 decembris 283, ad 22 aprilis 296.

S. Calixtus I, Romanus, papa 17, ab ineunte 219, ad 14 oct. 223.

Calixtus II. Gallus Burgundus, archiepiscopus Viennensis, papa 164, à 1 februarii 1119, ad 13 decembris 1124. Præfuit concilio generali nono, Lateranensi primo. (Vide antipapam XXVI.)

Calixtus III, Hispanus, papa 213, à 20 aprilis 1455, ad 6 augusti 1458.

S. Cœlestinus I, Romanus, papa 44, à 10 septembris 422, ad finem julii 432. Præfuit per legatos concilio Ephesino generali tertio.

Cœlestinus II, Tuscus, papa 167, à 26 septembris 1143, ad 9 martii sequentis anni.

Cœlestinus III, Romanus, papa 177, à 30 martii 1191, ad 8 januar. 1198.

Cœlestinus IV, Mediolanensis, papa 181, anno 1241, aut sequenti. Sedit 17 dies tantùm.

S. Cœlestinus V, Italus Iserninus, papa 194, à 5 julii 1294. Post quinque menses abdicavit. Monachorum Cœlestinorum est auctor.

Christophorus, Romanus, papa 121, anno 903, post 5 aut 6 menses carceri traditus; crimen quod sedis Apostolicæ invasione commiserat pœnitentiâ expiavit.

S. Clemens I, Romanus, sancti Pauli adjutor, papa 4, ab anno 91, ad 23 novembris anni 100. (Vide indicem Patrum, verbo *Clemens*.)

Clemens II, Germanus, papa 152, ab anno 1046, ad 9 octobris 1047.

Clemens III, Romanus, papa 176, à 19 dec. 1187, ad mensem martium 1191.

Clemens IV, Gallus Occitanus (de Saint-Gilles, en Languedoc) archidiaconus, et postea episcopus Aniciensis (du Puy) anno 1257, archiepiscopus Narbonensis anno 1260, et sequenti cardinalis, papa 185, ab anno 1265, ad 29 novembris 1268.

Clemens V, Gallus diœcesis Vasatensis (de Bazas) archiepiscopus Burdigalensis, papa 197, à 5 junii 1305, ad 20 aprilis 1314. Coronatus fuit Lugduni in ecclesiâ S. Justi coram Philippo Pulchro rege Galliæ, et pluribus principibus, 14 novembris 1305. Sedem suam fixit Avenione anno 1309, ibique sederunt pontifices Romani per 70 annos usque ad Gregorium XI. Præfuit concilio Viennensi generali XV anno 1311.

Clemens VI, Gallus diœcesis Lemovicensis, primùm Benedictinus, deinde doctor Parisiensis, postea archiepiscopus Senonensis, tum Rothomagensis, papa 200, à 7 maii 1342, ad 6 decembris 1352.

Clemens VII, Florentinus, papa 223, à 29 novembris 1523, ad 26 septembris 1534. Paulò ante mortem excommunicavit Henricum VIII, regem Angliæ, propter repudiatam Catharinam Aragoniæ uxorem legitimam.

Clemens VIII, Florentinus papa 235, à 30 januarii 1592, ad 3 martii 1605. Congregationes dictas *de Auxiliis* celebravit, ad terminandas quæstiones de gratiâ motas Dominicanos inter et PP. Societatis Jesu. Congregationes illæ inchoatæ sunt 2 jan. 1598; octo et am-

S. Gregorius I, Romanus, cognomento Magnus, papa 65, à 3 septemb. 590, ad 12 martii 604. Unus est è quatuor doctoribus Ecclesiæ, quam sanctitate, miraculis, prudentiâ et eximiis scriptis illustravit.

S. Gregorius II, Romanus, papa 90, à 19 maii 715, ad 10 febr. 731.

S. Gregorius III, Syrus papa 91, à 18 martii 731, ad 27 novemb. 741.

Gregorius IV, Romanus, papa 103, ab anno 827, ad 25 januarii 844.

Gregorius V, Germanus, papa 143, à mense maio 996, ad 18 februarii 999. (Vide VII antipapam.)

Gregorius VI, Romanus, papa 151, ab anno 1044, ad 1046, mense decembri, quo se ipse deposuit in concilio Sutriensi. (Sutri propè Urbem.)

S. Gregorius VII, Soanensis è Tusciâ, papa 159, à 22 aprilis 1073, ad 26 maii 1085. (Vide XXII antipapam.)

Gregorius VIII, Beneventanus, papa 175, à 20 octobris 1187, ad 17 decembris ejusdem anni.

Gregorius IX, Anagninus, papa 180, à 19 martii 1227, ad 21 aug. 1241.

B. Gregorius X, è Vicecomitibus Placentiæ, canonicus et comes Lugduni, papa 186, à 1 septembris 1271, ad 10 januarii 1276. Præfuit concilio decimo quarto generali Lugdunensi secundo.

Gregorius XI, Lemovicensis, papa 203, à 30 decembris 1370, ad 27 martii 1378. Ab hoc pontifice sedes Apostolica fuit restituta Romæ. (Vide supra, verbo *Clemens V*.)

Gregorius XII, Venetus, papa 207, à 25 decembris 1406 usque ad jun. 1409, quo mense et anno concilium Pisanum declaravit vacare sedem Apostolicam, deposuitque Gregorium XII et Benedictum XIII. In concilio Constantiensi, sessione 14, celebratâ 4 julii 1415, Gregorius XII pontificatu cessit. (Vide antipapam XXXV.)

Gregorius XIII, Bononiensis, papa 230, à 13 maii 1572, ad 10 aprilis anni 1585. Sedente Gregorio XIII, religio christiana et catholica felices habuit progressus in Japoniâ et imperio Sinensi, aliisque in nationibus, et legatos à Japoniæ regibus jam christianis missos ad sedem Apostolicam paterno affectu recepit. Calendarium etiam reformavit.

Gregorius XIV, Mediolanensis, papa 233, à 5 decembris 1590, ad 15 octobris anni sequentis.

Gregorius XV, Bononiensis, papa 238, à 9 februarii 1621, ad 8 julii 1623.

GREGORIUS XVI, Bellunensis, papa 258, à 2 februarii 1831, feliciter regnat.

H

S. Higinus, Græcus, papa 10, ab anno 139, ad 10 januarii 143.

S. Hilarius, aut Hilarus, Sardus, papa 47, à 12 nov. 461, ad 21 feb. 468.

Honorius I, Campanus, papa 71, à 27 octobris 625, ad 12 oct. 638. Is est Honorius de quo tam multa solent disputari in tractatu de Incarnatione.

Honorius II, Bononiensis, papa 165, à 21 decembris 1124, ad 14 februarii 1140. Confirmavit ordinem canonicorum regularium Præmonstratensium anno 1126, et ordini militari Templariorum, approbato in concilio Trecensi anno 1128, formam et colorem habitûs præscripsit. (Vide antipapam XXVI.)

Honorius III, Romanus, papa 179, à 18 aut 20 augusti 1216, ad 18 martii 1227. Ordines S. Dominici et S. Francisci approbavit.

Honorius IV, Romanus, papa 192, à 2 aprilis 1285, ad 3 aprilis 1287.

S. Hormisdas, Campanus, papa 53, à 27 julii 514, ad 6 augusti 523.

I

S. Innocentius I, Albanensis, papa 41, à 21 decembris 401, ad 12 martii 417.

Innocentius II, Romanus, papa 166, à 22 februarii 1130, ad 14 septembris 1143. Præfuit concilio decimo generali Lateranensi secundo, anno 1139. (Vide XXVII et XXVIII antipapas.)

Innocentius III, Anagninus, papa 178, ab 8 januarii 1198, ad 16 julii 1216. Præfuit concilio duodecimo generali Lateranensi quarto, anno 1215.

Innocentius IV, Genuensis, papa 182, à 25 junii 1243, ad 7 decembris 1254. Præfuit concilio generali decimo tertio Lugdunensi I, anno 1245.

Innocentius V, Tarentasiensis, ex ordine sancti Dominici, et doctor Parisiensis, papa 187, à 21 januarii 1276, ad 22 junii ejusdem anni.

Innocentius VI, Gallus, diœcesis Lemovicensis, primùm Noviodunensis, deinde Claromontensis, tandem Ostiensis episcopus et cardinalis, papa 201, à 18 decembris 1352, ad 12 septembris 1362.

Innocentius VII, Sulmonensis Apulus, papa

S. Leo II, Siculus, papa 81, à 17 augusti 682, ad 3 julii 683.

S. Leo III, Romanus, papa 98, à 27 decembris 795, ad 11 junii 816.

S. Leo IV, Romanus, papa 105, à 28 januarii 847, ad 17 julii 855.

Leo V, Ardeatinus, papa 120, anno 903. Post duos circiter menses expulsus est, et carceri traditus.

Leo VI, Romanus, papa 126, à mense junio 928, ad februarium 929.

Leo VII, Romanus, papa 129, ab ineunte januario 936, ad 18 julii 939.

Leo VIII adhuc laicus electus est, et 6 decembris 993, ordinatus contra Ecclesiæ canones, vivente adhuc Joanne XII, sed postea depositus in concilio Romano 26 februarii 964, ab eodem Joanne papâ legitimo.

S. Leo IX, Franco-Germanus, papa 154, à 2 febr. 1049, ad 19 aprilis 1054. Sedente sancto hoc pontifice incœpit luctuosum schisma Græcorum.

Leo X, Florentinus, papa 221, ab 11 martii 1513, ad 2 decembris 1521. Sub hoc pontifice Lutherus à religione catholicâ defecit. 41 ejus propositiones à Leone X damnatæ sunt in globo. (Vide concilium XVII generale.)

Leo XI, Florentinus, papa 236, à 1 apr. 1609, ad 27 ejusdem mensis et anni.

Leo XII (cardinalis de la Genga), papa 256, à 27 septembris 1823, ad 19 febr. 1829. De re publicâ princeps benè meritus.

S. Liberius, Romanus, papa 37, à 22 maii 352, ad 22 novembris 366. Lapsum Liberii papæ in Arianam hæresim objiciunt omnes ferè novatores; verùm Catholici eum ab hæresi vindicant, et recentiores theologi Juenninus, Vitassius, etc., ostendunt Formulam cui subscripsit Liberius, non esse Arianam. (Vide antipapam II.)

S. Linus, Volaterranus in Etruriâ, papa 2, ab anno 67, ad 23 septembris 78. Templi Jerusalem destructio contigit anno 70, sub S. Lino.

S. Lucius I, Romanus, papa 23, ab an. 252, ad 4 Martii 253.

Lucius II, Bononiensis, papa 168, à 12 martii 1144, ad 25 januar. 1145.

Lucius III, papa 173, à 1 septembris 1181, ad 25 nov. 1185.

M

S. Marcellinus I, Romanus, papa 30, à 30 junii 296, ad 24 decembr. 304. Quod narratur de lapsu S. Marcellini in idololatriam, fabulam esse suspicatur à Donatistis confictam. S. Augustinus libro de unico Baptismo, capite 16.

S. Marcellus I, Romanus, papa 31, à 27 junii 308, ad 16 jan. 310. Vacaverat sedes post S. Marcellinum plusquàm tres annos, ob vim persecutionis.

Marcellus II, Italus ex Monte Politiano, cardinalis Bellarmini avunculus, papa 226, à 9 aprilis 1555, ad 30 ejusdem mensis et anni.

S. Marcus, Romanus, papa 35, à 18 januar. 336, ad 7 oct. proximè sequentis.

Marinus I (ab aliis Martinus II dictus), ex Galesio Faliscorum in Etruriâ, papa 110, ab exeunte anno 882, ad mensem maium 884.

Marinus II (secundùm alios Martinus III,) Romanus, papa 131, à mense decembris 942, ad junium 946.

S. Martinus I, Tudertinus, papa 75, à 5 julii 649, ad 16 sept. 655.

Martinus II (ab aliis IV), Gallus patriâ Briensis (*la Brie*), papa 191, à 22 februarii 1281, ad 28 martii 1185.

Martinus III (communiùs V), Columna Rom., papa 210, ab 11 nov. 1417, ad 20 februarii 1431. Electus fuit à concilio generali Constantiensi. (Vide Antipapas XXXV, XXXVI et XXXVII.)

N

S. Nicolaus I, Romanus, papa 107, à 28 aprilis 858, ad 13 novembris 867.

Nicolaus II, Allobrox, papa 157, à 28 decembris 1058, ad 22 julii 1061.

Nicolaus III, Romanus, papa 190, à 25 novembris 1277, ad 22 aug. 1280.

Nicolaus IV, Asculanus, ex ordine S. Francisci, papa 193, à 22 februarii 1288, ad 4 aprilis 1292.

Nicolaus V, Italus Sarzanensis, papa 212, à 6 mart. 1447, ad 25 mart. 1455.

P

S. Paschalis I, Romanus, papa 100, à 25 januar. 817, ad 10 februar. 824.

Paschalis II, Romanus, Cluniacensis monachus, papa 162, à 13 aug. 1099, ad 21 januarii 1118. Cisterciensem ordinem approbavit anno 1100, et ordinem Fontis-Ebraldi (de Fontevrault) anno 1106. (Vide XXII et tres sequentes antipapas.)

S. Paulus I, Romanus, papa 95, à 9 maii 752, ad 28 junii 767. Stephano III fratri suo successit. (Vide X antipapam.)

Paulus II, Venetus, papa 215, à 28 august. 1464, ad 26 julii 1471.

Paulus III, Venetus, papa 224, à 13 octobris 1534, ad 10 nov. 1549.

Paulus IV, Neapolitanus, papa 227, à 23 maii 1555, ad 18 augusti 1559. Antea episcopus Theatinus, unde nomen sortiti sunt clerici regulares dicti Theatini, quorum fuit fundator cum S. Gaetano, et primus superior.

Paulus V, Romanus, papa 237, à 17 maii 1605, ad 28 januarii 1621. Interruptas congregationes *de Auxiliis* resumpsit anno 1605, et biennio post terminavit, Dominicanorum et Jesuitarum scholis opiniones suas defendendi libertate relictâ.

Pelagius I, Romanus, papa 61, ab 11 aprilis 555, ad 1 martii 560.

Pelagius II, Romanus, papa 47, à 30 novembris 578, ad 8 februarii 590.

S. Petrus, ab ipso Christo Jesu constitutus caput visibile Ecclesiæ, quam rexit 34 annos et paulò ampliùs, ab anno 33, ad 29 junii 67, quo martyr occubuit Romæ, ubi sedem fixerat ab annis 24, mensibus 5 et diebus 12. Romanorum pontificum nemo hactenùs tamdiù Romanam sedem tenuit.

S. Pius I, Aquileiensis, papa 11, anno 143, ad 11 julii 157.

Pius II, Senensis, papa 214, à 19 augusti 1458, ad 14 augusti 1464.

Pius III, Senensis, papa 219, à 12 sept. 1503, ad 18 oct. ejusdem anni.

Pius IV, Mediolanensis, papa 228, à 26 decembris 1559, ad 9 decembris 1565. Sub Pio IV, S. Caroli avunculo, feliciter terminatum fuit concilium Tridentinum anno 1560.

S. Pius V, Italus è Bosco propè Alexandriam, Dominicanus, papa 229, à 7 januarii 1566, ad 1 maii 1572. Damnavit 79 propositiones Michaelis Baii doctoris Lovaniensis.

Pius VI, Romanus, papa 254, à 15 februarii 1775, ad 29 augusti 1799. Sanctam sedem tenuit viginti et quatuor annis, cum sex mensibus et quatuordecim diebus, venerandus pontifex per maximas rerum et temporum procellas, invictâ fide, necnon fortitudinis ac sanctitatis famâ commendabilis.

Pius VII, Romanus, papa 255, à 14 maii 1800, ad 20 augusti 1823. Animi lenitate, indefessâque constantiâ lugendas inter tempestates ac diuturnas bellorum commotiones æternâ laude prædicabitur. Societatem Jesu, omnium bonorum plausu, restituit per bullam *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

Pius VIII, Italus è Cigoli in Piceno, papa 257, à 16 martii 1829, ad 30 novembris 1830.

S. Pontianus, Romanus, papa 19 à 22 junii 230, ad 19 nov. 235.

R

Romanus, natione Gallisanus, papa 116, versùs finem anni 897. Obiit pontificatûs sui mense tertio.

S

Sabinianus, Tuscus, papa 66, à 13 septembris 604, ad 22 februarii 606.

S. Sergius I, Syrus, papa 85, à 15 decembris 687, ad 8 septembris 701. (Vide IX antipapam.)

Sergius II, Romanus, papa 104, à 10 februarii 844, ad 27 januarii 847.

Sergius III, Romanus, papa 122, à mense junio 904, ad 911, ante finem aug.

Sergius IV, Romanus, papa 147, ab 11 octobris 1009, ad 13 julii 1012.

Severinus, Romanus, papa 72, post duos menses et dies aliquot obiit, 1 Augusti 640.

S. Simplicius, Tiburtinus, papa 48, à 25 februarii 468, ad 2 martii 483.

S. Siricius, Romanus, papa 39, à mense dec. 384, ad 26 nov. 398.

Sisinnius Syrus, papa 88, anno 708 post 20 dies obiit 6 februarii.

S. Sixtus I, Romanus, papa 8, ab anno 119, ad 6 aprilis 129.

S. Sixtus II, Græcus, papa 25, à 24 augusti 257 ad 6 augusti anni sequentis. Sixti II, archidiaconus fuit S. Laurentius.

S. Sixtus III, Romanus, papa 45, ab ineunte augusto 432, ad 11 aug. 440.

Sixtus IV, Savonensis, Franciscanus, papa 216, à 25 augusti 1471, ad 13 augusti 1484. Ordinem Minimorum approbavit. Scripsit librum de Immaculatâ B. Mariæ Virginis Conceptione, et festum ejus per totam Ecclesiam celebrari jussit.

Sixtus V, Italus Picenus, Franciscanus, papa 231, à 24 apr. 1585, ad 27 aug. 1590. Laboravit, ut Vulgatam Bibliorum sacrorum editionem incredibili studio ad nativam reduceret puritatem. Erecta in ejus honorem in Capitolio statua hanc inscriptionem continet ipsi valdè honorificam: *Sixto V, pontifici maximo, ob quietem publicam, compressâ sicariorum licentiâ, restitutam, annonæ inopiam sublevatam, urbem ædificiis, viis, aquæductu illustratam; S. P. Q. R.*

S. Soter, Fundanus è Campaniâ, papa 13, ab ineunte maio 168, ad 177.

S. Stephanus I, Romanus, papa 24, ab anno 253, ad 2 augusti 257. Traditionem antiquam de non rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptizati fuerant, servatâ formâ Ecclesiæ consuetâ, retineri jussit contra S. Cyprianum aliter cum quibusdam Africæ conciliis opinantem.

Stephanus II, Romanus, papa 93, electus anno 752, post quatuor dies obiit circa 20 martii.

Stephanus III, Romanus, papa 94, à 26 martii 752, ad 24 aprilis 757. Pipinum regem Galliæ inauguravit 28 julii 754, in basilicâ S. Dionysii propè Parisios.

Stephanus IV, Siculus, papa 96, à 5 augusti 768, ad 1 februarii 772. (Vide XI antipapam.)

Stephanus V, Romanus, papa 99, à 22 junii 816, ad 24 januarii 817.

Stephanus VI, Romanus, papa 112, à mense septembri 885, ad mensem septembris 891.

Stephanus VII, Romanus, papa 115 anno 896, ante mensem augustum, ad 897, ante medium octobris.

Stephanus VIII, Romanus, papa 127, anno 929, ad 931, cùm sedisset annis duobus, mense uno, et diebus quindecim.

Stephanus IX, Germanus, papa 130, anno 939, versùs finem julii, ad 942, circa initium decembris.

Stephanus X, ducis Lotharingiæ filius, papa 156, à 2 august. 1057, ad 29 mart. 1058.

S. Sylverius, Campanus, papa 59, ab 8 junii 536, ad 20 junii 538. (Vide antipapam VII.)

S. Sylvester I, Romanus, papa 34, à 31 januarii 314, ad 31 decembris 335. Præfuit concilio primo Nicæno generali per legatos.

Sylvester II, Gallus Aquitanus, monachus Floriacensis (*de Fleury, ou Saint-Benoît-sur-Loire*), dein abbas Bobiensis, papa 144, à 2 apr. 992, ad 12 maii 1003.

S. Symmachus, Sardus, papa 52, à 22 novemb. 498, ad 19 julii 514. (Vide antipapam V.)

T

S. Telesphorus, Græcus, papa 9, anno 129, ad 5 januarii 139.

Theodorus I, Jerosolymitanus, papa 74, à 24 nov. 642, ad 13 maii 649.

Theodorus II, papa 117, anno 898. Vixit tantùm 20 dies in pontificatu.

V

Valentinus, Romanus, papa 102, anno 827. Obiit circa initium octobris, quadragesimo post exaltationem suam die.

S. Victor I, Afer, papa 15, ab ineunte junio 193, ad ineuntem annum 202.

Victor II, Bavarus, papa 155, à 13 aprilis 1055, ad 28 julii 1057.

Victor III, Beneventanus, papa 160, à 24 maii 1086, ad 16 septembris 1087. (Vide XXII antipapam.)

Vigilius, Romanus, papa 60, anno 538, ad mensem januarium 555, primò antipapa sub Sylverio, postea legitimus pontifex eo defuncto, concilium quintum generale tandem approbavit.

S. Vitalianus, Campanus, papa 77, à 30 julii 657, ad 27 januarii 672.

S. Urbanus I, Romanus, papa 18, anno 223, ad 25 maii 230.

Urbanus II, Gallus, diœcesis Rhemensis, papa 161, à 12 martii 1088, ad 29 julii 1095. (Vide XXII antipapam.)

Urbanus III, Mediolanensis, papa 174, à 1 dec. 1185, ad 19 octobris 1187.

Urbanus IV, Gallus Trecensis (*de Troyes en Champagne*), papa 184, à 29 augusti 1261, ad 2 octobris 1264. Festum Corporis Christi instituit, et ordinem Cœlestinorum approbavit.

Urbanus V, Gallus, diœcesis Mimatensis (*de Mende, dans le Gévaudan*), papa 202, à 28 octobris 1362, ad 19 decembris 1370.

Urbanus VI, Neapolitanus, papa 204, à 9 aprilis 1378, ad 15 octobris 1389. Sub hoc pontifice incœpit magnum schisma Occidentale, quod annos ferè 40 duravit usque ad annum 1417, quo depositus fuit Benedictus XIII, antipapa XXXV. (Vide antipapam XXXIV.)

Urbanus VII, Romanus, papa 232, à 15 septembris 1590, ad 27 ejusdem mensis et anni.

Urbanus VIII, Florentinus, papa 239, à 6 aug. 1623, ad 29 julii 1644. Damnavit librum Jansenii (cui titulus, *Augustinus*), anno 1641, 4 martii.

Z

S. Zacharias, Græcus, papa 92, à 30 novemb. 741, ad 14 mart. 752.

S. Zephirinus, Romanus, papa 16, ab anno 202, ad 219 ineuntem.

S. Zozimus, Græcus, papa 42, à 18 martii 417, ad 26 decembris 418. Pelagium et Cœlestium damnavit. Pelagiani postea à judicio

summi pontificis appellaverunt ad concilium generale futurum: verùm in concilio Ephesino, quod celebratum est anno 431, nequidem auditi sunt, dicentibus Patribus Ephesinis, causam jamdudùm finitam esse.

« Tenet (me in Ecclesiâ catholicâ), ab ipsâ sede « Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post « resurrectionem Dominus commendavit, usque « ad præsentem episcopatum successio sacerdo« tum. Tenet postremò ipsum catholicæ no« men, quod non sine causâ inter tam multas « hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut « cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, « quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad ca« tholicam conveniatur, nullus hæreticorum « vel basilicam suam, vel domum audeat os« tendere. » Sanctus Augustinus libro contra Epistolam Fundamenti, capite 4.

Quæsita nonnulla.

Quot et qui pontifices coluntur ut sancti in Ecclesiâ? — Pontifices Romanos 76 colit Ecclesia ut sanctos, scilicet 33 primos, qui omnes sub uno è duodecim imperatoribus paganis, videlicet Nerone, Domitiano, Trajano, Adriano, Marco Aurelio, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano et Maximiano, sanguinem fuderunt pro Christo; 4, qui postea ab hæreticis passi sunt, Felix II (secundùm alios, III), Joannes I, Sylverius et Martinus I, et 39 confessores, qui sunt Sylvester I, Marcus, Julius I, Liberius, Damasus I, Anastasius I et II, Innocentius I, Zozimus, Bonifacius I et IV, Cœlestinus I et V, Sixtus III, Leo I, II, III, IV et IX; Hilarius, Simplicius, Felix III et IV; Gelasius I, Symmachus, Hormisdas, Agapetus, Gregorius I, II, III, VII; Benedictus II, Zacharias, Paulus I, Paschalis, Deus-Dedit, Agatho, Nicolaus I, Sergius I, Pius V.

Quot et qui pontifices inviti electi sunt? Numerantur 16: Clemens I, Bonifacius I, Gregorius I, IV et VII; Benedictus III, Nicolaus I, Adrianus II, Victor III, Gelasius II, Honorius II, Innocentius III, Cœlestinus V, qui postea abdicavit; Nicolaus V, Pius V, Clemens XI, Benedictus XIII.

Quot et qui juvenes ad papatum assumpti? — Recenset 8 Guillelmus Burius, suntque Alexander I, ætate juvenis (quot annorum auctores non narrant), sed moribus senex; Joannes XI, anno ætatis suæ 20; Joannes XII, anno 16; Benedictus IX, anno 10, vel 12, vel ad summum 18; Innocentius III, anno 30; Gregorius XI, anno 35; Bonifacius IX, anno 30, aut 34; Leo X, anno 30, aut paulò plus. Ex iis omnibus solus Innocentius III in pontificatu 18 annos sedit.

Qui mensem in papatu non impleverunt? — Sisinnius sedit dies 20 tantùm; Stephanus II, 3; Valentinus 30; Bonifacius VI, 15; Theodorus II, 20; Damasus II, 23; Cœlestinus IV, 17; Pius III, 26; Marcellus II, 22; Urbanus VII, 12; Leo XI, 25; unus ipso electionis suæ die obiit, dictus per aliquot horas Gregorius XI, nepos Gregorii X.

Quot et qui pontifices humili loco nati? — Numerantur 18 ab eodem Burio: S. Petrus, S. Dionysius, Joannes XVII, Damasus II, Adrianus IV et VI, Urbanus IV, Nicolaus IV, S. Cœlestinus V, Benedictus XI, Joannes XXII, Benedictus XII, Bonifacius IX, Alexander V, Nicolaus V, Sixtus IV et V, S. Pius V; Pii V tamen familia olim fuerat Bononiæ illustris. Addi potest et Clemens XIV, è medico natus.

Quot et qui pontifices optimæ notæ? — Præter 76 supra memoratos sanctitate, quæ omnium est optima nota, multi adhuc fuêre illustres papæ; enumerare longius foret; inter hujus et duorum præcedentium seculorum pontifices præsertim eminent Pius VI, VII, Benedictus XIII et XIV, Clemens XI et XIII, Innocentius XI et XII, Alexander VII, Clemens VIII, et plures alii.

Quot et qui pontifices notæ non ita bonæ? — Undecim recensentur à Burio: Sabinianus, Stephanus VII, Christophorus, Sergius III, Joannes XII, Bonifacius VII, Sylvester II, Benedictus IX, Joannes XXIII, Innocentius VIII, Alexander VI.

Ne cui autem theologiæ candidato scandalum pariat non sat regularis paparum aliquorum vita, observet hæc diligenter: 1° in tanto, id est, 257 pontificum numero, paucissimi, id est, 11 tantùm, pravis suis moribus sedem Apostolicam dedecorârunt; 2° sacrum 12 Apostolorum, et juxta aliquos septem diaconorum collegium suum habuit Judam et Nicolaum; mirum ergo esse non debet, quòd octodecim seculorum lapsu 11 papæ malè vixerint; 3° id mali permisit Deus, ut ostenderet religionem christianam non in hominum sanctitate, sed in Dei promissis, ita fundatam esse, ut portæ inferi (id est, errores, hæreses, schismata, vitiaque omnia) adversùs eam nunquàm sint prævaliturae; 4° si illi pontifices à priorum pontificum sanctitate desciverunt, at fidem orthodoxam semper retinuêre.

Utrùm una sit apud omnes numerandi pontifices ratio? — Labbæus numerat tantùm 237 pontifices usque ad Alexandrum VII, inclusivè, juxta quam supputationem hactenùs fuerunt tantùm 252 papæ; Burius 256, alii plures, alii pauciores; nos virum eruditissimum in Historiâ paparum secuti, numeramus 257; discrimen oritur ex iis qui sortiti sunt nomen Joannis, Felicis, Stephani, Bonifacii, Martini, Benedicti, Sylvestri.

(Legitimorum seriem pontificum excipit catalogus antipaparum, qui sic vocantur, vel quòd sine canonicâ electione sedem invaserint apostolicam, vel quòd alio legitimo vivente pontifice cathedram eamdem tenere præsumpserint.)

INDEX CHRONOLOGICUS ANTIPAPARUM.

I. Antipapa Novatianus, circa annum 251, post electionem canonicam S. Cornelii, invidiâ motus se episcopum Romanum ordinari fecit à tribus episcopis, quos antea inebriaverat. Novatiano Romæ adjunxit se alter schismaticus presbyter Carthaginensis, et ex Africâ expulsus, cui nomen Novatus.

II. Antipapa Felix II, ordinatus ab Arianis an. 355, quo tempore exilium pro fide Nicænâ papa Liberius patiebatur. Liberio Romam reverso an. 358, à Catholicis expulsus est Felix. Creditur Felix ab Arianorum partibus discessisse, à quibus multa passus, sanctè obiit 22 novembris an. 365. In martyrologio Romano 29 julii numeratur inter sanctos martyres, imò ab aliquibus inter legitimos papas recensetur.

III. Antipapa Ursinus, seu Ursicinus, diaconus Ecclesiæ Romanæ, ægrè ferens quòd S. Damasus I sibi in episcopatu Romano prælatus esset, electus est à quibusdam seditiosis anno 366, et ab uno tantùm episcopo ordinatus. Hoc schisma in seditionem illicò mutatum est, et in basilicâ in quam cum suis se receperat Ursicinus, interfecti sunt homines circiter 137. Postea Româ exire coactus, sed in urbem mense septembri anni 367 reversus, mense decembri ejusdem anni ab imperatore Valentiniano expulsus est.

IV. Antipapa Eulalius, Ecclesiæ Romanæ archidiaconus, à quibusdam presbyteris et multis laicis seditiosè electus est 28 dec. anno 418; sed postridiè S. Bonifacius I, à 70 presbyteris et 9 episcopis in urbe tunc præsentibus, et universâ plebe unanimiter et canonicè electus est, ac Romam, unde exire coactus fuerat, rediit versùs finem aprilis an. 419.

V. Antipapa Laurentius, archidiaconus Tituli S. Praxedis, eodem die contra jus omne ordinatus, quo S. Symmachus Ecclesiæ curam suscepit, id est, 22 nov. 498 an. 500. Laurentius factus est episcopus Nucerinus (Nocera); paulò post Romam rediit secretò. Schismatici ei adhærentes rapinis et cædibus urbem impleverunt, quorum furorem ad necem quæsitus vix effugere potuit S. Symmachus, qui pluribus postea in conciliis legitimus papa declaratus est.

VI. Antipapa Dioscorus eodem tempore electus est à nonnullis, quo Bonifacius II, id est, an. 530; sed Dioscori morte paulò post schisma extinctum est.

VII. Antipapa Vigilius, loco sancti Sylverii in exilium missi pro defensione concilii Chalcedonensis, contra omnes æquitatis regulas electus est anno 537. Extincto tamen fame S. Sylverio in insulâ Palmariâ, canonicè electus successit Vigilius, qui postea fidem catholicam strenuè propugnavit, quasi mutatus in virum alterum.

VIII. Antipapa Joannes, archipresbyter Ecclesiæ Romanæ, electus clero, et Petrus Presbyter electus ab exercitu anno 686; sed postea clerus, consentiente exercitu, Canonem utrique substituit.

IX. Antipapa Paschalis, archidiaconus Ecclesiæ Romanæ, et Theodorus archipresbyter, à variis electi sunt anno 687. Sed utroque rejecto, papa creatus est S. Sergius I; eodem anno Theodorus canonicæ Sergii electioni adhæsit, solus Paschalis restitit; sed postea à Sergio, ob varia crimina depositus, et carceri traditus, in suo schismate pertinax obiit post quinque annos.

X. Antipapa Theophylactus archidiaconus, ab aliquibus è clero et populo electus eo tempore quo à majori cleri et populi parte eligebatur S. Paulus I, anno 757; sed brevi extinctum fuit illud schisma.

XI. Antipapa Constantinus, ex laico intra sex aut septem dies tonsurâ clericali, sacris ordinibus et episcopatu insignitus, in sedem Apostolicam vi intrusus, anno integro pontificatum tenuit; sed postea à populo Romano sede dejectus, oculis erutis monasterio includitur, et ejus loco Stephanus IV coronatur anni 768 3 augusti. Anno sequenti, Constantinus in concilio Romano damnatus, veniam schismatis, quam supplex petierat, obtinuit; sed postridiè propter retractatam obedientiam, iterùm condemnatus est.

XII. Antipapa Zinzinus quædam suffragia obtinuerat, sed schisma præsentiâ suâ extinxit Lotharius, Eugeniusque II tanquàm legitimus papa agnitus est anno 824.

XIII. Antipapa Anastasius III, qui adhuc presbyter cardinalis depositus fuerat anno 853 à S. Leone IV, insurrexit adversùs Benedictum III canonicè electum anno 855; sed à suis non multò post derelictus est, et schisma finem accepit.

XIV. Antipapa Sergius, presbyter Ecclesiæ Romanæ, electus fuit ab aliquibus ante Joannem IX, sed antequàm ordinaretur, Româ expulsus est.

XV. Antipapa Leo VIII, vivente Joanne XII, electus adhuc laicus 6 dec. anni 963; sed revocatus à Romanis Joannes coacto concilio Leonem deposuit.

XVI. Antipapa Bonifacius VII invasit sedem S. Petri post mortem Benedicti VI et Domni II, anno 974. Excommunicatus fuit à Benedicto VII. Joannem XIV Benedicti VII successorem fame aut veneno interfecit anno 985. Subitâ morte ipse periit circa finem ejusdem anni. Cadaver antipapæ per plateas ignominiosè tractum, ictibus confossum, tandem à paucis clericis sepultum fuit. Bonifacium VII supra inter legitimos pontifices scripsimus, 1° quia postea papa 195 dictus est Bonifacius VIII, non VII; 2° quia in omnibus ferè paparum catalogis descriptus fuit.

XVII. Antipapa Joannes XVI, episcopus Placentinus, vivente Gregorio V, vi et artibus Crescentii consulis intrusus est anno 997. Anno sequenti à nobilibus quibusdam viris, abscissis linguâ et naso, oculisque erutis, schismatis pœnas dedit.

XVIII. Antipapa Gregorius à Benedicto VIII schismate se separavit circa annum 1013, sed auctoritate Henrici regis Germaniæ, qui Benedictum Romæ restituit, pax Ecclesiæ brevi reddita est.

XIX. Antipapa Sylvester III, antea Joannes, episcopus Sabinensis, anno 1044, à Romanis post expulsum Benedictum IX electus, sed post dies quinquaginta ipse sede expulsus est. Benedictus autem novam veritus ejectionem, pontificatum vendidit Joanni archipresbytero, cui cognomen Gratianus, qui dictus est Gregorius VI. Miseris illis temporibus tres papæ numerabantur, Benedictus IX, Sylvester III et Gregorius VI, omnes sanctâ sede indigni.

XX. Antipapa Benedictus X, antea Joannes, episcopus Veliternus, manu armatâ à nonnullis seditiosis intrusus anno 1058, in schismate decem circiter menses permansit, postea ad Nicolai II canonicè electi pedes provolutus, veniam obtinuit, eâ lege, ut ab episcopalibus et sacerdotalibus officiis maneret depositus.

XXI. Antipapa Honorius II, antea Cadolaus, episcopus Parmensis, paulò post canonicam electionem Alexandri II, anno 1061 factam, ab aliquot episcopis et viris nobilibus Basileæ papa renuntiatur; congregato exercitu Romam petiit, bis victus Parmam se recepit, et anno 1067 veniâ à legitimo papâ obtentâ obiit.

XXII. Antipapa Clemens III, antea Guitbertus, archiepiscopus Ravennæ, vivente S. Gregorio VII, 25 junii 1080 à 30 episcopis jussu Henrici imperatoris convocatis, intrusus; sed à suis, post fugatum exercitum Longobardorum, qui contra papam Gregorium VII arma sumpserant, derelictus est anno 1084, et obiit circa annum 1100, sedente Paschali II.

XXIII. Antipapa Albertus circa annum 1100 successit Clementi III antipapæ; sed in ipso die electionis suæ schismaticæ à Catholicis in carcerem conjectus est.

XXIV. Antipapa Theodoricus eamdem sortem subiit, quam Albertus, tres circiter menses post suam electionem.

XXV. Antipapa Sylvester III, antea dictus Maginulfus, electus circa annum 1102, Româ brevi expulsus fuit.

XXVI. Antipapa Gregorius VIII, antea Bourdinus, diœcesis Lemovicensis, et archiepiscopus Bracarensis (Braga) intrusus auctoritate imperatoris Henrici V, anno 1118, quem coronavit eodem anno 2 junii. Anno 1121 antipapa à Calixto II in monasterio inclusus est, et paucos post annos sedente Honorio II obiit.

XXVII. Antipapa Anacletus II, dictus antea Petrus Leonensis, cardinalis presbyter Tituli S. Mariæ trans Tiberim, antea monachus Benedictus Cluniacensis, à quibusdam cardinalibus electus anno 1130. Ut contra Innocentium II schisma protenderet, thesauros et sacra vasa præcipuarum Romæ Ecclesiarum furto sustulit. Obiit anno 1138, mense januario.

XXVIII. Antipapa Victor IV successit anno 1138 Anacleto II. Ejus pseudo-papatus vix duos implevit menses; namque à suis derelictus Victor, versùs finem maii Innocentio II obedivit.

XXIX. Antipapa alter Victor IV, antea Octavianus, an. 1159 à trib[illegible]tùm cardinalibus electus est auctoritate Friderici imperatoris, Alexandro III papæ infensissimus; tandem anno 1164 mortuus est 22 aprilis.

XXX. Antipapa Paschalis III, antea Guido, Cremensis cardinalis, Victori IV statim suffectus est à schismaticis 1 augusti 1167. Fridericum imperatorem coronavit Romæ, ubi mortuus est 20 septembris sequentis anni.

XXXI. Antipapa Callixtus III, antea Joannes, designatus episcopus Albanensis, successit Paschali III, reconciliato imperatore Friderico cum Alexandro III. Callixtus veniam petiit et obtinuit anni 1178 29 augusti.

XXXII. Antipapa Innocentius III, antea dictus Lando, à quibusdam pertinacibus schismaticis Callixto III substitutus est; sed anno 1180, Alexandri III papæ jussu comprehensus et inclusus fuit, sicque funestum ac diuturnum illud schisma finem accepit.

XXXIII. Antipapa Nicolaus V, antea Petrus de Corbario, ex ordine sancti Francisci, vivente Joanne XXII intrusus anno 1328, biennio elapso Joanni papæ traditus, et ab eo benignè exceptus, petitam absolutionem obtinuit; sed ne iterùm turbas excitaret, in ipso palatio papæ Avenione incarceratus obiit mense septembri anni 1333.

XXXIV. Antipapa Clemens VII, antea Robertus, ex episcopo Cameracensi cardinalis factus à Gregorio XI anno 1371. Frater erat comitis Genevensis, et idcircò dictus est cardinalis Genevensis. Electus est à cardinalibus Gallis 20 septembris anni 1378, sedente Urbano VI. Obiit Avenione 16 septembris 1394, regnante Bonifacio IX papâ. A multis eo tempore ut legitimus habitus fuit.

XXXV. Antipapa Benedictus XIII, antea Petrus de Luna, cardinalis Arragoniæ, 28 sept. 1394 Clementi VII successit; postea depositus à concilio Constantiensi 26 julii anni 1417, obiit in schismate pertinax 17 nov. anni 1424. Ultra annos 30 in pseudo-papatu vixit, et sex pontificibus indefessus obstitit, scilicet Bonifacio IX, Innocentio VII, Gregorio XII, Alexandro V, Joanni XXIII, Martino V et duobus conciliis, Pisano et Constantiensi.

XXXVI. Antipapa Clemens VIII, antea Ægidius Munionensis, canonicus Barcinonensis, Benedicto XIII successit anno 1425, mense junio electus à tribus cardinalibus.

XXXVII. Antipapa Benedictus XIV, viventi Clementi VIII simoniacè electo suffectus est ante 26 junii 1426 ab uno cardinali, qui priori Clementis electioni non interfuerat; sed brevi ab ipso cardinali spretus et derelictus est. Clemens VIII anno 1429 Martino V legitimo papæ se subjecit, et episcopatum Majoricensem obtinuit.

XXXVIII. Antipapa Felix V antea Amedæus à Sabaudiâ, electus in concilio Basileensi tunc schismatico 30 octobris anni 1430, à cardinali Arelatensi, et coronatus Basileæ 24 julii 1440, postea Nicolao V obedivit, à quo ita benignè exceptus fuit, ut purpuram, episcopatum Sabinensem et decanatum sacri collegii obtinuerit.

ZACCARIÆ VITA.

Zaccaria (Franciscus Antonius), parentibus honestissimis natus Venetiis anno 1714, martii die 27, Jesuitarum societati aggregatus est 17 octobr. 1731. Multas Italiæ urbes cursibus lustravit apostolicis, multæque illum perorantem tempore verni jejunii summo plausu fructuque auscultârunt. Fama doctrinaque simul creverunt eundo, et quidquid eruditorum virorum habebat Italia, quæ tot illustrationibus sese meritò jactat, ejus amicitiam sedulò coluêre. Præterea cum extraneis scriptoribus, et præsertim cum Bolandianis hagiographis, litterarium iniit commercium, quibus multam operam locavit in emendandis aliquot Actorum erroribus et novis accessionibus indicandis. Undeviginti italicæ academiæ, ex sodalitio Zaccariæ pleniorem sibi splendorem accessurum sperantes, eum sibi socium adoptârunt. In magnâ quoque fuit existimatione apud summos pontifices, Benedictum XIV, Clementem XIII et Clementem XIV. Sed maximè omnium immortalis Pius VI totus fuit in amando ornandoque Zaccariâ, adeò ut aditum ad sua palatia singulis hebdomadibus ei præberet, sermones familiarissimos cum eo collaturus.

Obiit Zaccaria Romæ 10 octobr. 1795, natus annos 81, menses 6, dies 13.

Non juvat immensam operum seriem quæ nomine suo exornavit hìc recensere. Fabulosum penè videtur unius viri vitam tot voluminibus componendis, annotationibus commenta-

riove locupletandis, aut duntaxat legendis suffecisse. Magis mirum adhuc erit, si attendatur eum scripsisse de omnimodâ propè disciplinâ, nempe de theologicis rebus, de liturgicis, de Scripturâ sacrâ, de jure canonico, de archeologiâ tum sacrâ tum profanâ, de philologiâ, de historiâ et poesi tum italicis tum extraneis, de scientiis denique omnibus, quarum una longos dies et laboris plenos absorbeat. Præcipua Zaccariæ opera sequens syllabus enuntiabit.

1° Editio Commentariorum Menochii, quibus accessit supplementum ex variis dissertationibus conflatum. 2° Editio Bibliorum sacrorum, cum uberrimis prolegomenis, quorum pars à Bapt. Duhamel, altera à Zaccariâ concinnata est. 3° Editio Tirini in universam S. Scripturam, sex indicibus ac prolegomenis aucta, cum complurimis Zaccariæ annotationibus et ejusdem præfatione. 4° Editio *Theologiæ moralis* P. Thomæ Tamburini, cum uberrimis Zaccariæ prolegomenis. 5° Editio *Theologiæ moralis* Hermanni Busembaum, cum prodromo De *Locis moralis theologiæ,* auctore Zaccariâ, multisque ejusdem annotationibus. 6° Editio *Theologiæ moralis* Alph. de Ligorio, cum Zaccariæ dissertatione prolegomenâ *de casuisticæ theologiæ originibus, locis ac præstantiâ.* B. Ligorius plurimi faciebat Zaccariam, ut sequitur ex epistolâ quæ dissertationem prolegomenam præcedit : « Miratus equidem sum, vir clarissime, inquit ibi Zaccarias, de rebus tuis tam « humiliter demissèque sentire te, ut *Theologiam* tuam ipsi Romanorum pontificum doctissimo Benedicto XIV maximè probatam è « typographio tertiùm prodire nolueris, quin « extaret in operis fronte dissertatio quæpiam « à me elucubrata. » 7° Editio Petavii, Venetiis 1757, 7 vol. in-f°, dissertationibus ac notis illustrata. 8° Editio *Historiæ ecclesiasticæ* Natalis Alexandri, novis annotationibus et dictionario historiæ ecclesiasticæ locupletata. 9° Variæ dissertationes et editiones de jure canonico disciplinâque ecclesiasticâ, et de Romanorum pontificum auctoritate. 10° *Thesaurus theologicus* in quo Natalis Alexandri, Petavii, cæterorumque clarissimorum theologorum dissertationes opusculaque collegit, in ordinem digessit, novisque exornavit notis ac dissertationibus, 12 vol. in-4°, Venetiis 1762. Aliena opera in unum corpus theologicum redigendo, Zaccarias ipse de suo multa præstitit. Tomo primo extant duæ dissertationes oppidò eruditæ, et quas recudendas duximus : altera *de veterum christianarum inscriptionum in rebus theologicis Usu;* altera *de Usu librorum liturgicorum in rebus theologicis.*

DE USU LIBRORUM LITURGICORUM

IN REBUS THEOLOGICIS.

CAPUT PRIMUM.

LITURGICI GRÆCORUM LIBRI PERCENSENTUR.

Antequàm de librorum liturgicorum in rebus theologicis usu disputationem ingredior, coram notitiam juvat lectoribus exhibere : atque hoc quidem capite de Græcorum libris, in altero de Latinorum voluminibus disseremus. Porrò ad Græcos quod attinet, egregium de illis commentarium Parisiis anno 1644 à doctissimo Leone Allatio habuimus, quem Hamburgi Joannes Albertus Fabricius anno hujus seculi secundo et vicesimo ad calcem quinti Bibliothecæ Græcæ voluminis recudi jussit. Breviorem deinde, in multis tamen accuratiorem Guillelmus Caveus sub Historiæ suæ Litterariæ finem edidit dissertationem : quam cùm Robertus Sala in appendice tomi secundi rerum liturgicarum cardinalis Bonæ typis iterùm exprimi curârit, nos etiam hìc auctiorem dabimus ex Basileensi editione anni 1745, et nostris prætereà adnotationibus illustratam; atque adeò paucis quibusdam locupletatam articulis, quos à Caveanis secernemus, ad calcem columnarum eos remittere curantes, ac proprias animadversiones parenthesi distinguentes.

ἉΓΙΑΣΜΌΣ. De vulgaribus hujus vocis significationibus jam non agitur. Notat hoc loco solemnem aquæ benedictionem, juxta quam

apud Græcos peragi solet. Cujus duplicem habemus ordinem seu διάταξιν in Euchologio. Prima dicitur Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου ἁγιασμοῦ τῶν θείων Θεοφανιῶν, et semel tantùm in anno usurpatur, in festo nempe *Theophaniorum*, quando aqua solemni ritu consecratur. Exstat apud Goarum in Euchologio, p. 453. Ex quo etiam discimus duplicem hoc tempore aquæ fieri benedictionem, primam in festi pervigilio, ex quâ bibitur, populus aspergitur, domus lustrantur; alteram quæ ipso die festo inter Missarum solemnia facta est, quæ proinde sanctior habetur, majorique curâ asservatur, et pœnitentibus nondùm in Ecclesiæ communionem plenè receptis propinari solet. Hoc etiam ritu memoriam baptismatis Christi hoc die olim peracti renovabant, cujus baptismo aquarum omnium naturam adeò usque sanctificatam fuisse crediderunt veteres, ut aquæ profundâ hâc nocte haustæ, domumque portatæ, non in unum modò, sed quandoque in plures annos incorruptæ servabantur, disertè id testante Chrysostomo, Homil. de Baptism. Christi. Altera dicta est Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, et recitatur in communi aquæ benedictione, non modò in Theophaniis, sed et singulis mensibus, vel urgente quâvis necessitate, à sacerdote fieri potest. Habetur ibidem, p. 441. Utrumque officium in notis suis præclarè illustrat eruditissimus Goarus. Vide Codin. de Offic. Constantinop., cap. 14, n. 26, 27, etc., p. 79, ubi ἁγιασμόν, sive aquæ benedictionem describit, quæ cujusvis mensis initio (exceptis solummodò septembris die 14, et januarii 6) coràm imperatore in palatio fieri solebat (1).

ἉΓΙΟΠΟΛΙΤΙΚῸΝ ΣΤΊΧΗΡΟΝ, hymnus sive canticum longiusculum, ab Andreâ monacho, Cretensi archiepiscopo, qui ἁγιοπολίτης κατ' ἐξοχὴν dictus est, compositum; cujus et alia cantica libris Græcorum passim reperiuntur (2). Ex codice Barberino meminit hujus στιχηροῦ Goarus not. ad Euchol. p. 202. Balsamoni dicitur Ἀκολουθία τοῦ ἁγιοπολίτου, qui et ψαλτωδημάτων ἁγιοπολιτικῶν meminit.

ΑἸΝΟΙ, *Laudes;* memorantur in Officio τοῦ Ὄρθρου, p. 54, ita nempe apud Græcos, explicante Goaro, dicuntur Psalmi Davidici 148, 149, 150, propter repetitam in iis vocem Αἰνεῖτε, et in ecclesiasticis eorum libris passim occurrunt.

ἈΚΆΘΙΣΤΟΣ, hymnus in laudem B. Virginis, ob urbem à Persarum barbarorumque furore, illius, ut ferunt, ope ter servatam conditus, idque hâc primùm occasione. Obsessâ urbe regiâ, imperante Heraclio, ex unâ parte à numeroso exercitu sub Sarbaro Chosroæ Persarum regis duce, ex alterâ à Chagano Scythâ, Sergius patriarcha imaginem Deiparæ Virginis non manufactam ulnis suis gestans, cum toto populo supplicationes incessanter fecit; quo facto, Heraclius mox insignem de hostibus victoriam reportavit. Unde populus totam noctem absque ullâ intermissione hymnum pro gratiarum actione Deiparæ decantavit. Idem postea sub Constantino Pogonato, et tertium sub Leone Isauro, intestantibus Agarenis, factum. Hinc festum institutum, hinc hymnus sabbato quintæ hebdomadis quadragesimæ in perpetuum decantandus, Ἀκάθιστος, quasi sessione carens, dictus (inquit Triodium hâc die) διότι ὀρθοστάδην τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τὴν νύκτα ἐκείνην τὸν ὕμνον τῇ τοῦ Λόγου μητρὶ ἐμελψαν. *Quòd totus populus totâ nocte stando hymnum Deiparæ concinuerit, quòdque, cùm in omnibus aliis ædibus ex more sedere liceat, in istis divinæ Matris erecti omnes stantes auscultamus.* Narrat Codinus de Offic. Constantinop. cap. 12, § 10, p. 71, ex quatuor vigiliis quæ quotannis in palatio celebrari solebant, secundum fuisse τῆς Ἀκαθίστου. Exstat hoc officium in Horologio Græcorum Venet. 1535, aliisque annis non semel edito. MS. Biblioth. Vindob. Cod. Theol. 231, num. 8, à fol. 24 usque ad 37, hoc initio : Βουλὴν προαιώνιον ἀποκαλύπτων σοὶ κόρη Γαβριὴλ ἐφέστηκε, etc. Hymni hujus originem, et integram triplicis liberationis urbis Constantinopolitanæ historiam accuratè describit anonymus auctor orat. histor. in festum τῆς Ἀκαθίστου, quam Græc. Lat. edidit Combefisius Auct. nov. tom. 2, p. 805.

ἉΜΑΡΤΩΛΩ͂Ν ΣΩΤΗΡΊΑ. Liber ecclesiasticus, ab Agapio Cretensi apud montem Athum monacho, viro in scriptis tum Græcorum, tum Latinorum non inerudito, linguâ vulgari, ex diversis Græcorum Latinorumque operibus, tribus partibus absolutus, quo pia documenta variique sermones ethici continentur. Parte tertiâ in laudes B. Virginis se effundit, deque miraculis vel abeâ, vel ejus nomine patratis copiosè agit. Editum est ab ipsomet auctore hoc opus Venet. apud Ant. Julian. anno 1641, in-4°.

(1) Confer Sebastiani Pauli dissertationem *de ritu Ecclesiæ Neritinæ exorcizandi aquam in Epiphaniâ*, anno 1719 Neapoli editam, præsertim à pag. 47.

(2) Seu potiùs *versus urbis sanctæ*, nam Hierosolyma urbs sancta audit. Vide Quirinum diatribâ 3. ad officium quadragesimale, part. 2, pag. 162.

ἌΜΩΜΟΣ. Ita dictus est Psalmus 118, eò quòd ab his verbis incipit : Μακάριοι οἱ ἄμωμοι, et in sabbato τῆς ἀπολυσίμου, seu sabbato secundæ hebdomadis jejuniorum cani solet. Ejus passim mentio fit in libris Græcorum ritualibus, in Euchologio non semel.

ἈΝΑΒΑΘΜΟΊ, *Psalmi graduales*, seu *Cantica graduum* apud Hebræos, Græcos et Latinos satis nota. In divinis Græcorum officiis certis quibusdam temporibus suum etiam habent locum. Vide quæ hàc de re congessit Dufresnius in glossariis suis, tum Græco, tum Latino, quæque commentatores tam veteres quàm recentiores ad hos psalmos notare solent.

ἈΝΑΓΝΏΣΕΙΣ, *Lectiones*, seu, ut Latini potiùs dicerent, *Lectionarius* : in quo libro partes seu segmina ex veteris Testamenti libris excerpta, variisque anni diebus, pro dierum festorum solemnitate, in Ecclesiâ recitari solita, continentur, in unum volumen redacta, ut faciliùs et commodiùs præ manibus habeantur. Prostat liber MS. passim in monasteriis Græcorum, et potissimùm in Bibliothecâ Vaticanâ et Barberinâ, num. 16 et 17, monente L. Allatio, dissert. 1, p. 53, et Diat. de Georg. p. 417, qui tamen notat hunc librum diversum esse ab aliis lectionibus prolixioribus, quas non ex sacris litteris, sed ex sanctorum Patrum opusculis desumptas, iidem Græci inter divina sua officia recitant (1).

ἈΝΘΟΛΌΓΙΟΝ, Latinè dicas *Florilegium*, opus in duodecim menses divisum, quo continentur officia quæ per totum annum in Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis Deiparæ, et reliquorum celebrium sanctorum solemnitatibus solent decantari, ut et communia officia in unum pluresve prophetas, Apostolos, martyres, pontifices, confessores, et alios. Contextum est hoc opus ad modum, qui in Menæis observatur, et maximam partem ex iis desumptum; in hoc verò differt, quòd in Menæis omnia ferè sanctorum festa sua habent quæque officia, i. e., hymnos, preces et lectiones; in hoc præcipua tantùm, quandoque et nulla ; ita, verbi gratiâ, à primâ septembris die usque ad septimam, nulla pro diebus festis officia reperiuntur, quæ tamen in Menæo satis frequentia continentur. In Menæis integra festorum officia exhibentur; in Anthologio plura memorantur tantùm, verbaque illorum initialia solummodò ponuntur. Denique p. 288, habentur plures orationes cuilibet sanctæ et magnæ hebdomadis diei convenientes, et lectiones ex Evangeliis depromptæ, festo Paschali propriæ. In duo volumina dispertitur. Primum continet sex menses, à primâ die mensis septembris usque ad finem februarii ; secundum sex æstivales, à martio scilicet ad augustum. Ultimum in Codice Cæsareo obtinent locum canones aliquot paracletici Joannis Euchaitensis. Quorum unumquodque peculiarem suam habet acrostichidem, quæ itidem ut quælibet ode nona nomine Joannis insignita est. Opus immensum, novis subinde additionibus auctum. Inde in postremarum editionum titulus πλουσιώτατον dicitur, aliaque quædam necessaria officia et interpretationes continere notatur, quæ in prioribus Anthologiis desiderabantur. Hinc posteriorum correctorum libidinem hâc in parte acriùs carpit L. Allatius p. 89, qui talem de hoc opere censuram fert. *Liber, ut verum fatear, lucri causâ excogitatus; ferè enim nihil in eo est, si recentiora quædam addita excipias, quæ eradi tanquàm noxia operæ pretium fuerit, quod non in Menæis et Paracletice, aliisque libris, et commodiùs et accuratiùs digestum sit.* Habetur Gr. MS. biblioth. Vindob. Cod. Theol. juxta Lambec. 309, juxta Nessel. 146; suum etiam Anthologium habuit Allatius à se sæpiùs citatum, nec in aliis illustrioribus Europæ bibliothecis deesse videtur. Editum est hoc opus Venetiis anno 1621, deinde typis Pinelli, accurante Theophylacto Tzanphurnaro hieromonacho ibid. 1639. Huic editioni subnectitur Πασχάλιον, sive *Calendarium Paschale* 50 annorum, nempe ab anno 1642 usque ad finem anni 1692. (1).

ἈΝΘΟΛΌΓΙΟΝ ΝΈΟΝ, sive *Florilegium novum*, ex omnibus penè divinorum officiorum voluminibus, in presbyterorum et monachorum Græcorum usum et sublevamen excerptum, laborem in se recipiente, idque jussu Antonii Sanctorii cardinalis, nationis Græcorum protectoris, Antonio Arcudio Corcyrensi. In hoc breviario rubricæ generales exhibentur, Psal-

(1) ἈΝΑΤΟΛΙΚΆ ΣΤΊΧΗΡΑ, *versus aurorâ lucescente*, ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου cantandos definit Goarus ad Euchol. p. 58; Ducangius et alii. Quirinus, in diatribâ supra citatâ pag. 163, ita nuncupatos existimat, quoniam ab Anatolio compositi fuerunt, ut inferiùs tradit. Certè mirari subit, prædictos viros confidenter affirmare, hujuscemodi Stichera à matutinâ horâ, quâ canuntur, nomen suum obtinuisse, cùm in libro, qui Ὀκτώηχος, appellatur, ubi Anatolica frequentissima sunt, hæc non minùs ad Laudes quàm ad Vesperas ponantur.

(1) Denique Anthologion excusum est 1697, in Hungarâ Walachiâ, teste *Montfaucon*, Diar. Ital. p. 437.

terium cum canticis, horologium, officium feriale, officium Ἀναστασίμου ὀκτωήχου, corporis Christi, ordo defunctorum, pentecostarium, lectiones sanctorum communium, simplicium, propriaque ipsorum synaxaria, Domini solemnitatum, B. Virginis cæterorumque insignium, tum duplicium, tum semiduplicium, festorum dierum integra per annum officia, aliaque non pauca. Edidit hoc opus Arcudius Rom. 1598, in-4°. Acriùs hoc opus perstringit L. Allatius p. 105, quasi in eo componendo compilator se intra sanctorum Patrum terminos non continuisset, et plus sapere visus est, quàm ipse divinus Spiritus voluit, cùm vetera immutat, integra obtruncat, perfecta immiscet, et de suo addit incompta atque insulsa, neque cum Græcis ipsis communia. *Quo pacto stomachum,* inquit, *sapientibus movit, et opus aliàs laudabile dehonestavit.*

ἈΝΤΊΦΩΝΑ. Sensu primo, maximèque proprio hæc vox notat canticum ecclesiasticum alternum, cùm psalmi aut hymni ab utrâque parte chori alternatim canuntur. Habet verò et strictiorem significationem; sumitur enim pro officio ecclesiastico, ex variis psalmis diversorum versuum, qui magis solemnitatis mysterium exprimunt, collecto. Et hæc Antiphona pro magnâ anni parte in diebus Dominicis recitantur. Dividuntur in primum et secundum Antiphonum; de quibus Leo Allatius, dissert. 1, p. 15, hæc nos docet. In primo post singulos versus recitatur, ταῖς πρεσβείαις τῆς θεοτόκου, Σῶτερ, σῶσον ἡμᾶς, *precibus Deiparæ, Salvator, salva nos:* in secundo pro solemnitatum diversitate versui adnectitur formula solemnitatem exprimens, ut in die Paschatis dicitur: Σῶσον ἡμᾶς, Υἱὲ Θεοῦ, ὁ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ψάλλοντάς σοι ἀλληλούϊα. *Salva nos, Fili Dei, qui à mortuis resurrexisti, canentes tibi alleluia;* in Pentecostes: Σῶσον ἡμᾶς, Υἱὲ Θεοῦ, Παράκλητε ἀγαθὲ ψάλλοντάς σοι ἀλληλούϊα, *Salva nos, Fili Dei, Paraclete bone, canentes tibi alleluia;* et sic de aliis terminatis versiculis idem reperitur. In nunc et semper dicitur illud: Ὁ μονογενὴς Υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ, ἀθάνατος ὑπάρχων. *Unigenitus Filius, et sermo Dei, immortalis existens,* etc. Postmodùm tertia statio excipit, quæ et tertium antiphonum vocatur; versiculi psalmorum cum tropario proprio solemnitatis, cujus vicem, cùm typica dicuntur, beatitudines occupant, in quarum postremis, tertiæ sextæque odæ troparia, sive paracletices, recitantur. De his Antiphonis vide etiam quæ habet Goarus ad Euchololog. paginâ 123.

ἈΠΌΔΕΙΠΝΟΝ, Latinè dicas *Completorium*, officium scilicet ecclesiasticum, quod post sumptam cœnam decantatur. Vocatur τῶν ἀποδείπνων ἀκολουθία. Duplex hâc de re apud Græcos officium occurrit. Primum μέγα dictum, quod per totam Quadragesimam psallitur. Et præsertim canuntur 12 psalmi, à verbis: Ὕψωσε, Κύριε, usque ad: Κύριε, εἰσάκουσον. Quod quidem in monasteriis fieri solet. Sacerdotes verò seculares et monachi iter facientes, hos psalmos omittunt. Alterum μικρὸν dicitur, et per reliquum anni tempus celebratur. Utrumque officium in Græcorum Horologio reperitur. Confer Meursium, Suicerum, et Dufresn. in voce ἀπόδειπνον (1).

ἈΠΌΣΤΟΛΟΣ, seu, ut in Euchologio Goriano, p. 253, vocatur ἀποστολικὸν βιβλίον, quòd potior majorque illius pars ex Epistolis canonicis Apostolorum, præsertim S. Pauli, desumpta. Hinc in ordinatione lectoris, pontifex tradit ei τὸν ἀπόστολον, Euchol. p. 236; et in Liturgiâ Chrysost. p. 68, lector profert τὸν προκείμενον ἀποστόλου καὶ τῆς ἡμέρας, propositum Apostoli et diei; mox, καὶ τοῦ ἀποστόλου πληρωθέντος, *et lectione Apostoli completâ sacerdos exclamat,* etc. Hic liber tempore S. Sabæ jam in usu fuit, teste Cyrillo Scythopolitano in Vitâ ejus, num. 75, apud Cotel. Monum. tom. 3, pag. 351, lector qui Epistolas S. Pauli Apostoli publicè in Ecclesiâ legit, πρωταποστολάριος, cujus meminit Codinus de Offic. Constantinop. cap. 6, n. 14, pag. 44. Editus est hic liber Venetiis 1641, hoc titulo: Ἀπόστολος σὺν Θεῷ ἁγίῳ (2). De Πραξαποστόλῳ agemus suo loco.

ἈΠΟΣΤΟΛΟΕΥΆΓΓΕΛΟΝ, liber complectens lectiones apostolicas simul et Evangelia, quæ in sacris liturgiis, singulis diebus aut festis, præsertim dominicalibus, iisque quæ B. Virginis martyrumque honori dedicata sunt, leguntur. Agit de hoc libro Euchologium non uno loco. Extant Ἀποστολοευάγγελα totius anni, juxta duodecim menses disposita, certis quibusdam diebus recitanda, summatim exposita in Euchologio, pag. 904. Ubi etiam habentur Ἀποστολοευάγγελα in mulieres martyres, in moniales simul et martyres, et undecim matutina Evangelia τὰ ἀναστάσιμα, seu *memoriam resurrectionis habentia.*

ΒΆΙΑ, sive Κυριακὴ τῶν βαιῶν, *Dominica in Palmis,* quâ populus inter matutinas laudes

(1) Et Rayæum Bollandistam in *Tractatu præliminari de acoluthiâ Officii canonici pro Ecclesiis Orientalibus,* cap. 5, n. 217.

(2) Prodierat antea Venet. 1635. Vid. *Fabr.* ad Alatii Diss. Bibl. Gr. vol. 5.

decantandas, palmas manibus gestare solent ad imitationem turbæ Hierosolymitanæ, Christum Hierosolyma ingredientem præeuntis, palmasque manibus ferentis. Extat in Euchologio, pag. 744, εὐχὴ εἰς τὸ δοῦναι τὰ βάϊα τῇ βαϊοφόρῳ, *oratio ad palmas ipso palmarum die distribuendas.* Et ipsum festum τῶν βαιῶν ἑορτή, sive ἡ βαιοφόρος ἡμέρα vulgò dicitur. De festo Palmarum vide quæ habet Codinus de Offic. Constantinop. cap. 10, p. 66, quæque ad illud caput notavit Gretserus, p. 238.

ΒΆΠΤΙΣΜΑ. Ritus et cæremonias describere, quibus baptismus apud Græcos peragi solet, non est hujus loci. In Euchologio hùc pertinent quæ sequuntur officia : 1° Εὐχὴ εἰς τὸ κατασφραγίσαι παίδιον, *oratio ad cruce signandum puerum, suscipientem nomen octavâ die nativitatis suæ*, pag. 321. Officium hoc baptismo præambulum est, et catechumenatûs vicem supplere videtur, cùm catechumeni olim nomen suum Ecclesiæ dare tenebantur. 2° Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *officium S. baptismatis*, p. 350. Cujus officii varia exemplaria ex codicibus MSS. exhibet Goarus. Integrum baptismum apud Græcos celebrandi ritum ex Euchologio Latinè exhibet, scholiisque suis illustrat P. Arcudius de Concord. Sacram. lib. 1, cap. 17, p. 57. 3° Εὐχὴ τοῦ ἁγίου βαπτισμάτου εἰς ἀποθνήσκον νήπιον, *oratio S. baptismatis in puerum letho proximum*, p. 370, cùm nempe urget vel morbus, vel instantis mortis necessitas, ut baptismus contractiori formulâ peragatur. 4° Εὐχὴ εἰς τὸ ἀπολοῦσαι νεοφώτιστον τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *oratio ad abluendum recens illuminatum octavâ die*, sive *ablutio post baptismum*, p. 371. Moris quippe erat in Ecclesiâ ab omnibus retroactis seculis, ut octavâ post baptismum die neophyti vestes candidas deposituri in Ecclesiam convenirent. Cui postea accessit ablutio sive abstersio, ne fortè aquæ baptismalis, vel chrismatis aliquid excidens deperdatur.

ΒΑΣΊΛΕΙΟΙ. Hoc nomine in scriptis ecclesiasticis Græcorum veniunt quatuor libri, nempe Regum IV, qui in sacro veteris Instrumenti canone habentur. De quibus vide Constitut. Apost. lib. 1, cap. 5, 6.

ΒΊΒΛΟΣ ΚΑΝΌΝΩΝ. *Codex Canonum*, quo usa est Ecclesia universa, continens pr orum 4 conciliorum generalium, ut et Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni canones continuatâ numerorum serie dispositos, qui sibimet invicem hoc ordine succedunt. Concilii Nicæni (primo quidem loco positi, διὰ τὴν τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου αὐθεντείαν, ut ipsius codicis verba sunt, *propter synodi œcumenicæ auctoritatem*) canones 20, Ancyrani 25, Neocæsariensis 14, Gangrensis 20, Antiocheni 25, Laodiceni 59, Constantinopolitani primi 7, Ephesini 8, Chalcedonensis 29, omnes numero 207. Hinc in Actis conciliorum, præsertim Ephesini et Chalcedonensis (ut de scriptoribus ecclesiasticis nil dicam) toties occurrit formula, fieri aliquid παρὰ τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν, damnari quempiam διὰ τὴν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν ἀκολουθίαν, et κατὰ τὴν τῶν κανόνων τάξιν, quia nempe codex canonum, quo tunc usi sunt, continuatâ numerorum serie et consequentiâ decurrebat. Prima hujus codicis mentio occurrit in actis concilii Chalcedonensis, cujus canones ei demùm accesserunt; ita act. 11, ἀπὸ τοῦ βιβλίου recitantur canones 95 et 96, qui concilii Antiocheni sunt 16 et 17; act. 13, ex eodem codice legitur canon 4, qui inter Nicænæ synodi canones quartum habet locum, et act. 4, sumpto libro, Aetius archidiaconus et primicerius magnæ Ecclesiæ Constantinop., legit ex eo canones 83 et 84, qui quidem concilii Antiocheni sunt 4 et 5. In codice encyclico epistola synodica 41, Conc. t. 4, col. 298 (quæ est episcoporum Pisidiæ ad Leonem imper.) Timotheum ejusque asseclas ex Ecclesiâ Dei ejiciendos judicant secundùm consequentiam regularem. Quænam verò hæc fuerit, nos docent quæ sequuntur : « Sicut inquiunt, tertia et octogesima regula « de talibus apertè decernit, cujus initium « est : *Si quis episcopus à synodo depositus, aut « presbyter*, » etc. Jam verò 83 codicis nostri regula est synodi Antiochenæ canon 4, qui eodem modo incipit. (1) Primus hunc codicem è tenebris eruit, et versione notisque adornatum Græc. Lat. edidit Christoph. Justellus Paris. 1610, in-8°. Transtulit deinde in Bibliothecam suam juris canonici Henricus Christophori F. tom. 1, p. 1, anno 1661. Recudit demùm præmissâ historicâ relatione de collectionibus canonum G. Th. Majerus Helmst. 1663, in-4°. Alius ab hoc est *Codex Ecclesiæ Orientalis*, vel idem potiùs à sextæ synodi Patribus anno 681 insigniter auctus, de quo etiam diximus loco citato. Hunc ex codice MS. Ecclesiæ Pictaviensis Græcè extulit Joan. Filius, postea Meldensis episcopus, Paris. 1540, in-8°. In

(1) De codicis hujus origine, variisque incrementis consule Constantium in Præf. ad Epistol. Roman. Pontif. part. 2, § 1; Joan. Baptistam Bartholum in Institutionibus Juris canonici cap. 46, § 5, et Ballerinios tom. 3 operum S. Leonis Præfat. part. 1, cap. 1, seq.

posteriori hoc codice locum habent canones Sardicenses, qui in codice Ecclesiæ universæ desiderantur. Ut ἀβλεψίαν suam egregiè prodiderit cardinalis Perronius (Resp. ad M. Brit. reg. l. 1, c. 55), dùm Christoph. Justellum sublestæ fidei in edendo codice canonum Ecclesiæ universæ arguere voluit, quòd hos canones suppresserit : nescius utique alium esse Ecclesiæ *universæ*, alium Ecclesiæ *orientalis* codicem. Quo nomine jure vapulat Henrico Christophori filio in Præfat. generali ad Bibl. Juris canonici veteris (1). Convenit penè inter omnes veteribus in more fuisse positum, ut quoties in synodum coirent, de rebus vel fidei, vel disciplinæ acturi, cùm duplici jure judicandum esset, divino nempe et canonico, in medio consessûs super tabulam collocatus sit à dextrâ parte codex Evangeliorum, è sinistrâ codex canonum. Et de codice quidem Evangeliorum disertissimè affirmat Cyrillus Alexandrinus (Apologet. ad Theod. imp. tom. 6, p. 251), ubi de synodo Ephesinâ agens, ἔκειτο γὰρ ἐν ἁγίῳ θρόνῳ τὸ σεπτὸν εὐαγγέλιον, μονονουχὶ καὶ ἐπιβοῶν τοῖς ἁγίοις ἱερουργοῖς. Κρίμα δίκαιον κρίνατε. ***Venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum erat, illud propè sanctorum sacerdotum auribus insonans : Justum judicium judicate.*** Et plena sunt conciliorum acta ; imò ipsis oculis id demonstrant picturæ veteres, quæ etiam hodiè supersunt. E multis unicum exemplum dabo. Bethlehemi, in ecclesiâ Dominicæ Nativitatis, inter alia monumenta, ex utrâque parietum parte, meridionali et aquilonari, infra fenestras ecclesiæ in sex quadratis spatiis ex musivo opere totidem sunt arcus figurati, sive fornices, quæ totidem conciliorum memoriam exhibent. Pars meridionalis sex continet concilia œcumenica, Nicænum, Constantinopolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III ; aquilonaris totidem provincialia, videlicet Ancyranum, Antiochenum contra Paulum Samosatenum, Sardicense, Gangrense, Laodicenum, et Carthaginense

(1) Quod Caveus monet de Justello, eum in edendo codice canonum Ecclesiæ universæ fraudis non arguendum, contra inspectionem codicis Bodlejani militat, ex quo quædam cultro resecuit Justellus, plurima omisit, quæ descripta penès se habet, olim forsan edenda, Joan. Georgius Janus Polyhistor Wittebergensis. Hæc Pfaffius in Disquisitione de Liturgiis, et Libris Eccles. p. 22. (Ad excusandum Perronium et illud facit, quod Constantius et Ballerinii probant, Justellianum nempe Codicem universæ Ecclesiæ Codicem non fuisse.)

sub Cypriano contra Novatum. Unaquæque fornix suam habet inscriptionem Græcam, quæ istam synodum breviter describit. In medio arcûs visitur pluteus, cujus in medio collocatur codex, quo librum Evangeliorum denotari nemo, opinor, facilè denegabit. Venerandum hoc antiquitatis monumentum ab Emmanuele Comneno, ut ex inscriptione liquet, absolutum, anno 1626, descripsit Nic. Quaresmius Elucid. terr. Sanctæ tom. 2, lib. 6, cap. 13. Inscriptiones Græcas, et parietis aquilonaris delineationem ex Oriente sibi transmissam, et æri eleganter incisam, exhibet vir illustris pariter ac eruditus Joan. Ciampinus lib. de sacris Ædificiis Constantini M. cap. 24, p. 150 qui et alibi de hoc more ex veterum monumentis agit, nempe in elegantissimo opere de vet. Monument. Musiv. cap. 16, p. 133, et cap. 25 p. 256. Vide etiam cap. 22, p. 201 (1). Et de codice Evangeliorum hactenùs.

De codice canonum non adeò clara sunt veterum testimonia, etsi admodùm probabile est, et tantùm non certum, cùm in Actis conciliorum legimus præstò semper fuisse ad manum, et datâ canones relegendi occasione, à diacono in manus sumi solere sine ullâ introductionis mentione. His adde quòd in supra memorati operis Bethlemitici quadrato sexto, quod synodi Carthaginensis memoriam conservat, sub duplici arcu bini repræsentantur suggestus, codice utrique superimposito. An hic codicem Evangeliorum, alter Canonum codicem denotet, lectori erudito perpendendum relinquimus. Certè à magnâ verisimilitudine non abhorret. Suum denique Synodicon habet Ecclesia Æthiopica, quæ Græcorum ritus ecclesiasticos ut plurimùm sequitur. Præter enim librum, quem Synodum vocant, Apostolorum constitutiones et canones, sed à nostris tum rebus, tum verbis, necnon ordine et numero valdè discrepantes, complectentem, habent Abyssini et codicem conciliorum, nempe Ancyrani, Neocæsariensis, Nicæni, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, et Sardicensis canones continentem ; de quo plura te docebit, lector, vir in his litteris sine pari Job Ludolfus Hist. Æthiop. lib. 3, cap. 4. Plenis Comment. Æthiop. lib. 3, cap. 4, n. 30, p. 301.

ΓΕΡΟΝΤΙΚΌΝ. Opus est in quo dicta et facta vetustiorum Ἀσκητῶν congesta sunt. Frequens Gerontici apud scriptores Græcos mentio. Cu-

(1) Adi de his etiam Catalani Commentarium de Codice S. Evangelii, lib. 3, c. 10.

jusmodi opera primùm in Ægypto contexta sunt. Qualia apophthegmata ἁγίων γερόντων, à Cotelerio Græc. Lat. in lucem emissa Monument. tom. 1, p. 341. Excerpta ex Palladii Historiâ Lausiacâ tom. 3, p. 158. Παράδεισος, sive Ægyptiorum monachorum Historia ibid. p. 171. Joan. Moschi Pratum Spirituale Biblioth. PP. Græc. Lat. tom. 2, ut alia prætermittam. Plura MSS. delitescunt. Ex quibus quædam in Ecclesiâ publicè leguntur, id quod de Joannis Climaci (qui et ipse cap. 56 βίβλιον γεροντικὸν memorat) opere satis constat, ut infra notabimus.

ΔΙΑΚΟΝΙΚΌΝ. Hæc vox non unam apud scriptores ecclesiasticos significationem obtinet. Sumitur quandoque pro eâ Ecclesiæ parte, in quâ dùm sacra fiunt, diaconi consistere solebant; nempe in soleà, et ad bematis cancellos; aliquando pro æde Ecclesiæ adjunctâ, in quâ vasa sacra et vestes reponebantur, quorum curam habebant diaconi, de quo non pauca congessit Gothofredus ad Philostorgii lib. 7, cap. 3, p. 276; quandoque pro collectâ, seu eâ precum publicarum parte, quam diaconi pronuntiabant. Hoc verò loco librum denotat ecclesiasticum, quo omnia, inquit L. Allatius, quæ ad diaconi munus obeundum requiruntur, in agendâ re divinâ et singulis officiis uno veluti fasce continentur. De eo videtur intelligendus esse Joannes Euchaitarum (1) episcopus, cùm carmina εἰς τὸ βίβλιον τῆς διακονίας τοῦ τροπαιοφόρου scripsit. Vide Allat. dissert. 1, p. 97.

ΔΙΔΑΧΑΊ, conciones, homiliæ ecclesiasticæ, quæ vetustioribus διδασκαλίαι vocabantur, recentioribus Græcis διδαχαὶ dicta sunt; conciones nempe in præcipua anni festa, quæ ferè semper in procemium et duas στάσεις distinguuntur. Cujusmodi, inquit Dufresnius in verb. διδαχαὶ, erant Alexii Rharturi presbyteri et chartophylacis Corcyræ editæ Venet. anno 1560, quo et vixit : et aliæ nescio cujus anonymi in Cod. Colbert. 4634. An verò hujusmodi conciones à privatis doctoribus compositæ in publicis Ecclesiæ cœtibus recitatæ sint, non constat.

ΔΙΠΑΟΚΑΤΗΧΟΎΜΕΝΟΝ. Cantici ecclesiastici species erat, iterata fortè precatio pro Catechumenis, inquit Dufresnius, qui ad conjecturam suam firmandam, locum unum alterumve

(1) Imò Euchaitorum, ita enim potiùs quàm Euchaitarum scribendum esse notat Lambecius, teste Fab. ad Allatii Diss. 1, vol. 5, Bibl. Græc. subjunct. p. 72.

ex Horologio MS. in officio Quadragesimæ profert Append. ad Gloss. Græc. col. 59.

ΔΊΠΤΥΧΑ. Nota satis est et vox et res. Duplices erant tabulæ, quarum una patriarcharum, pontificum, episcoporum, qui majoribus Ecclesiis præsidebant, et in vivis erant, nomina inscribebantur; in alterâ mortuorum, eorum nempe qui in pace et communione Ecclesiæ diem suum obierant, quæque ex his tabulis inter sacrorum solemnia à diacono ad altare recitari solebant. Episcopi alicujus nomen his tabulis inditum communionis erat tessera et indicium. Ubi verò alicui denegatur, nomen ejus è publicis Ecclesiæ tabulis erasum est. Mos satis antiquus, et quarto saltem seculo, si non retroactis temporibus, usurpatus. Verùm non modò episcoporum, sed et aliorum sanctitate illustrium, præcipuè imperatorum orthodoxorum nomina hisce tabulis inscripta fuerunt, et ex iisdem recitata. Quin et conciliorum œcumenicorum, ut fidem nobis facit Justiniani imp. Epistola ad Epiphanium (Cod. de Summ. Trinit. lib. 7, propè fin.) patriarcham Constantinop., et nos etiam ad concilium Chalcedonense notavimus, ubi de codice canonum Ecclesiæ universæ egimus. Plena est harum tabularum in scriptoribus ecclesiasticis, plena in conciliorum monumentis, ubique mentio. De Diptychis agunt Durantus, de Ritibus Ecclesiæ, lib. 2, c. 43, num. 8, 9, p. 717; Habertus Pontif. Græc. p. 156; Goar. ad Euchòlog. p. 143; Mastrichtius Schediasm. de susceptor. in Baptismo, et Hist. Jur. Eccles. num. 2, pag. 7; præsertim verò lexicographi ecclesiastici, Dufresnius in glossario tum Græco, col. 314, tum Lat., col. 107, etc.; Meursius et Suicerus, in voce δίπτυχα (1).

ἘΓΚΑΊΝΙΑ. *Encœnia*, seu ædium sacrarum dedicationes Ad hanc classem pertinere videntur hæc Euchologii officia : 1° Τάξις γινομένη ἐπὶ θεμελίῳ ἐκκλησίας, *ordo observari solitus in fundamento Ecclesiæ ponendo;* 2° ἀκολουθία τοῦ σταυροπηγίου, *officium circa crucis defixionem*, p. 609; 3° τάξις γινομένη ἐν τοῖς ἐγκαινίοις, *ordo in encœniis*, hoc est, in templi dedicatione servandus, pag. 832, 844, 845; 4° τάξις γινομένη ἐπὶ σαλευθείσης ἁγίας τραπέζης, *ordo servandus si mota fuerit sacra mensa*, p. 614. Sunt et alia officia

(1) Item Henr. Dodwellus in Diss. Cyprianicâ 5, et Montefalconius in Palæographiâ Græcâ l. 1, c. 4. (Cum primis autem Gorius eruditissimus in Diptychorum Thesauro, cujus primus tomus posthumus nunc primùm Florentiæ prodiit curante clarissimo viro Joanne Baptistâ Passerio.)

et orationes quæ ad hanc classem pertinere videntur, nempe *officium in consecratione patinæ et calicis novi*, p. 852; *oratio in aperiendo sive reconciliando templo, à gentilibus, vel ab hæreticis profanato*, p. 620; *in reconciliatione ecclesiæ, in quâ hominem violenter mori contigerit*, pag, 621, et hujusmodi alia.

ΕἹΡΜΟΛΌΓΙΟΝ, liber ecclesiasticus, quo omnes octoechi εἱρμοὶ sive cantus initiales Christi et Deiparæ festivitatum, totiusque anni continentur. Εἱρμὸς appellatur, inquit Zonaras in canones Anastasimos Damasceni, ὡς ἀκολουθίαν τινὰ καὶ τάξιν μέλους καὶ ἁρμονίας διδοὺς τοῖς μετ' αὐτοῦ τροπαρίοις, *quod seriem quamdam et connexionem et ordinem cantûs et consonantiæ tribuat consequentibus post se tropariis*. Hirmus itaque, explicante L. Allatio Dissert. 1, p. 98, est hymnus, sive troparium, à quo reliquorum trópariorum, quæ in eâ ode canuntur, consequentia et series ducitur. Canon nempe est et regula modulationis subsequentium tropariorum (1). Editum est hujusmodi Hermologium Venet. anno 1605, in-8°. Novissimum, ni fallor, prodiit ibid. anno 1643. Ad finem habetur tabula septem conciliorum œcumenicorum; index graduum prohibitæ affinitatis; septem peccatorum mortalium; septem gratiarum; septem mysteriorum, seu sacramentorum, et quatuor naturalium virtutum tum animæ, tum corporis. Habetur MS. tum alibi, tum biblioth. Vindob. Cod. Theolog. 285, numer. 3, fol. 264. Exstare in Bibliothecâ Barberinâ Εἱρμολόγιον totius anni, quemadmodùm in Monte Sancto cani consuevit à Josaphato Cucuzele hieromonacho notis musicis adornatum, testis est idem Allatius, pag. 99. Dicitur hic Cucuzeles, ὁ νέος nempe ut à seniore distinguatur. Erat is magister Joannes Cucuzeles, qui contexit τὴν ἅπασαν ἀκολουθίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς τέξεως, *seriem universi officii ecclesiastici*, quam antiquis notis musicis adornavit. Exstat Græc. MS. biblioth. Vindob. Cod. Theod. 185, continetque folia 341, in-4°, atque ita incipit : Δεῦτε προσκυνήσωμεν, etc.

ΕἸΣΌΔΙΚΟΝ. Officium est quod peragitur quando Evangelia, vel dona sacra solemni procedendi ritu à sacerdote ad altare deferuntur. Duplex verò apud Græcos, notante Goaro ad Euchölog. p. 124, est εἴσοδος : Prima μικρὰ, quæ et in Euchologio Allatiano in consecratione episcopi ἡ πρώτη εἴσοδος τῆς θείας ἱερουργίας dicitur, libri nempe Evangeliorum, quem ante faciem elevatum defert diaconus, in sacrarium introductio. In liturgiâ Chrysostomianâ, p. 67, hoc modo describitur : Sacerdos acceptum sacrum Evangelium tradit diacono, atque ita portâ septentrionalis partis egressi veniunt ad consuetum locum, καὶ ποιοῦσιν τὴν μικρὰν εἴσοδον, *ingressum minorem peragunt*. Habetur ibidem εὐχὴ τῆς εἰσόδου, quæ μυστικῶς seu *secretò* recitanda est. Εἴσοδος μεγάλη, seu *ingressus major* est, quando sacra dona pompâ magis solemni et augusto apparatu altari inferuntur. De quo vide quæ prolixè notavit Goarus, ibid. p. 131.

ἜΝΝΑΤΑ, quæ *Novemdiaria* reddi possunt: officium quod pro defuncto, nono post obitum die, psalmis aliisque precibus et lectionibus peragitur; quod et tertio et quadragesimo die factum est. Meminit auctor Constitut. Apost. lib. 8, c. 42, col. 506. Ubi etiam τρίτα τῶν κεκοιμημένων, καὶ τεσσαρακοστὰ et ἐνιαύσια recenset. Vide quæ ex Justiniani Novellâ, Niceph. Gregorâ aliisque notat Dufresn. col. 387 (1).

ἙΞΆΨΑΛΜΟΣ, à numero Psalmorum quibus componitur, dictus; sex quippe Psalmos continet; nempe 3, 37, 62, 87, 102, 142, qui ut plurimum in matutinis, quandoque etiam et ἐν τοῖς ἀποδείπνοις canuntur. Εἰς δὲ τὸ ἀποδείπνων ψάλλομεν τὸ κατὰ συνήθες ἑξάψαλμον (ut habetur in Menæo in *Apodeipno*), *canimus consuetum hexapsalmum*. De hexapsalmo, trisapsalmo, aliisque Psalterii partibus in officium aliquot peculiare redactis, plura te docebit, lector, L. Allatius Dissert. 1. p. 57, Confer etiam Dufresn. Gloss. Græc. col. 401.

ἘΞΟΔΙΑΣΤΙΚΌΝ, Exequiæ. Ad hunc titulum sequentia Euchologii officia revocanda sunt : 1° Ἀκολουθία εἰς ψυχορραγοῦντα, *officium agentis animam*, p. 737, cùm nempe ægroto penè instat mortis articulus. 2° Ἀκολουθία ἐξοδιαστικοῦ, *officium exequiarum* p. 525, cui subjunctæ sunt orationes plures ex aliis MSS. circa defunctum usurpandæ. 3° Ἀκολουθία ἐξοδιαστικοῦ τῶν μοναχῶν, *officium funeris monachorum*, p. 554. 4° *In sacerdotem vitâ functum*, p. 561. Quin et viri seculares, mulieres et pueri

(1) Vide Rayæum in dissert. præviâ ad citatum tractatum præliminarem, § 2, num. 9 et 10.

(1) ἘΞΑΠΟΣΤΕΙΛΆΡΙΑ. Hymni sunt ita appellati à voce ἐξαπόστειλον, quæ in iis frequenter occurrit, ut post Cangium tradit Quirinius in citatâ diatribâ tertiâ, p. 166. Aliter Goario visum est, aliter Gretsero et Combefisio, quorum hi à dimitterio cœtu hymnorum hujusmodi nomen arcessunt, ille hymnum explicat, ad *quem concinendum in chori gremium mittitur aliquis*, etc.

vitâ functi sua etiam habent funeris officia.

ἙΣΠΕΡΙΝῸΣ ὝΜΝΟΣ, sive *Hymnus vesvertinus*. Sole jam occidente, cùm lumina inferrentur, in Ecclesiâ cantari solitus. Incipit Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς οὐρανίου, etc. Occurrit passim in codicibus MSS. librisque Græcorum ritualibus, nec semel typis impressus. Constit. Apost. lib. 8, cap. 36, habetur προσφώνησις ἐπιλύχνιος, et cap. sequenti Εὐχαριστία ἐπιλύχνιος. Verùm utraque formula à nostrâ diversa. Sed lib. 7, cap. 49, occurrit προσευχὴ ἑσπερινός, eadem penè et verbis et sensu. Antiquissimum certè hunc hymnum suo tempore fuisse luculenter testatur Basilius, seque illum διὰ τὴν τοῦ χρόνου ἀρχαιότητα in testimonium adducere, lib. de Spir. S., cap. 29, p. 359. Non sum nescius Græcos plerosque, et recentiores penè omnes hymnum hunc Athenogeni ad martyrium jam properanti, cujus ibidem meminit Basilius, tribuere. Quisquis verò Basilii locum seriò perpenderit, facilè videbit, hymnum Athenogenis à nostro apertè distingui. Ac proinde quæ hâc de re dicta sunt Hist. Litt. vol. 1, p. 94, de vulgari sententiâ intelligenda sunt. Basilius quippe quis fuerit τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, hymni scilicet vespertini auctor, se nescire disertè profitetur; de hymno verò matutino nihil habet. Interim hymnum quemdam, quo Spiritûs S. divinitas confirmabatur, scripsisse Athenogenem loco citato expressè tradit. In vetusto quodam codice MS. Ὕμνος τοῦ λυχνικοῦ appellatur, quia in officio Lucernarii principem locum habet. Vide quæ diximus in verbo Λυχνικόν. Addam solummodò, quod ante me notârunt Usserius et F. Ducæus, gentiles olim talem quamdam formulam usurpâsse. Certè, teste Varrone de Ling. Lat. lib. 5, p. 46, Græci, cùm lumen adfertur, religiosè solebant dicere: Φῶς ἀγαθόν. Quid mirum igitur si haberent Christiani quod gentilibus opponerent, suum nempe φῶς ἱλαρόν, in laudem Domini nostri, qui ἀπαύγασμα τῆς δόξης Dei Patris ab Apostolo dicitur?

ΕὐΑΓΓΈΛΙΟΝ. Codex in quo descripta sunt Evangelia, non quidem continuatâ historiæ evangelicæ serie, sed in certa τμήματα, sive περικοπὰς divisa, quæ proprias lectiones constituant, ad usum singulorum dierum et festivitatum, modò unius, modò alterius Evangelistæ textu, quandoque etiam plurimis in locis, ut opus fuerit, interposito, non ita tamen ut seriem evangelicam prorsùs interrumpant. Exceptis enim solemnitatibus quæ peculiare sibi poscunt Evangelium, in reliquis anni diebus ita dispertiuntur, ut unius priùs Evangelistæ textum in tmemata dividant, et diebus applicent, donec finiat; postmodùm alterius continuent, donec omnia ad exitum perduxerint, et diebus dominicis à scriptore Evangelii nomen imponant. Dicunt enim: Ἡ πρώτη κυριακὴ τοῦ Ματθαίου, ἡ δευτέρα τοῦ Ματθαιοῦ, et sic de aliis. Ubi codex Evangelistarum tetrabiblos sit, τετραευαγγέλιον nuncupatur. Pluribus hæc persequitur L. Allatius, diss. 1, p. 34, etc. pluribus Meursius in voce εὐαγγέλια, pluribus Dufresnius Gloss. Græc. col. 441 (1), qui et varia Evangelia memorat, nempe ἑωθινά, quæ diebus Dominicis in matutinis leguntur; ἑωθινὰ ἀναστάσιμα numero 11, certis diebus ac hebdomadibus lecta: ὁσιακά, quod in festis sanctorum, secundùm menses aliquot, legantur; denique μικρὰ εὐαγγέλια, quæ à mulieribus vice φυλακτηρίων gestari solebant. Quod et suo jam tempore factum esse testatur simul et reprehendit Isidorus Pelusiota, lib. 2, epist. 150, ad Epimachum, p. 178. Diaconus qui Evangelium legit in sacrâ liturgiâ εὐαγγελιστὴς vocatur, qui antequàm lectionem suam ad altare incipiat, ut ex liturgiâ Chrysostomianâ liquet, conversus ad sacerdotem benedictionem ejus impetrat his verbis: Εὐλόγησον δέσποτα τὸν εὐαγγελιστὴν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου, καὶ εὐαγγελιστοῦ τοῦδε, *benedic, Domine, Evangelistam S. Apostoli et Evangelistæ N.* Editum est hoc θεῖον καὶ ἱερὸν εὐαγγέλιον (hunc enim habet titulum) primum ab Emmanuele Glyzonio Venet. anno, ni fallor, 1599, postea curâ Theophylacti hieromonachi apud Joan. Pet. Pinellum, ibid. 1645 (2). Præmittitur præfatio, sive epistola dedicatoria ad sanctissimum doctissimumque Gabrielem Philadelphiæ metropolitam, et ad severum Monembasiæ episcopum, et D. Raphaelis patriarchæ τοποτηρητήν, data julii 24, 1614. Vitæ quatuor Evangelistarum ex Sophronio Hieronymi interprete, et Dorothei Synopsi, desumptæ, cuilibet Evangelistæ suo loco præfixæ sunt.

ΕὐΑΓΓΕΛΙΣΤΆΡΙΟΝ, libellus quasi appendicis vice Evangelio subnexus. In eo continentur Evangelistarum continuatio, unde incipiant,

(1) Conf. etiam Tentzellium in diss. de ritu lectionum sacrarum.

(2) Prodiit etiam Evangeliorum codex ejusmodi Venet. 1624, in-fol., quæ editio extat Romæ in Bibl. Barberinâ, teste Fabr. ad Allatii Diatrib. Bibl. Græc. vol. 5, subjunct. p. 23.

et unde finiant, canones 35, in quibus semper invenitur dominicarum totius anni Evangelium matutinum, et quis tonus canitur singulis dominicis, aliaque ad inveniendum diem S. Paschatis necessaria, paschalium perpetuum ab Emmanuele Glyzonio compositum. Claudunt libellum Canones evangelici Eusebii Cæsariensis, cum ejusdem ad Carpianum Epistolâ. Prodiit unà cum Evangelio Venet. 1599 et 1645.

ΕΥ̓ΧΕΛΑΙΟΝ, orationes in S. oleo, seu extremâ unctione administrandâ, recitandæ. Extat officium in Euchologio p. 408, hoc titulo: Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου ψαλλομένη ὑπὸ ζ. Ἱερέων συναχθέντων ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν οἴκῳ: *Officium S. olei decantatum à septem sacerdotibus congregatis in ecclesiâ, vel domi;* in ecclesiâ, si ægrotantis permittant vires; domi, si graviter afflictus et prostratus sit. Cur ad hoc officium celebrandum septem requirantur sacerdotes, varias rationes à numero septenario petitas reddere conatur Simeon Thessalonicensis, leves quidem illas, nec tanti ut excutiantur.

ΕΥ̓ΧΟΛΌΓΙΟΝ, sive *Rituale Græcorum,* continens ritus et ordines divinæ liturgiæ, variorum officiorum ecclesiasticorum, tum matutinorum, tum vespertinorum, formulas ordinationum, sacramentorum, baptismatis, etc., cum benedictionibus et orationibus cuilibet personæ, statui vel tempori congruis, præter integras Basilii, Chrysostomi, et præsanctificatorum liturgias. Exstat Græc. MS. biblioth. Vindob. Cod. Theol., juxta Lambec. 327, juxta Nessel. 286, num. 2, à fol. 29, usque ad fol. 308. Omnium antiquissimum videtur illud in bibliothecâ Barberinâ asservatum, in chartâ Pergamenâ, quadratis litteris, ante nongentos et plures annos accuratissimè descriptum. Editum est à Græcis Venetiis non semel, nempe annis 1544, 1550, 1570, 1571, 1600, 1602, 1629, 1638, 1642 (1). Hujus postremæ editionis curam in se suscepit Theophylactus hieromonachus, qui illa se recognovisse à mendis, quæ in priores irrepserant, repurgâsse, nonnullisque orationibus auxisse gloriatur. Verùm omnium diligentiam longè superavit Jacobus Goar. Parisinus, ordinis Prædicatorum monachus, qui conquisitis undique codicibus tum editis, tum manuscriptis, omnes hujus Euchologii formulas ex διατάξεις recensuit et digessit, variantes lectiones collegit, non paucas orationes, et integra officia ex MSS. Euchologiis addidit, versionem Latinam adornavit, notis eruditis, figuris æneis, et onomastico illustravit (1). Prodiit insigne hoc opus Græcè et Latinè. Paris. 1645, in-fol. (2). Ex majori Euchologio desumptum est in usum sacerdotum, σύνταγμα τινῶν ἀναγκαίων ἀκολουθιῶν καθ' ἑκάστην ἀνηκουσαντῶν τῷ ἱερεῖ, *necessariorum quorumdam officiorum ad sacerdotem pertinentium, et ex Euchologio desumptorum collectio.* In hâc collectione continentur officium vespertinum, et τοῦ ὄρθρου, sive *laudum,* ἀποστολοευαγγέλια, sive *Epistolæ* et *Evangelia* in varias commemorationes sanctorum, ordo τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, pro parvâ benedictione, ordo communis invocationis, in Sponsalibus, ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, seu in coronatione sponsorum, in bigamum, preces in puerperam primo partûs die, preces pro obsignando puero octavo die post partum, preces in puerperam quadragesimo die, ordo sacri baptismatis, et alia quædam quotidiani usûs. Editum est hoc syntagma eleganter rubricatum, curante Emmanuele Glyzonio, Venetiis apud Francisc. Julianum anno 1595, in-4°.

ΈΩΘΙΝΌΣ, hymnus matutinus, qui in officio matutino quotidiè legi, diebus verò dominicis et majoribus Ecclesiæ festis, modulatione quâdam cani solet. Incipit: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Αἰνοῦμεν σε, etc. Desinit: Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος, σὺ εἶ μόνος Κύριος, etc. In Benedictino apud Cantabrigienses codice circa annum 884 exarato. *Hymnus angelicus* dictus est, quòd initium ducat à cœlesti illâ δοξολογία, quam Christo jam nato sacer angelorum chorus cecinerunt, Luc. 2, 13, 14. Laudes Dei inter sacrorum solemnia hymnis celebrare moris erat, non apud Judæos modò et gentiles, sed et in Ecclesiâ christianâ, præeunte cum discipulis suis Domino nostro, Matth. 26, 30. Dominum secuti Apostoli, κατὰ τὸ μεσονύκτιον orantes, hymnos canebant Deo, Act. 16, 25; idem in Ecclesiâ apostolicâ, 1 Corinth. 14, 26; Coloss. 3, 16; idem et ab

(1) Imò et 1526, 1553, 1616, 1622, in-4°. Russicè vertit Petrus Mogilas metropolita Kijoviensis, et edidit 1646.

(1) Hanc editionem ex MS. codice Cæsareo valdè posse suppleri notat Lambecius l. 5, p. 287. Euchologion MS. Cryptæ Ferratæ laudat Rich. Simeon tom. 3 Bibl. Criticæ Gallicè edit. p. 622.

(2) Imò 1647, recusum deinde Venetiis 1740. Cæterùm quùm primò sub Urbano VIII ad Euchologium Græcorum emendendum manus admota fuisset, tandem accuratissimè correctum prodiit Romæ 1754. Confer Benedicti XIV Epistolam *ad archiep. episcop. aliosque ritûs Græci ecclesiasticos,* 1 martii 1756, tom. 4 Bullarii.

ævi apostolici Christianis factum. Hinc Lucianus, vel quisquis sit istius Dialogi Philopatr. conditor, Christianos introducit ἐπὶ παννύχους ὑμνῳδίας ἀγρυπνοῦντες, *ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes*, tom. 2, p. 1010. His hymnis Christi divinitatem præcipuè celebrabant, ut Domini nostri honorem adversùs gentilium blasphemias animosiùs vindicarent. De Christianis sui temporis Plinius ad Trajanum, lib. 10, epist. 97 : « Affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. » Nec aliter scriptor antiquus contra Artemonis hæresin apud Euseb. lib. 5, cap. 28, p. 126 : *Psalmi et cantica fratrum à fidelibus*, ἀπ' ἀρχῆς, *conscripta*, τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, *Christum Verbum Dei concelebrant Divinitatem ei tribuendo*. Quin et de Paulo Samosateno notant Patres Antiocheni Epist. Synod. ibid. lib. 7, c. 3, p. 281, ipsum Psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos abolevisse. Ex horum numero fuisse hymnum nostrum matutinum non sine ratione conjicit Usserius noster de Symb. p. 34, nec temerè dubitari potest à primis ferè rei christianæ incunabulis usurpari fuisse solitum. Constitut. Apost. lib. 7 cap. 48, habetur προσευχὴ ἑωθινή, quæ à formulâ hodiernâ parùm differt. Usu fuisse receptissimum Athanasii tempore ipse nos docet, et sacratis virginibus quovis mane usurpandum commendat : Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, etc., ὑμνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε, καὶ τὰ ἑξῆς, de virgin. p. 833. Imò hymni antiquitatem haud parùm arguit ipse codex MS. in quo descriptus reperitur, ante annos fermè 1300 exaratus, codex nempe SS. Bibliorum Alexandrinus in Regiâ nostrâ Bibliothecâ asservatus, ubi vol. 3, fol. 569, post odas quæ sequuntur Psalmos, sub titulo ὕμνου ἑωθινοῦ eâdem manu descriptus legitur. Vid. Bibl. Polyglot. tom. 6, not. ad 72 Interpr. p. 140. In eodem codice subjuncta est et oda alia στιχηρῶς, eodem modo et manu scripta quæ ita incipit : Καθ' ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε, etc. Huic cur *hymni vespertini* titulum præfixerit Usserius, haud satis constat, cùm ex ipso hymno luce clariùs liquet matutinum fuisse. Si quis hymnum nostrum ad codices MSS. accuratè et magnâ planè diligentiâ recognitum videre cupiat, adeat is Smith. collectanea de Cyrillo Lucario, patriarchâ CP. Londini 1585, pag. 144, 145. Lond. 1707, pag. 138, 139, etc.

ΘΕΟΤΟΚΑΡΙΟΝ, *Theotocia*; Odæ sunt, sive cantica, officiis ecclesiasticis hinc inde interspersa, quæ Græci pro suo in Deiparam affectu, in ejus honorem solent decantare. Θεοτοκάριον, liber est, quo *Theotocia* continentur. Mentio fit in indice Bibliothecæ monasterii S. Trinitatis insulæ Chalces apud Dufresn., alibi (quod sciam) apud scriptores Græcos raró occurrit. Interim est etiam Græcis liber ecclesiasticus, Θεοτοκάριον dictus, in laudem B. Virginis Mariæ, ab Agapio monacho Cretensi compositus, qui illum ex variis libris qui in Monte Sancto asservantur, collegisse dicitur. Exstat Venet. 1643, in-4°.

ΘΗΣΑΥΡΌΣ, *Thesaurus*. Liber ecclesiasticus, linguâ vulgari scriptus, continens homilias, seu conciones in festa anni aliaque pietatis officia. Claudit opus orationis dominicæ explicatio. Auctorem habet Damascenum monachum, *Studitam* dictum, subdiaconum Thessalonicensem. Prodiit Venet. an. 1628, in-8°. et 1642, in-4°.

ΘΗΣΑΥΡῸΣ ΝΈΟΣ, *Thesaurus novus*, quo Homiliæ 19 varii, seu theologici et ecclesiastici argumenti continentur. Extat Venet. 1621, novis verò curis et figuris adornatus, anno 1646, in-4°. Theophilacti hierodiaconi Tzanfurnari, ni fallor, opus est (1).

ΚΑΛΕΝΤΆΡΙΟΝ, *Kalendarium*; sive Ephemeris ecclesiastica in usum totius anni, juxta duodecim menses, ab initio septembris usque ad finem augusti, à Græcis digesta, quâ festâ Ecclesiæ, stata jejuniorum tempora, et id genus alia notari solebant. Confecta esse hujusmodi calendaria liquet vel ex biblioth. Vindob. Cod. Hist. Eccles. 97, num. 13, ubi habetur præpositi cujusdam monachalis Epistola ad sapientem senem ascetam de quæstionibus variis monasticis, ad jejuniorum præcipuè et festorum annuorum observationem pertinentibus, unà cum ejusdem senis responso cui integrum calendarium ecclesiasticum in fine insertum est (2).

ΚΑΝΏΝ. Varia significat hæc vox apud scriptores ecclesiasticos. Missis aliis, designat

(1) ἸΔΙΌΜΕΛΟΝ, canticum peculiari ac proprio atque à cæteris discreto modulandi genere cantandum. Vide Quirinum in diatribâ 3, p. 163, seq.

(2) ΚΆΘΙΣΜΑ. Modulus est, inter quem cantandum cantoribus ad paulisper quiescendum, et è labore respirandum sedere licitum est, quùm ferè nunquàm in Ecclesiâ Græci sedeant. Hujusmodi sunt Psalmi aliqui, et cantica quædam, quibus pro diversitate materiæ diversum quoque nomen indictum est. Confer Quirinum in citatâ diatrib. 3, p. 165.

hoc loco διάταξιν officium ecclesiasticum, idque non uno sensu. 1° Itaque ut canones synodicos taceam, κανών est regula monastica, severioris vitæ cultoribus præscripta, ad quam vitam moresque suos componerent. Κανὼν τῆς μοναχικῆς πολιτείας, Cyrillo Scythopolitano in Vitâ Joan. Solitarii, num. 3 et num. 17, τὸν κοινὸν κάνονα τῶν ἀδελφῶν, *communem fratrum regulam* vocat. Verùm hæc notiora sunt quàm ut iis explicandis immorenur. 2° Κανὼν est hymnus ecclesiasticus, in officio aliquo pro more et ex regulâ decantari solitus. Unde κάνονες notant hymnos, qui post Psalmos Davidicos, preces, aliaque troparia, antequàm finiantur divina officia, recitantur. A materiâ de quâ agunt varia sortiuntur nomina. Alii ἀναστάσιμοι, dicuntur, qui de Christi resurrectione; σταυρώσιμοι, qui de cruce; νεκρώσιμοι, qui de mortuis; τριαδικοί, qui de Trinitate; δογματικοί, qui de dogmatibus agunt, etc. De quibus consulendus Dufresnius suis locis. Adi etiam Meursii Glossarium. p. 215, et qui Meursium exscribit, Suicerum Thes. Eccles. in verb. Κανών. In ecclesiasticis Græcorum libris nullibi non occurrunt hujusmodi canones. In iis celeberrimus est μέγας κανών, ab Andreâ Cretensi archiepiscopo conditus, qui, collectâ universâ veteris et novi Testamenti historiâ, canticum composuit, cohortans omnes, ut quæ videant in historiâ esse bona et laudabilia, pro viribus sectentur, mala fugiant et execrentur. Integer hic canon in Græcorum Triodio alibique reperitur. Ubi ἡ τοῦ μεγάλου κάνονος ἀκολουθία memoratur feriâ 5 magnæ hebdomadis recitanda. Et *magnus* ibi dicitur hic canon, quia cùm reliqui canones triginta et paulò plura troparia habeant, hic ad 250 progrediatur. Infiniti penè sunt horum canonum auctores. In iis agmen ducunt Methodius Patarensis, Cosmas; Joannes Damascenus, Theophanes, Josephus, et Theodorus Studita, Photius Patriarcha, Simeon Logotheta Joannes Euchaitensis, etc., quorum nomina apud L. Allatium legi possunt, dissert. 1, p. 81. Et notari meretur, quod ex Typici cap. 7 observat in Menæo, ubi memoria alicujus sancti variorum poetarum canonibus celebratur, si canon aderit Cosmæ, eum aliis anteponendum; si Joannis nempe Damasceni, et aliorum, eum qui Joannis est anteponi; si Theophanis et aliorum, Theophanis anteponi; ille enim ante alios honorandus est (1). 3° Κανὼν liber pœnitentialis est, in quo peccantium ἐπιτίμια constituta sunt. Hinc sacerdotes pœnitentes κανονίζειν dicuntur, cùm peccata ipsorum ad canonum rigorem examinant, pœnamque canonibus præscriptam iis imponunt. Eodem etiam sensu Κανονικὸν τοῦ ἁγίου Ιωάννου τοῦ Νηστευτοῦ inscribitur.

ΚΛΙΜΑΞ denotat lectiones in Ecclesiâ recitari solitas, desumptas ex opere Joannis Scholastici, quod Κλίμακα, seu *Scalam Paradisi* inscripsit, ipse inde *Climacus* dictus. Hinc in Triodio et Typico ἀνάγνωσις εἰς τὸν Κλίμακα frequentiùs occurrit. Vide quæ supra in Γεροντικῷ diximus, quæque infra in Πατερικῷ dicemus.

ΚΟΝΤΑΚΙΟΝ. Sensu ecclesiastico brevis hymnus, à voce κοντὸς, sive *parvus* dictus, eò quòd paucis laudes alicujus sancti vel festi complectatur (1). Et varia sunt κοντάκια pro variis sanctorum festis. Ingrediuntur psaltæ, καὶ πολυχρονίζουσι ψάλλοντες καὶ μετ' αὐτῷ τὸ κοντάκιον, ἡ παρθένος σήμερον ὑπερούσιον τίκτει, καὶ πάλιν τὸ πολυχρόνιον, *et multos annos cantando precantur, psallentes postea* contacium *illud:* Virgo hodiè supersubstantialem parit; *iterùmque canticum longævitatis repetunt*, inquit Codinus de offic. cap. 7, num. 13, p. 56. Primum horum Contaciorum auctorem fuisse Romanum diaconum Emesenum, qui circa annum 500, sub Anastasio Dicoro vixit, testatur Synazarium. Unde et in rubricâ Menæi Romanus ὁ τῶν κοντακίων ποιητὴς dicitur, qui primus scilicet κοντάκια composuit, idque ex institutione B. Virginis (ut fabulantur Græci) in festo Nativitatis Christi, Romano per somnium apparentis, chartæque volumen illis tradentis, cum mandato ut illud deglutiret, unde expergefactus, et in ambonem conscendens (2) contacium illud (cujus supra ex Codino meminimus) cecinit. Inter cantores ὁ ἄρχων τῶν κοντακίων, cujus munus erat contacia cantanda inchoare (3).

ΛΑΥΣΑΙΚΟΝ, liber continens lectiones ex Palladii Historiâ Lausiacâ de Vitis Patrum col-

(1) Consule Rayæum dissertationis præviæ citatæ num. 19, seqq.

(1) Varias de hâc voce etymologias expendit Quirinus in citatâ diatribâ 3, p. 142, seqq. Duo ejusmodi contacia MS. recenset Montfauconius Palæogr. pag. 33, seq.

(2) Romanum Contaciorum conditorem fuisse nemo negârit; an autem inventor prætereà fuerit, in controversiam Rayæus vocat, non improbante Quirino, pag. 173.

(3) Non id ejus munus erat, sed ut ostendit Quirinus p. 155, in Ecclesiasticis functionibus libros ecclesiasticos ex officio tenere ac deferre.

lectas, quæ statis diebus in ecclesiâ prælegebantur. Liquet id ex Typico S. Sabæ, c. 8: Ἐν ἑκάστῃ αὐτῶν ἀναγνώσεις, δύο εἰς τὰς ὥρας τὸν Κλίμακα. Alia in eumdem sensum habentur in Triodio, feriâ 2 hebd. 1 jejun. quæ apud Dufresn. col. 794, reperiri possunt.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΚΌΝ, sive Λειτουργίαι liber in quo liturgiarum celebrandarum series describitur, ut tres liturgiæ, Basilii, Chrysostomi, et τῶν προηγιασμένων, sive *præsanctificatorum* continentur. Proclus archiepiscopus Constantinopolitanus (si modo ejus sit tractatus, de quo justa est suspicandi causa) originem liturgiarum ad ipsa Apostolorum tempora refert, atque (Fragm. περὶ παραδ. τῆς θείας λειτουργ. p. 156) Clementem dictantibus Apostolis primùm edidisse. Quod et à Jacobo Hierosolymorum antistite factum est (1). Verùm remittente, post aliquot secula, christianæ pietatis fervore, cùm longiùs productæ liturgiæ tædio afficerentur Christianorum animi, Basilius Magnus, ut legentium pariter ac audientium commodo consuleret, in minorem formam redegit. Nihilominùs cùm adhuc prolixitate nimiâ laboraret, Chrysostomus refectis plurimis, breviorem reddidit. Liturgia προηγιασμένων quando recitatur corpus Christi non conficitur, sed confectum antea, divinis laudibus decantatis absumitur. Et hujus Liturgiæ auctorem faciunt Gregorium papam *Dialogum* dictum (2). De hâc fusè agit L. Allatius dissert. 1, pag. 20, fusiùs dissertatione singulari de Missâ præsanctificatorum, quam operis sui de Ecclesiæ Orient. et Occident. consensione calci subjecit (3). Tres, quas recensuimus, liturgiæ, in Græcorum Euchologio semper continentur. In celebrandis his tribus liturgiis Græci hunc servant ordinem. Basilii Liturgia, ut ex proœmio liquet, decies per totum annum canitur, nempe vigiliâ nativitatis Dominicæ, festo S. Basilii, vigiliâ Luminum, in S. Quadragesimæ Dominicis, Dominicâ Palmarum exceptâ, sanctâ et magnâ feriâ 5, et magno Sabbato. Præsanctificatorum, exceptis prædictis (1) omnes sacræ Quadragesimæ dies occupat. Quod reliquum est totius anni, Chrysostomi Liturgia sibi vindicat. Præter has habent Græci et alias Liturgias, nempe B. Petri, Marci, Jacobi et Clementis, sed quas in communem Ecclesiæ usum non recipiunt. Sola Jacobi Liturgia in Ecclesiâ Hierosolymitanâ semel in anno recitari dicitur. Prodierunt Liturgiæ SS. PP. Jacobi Apostoli, Basilii M. et Chrysostomi, à Morellio editæ, Græc. et Lat. Paris. 1560, in-fol.; Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, Præsanctificatorum, S. Petri, S. Gregorii, Dialogi dicti, Fr. Ducæi

(1) Renaudotius diss. collectioni Liturg. Oriental. præfix. notat Liturgias Apostolorum non ita nominatas fuisse, quod ab iis conscriptæ essent, quorum nomina præferunt, sed quòd eis in Ecclesiis (Jacobi scilicet Hierosolymitanâ, Marci Alexandrinâ, et sic de cæteris) ab antiquissimis temporibus fuerint celebratæ, quæ Jacobum, Marcum, etc., primum habuerunt episcopum. (Adi hâc de re Josephi Aloysii Assemani Præfationem in partem secundam libri 4 Codicis Liturgii universæ Ecclesiæ, et Brancolasii antiquas liturgias.)

(2) Hanc liturgiam Germano patriarchæ Constantinop. rectius ascribendam censet Thomas Smith de Eccles. Græc. statu hodierno Traject. ad Rhen. 1698, p. 88.

(3) De hâc Missâ consulendus etiam Beveregius ad can. 52 Trull.

(1) Exceptis sabbatis, dominicis et festo Annuntiationis; vid. Smith de Eccl. Græc. statu p. 89, et Pfaffium diss. de Liturgiis ad calc. Instit. Hist. Eccles. p. 11; SS. Chrysostomi, Basilii et Præsanctificatorum Liturgias cum Græcorum Euchologio, Jac. Goarus versione et notis illustravit, variasque lectiones subjunxit Paris. 1647. Prodierunt etiam Græc. Rom. 1601, Venet. 1626, in-4°, S. Basilii Liturgiæ Codex mille annorum exstat in Bibl. Barberinâ, teste Montfaucon Diar. Ital. p. 210. Ex veteri Latina versione edidit Joan. Cochleus in Speculo antiquæ devotionis circa Missam, Mogunt. 1549; vertit etiam Gentian. Hervetus Venet. 1548, Antuerp 1562, in-8°. Sed hanc Liturgiam in ulla Basilii editione reperiri (ut narrat Caveus) negat Fabr. Vid. Bibl. Græc. vol. 8, p. 90, et not. ad Dissert. Allatii de libris Eccles. Græcor. Bibl. Græc. vol. 5, subjunct. p. 11. Liturgiarum SS. Basilii et Gregorii Theologi codicis Copti Arabici in Bibl. Regis Christianissimi meminit Montfaucon; simulque monet Copticam versionem ab eâ quæ Græcè exstat, omninò esse diversam, Palæogr. Græc. p. 314. Hoc idem de Liturgiis Jacobi, Marci et Chrysostomi Copticis Syriacisque notat Pfaffius, ubi supra, p. 9, not. Liturgia S. Jacobi prodiit separatim Colon. 1648, teste Pfaffio ibid. p. 4, not. Hæc Liturgia Commentario illustratur à Dionysio Barsalibi; exstat in Bibl. Vat. inter Codd. Echellens. num. 36. Totum opus in cap. 20 dividitur, quorum synopsin exhibet Assemannus Bibl. Orient. 2, p. 177. Liturgiam S. Marci cum Clemente Rom. de ritu Missæ edidit cardinalis Sirletus Paris. 1583. Hanc Liturgiam eamdem esse atque eam quæ Copticè exstat sub nomine Cyrilli (unde Liturgia quæ Cyrilli dicitur, à quibusdam Marci appellatur) notat Montfaucon loc. cit. Liturgiæ SS. Jacobi, Marci, et Petri prodiêre in Bibl. PP. Parisiens., Coloniens. et Lugdunens., itemque Antuerp. 1562 studio Claudii de Saintes, qui exhibuit etiam Latinam versionem Liturgiarum SS. Basilii et Chrysostomi. Liturgiam Petri vulgavit Joan. à sancto Andreâ, Paris. 1595. Novissimè omnes è Syriaco idiomate translatæ occurrunt apud Renaudot. in Collect. Liturg. Oriental. Confer Fabr. not. ad diss. 1 Allatii Bibl. Græc. vol. 5, subjunct. p. 11.

auct. Biblioth. PP. Græco Lat. tom. 2, pagin. 1264; Basilii Liturgia, præterquàm quòd in omnibus operum ejus editionibus reperitur, habetur separatim Græcè Venet. 1601, in-4°; Chrysostomi per Demetrium Ducam Græc. Lat. Venet. 1528, in-4°, 1644, in-4°. Ad calcem habetur ἀκολουθία die S. Styliani Paphlagonis, h. e., novembr. 26, celebrari solita, unà cum aliis officiis ecclesiasticis, quorum index præmissus est.

ΛΥΧΝΙΚΌΝ, *Lucernarium.* Eam notat officii vespertini partem, qui recitatur cùm lucernæ accenduntur. Inter ἑσπερινὸν et λυχνικόν (ut rectè notat Goarus ad Euchol. p. 33), non modicum discrimen intercedit. Ἑσπερινὸν namque totum vespertinum officium est; τὸ λυχνικὸν prima tantùm ejus pars, preces scilicet, cùm tempus instat lucernæ Deo offerendæ (1). In Euchologio Allatiano apud Goar. p. 641, mentio fit τοῦ λυχνικοῦ ὕμνου. Neque nudiustertiùs natu est officium hoc ecclesiasticum recitandi mos. Τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχὰς memorat Socrates (l. 5, c. 22, p. 287), quæ in Achaiâ et Thessaliâ, ut et Hierosolymis, et à Novatianis Constantinopoli fieri solebant. Basilius de Spiritu S. ait, τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς nequaquàm cum silentio suscipi, sed mox ut apparuerit, se εὐχαριστεῖν. Officium integrum Lucernarii habetur in Euchologiano, Goariano p. 35. Non opus est ut hoc loco agam de luminaribus olim in Ecclesiâ accendi solitis; cumulatè id præstiterunt alii, Baron. ad ann. 58, num. 70, 71, 72, 73, 74, 75; Casalius de Vet. S. Christ. Ritib. cap. 42, p. 184; Durantus de Rit. Eccles. Cathol. lib. 1, cap. 8, p. 72; Ciampinus de S. Ædific. Const. M., c. 10, p. 184, qui bina candelabra marmorea in basilicâ S. Constantiæ exquisitè elaborata exhibet tab. 29, fig. 3 et 4, ibid. p. 130. Ad hæc lumina concinnanda sumptus faciebant, quandoque et fundos donabant veteres. In antiquâ inscriptione Eugenii Notarii apud Aringhium Rom. subterran. tom. 1, lib. 2, cap. 10, p. 340, mentio fit redituum quorumdam ex hortis Transtiberinis *ad luminaria nostra.* Verùm cùm *nostra* dicantur, forsan ad luminaria, quæ in defunctorum anniversariis de more accendebantur, referenda sunt, ut non inscitè conjicit P. Aringhius. Hujusmodi donationes φωταψίας vocant recentiores Græci.

ΜΑΡΤΥΡΙΚΌΝ. Troparium in honorem martyrum compositum; ᾆσμα τῶν μαρτύρων, ut Simeoni Thessalonicensi de sacr. Ord. cap. 4, p. 136, dicitur. Exstant hujus modi Troparia μαρτυρικά, tum alibi sæpiùs, tum in Liturgiâ Præsanctificatorum in Eucholog. p. 188. Quæri potest, cùm tempore Quadragesimali, exceptis sabbatis et dominicis S. martyrum commemorationes facere expressè vetat synodi Laodicenæ can. 51, cur singulis Quadragesimæ diebus hisce Tropariis πανευφήμων μαρτύρων memoria celebretur? Rationem reddere conatur Goarus p. 206, quem vide.

ΜΕΤΆΝΟΙΑ, *Pœnitentia,* de quâ hæc, inter alia, officia in Euchologio continentur: 1° Εὐχὴ ἐπὶ μετανοούντων, *oratio super pœnitentes,* p. 673. 2° Ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων, *officium eorum qui peccata confitentur,* p. 674, 679. 3° Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐπιτιμιῶν λυομένων, *oratio pro iis qui impositâ pœnitentiâ liberantur,* p. 666. 4° Ἀκολουθία εἰς λύσιν ἀφορισμοῦ ἱερέως, *officium ad excommunicationem sacerdotalem tollendam,* p. 667, 668. Ubi et multæ ejusdem commatis orationes habentur, quas longum nimis esset recensere.

ΜΗΝΑΙ͂ΟΝ. Immensum est opus in 12 menses, totidem βιβλία, sive volumina divisum, quovis mense suum sibi μηναῖον vendicante, in quo sancti omnes, quorum memoria eo mense colitur, ad proprios dies revocati recensentur, singulorum officium, unà cum rubricis miniatis litteris expressis, tropariis, missis, canonibus, lectionibus, aliisque recitandis subnectitur, vitæ et res gestæ compendio descriptæ plerùmque exhibentur, quandoque et imagines præfiguntur. Ubi verò sanctus aliquis peculiare officium non habeat, is saltem vel prosâ, vel carmine commemoratur. In solemnioribus, majoribusque festis, propria officia singulis quas vocant, horis destinantur. Ita, exempli causâ, in festo Natalis Domini decembris 25, hora prima, tertia, sexta et nona suam habent quæque ἀκολουθίαν. Eodem modo fit in festo Theophaniorum januarii 6, ne de aliis dicam. Nec sanctornm solùm, et solemnitatum dominicalium, sed et aliarum quoque rerum memorabilium celebritas hisce in libris locum obtinet. Sic januarii 23, sancta et œcumenica sexta synodus peculiare sibi habet officium. Et ejusdem mensis die 26, magni illius terræ motûs, qui sub extremum Theodosii Junioris imperium, per tres integros dies Constantinopoli duravit, memoria celebratur. Invocationem sanctorum in Ecclesiâ Græcâ hodiè vigere notum est quàm quod notissimum, cujus non raròhic deprehenduntur vestigia. In septemb. 1,

(1) Vesperas binas habent Græci, majores et minores, de quibus Rayæum consule in Acoluthiâ cap. 1 et 2.

in festo Simeonis Stylitæ, octo vel novem oratiunculæ hâc similive formulâ clauduntur : Συμεὼν ὅσιε, πρέσβευε τοῦ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν, Sancte Simeon, intercede ut salventur animæ nostræ. Editum est vastum hoc Menæorum opus Venet. apud Pinellos aliosque in-fol., non uno et eodem tempore, sed variis diversisque annis. Mensis sept., à quo annum suum Græci solent inchoare, prodiit Ven., curâ Nicephori Paschalæi hieromonachi, an. 1628, iterùmque curante Theophyl. Tzanfurnaro hierodiacono an. 1648, hoc titulo : Βίβλιον τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς περιέχον τὴν πρεποῦσαν αὐτῷ ἅπασαν ἀκολουθίαν, et sic in reliquis; october curâ Nicephori anno 1628, Theophylacti 1648; november curante Nicephoro anno 1626, Theophylacto 1649; december, anno 1602, curâ Theophylacti 1628; januarius, curâ Matthæi Galatiani Cyprii hieromonachi, anno 1603, Theophylacti 1629; februarius, curâ Nicephori Paschalæi, anno 1626, Theophylacti 1643; martius, curâ Theophanis Zenacii hieromonachi, anno 1625, Theophylacti 1642; aprilis, curante Theophylacto, anno 1638; maius, curâ Nicephori, anno 1625, Theophylacti 1642; junius, curante Nicephoro, anno 1626, Theophane Zenacio 1645; julius, curâ Nicephori, anno 1624, Theophylacti 1642; augustus, curante Nicephoro, anno 1625, Theophylacto 1642 (1).

ΜΗΝΟΛΟΓΙΟΝ (2). Diversum planè à Menæo opus, utpote in quo, ad instar Martyrologii Latinorum, acta vel passiones sanctorum quâlibet cujusvis mensis die summatim exponuntur, brevis saltem eorum commemoratio habetur. Variant apud Græcos sua menologia, pro loco et tempore aucta et immutata, neque eadem prorsùs, nec diversa tamen. Extat Menologium à cardinale Sirleto Latinè versum, à Canisio editum Antiq. Lect. tom. 3 (3). Aliud habetur Menæis hinc inde insertum. Verùm omnium antiquissimum et augustissimum est Menologium illud Basilii imp. studio et jussu descriptum, et, ut videtur, autographum, cujus codex vetustissimus et rarissimus, à Paulo

(1) Menses quidam Menæorum Græcorum MSS. extant in Bibliothecâ Cæsareâ (confer Lambecium lib. 8), in Coislinianâ, quam Montfauconius descripsit, atque in Regiâ Taurinensi, ut videre est tom. 1 Codicum MSS. ejus Bibliothecæ codice 18, pag. 91.

(2) Conf. Bollandi Prolegom. ad tom. 2 Januarii p. 54. et Zachariæ Grapii Diss. Rostochii 1697, de Menæis et Menologiis Græcorum.

(3) Edit. nov. tom. 3, p. 412.

Sfondrato cardinali dono datus, in Bibliothecam Vaticanam hodiè translatus est (1). Exstat Græc. MS. ab initio septembris, usque ad finem augusti, Biblioth. Vindob. Cod. Theol. 195, et cod. 247, num. 4, fol. 16 (2). Menologium ex Menæis erutum et in linguam Græcam vernaculam à se versum edidit Maximus Margunius Cytherorum episcopus, Venet. apud Anton. Pinel. anno 1592, in-4°. (3).

ΜΎΡΟΝ, vel τὸ μύρον τοῦ χρίσματος, *unguentum Chrismatis* à solo patriarchâ vel episcopo, ex materiâ pretiosâ et sanctiori planè apparatu, feriâ quintâ sanctæ et magnæ hebdomadis conficiendum, in multis actionibus sacris, præcipuè in Confirmatione baptismali usurpandum, idque ex præscripto canonis 48 concilii Laodiceni, quo jubetur illuminatos post baptisma χρίσματι ἐπουρανίῳ, *supercœlesti chrismate* esse inungendos, adeòque regni Dei participes fieri. Confirmatio quippe apud Græcos semper cum

(1) Huiusmodi Menologium MS. in Bibl. Cæsareâ, Nessel. 1, p. 347. Conf. quod Genebrardus Lat. præfixit Commentario in Psalmos. Menologium metricum Græc. Lat., singulis versibus hexametris cum alio Ruthenico iconibus expresso Papebrochius præmisit tom. 1 Act. sanctor. maii. Idem memorat Menologium Slavo-Russicum, alterumque verbo tenùs translatum è variis MSS. excus. Moscuæ 1679. Vide tom. 1 Act. sanctor. junii, pag. 135, 758, quin et Menologium quod exhibet Possevinus in Apparatu sacro, voce *Rutheni*. Menologium 10 aut 11 secul. membran. habetur MS. Græc. in Bibl. monasterii S. Basilii Rom. teste Montfaucon, Diar. Ital. p. 216. Hæc notat Fabr. ad Allatii diss. 1, vol. 5, Bibl. Græc. subjunct. p. 61, ib. p. 62. Constantinop. Chronologia edidit Ant. Contius Paris. 1573, in-4°. Menologii Basiliani sex postremi menses, martius, aprilis, etc., Græc. extant MSS. in monasterio Cryptæ ferratæ in Latio, ex quo Synaxaria martii, aprilis et maii ad calc. tomi primi cujusque horum mensium græc. dedêre Heschenius et Papebrochius teste Fabr. ibid. p. 63. (Sex hujus Basiliani Menologii menses à Petro Arcudio Latinè redditos primùm exhibuit Ferdinandus Ughellius Italiæ sacræ t. 6, in secundâ ejusdem operis Venetâ editione t. 10. Deinde integrum Græcè et Latinè ex memorato Vaticano codice Urbini prodiit a. 1727, curâ eminentissimi Annibalis Albani, quod et Romæ a. 1729 recusum fuisse ait clariss. abbas Fridericus Althanus pag. 353 eruditæ de Calendariis dissertationis Ecclesiæ Græcæ. Martyrologium metricum ex Menæis, codice Chiffletiano, actisque sanctorum collectum Lipsiæ a. 1727, in lucem Siberus emisit.)

(2) Sed in his codd. nihil de Menologio Græcorum agitur, ut monet Oudin. tom. 2, p. 535, quem vide.

(3) Menologium Margunianum Latinè vertit Matth. Raderus, ut post Bollandum refert Fabr, ubi supra.

baptismo conjungitur. Unde et σφραγίς Κυρίου, τέλειον φυλακτήριον, καὶ τελειόποιος σφραγίς veteribus dicitur, *signaculo Domini consummari* non semel apud Cyprianum occurrit. Extat in Euchologio, p. 628, ἀκολουθία τοῦ ἁγίου μύρου, *sancti unguenti* officium : quo scilicet ritu et quibus precibus conficitur, et p. 637, præscribitur materia ex quâ componitur, et ordo qui in faciendo et præparando hoc unguento servandus est; quin et vasculum quo continetur; ἁγιὸν τοῦ μεγάλου μύρου alibi vocatur.

ΝΙΠΤΗΡ, *Pedilavium*, feriâ quintâ magnæ hebdomadis celebratum, ad exemplum Domini nostri, discipulorum suorum pedes manu propriâ lavantis, institutum. In hoc ritu peragendo patriarcha, vel pontifex, et in monasteriis abbas, Christi personam gerit; duodecim monachi, aliive pauperes duodecim Apostolorum vices sustinent, eorumque nomina sibimet assumere creduntur. In his semper locum habent ostiarius et œconomus, ille primum, hic ultimum locum obtinet. Ostiarius Judam proditorem repræsentat, risu et conviciis oneratus; œconomus Petri Apostoli locum tenet, ejusque reluctationem imitatur. Habetur in Euchologio p. 745, ἀκολουθία τοῦ θείου καὶ ἱεροῦ νιπτῆρος, *Officium divini et sacri lavipedii*. Et Theophili Alexandrini sermo εἰς νιπτῆρα, feriâ quintâ majoris hebdomadis laudatur à Dufresnio Gloss. Græc. col. 999. Quin et solemnis hic lavandi ritus regibus et principibus etiam hodiè in more est. Modum quo imperator Constantinop. pauperum pedes hâc die lavare solebat, accuratè describit Codinus de Offic. Constantinop. cap. 12, p. 69. De toto hoc more lavandi pedes singularem librum edidit Gretserus, quem Ποδόνιπτρον, seu *Pedilavium* inscripsit, Ingolst. 1610, in-4°, cui integrum ex Euchologio officium inseruit.

ΝΟΜΟΚΑΝΏΝ. Liber ecclesiasticus, quo canones et decreta conciliorum in suas classes disposita et digesta, cum legibus et novellis imperatorum constitutionibus componuntur. Primus, quod sciam, qui talem Nomocanonem nobis dedit, fuit Joannes Scholasticus, anno 564 patriarcha Constantinopolitanus factus. Cujus Nomocanonem in 50 titulos distributum, Græc. Lat. ediderunt Justellus et Voellus Biblioth. Juris canon. tom. 2, p. 603. Post Joannem, Nomocanonem in 14 titulos dispertitum contexuit Photius, Joannis post aliquot decem secula in sede Constantinopolitanâ successor. Hunc Balsamonis commentariis illustratum, ex codice Palatino primus edidit Christoph. Justellus tum Græcè, tum Latinè, Paris. 1615, in-4°. Prodiit post annos quinque ad calcem commentariorum Balsamonis, Paris. 1620, in-fol.; denique à Justello et Voello recognitus, locum habuit in Biblioth. Jur. canon. tom. 2, p. 789. Anonymi etiam cujusdam Nomocanonem, sed ex constitutionibus Apostolorum, et septem conciliorum œcumenicorum decretis præcipuè consarcinatum, Græc. Lat. edidit Cotelerius Monument. t. 2, p. 68 (1), qui tamen, notante eodem Cotelerio, imperfecta, incondita et insulsa recentioris Græciæ farrago est. Nomocanonem quandoque apud Græcos pro libro pœnitentiali usurpari, supra in voce Κανὼν observavimus.

ΟἾΚΟΣ. Hymni genus, in Dei vel sancti alicujus laudem ita constructum, ut quasi compagem, ædificium, fabricamque virtutum ejus et gloriæ videatur componere; et ideò κονταχίῳ opponitur, ut eo amplius et diffusius. Hæc ex Ligaridio nos docet Goarus ad Euchologium. Et κονταχίου, et οἴκου meminit Euchologium in Officio laudum p. 54.

ὈΚΤΏΗΧΟΣ, seu Octotonus. Liber quo octo toni à Joanne Damasceno compositi præcipuè continentur. De hoc opere liceat mihi Leonis Allatii verba hùc transferre. « Cùm Græcorum « musica proprios tonos (ipsi vocant ἤχους, « *sonos*) quatuor habeat, primum, secundum, « tertium et quartum, quatuor item obliquos, « πλάγιον τοῦ πρώτου, obliquum primi, obliquum « secundi, obliquum tertii, et obliquum quarti, « canones omnes sive troparia et quæcumque « aliæ cantiones in hoc libro contentæ, ita « dispositæ sunt, ut quæ primo tono concinuntur, omnia simul primum sibi locum « occupent, quæ secundo secundum, quæ « tertio tertium, et sic de singulis, donec ad « obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos « ultimus, ultimum quoque sibi locum vendicat, et cantiones eo modulatæ ac commensuratæ, ultimo quoque loco reponantur. Continet tantùm troparia et canones, qui à « primis Vesperis Dominicæ ad finem usque « Missæ canuntur. Et octo Dominicis pro tonorum numero finitur. Singuli toni tres habent « canones. Primum ἀναστάσιμον, qui in Resurrectionis Dominicæ, secundum σταυροαναστάσιμον, qui in crucis et Resurrectionis, tertium « in Mariæ Virginis laudibus celebrandis,

(1) Nomocanon Doxopatris jussus Joann. Comneni imp. edit. exstat MS. in cod. sec. XII, membran. in Bibl. monasterii S. Basilii Rom., ut nos docet Bern. Montfaucon, Diar. Ital. p. 216.

« versantur. Et hæc in Octoechis antiquis « habentur. In recentioribus modò additur « pro singulis tonis canon, qui in μεσονυκτίῳ « vel μεσονυκτικοῦ, mediæ scilicet noctis officio « cani sumit, et quod de Trinitate pertractat, « *Triadicus* dicitur. Et canones hi dierum « dominicorum numerum non excedunt, cùm « octo etiam illi sint. » Hæc vir doctissimus dissert. 1, p. 64, ubi pluribus hâc de re agit. Confer etiam quæ notat Goarus ad Euchotog. p. 206. Exstat Octoechus Græc. MS. Biblioth. Vindob. Cod. Theol. 116, anno Christi 1591 exarato; item cod. 146, cum amplissimo commentario Joannis Zonaræ ibid. cod. 215, cum antiquis notis musicis ibid. cod. 330 (1). Primum, nî fallor, prodiit Græcè Venet. 1525, 1584, 1602, 1610, 1624, in-8°, et aliàs forsan non semel.

ὈΠΙΣΘΆΜΒΩΝΟΣ ΕΥ̓ΧΉ. *Oratio*, quæ retrò ambonem, in mediâ ecclesiâ recitatur, cùm post dimissionem, à diacono pronuntiatam, sacerdos è cancellis egressus, populo factâ oratione benedicit, ad exemplum scilicet Domini nostri, qui priusquàm in cœlos ascenderet, discipulis suis benedixit. Habetur hæc oratio, extra tribunal altâ voce à sacerdote proferenda, Liturg. sanct. Chrys. p. 85.

ὌΡΘΡΟΣ. Continet laudes Græcorum matutinas, prout à μεσονυκτικοῖς distinguuntur, quæ profundâ semper nocte decantari solent. Exstat Ἀκολουθία τοῦ ὄρθρου, sive officium laudum, à die lucescente auspicandum, in Euchologio p. 48 (2).

ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΌΝ. Liber qui variorum auctorum orationes encomiasticas, in varias Christi aliorumque sanctorum solemnitates complectitur. Ex quo in diebus festis sanctorum, concurrente populo ad celebrandam eorum memoriam, orationes laudativæ festo propriæ, publicè leguntur. In auctoribus qui hoc opus constituunt, agmen ducunt Athanasius Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus, Amphilochius, Epiphanius, Chrysostomus, Ephrem Syrus, Cyrillus Alexandrinus, ut alios mittam; MS. passim apud Græcos reperitur, in variis tamen Ecclesiis varius, adeò ut quibusdam in locis in immensam excreverit molem, et 12 volumina complectatur, eaque satis ingentia, pro mensium numero disposita, teste L. Allatio pag. 94.

ΠΑΡΆΔΕΙΣΟΣ. Liber ecclesiasticus, vitas quorumdam sanctorum complexus, quas ex Simeonis Metaphrastæ scriptis excerpsit Agapius monachus Cretensis, et in linguam vulgarem seu græco-barbaram transtulit. Continet vitas 24 sanctorum, nempe Josaphati, Theclæ protomartyris, Gregorii Thaumaturgi, Ambrosii, etc. Prodiit hic liber Venet. anno 1641, in-4°. Idem est liber, ni fallor, sed paulò auctior redditus, ἐκλόγιον dictus, continens selectas 40 sanctorum vitas, ab eodem Agapio apud montem Athum monacho, viro in scriptis tum Græcorum, tum Latinorum non inerudito, linguâ vulgari ex diversis Græcorum Latinorumque operibus editas anno 1644, in-4°. Exstat Græc. MS. tum in codice regio, tum Colbertino, liber 55 senum hoc titulo: Βίβλος τῶν ἁγίων γερόντων, ἥτις λέγεται παράδεισος. Vid. Dufresn. in Ind. Auct. MS. col. 31.

ΠΑΡΑΚΛΗΤΙΚΉ. Ferè nihil aliud est quàm Damasceni Octoechus, à Græcis subsequentibus temporibus admodùm auctus, unde et Ὀκτώηχος νέα vocatur, et Josephum auctorem habuisse dicitur. Παρακλητικός appellatur hic liber, partim quòd sit consolatorius, cùm omnia quæ in eo sunt, maximè spectare videntur, ut peccatorem consolentur, partim quòd sit invocatorius, cùm totus sit in Deo sanctisque exorandis, divinoque sibi auxilio variis supplicationibus impetrando. Non in hoc, ut in aliis libris ecclesiasticis, certa certis diebus decreta sunt officia, canones, seu troparia, quibus finitis reponuntur, sed paracleticus semper præ manu est, et omnibus diebus aliquid in eo invenitur, quod sive in missâ, sive in vesperis, sive in matutino, sive in aliis officiis recitatur. Quando enim in aliis officiis propria desiderantur, ad hunc lector remittitur, uti Allatius nos docet p. 68, qui alibi plurima in hoc libro criminatur, nempe quòd quædam de B. Virginis partu contumeliosè dicantur, plurima B. Virgini contra jus et æquum tribuantur; quòd affirmetur Joannem Præcursorem post mortem in infernis Christum prædicâsse, ac nuntiâsse propè jam esse salutem ac vitam; Dominum nostrum descensu suo ad inferos, omnes ab orbe condito homines à pœnis illis et potestate dæmonis liberâsse, et ad vitam vendicâsse; peccatorum remissionem dedisse iis qui crediderunt, incredulis

(1) Occurrit etiam MS. in Bibl. Regis Christianissimi. Prodiit et Venet. 1543, teste Fabr. ad Allatii diss. ad calc. Bibl. Græc. vol. 5, p. 47.

(2) Confer Rayæum in dissertatione præviâ ad acoluthiam, § 1, n. 6, seq., et Quirinium p. 160.

denegâsse; Deum angelos ante hunc mundum aspectabilem creâsse. Singula prolixè persequitur vir eruditus dissert. 2, p. 283. Prodiit Paracletice Venet. anno 1610, deinde, operâ Nicephori Paschalei, ibid. apud Ant. Pinel. anno 1625, et curante Theophylacto hieromonacho, ibid. 1640, hoc titulo : Παρακλητικὴ σὺν Θεῷ ἁγίῳ περιέχουσα τὴν πρέπουσαν αὐτῇ ἀκολουθίαν.

ΠΑΣΧΆΛΙΟΝ. Cyclus paschalis, quo festum Paschatis, et aliæ, quæ ex eo pendebant, solemnitates designari solebant. In his enim cyclis non modò Paschatis diem, sed et annos vel mundi, vel Diocletiani, aliaque festa præcipua et jejunia describebant. Habentur hujusmodi paschalia in libris ecclesiasticis Græcorum, quorum ex Horologio edito Venet. an. 1535, specimen nobis exhibet Dufresnius, Gloss. Græc. col. 1128.

ΠΑΤΕΡΙΚΌΝ. Liber continens vitas SS. Patrum, in ecclesiâ pro more legi solitus. *Ad mensam toto tempore* πατερικὰ *leguntur,* inquit Typicum S. Sabæ, cap. 8. De Copronymo Cedrenus, *quotquot reperiri poterant* πατερικὰ βίβλια, *vel reliquiæ sanctorum combussit*. Nihil frequentiùs hujusmodi patericis in bibliothecis MSS., ubi apophthegmata, et acta SS. Patrum ordine alphabetico secundùm ipsorum nomina recensentur. Tale opus Græc. Lat. edidit P. Possinus in Thesaur. Ascet. p. 228. et Zozimæ abbatis Alloquia, ibid. p. 279. Fragmenta quædam ascetica miscellanea, ἐκ τοῦ Πατερικοῦ, sive *ex opere* de Vitis *Patrum*, habentur Græc. biblioth. Vindob. Cod. Theol. 173, num. 19, fol. 319. Confer quæ in Gerontico, Climace, et Lausaico notavimus.

ΠΕΝΤΗΚΟΣΤΆΡΙΟΝ. Liber quo officium ab ipso die Paschatis, usque ad octavam Pentecostes, nempe ad dominicam omnium Sanctorum continetur. Hunc habet titulum : Πεντηκοστάριον περιέχον πάσας τὰς αὐτῷ πρέπουσας καὶ ἀναγκαίας ἀκολουθίας, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς ζωηφόρου μεγάλης κυριακῆς τῆς ἐγερσέως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ μέχρι τῆς αὐτῆς ἑορτῆς τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Editum est præter alias vices, apud Jac. Leoncinum, Venet. anno 1579 (1), in-4°, 1618, et curâ Theopylacti hieromonachi, ibid. 1642. Multa in hoc libro carpit, et virgulâ censoriâ notat L. Allatius, dissert. 2, pag. 229, nempe quòd plura à novissimis editoribus sint addita, præcipuè ex additamentis Nicephori Callisti, et Nicolai Malacci Nauplii archipresbyteri, qui multa troparia de suo addidit, et horas in vigiliâ Pentecostes consarcinavit, veteraque antiquorum Patrum monumenta novis suis deliramentis inspersit; quòd repugnantibus synodorum decretis, pseudepigrapha et apocrypha in lectiones et divina officia sint introducta; quòd affirmet humanum genus omne ab inferni cavernis ereptum, à Christo apud inferos prædicante, in cœlos fuisse asportatum. Integrum hoc spatium septem hebdomadum quæ Pascha subsequuntur, et Græcis et Latinis *Pentecoste* vulgò audit. Extat in Euchologio, p. 753, Ἀκολουθία τῆς ἁγίας Πεντηκοστῆς, *officium sanctæ Pentecostes*, in ipsâ dominicâ sanctæ Pentecostes, sub vesperam præcipuè, multis precibus et genuflexionibus celebrandum.

(1). Prodierat antea Venet. 1568, ut narrat Fabr. ad Allatii diss. 1, Bibl. Græc. vol. 5, subjunct. p. 56.

ΠΙΝΑΞ. Canonem aliquando denotat, sive tabulas pœnitentiales, in quibus peccantium qualitates, pœnitentium pœnæ describuntur. Et ita quidem in officio super pœnitentes Euchclog. p. 680. Ὁ ἐπιτιμῶν, sive pœnitentiarius, postquàm minutatim de singulis peccatis interrogaverit, jubetur πιάσειν τὸν πίνακα, *indicem* (pœnitentialem) *assumere*, et quale sit peccatum inquirere, et cum hoc libro conferre, ut quale sit peccatum cognoscat. De aliis hujus vocis significationibus consulantur lexicographi, Suidas, Hesychius, Suicerus, etc.

ΠΡΑΞΑΠΌΣΤΟΛΟΣ. Liber ex Actibus Apostolorum et Epistolis, tum Paulinis, tum canonicis, et Apocalypsi compositus, textu in plures partes diviso, et diebus singulis et festis diebus accommodato, ita ut completo libro, ea quoque omnia terminentur. In Ecclesiis Græcorum hoc ordine legi solet : nempe à dominicâ Paschatis usque ad dominicam sanctorum omnium. Pro lectione magni Vespertini, Actus Apostolorum tantummodò leguntur. In reliquis dominicis totius anni, septem catholicæ et 14 S. Pauli Epistolæ et Joannis Apocalypsis. Confer Allat. dissert. 1, p. 47. Extat πραξαπόστολος MS., cui insertum est menologium seu commemoratio sacrarum solemnitatum et præcipuorum festorum totius anni secundùm 12 menses, biblioth. Vindob. Cod. Theol. 195, et cod. 308, editus etiam sub nomine Apostoli, Venet. 1633.

ΠΡΟΟΙΜΙΑΚΌΣ. Psalmus est 103, *prooemialis* dictus, non quòd toti Psalterio præfigatur, sed quòd ab eo officia inchoentur. Meminit ejus officium de mysteriis Præsanctificatorum Euchologii. p. 187.

ΠΡΟΨΑΛΜΑΤΑ. Preces quæ in ecclesiâ ante Psalmos, à psaltis, lectoribus, subdiaconis et plebe concinuntur. Vide quæ ex Niconis Pandecte MS. hùc notavit Dufresnius Gloss. Græc. col. 1262.

ΡΟΓΑΛΙΑ. Libri, seu acrostica, in quibus non tantùm virorum nomina, ordine quo procedere deberent, pro cujusque officii dignitate dùm vocarentur, et eorum nomina à nomenclatore ederentur, ut est apud Luitprandum, lib. 6, c. 5, sed quantitas etiam rogæ, seu donativi, quod *presbyterium* Anastasio dicitur, descripta, etc., ut sciret unusquisque quid accipere deberet, cùm ejusmodi rogæ à patriarchâ vel ab imperatore distribuebantur. Hæc Dufresnius Gloss. Græc. col. 1303, qui locum hanc in rem profert ex Balsamone de incenso patriarchæ die catecheseos, p. 474.

ΣΤΕΦΑΝΩΜΑ, sive Στέφανα τοῦ γάμου. *Coronæ nuptiales.* Coronas pro nuptiis usurpari apud scriptores, tum sacros, tum profanos, notius est quàm ut probari debeat. De his hæc officia in Euchologio continentur : 1° Ἀκολουθία γινομένη ἐπὶ μνήστροις ἤγουν τοῦ ἀῤῥαβῶνος, *ordo servari solitus in sponsalibus celebrandis, videlicet nuptiarum subarrhatione*, p. 380 ; 2° ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, *officium coronationis nuptiarum*, p. 385; 3° εὐχὴ ἐπὶ λύσιν στεφάνων τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *oratio cùm solvuntur coronæ octavâ die*, p. 399. Græci enim per octo dies nuptias celebrare solent. Notatque Goarus cujuslibet sacramenti, vel insignis beneficii acceptionem, per septem alios dies, Græcos, hâc etiam ætate, memoriæ commendare; 4° ἀκολουθία εἰς διγάμους *officium in bigamos*, p. 403. Bigamos etsi non penitùs damnaret vetus Ecclesia, acri tamen censurâ notavit, et non nisi post peracta jejunia et orationes, ad S. Eucharistiæ communionem admittere solebat. Verùm mitiùs cum iis egit sequioris Ecclesiæ indulgentia. Ad hanc nuptiarum classem fortè revocari possunt variæ orationes circa mulieres puerperas, et abortivum facientes, quæ à p. 316 usque ad 330, reperiuntur.

ΣΤΙΧΗΡΟΝ. Versus paulò longior ab hymnographo ecclesiastico conscriptus. De quo vide Goarum ad Euchology. p. 32, 206. Ubi inter στίχον et στιχηρὸν non modicum discrimen esse notat. Στίχος versiculus est ex S. Scripturâ, et maximè Psalmis Davidicis depromptus; στιχηρὸν versum prolixiorem, ab hymnographo compositum, denotat. Et sunt ut plurimùm Psalmi Davidici conglobati, prolixiori sententiâ, ad longiuscularum periodorum normam, in unum conflati. Habetur in bibliothecâ Colbertinâ, teste Dufresnio, col. 1451, codex MS. num. 837, in quo describuntur (1) stichera unà cum notis musicis, quæ canuntur singulis annis, in festis. In cujus fine στιχερὰ ἀνατολικὰ, προστόμια κατ' ἀλφάβητον, etc., describuntur.

ΣΤΟΙΧΕΡΑΡΙΟΝ. Liber in quo describuntur sticharia, seu vestes strictiores, quibus viri ecclesiastici, antistites, presbyteri, diaconi, subdiaconi etiam et monachi, indui solebant. Habetur hujusmodi sticherarion MS. in Bibliothecâ Regiâ cod. 2037, incipiens à mense septembri, à quo annus Græcorum principium ducit.

ΣΥΝΑΞΑΡΙΑ. Sunt vitæ sanctorum in compendium redactæ, et succincta expositio solemnitatis de quâ agitur, ex Menæis, et prolixioribus Græcorum libris ecclesiasticis, in angustiores terminos contracta. Unde natum illis Synaxariorum nomen. In contexendis hujusmodi synaxariis principem locum habuit Nicephorus Callisti, qui synaxaria composuit in præcipuas Triodii festivitates, quæ illarum causas reddunt, unde originem habuerint, et quamnam ob causam hoc tempore ita se habeant, et à divinis Patribus sic dispositæ sint, cum nonnullis circumstantiis particularibus. Ordiuntur à dominicâ Publicani et Pharisæi, finiunt in solemnitatem omnium Sanctorum, ut ex ipsius operis titulo liquet. Menæis (2), Triodo, et Pentecostario, partim inserta sunt hæc synaxaria. Quæ Triodo inseruit Nicephorus, varias in se hæreses continere, et digna animadversione ecclesiasticâ esse ostendit Allatius, dissert. 2. Quin et Gennadius de Azymo, cap. 2, tanquàm ambitioso studio, et impetu perniciosi schismatis, composita damnat, nec in Ecclesiâ Constantinop. legi solere affirmat; Nihilominùs hæc Nicephori Synaxaria à Matthæo Cigulâ Cyprio, et à Maximo Cytherorum episcopo, in linguam Græcam vulgarem conversa sunt, seorsim edita Venet. 1637, 1648, in-4° (3).

ΣΧΗΜΑΤΟΛΟΓΙΟΝ. Continens τὴν πᾶσαν ἀκολουθίαν, sive totum ordinem sumendi habitûs mo-

(1). Confer Rayæum in dissertatione præviâ ad acoluthiam § 1, n. 6, seq., et Quirinium p. 160.

(2) In hoc diversa Synaxaria à Menæis, quòd omissis cæteris partibus officii ad sanctos spectantis, solas eorum synaxes sive festivitates indicent cum brevi uniuscujusque elogio notat Fabr. ex Actis sanctor. tom. 1 junii p. 16.

(3) Sed primùm Venet. 1607 Synaxaria plura alia vetustiora in Bib. MSS. exstant, Cangio, Lambecio aliisque memorata, de quibus vid. Fabr. ad Allatii diss. 1, pag. 68.

nastici. Edidit varia quæ hùc spectant officia, in Euchologio suo Goarus. Habetur 1° Ἀκολουθία εἰς ἀρχαῖον ῥακοφοροῦντα, *officium in novitium habitum monasticum suscipientem*, p. 468, ubi notæ et variantia exemplaria exhibentur. 2° Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος ἤτοι τοῦ μανδίου, *officium parvi habitùs, id est, mandiæ*, p. 473. Et quod mulieribus simili veste consecrandis peculiare est, ibid. p. 496. 3° Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, *officium magni et angelici habitûs*, p. 499, cui variantes lectiones, notæque eruditæ subjiciuntur. Extat MS. hoc σχηματολόγιον Biblioth.Vindob.Cod.Theol. juxta Lambec. 327, juxta Nessel. 286. Verùm inter editionem illam impressam, et codicem MS. Cæsareum, magnam esse differentiam notat Lambecius.

ΤΑΚΤΙΚΆ. Libri cæremoniales, in quibus ordo et regula divinorum officiorum continentur, et quid singulis diebus in rebus sacris præstandum sit, præscribitur. Et à τάξει nomen habent, sicut apud Latinos ab ordine *Ordinarium* fit. Librum sub hoc nomine in plerisque Græcorum monasteriis innotescere nec alium à Typico esse, notat Allatius, diss. 1, p. 13.

ΤΕΤΡΑΏΔΙΟΝ. Canon quatuor odis constans, qui in sabbatis, præsertim Quadragesimæ, cani solet. In magnum sabbatum τετραώδιον composuit Cosmas, Majumensis episcopus, Μόλοδος dictus, quem librum postea, imperatoris Leonis mandato, Marcus episcopus Hydruntinus perfecit et complevit, odas addendo quæ illi deerant, ut ex Cedreno, aliisque pluribus, ostendit Allatius dissert. 1, pag. 72, etc.

ΤΡΙΑΔΙΚΆ. Hymni sunt, sive Troparia, in honorem SS. Trinitatis, in liturgiis decantari solita. In singulis quippe odis duo postremi cujusque canonis versus cum laude SS. Trinitatis et B. Virginis clauduntur : præsertim verò canuntur in μεσονυκτίου seu μεσονυκτικοῦ mediæ scilicet noctis officio, τῇ κυριακῇ εἰς τὸ μεσονυκτικὸν κανὼν τριαδικός, ut in Octoecho legimus. Hymni hi τριαδικοὶ in Triodio, in officio vespertini sabbati sancti, et in Horologio integri reperiuntur. Vide Allat. Dissert. 1, p. 65, et Dufresnium in verbo Τριαδικά.

ΤΡΙΣΆΓΙΟΝ. Hymnus est notissimus, à ter repetitâ voce ἅγιος sic dictus; hâc nempe formulâ : Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. A Græcis non modò in sacris officiis usurpatur, verùm cùm è lecto surgunt, vel ecclesias ingrediuntur, et præcipuè in ipso mortis articulo recitare solent. Cantari cœpit imperante Theodosio Juniore; quin et Proclo episcopo Constantinopolitano δι' ἀποκαλυψέως, per revelationem divinitùs innotuisse disertè affirmat Jobius de Incarn. lib. 6, cap. 25, apud Phot. cod. 222, col. 609. Respicit nempe quod communiter referunt veteres, dùm vigente tremendo terræ motu imperator Proclus, omnisque populus Constantinop. litaniis incessanter incumberent, puerum è medio in aerem fuisse raptum, ubi hunc hymnum ab angelis decantatum didicit, qui proinde cessante mox terræ motu, in publicum Ecclesiæ et vitæ quotidianæ usum receptus est. Certè Orientales episcopi in synodo Chalcedonensi, anno 451, illum usurpârunt, ut ex fine actionis primæ liquet, p. 309. Et additamentum illud, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ingenti Ecclesiæ scandalo et perturbatione postea adjecit Petrus Fullo Antiochenus. De origine sacri hujus hymni, et quantas exinde turbas et contentiones in Ecclesiâ excitaverit additio Fulloniana, plena sunt historicorum ecclesiasticorum volumina. Ex veteribus rem gestam describunt Theodorus Lector, Hist. Eccl. lib. 1, p. 554; Jobius apud Phot. loc. citat.; Ephraim Antiochenus, Cod. 228, col. 773; Damascenus Epist. de Trisagio ad Jordanem cœnob., oper. p. 722, et de Fide orthod. lib. 3, cap. 10, p. 385; Theophanes ad ann. Theod. 30, p. 80, et ad ann. Zenonis 16, p. 115; Nicephorus Hist. Eccl. lib. 14, cap. 46, p. 544, lib. 15, cap. 28, p. 623, lib. 18, cap. 51, p. 879, ut Cedrenum, Zonaram, etc., mittam; ex recentioribus, Forbesius Inst. Hist. Theol. l. 1, c. 16, p. 29; Goarus not. ad Euchology. p. 126; Meursius, Gloss. p. 576, paulò fusiùs; Suicerus et Dufresnius in hâc voce; amplissimè Gretserus tractatu peculiari advers. Thom. Wegelinum, sub titulo *Fullonis redivivi*, anno 1608, in-4°. Integram verò historiam, singulari dissertatione de Trisagii origine, ad examen revocat, ejusque fundamentum non uno argumento subruere conatur vir doctissimus P. Alixius, in hisce studiis haud leviter exercitatus, Rothom. 1674, in-8°. Ad controversiam Catholicos inter et Eutychianos de hâc re rectiùs intelligendam, lectori non inutile erit percurrere illustrissimi Norisii historicam dissertationem de uno ex Trinitate carne passo.

ΤΡΊΤΑ. Officium ecclesiasticum pro defuncto, tertio ab ejus obitu die celebratum. Hujus, ex constitutionibus apostolicis meminimus in verbo, Ἔννατα. Vide quæ de τρίτοις, ἐννάτοις, καὶ τεσσαρακοστοῖς, ex Philippi Solitarii Dio-

ptrâ et aliunde notavit Cotelerius not. ad PP. Apost. pag. 324, 325, et varios quos ibi laudat auctores. Nec pauca hâc de re congessit Dufresnius, in voce Τρίτα.

ΤΡΙΏΔΙΟΝ (1), *Triodium*, liber ecclesiasticus in quo officium à Septuagesimâ, quam vocant Dominicam Publicani et Pharisæi, usque ad sabbatum sanctum, hoc est, à Dominicâ Septuagesimæ, penè usque ad diem Paschatis recitari solitum, continetur, *Triodium* dictus, quod cùm canones et hymni, qui in reliquis divinis officiis usurpantur, novem habeant odas, in hoc libro tribus tantùm constat, imò neque semper tres habet, cùm integros etiam canones proponat, sed ἀπὸ τοῦ πλεονάζοντος, nomen sumpsisse existimat Nicephorus, vel propter magnæ hebdomadis canones sic dictos. Primus hanc officii formam in figuram, ut videtur, sanctæ et vivificæ Trinitatis, Cosmas Melodus excogitâsse dicitur, qui pro magnâ sanctâque hebdomade cantus ad cujuslibet ferè diei appellationem per acrostichides concinnavit. Ad cujus exemplum, Theodorus et Josephus Studitæ in reliquis sanctæ Quadragesimæ hebdomadibus, in monasterii sui usum composuerunt. Postea multa addiderunt Nicephorus Callisti, et Philotheus, patriarcha Constantinopolitanus, Latinorum quidem hostes acerrimi et hinc illæ lacrymæ. De ipsis enim conqueritur Allatius diss. 2, p. 114, quòd sequiores affectibus propriis distracti, sæpè etiam odio in Romanam Ecclesiam multa quæ à veritate aberant intruserunt. Nam antiqua ferè omnia, inquit, plana sunt; nihil in se continent quod pias aures offendat; recentia multis scatent erroribus, et subdolè sæpiùs in Romanam Ecclesiam garriunt; multas etiam hæreseon labes lectionibus inspergunt. Errores quos in hoc opere damnat, quosque latè persequitur, ad sequentia capita revocari possunt: pœnarum inferni finem aliquando esse futurum, justorum animas in locis quibusdam determinatis detineri, ibique diem judicii expectare; impiorum verò carcere tenebroso mancipatas immisericordes dæmones custodes experiri, et futurorum adhuc tormentorum expectatione torqueri; damnatorum pœnas non esse corporeas, sed in tenebris, elongatione à Deo, et conscientiæ stimulis consistere; secundum Domini adventum post exacta septem annorum millia futurum; Spiritum sanctum ex solo Patre procedere; Christum non in azymo sed fermentato corpus suum Apostolis tradidisse. Singula accuratè excutit vir doctissimus, sed nimius est, ad nauseam usque in recensendis, quos vocat, erroribus, quibus novissimi hujus Triodii consarcinatores, adversùs Ecclesiæ Romanæ honorem et auctoritatem insurgere videntur, nempe quòd Joannem Italum, Barlaamum et Acindymum, qui Latinorum partes adversùs Græcos strenuè fovebant, multiplici anathemate feriunt; quòd Photium patriarcham, sanctissimum et orthodoxum vocant, omniaque scripta vel dicta contra ipsum damnant; quòd Constantinum Monomachum, Alexium Comnenum, utrumque Andronicum impp., qui Græcorum causam contra Latinos summo studio prosequebantur, egregiis ornent encomiis; quòd Sisinnium, Michaelem Cerularium, Michaelem Anchiali, Germanum, Josephum, Athanasium, aliosque patriarchas Constantinopolitanos Latinorum hostes acerrimos laudent, sanctos et orthodoxos enuntiant; præcipuè quòd Gregorium Palamam, quo nemo fortiùs, nemo acriùs, Græcorum adversùs Latinos causam egit, summis laudibus et acclamationibus prosequantur. Hæc aliaque ejusdem commatis Leonem malè habuêre, neque ea patiente stomacho concoquere potuit. Exstat Triodium Venetiis editum anno 1620, ex Theophylacti Hieromonachi curâ recognitum ibid. apud Pinell. 1644, hunc habens titulum: Τριώδιον ψυχωφελέστατον περιέχον τὴν πρέπουσαν ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ ἅπασαν ἀκολουθίαν. Triodii synopsin, versibus iambicis contextam, scripsit idem Nicephorus, quæ sub finem carminum Basil. 1536 editorum habetur (1).

ΤΡΟΠΆΡΙΟΝ. In scriptis Græcorum ecclesiasticis notat hymnorum quoddam genus, qui in illorum officiis ubique reperiuntur, Canones enim, odæ, et troparia utramque ferè faciunt paginam. Canones in odas dividuntur; odæ in troparia, ex quibus componuntur. Singula namque troparia continent, aut plura, aut potiora, cùm eorum numerus determinatus non sit. Tropariorum scriptores varios recenset Dufresnius Gloss. Græc. in voce, Τροπάριον (2). Exstat MS., Græcè, opinor, Bibliothecæ Bodleianæ cod. 2558, Troparion, codex elegantissimè scriptus, qui continet tropos, sive hymnos sacros, videlicet alleluia, tractus, modulamina, prosas, per anni circu-

(1) Conf. Baronium ad an. 842.

(1) Hanc Synopsim exhibuit Fabr. ad diss. Allatii de libris Græcorum ecclesiasticis, ad calc. Bibl. Græc. vol. 5, p. 51.

(2) Quibus adde Rayæum in Dissertatione citatâ, § 2.

lum, in festos et dies dominicos, omnia notis musicis antiquis superscripta.

ΤΥΠΙΚΌΝ (1). Ordo recitandi divini officii, liber haud parvæ molis, in quo, ut Leonis Allatii verbis utar, dissert. 1, p. 4, à primo die anni, singulis diebus, quid inter missarum solemnia, quid ad vesperas, quid ad horas, quid ad matutinum, quid denique ad reliqua divina officia, sive dies illi feriales sunt, sive festi, recitandum, quid psallendum, aut legendum sit, quibus diebus jejunandum, quibus et quomodò solvendum jejunium verbis clarissimis et facillimâ methodo præscribitur, variisque est distinctum pro materiæ varietate capitibus. Variant apud Græcos typica, cùm quælibet, saltem ex majoribus Ecclesiis, suum habeat. Quæ in singularem monasteriorum usum condita sunt κτητορικὰ proprio nomine appellantur. Prodiit Typicum (2) Venet. annis 1603, 1615, 1643, hoc titulo : Τυπικὸν σὺν Θεῷ ἁγίῳ παρέχον πᾶσαν τὴν διάταξιν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τοῦ χρόνου ὅλου, *Typicum, favente Deo, continens integrum officii ecclesiastici ordinem per totum annum.* Quo in opere sequentia continentur : 1° Typicum τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας, S. Lauræ in Hierosolymis. Quod et in aliis monasteriis Hierosolymitanis, aliisque Ecclesiis obtinet ex præscripto S. Sabæ, capita 59 complexum. De hoc typico diximus in vità S. Sabæ sec. 5. 2° Μηνολόγιον, juxta 12 menses, continens ἀκολουθίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ψαλμῳδίας τε καὶ συναξέως per totum annum, incipiendo, ut solent Græci, à mense septembri, usque ad finem augusti, præmisso capitum indice. 3° Marci hieromonachi (3), qui se ἁμαρτωλὸν vocat, σύνταγμα εἰς τὰ ἀπορούμενα τοῦ τυπικοῦ, sive *de dubiis quæ ex typico* oriuntur, capitibus 100 absolutum. 4° Nicolai patriarchæ Constantinopolitani ad Anastasium, montis Sinæ abbatem, de jejuniis Græcorum carmina politica 224. 5° Anastasii Cæsareæ Palæstinæ episcopi tractatus περὶ τοῦ Ἀρτοσυρίου, de feriis monachorum, de continentiâ et ingluvie, etc. (4). 6° *Vitæ quatuor Evangelistarum*, ex Dorothei Synopsi desumptæ. 7° *Regulæ variæ* περὶ τοῦ πῶς δεῖ πιστεύειν, περὶ τοῦ πῶς δεῖ κυνεῖν τὸν Θεὸν, etc. 8° Κεφάλαια παραινετικά, seu *capita adhortativa* ad *virtutem*, per modum gnomologiæ disposita. 9° Πασχάλιον τοῦ ὀγδόου αἰῶνος, *Paschalium octavi seculi*, sive calendarium continens annos ab orbe condito et ab incarnatione Christi; indictionem etiam, cyclum, tum solarem, tum lunarem, et τὸ θεμέλιον τῆς σελήνης. Hoc θεμέλιον *epactæ* Latinorum respondet, et ephemeridem annorum ab anno 1643 usque ad annum 1676 complectitur. Sunt etiam, notante eodem, quem supra notavimus, Allatio, quæ strictiori sensu apud Græcos typica vocantur, nempe versuum quorumdam ex Psalmis, hinc inde congestorum, et ad solemnitatis, quæ agitur, arcana exponenda aptiorum, eclogæ. Et horum duo sunt genera : alterum quod in matutinis precibus, dùm vigilias, quòd eam noctem insomnes traducant, peragunt, recitari aut cani solet, in festis scilicet Christo et B. Virgini dicatis, quæ sola vigilias habent. Alterum typicorum genus est, quæ inter missarum solemnia, diebus etsi non omnibus, canuntur, et sunt πρῶτα καὶ δευτέρα, *prima et secunda;* nec alia sunt, quàm Psalmus 102, qui πρῶτα, et 145, qui δευτέρα, dicuntur, uti notat etiam Goarus, p. 124.

ὙΜΝΟΛΌΓΙΟΝ. Liber ecclesiasticus continens hymnos in omnia festa totius anni cum antiquis notis musicis, Menæi et Menologii instar in 12 menses digestos, ab initio septembris usque ad finem augusti. Inserta sunt troparia Sophronii archiepiscopi Hierosolymitani, in vigiliâ Natalis Christi cantari solita. Exstat Græc. MS. Biblioth. Vindob. Cod. Theol. ex dispositione Nesselianâ 136, n. 1, à fol. 1 ad fol. 172; habetur etiam ibid. Cod. 181, anno Christi 1221, exarato, num. 1, à fol. 1 usque ad fol. 184. Pars etiam hujus Hymnologii media à vigiliâ Nativitatis Christi usque ad diem 21 maii, ibid. Cod. 204. Varii hymni ecclesiastici à scriptoribus Græcis memorantur, quales sunt, hymnus *Angelicus, Seraphicus, Cherubicus,* ἐπινίκιος, quibus titulis Trisagium ornatur; hymnus μυστικὸς, τριαδικὸς, etc., de quibus non opus est ut hic sigillatim agamus.

ΦΩΤΑΓΩΓΆΡΙΑ, seu Φωταγωγικά. Preces sunt vespertinæ, seu quæ in vespertinis officiis ca-

(1) Conf. Nic. Rayæum Dissert. præliminar. ad tom. 2 Act. sanctorum Junii pag. 75.

(2) A Josaphato Hieromonacho circa 1584 emendatum, ut notat Fabr. ad Allatii Dissert. p. 2, ad calc. Bibl. Græc. vol. 5.

(3) Oudin. tom. 2, p. 384, narrat Marcum Hieromonachum non tantùm scripsisse Comment. in Typicum S. Sabæ dictum, sed hoc *Typicon* etiam composuisse, quod S. Sabæ falso nomine inscripsit, ut auctoritatem ipsi majorem apud Lauræ monachos procuraret.

(4) Ex Joan. Joach. Schroederi Thesauro linguæ Armenæ pag. 335. *Arradschavuer* Armenâ linguâ sonare primum, illoque vocabulo intelligi primos quinque dies magni jejunii à Dominicâ Septuagesimæ usque ad Pascha, notat Fabr. ad Allatii diss. 1, p. 3, subjunct. Bibl. Græc. vol. 5.

nuntur, cujusmodi plures haberi in Horologio, Triodio, Paracletice, aliisque Græcorum libris ecclesiasticis, observat sæpè laudatus Dufresnius, Gloss. Græc. col. 1721.

ΧΑΙΡΕΤΙΣΜΟΊ. Χαιρετισμὸς denotat festum Annuntiationis Deiparæ, quando angelus à Deo missus, eam convenit et salutavit. Χαιρετισμοὶ hymni sunt in laudem Deiparæ compositi, quorum odæ singulæ incipiunt à voce, Χαῖρε, quales habentur MSS. in Cod. regio 216, indicante Dufresnio, col. 1724.

ΧΕΙΡΟΤΟΝΊΑ. Ordinatio ad munus aliquod ecclesiasticum, episcopo manus imponente, variisque ritibus et orationibus celebrata. Plura sunt in Euchologio quæ hùc spectant officia, et à minoribus ordinibus auspicabimur, id solùm præmonentes, ostiarium, exorcistam et acolytum, apud Græcos hodiè pro sacris ordinibus non agnosci. 1° Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία ἀναγνώστου καὶ ψάλτου, *ordo fieri solitus in ordinatione lectoris et cantoris*, pag. 235, et apud Habertum Pontif. Græc. p. 305, qui et ampliorem formulam exhibet juxta liturgiam patriarchalem, ibid. p. 37. 2° Εὐχὴ ἐπὶ χειροτονία δεπουτάτου καὶ κηροφόρου, *oratio in deputati et ceroferarii* ordinatione, p. 237. Quis fuit deputatus, quidve ejus officium, non satis liquet. Eumdem esse cum ceroferario, et Latinorum acolyto, volunt plurimi, et non inter officia, sed inter ministeria deputabatur. Ejus erat, pallio indutum præire cum lampadibus sanctum Evangelium, quando in ambonem, lectionis causâ, afferebatur, et sacra dona cùm ad sanctum altare deferuntur, et cùm ad mensam propositionis referuntur, uti nos docet Joannes Citrensis in Respons. ad Nicolaum Cabasilam, jur. Græc. Rom. lib. 5, pag. 328. Sed et præter cereos, ferulam etiam manu gestâsse dicitur. Unde in descriptione coronationis imperatoriæ ferula in sinistram ejus tradi solebat, ὥστε τάξιν ἐκκλησιαστικὴν τὴν τοῦ δεπουτάτου λεγομένην, ***ut ordinem seu locum in ecclesiâ teneat illius qui deputatus dicitur,*** ut in Andronici Junioris coronatione rem describit Cantacuzenus, Hist. lib. 1, p. 122. Et eadem planè habet Codinus de Offic. cap. 17, num. 35, 36, p. 95. Quidquid sit, munus illud in Ecclesiâ Græcâ, suo tempore desiisse, et ante paucos annos in Ecclesiâ solummodò Thessalonicensi viguisse, nos docet Simeon Thessalonicensis, de S. Ordin. cap. 1, pag. 106. — 3° Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία ὑποδιακόνου, ***ordo observandus in ordinatione subdiaconi,*** p. 244, et apud Habert. pag. 306, et ex liturgiâ patriarchali, ibid. p. 45. 4° Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία διακόνου, ***ordo qui observari solet in ordinatione diaconi,*** pag. 249. Cui subjuncta est, pag. 262, forma in *diaconissæ* ordinatione observanda. Idem officium exhibet Habertus, pag. 308. Ordinem in institutione diaconi observandum reperies Euchol. pag. 284. 5° Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία πρεσβυτέρου, *ordo observandus in ordinatione presbyteri,* pag. 292, et apud Habert. p. 312, et juxta Liturgiam patriarchalem, ibid. pag. 106. Τάξις ἀκολουθίας, quâ archipresbyter constituitur, habetur ex Allatiano exemplari, Euchol. pag. 287. 6° Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία ἐπισκόπου, ***ordo qui in episcopi ordinatione servari debet,*** pag. 302. Amplior ex Euchologio Allatiano, ibid. pag. 305. Habetur et apud Habertum, pag. 316, prolixiori verò formulâ ex Liturgiâ patriarchali, ibid. pag. 66. Singula hæc officia ad codices MSS. recognita, variantibus lectionibus et additamentis aucta, notis eruditis illustrârunt Jacob. Goarus in Euchologio, et Isaac Habertus in Pontificali suo, viri de Ecclesiâ Græcâ egregiè meriti. Formulas etiam conferendi sacros ordines apud Græcos, nempe lectoris, subdiaconi, diaconi, presbyteri et episcopi, Græc. et Lat. exhibet et illustrat P. Arcudius de Concord. Sacram. lib. 6, cap. 2, pag. 480. Cumulatè verò præ aliis id præstitit Joan. Morinus commentario de sacris Ecclesiæ ordinationibus, ubi part. 2, omnes penè ordinationum apud Græcos formulas, quæ variis seculis in usu fuerunt, Græcè et Latinè exhibet, et annotationibus illustrat. In his eminet antiquissimum exemplar ex codice MS., 800 ad minimum annorum, litteris majoribus et uncialibus scripto, desumptum ; part. 3, de singulis, prolixis quidem, sed et doctissimis dissertationibus agit.

ΨΑΛΤΗΡΙΟΝ, *Psalterium*, liber continens omnes Psalmos Davidicos eo ordine quo in sacris Bibliis habentur, sed in certas classes continentes, plures vel pauciores Psalmos, pro eorum longitudine, distinctos. Has sectiones Græci καθίσματα, sive sessiones vocant, quòd olim Psalmi uno contextu non legebantur, sed interjectis lectionibus, ne homines laboris pertæsi, neglectis officiis, ad aliud animum adverterent. Καθίσματα singula in tres partes dividuntur, quæ solemni illâ δοξολογία : ***Gloria Patri, et Filio,*** etc., terminari solent. De his cathismatibus fusè disserit L. Allatius, dissert. 1, p. 55, qui p. 60, describit modum quo Psalterium per totum annum in Græcorum Ecclesiâ recitatur. Est penes me Psalterium

Venetiis editum apud Ant. Pinell. an. 1627. in-8°, in 20 καθίσματα divisum. Primum κάθισμα continet à Psalmo 1 ad 8, inclusivè; secundum, à 9 ad 16; tertium, à 17 ad 23; quartum, à 24 ad 31; quintum, à 32 ad 36; sextum, à 37 ad 45; septimum, à 46 ad 54; octavum à 55 ad 63; nonum, à 64 ad 69; decimum, à 70 ad 76; undecimum à 77 ad 84; duodecimum à 85 ad 90; decimum tertium, à 91 ad 100; decimum quartum, à 101 ad 104; decimum quintum, à 105 ad 108; decimum sextum, à 109 ad 117; decimum septimum, psalm. 118; decimum octavum, à 119 ad 131; decimum nonum, à 132 ad 142; vigesimum, à 143 ad 150 (1). Sequuntur ψαλμὸς ἰδιόγραφος de victoriâ quam David ex Goliath reportavit, qui Psalterio non continetur; cantica sacra ex veteri et novo Testamento desumpta, nempe Mosis 2, Exod. 15, Deut. 32, Annæ matris Samuelis cap. 2, Habacuc prophetæ cap. 3, Isaiæ cap. 25, Jonæ prophetæ cap. 2, trium puerorum, Dan. 3, B. Virginis et Zachariæ, Luc. 1, Ezechiæ regis, Isaiæ 38, Manassis regis Judæ, Simeonis senis, Luc. 2. Calci subnectitur ordo, ὅπως ὀφείλει στιχολογεῖσθαι τὸ ψαλτήριον ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ. Prodiit etiam Psalterium, ut infinitas alias editiones taceam, Venet. 1643, cui præmittitur Psalterii per totum annum in Ecclesiâ Græcâ recitandi modus. Subjicitur duplex Lexicon, grammaticum, quo præcipua, quæ in Psalmis occurrunt, vocabula, unà cum eorum etymologiis, explicantur; historicum alterum, quo personæ et nomina propria, quorum in Psalmis et canticis sacris fit mentio, illustrantur.

ὩΡΟΛΌΓΙΟΝ. Liber quo horæ diuturnæ et officia continentur. Præter horas et mesoria, quæ singulis officiis necessariò dicuntur, Troparia, Psalmos, preces varias, habetur in hoc opere, inquit Allatius, p. 90, canon compunctivus, canones paracletici in B. Virginem et angelum custodem, et deprecatorius in omnes angelos et sanctos, officium satis amplum sanctissimæ communionis, et minutiora alia. Subjiciuntur Cyrilli Alexandrini oratio de Exitu animæ, deque secundo Adventu; Christoph. Patricii Mitylenæi Troparia, προστόμια dicta, totum Menologium, quoad majora anni festa, ab initio septembris, complectentia; Paschalion annorum 50, continens indictiones, cyclum solarem et lunarem, θεμέλιον lunæ et paschata ab anno 1642 usque ad annum 1692; Jonæ Gialeni Selenodromium perpetuum; Niceph. Paschalei de Jejuniis Græcorum tractatulus, linguâ vulgari conscriptus. Prodiit hoc Horologium Venet. annis 1535, 1601, 1602, 1623, 1632, 1646, 1552 (1).

ὩΡΟΛΟΓΌΠΟΥΛΟΝ, seu *parvum Horologium*, ex majori excerptum, et usui ordinario magis accommodatum. De quo hæc idem Allatius dissert. 1, p. 104. Continet gratiarum actionem, postquàm Christianus è somno surrexerit; officium mediâ nocte et vespere, singulis diebus dici solitum; novem cantica, primam, tertiam, sextam et nonam horas; parvum ἀπόδειπνον ex apostolariâ et ἀπολυτίκια totius hebdomadis; preces in mensâ; preces brevissimas, dicendas singulis diei horis; Menologium brevissimum; Paschalium annorum 10. Editus est hic libellus ut aliàs sæpè, Venet. anno 1642, in formâ quam vocant in-32.

(1) Hæc etiam notari in antiquissimis Psalterii Græci editionibus, ut Mediolanensi. an. 1481, monet Fabr. ad Allatii diss. Bibl. vol. 5, subjunct. p. 40.

(1) Item 1568. Etiam Rom. 1677 excusum est Horologium secundùm vetustum ordinem et typicum monasterii Cryptæ Ferratæ adjuncto Menologio, ut refert Fabr. ad Allat. Diss. p. 67.

CAPUT II.

DE LATINORUM LIBRIS LITURGICIS DISQUISITIO.

Quâ methodo hactenùs vidimus à Caveo Græcorum liturgicos libros recensos, eâdem nos hoc capite liturgicos Latinorum libros enumerabimus,

AGENDA. Missæ hoc nomine interdùm prænotantur : nam et pro Missâ *Agendæ* nomen usurpatum sæpiùs reperimus : sic in concilio Carthaginensi an. 390, can. 9, *ab universis episcopis dictum est : Quisquis presbyter inconsulto episcopo Agendam* (Schelestratius *Agenda*, in neutro plurali, legit, refragantibus Bonâ l. 1 Rer. Liturg. cap. 3, et Hugone Menardo in notis ad Concordiam Regular. p. 355) *in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit. Agendam* quoque *Mortuorum* passim legimus in Antiphonario S. Gregorii, et in antiquis scriptoribus officiorum ecclesiasticorum; imò Anastasius Bibliothecarius Leonem II perhibet constituisse, *ne Mauri quondam episcopi* (Ravennatis) *Anniversitas, aut Agenda celebretur.* Confer Bonam loc. c., in eumque Salæ adnotationes, t. 1, p. 1, pag. 25.

ANTIPHONALE, ANTIPHONARIUM, ANTIPHONALIS, et ANTIPHONARIUS, liber in quo simul digestæ

legebantur Antiphonæ : « Quâ in re, inquit « Thomasius in Præf. ad Respons. et Antiphon. « Rom. Eccles. p. 39, t. 4 oper., pro indubio « haberi debet, aliquam olim fuisse ante san- « cti Gregorii tempora Antiphonarum et Re- « sponsionum collectionem, quæ usui esset « Ecclesiæ cantoribus : ut enim antiquior est « sancto Gregorio Antiphonarum et Respon- « soriorum usus in Ecclesiâ Romanâ, ita par est « credere, ante illum libros extitisse responso- « riales et antiphonarios. Idem porrò sanctus « pontifex sicut vetustum codicem Sacramen- « torum (quem Gelasianum postea appellave- « runt) in unum librum abbreviavit ad usum « præcipuè publicarum stationum Ecclesiæ « Romanæ, qui Sacramentarium Gregorianum « passim est vocatus, ita et libros antiphonarios « et responsoriales recensuit, ac ordine me- « liore disposuit. » Atque hinc Joannes Diaconus in Vitâ S. Gregorii Magni, Antiphonarii auctorem fuisse sanctum huncce pontificem perhibet. Joannem quidem, ut qui trecentis post magnum Gregorium annis floruerit, *testem non satis idoneum* appellat in libro de Rebus Franciæ Orientalis Joan. Georgius Eckartus; sed à clarissimis viris Dominico Georgio in diss. 2 de libris Liturg., tom. 2 de Liturg. Rom. Pont. pag. 185, et Antonio Francisco Vezzosio Præf. in tom. 4 oper. Thomas. pag. 27, seqq., ab Eckarti censurâ Joannem strenuè vindicatum habemus. Cæterùm Amalarius, in Prologo ad suum de Ordine Antiphonarii librum, narrat, in unicum volumen simul junctis atque ordine distributis et Responsoriis et Antiphonis *Responsorialis et Antiphonarii* nomen deinde libro factum fuisse, aut unico etiam vocabulo *Antiphonarium* hunc dictum, ut in Romanis ordinibus, ac præsertim Benedicti canonici ordine videre est. Monet cit. loc., pag. 16 Vezzosius, Antiphonarium in duos quoque partes distinctum in antiquis membranis inveniri, quarum prima complectitur anni circulum à primâ Adventûs dominicâ deductum usque ad initium officii Parasceves in Passione Domini, sive feriâ 4 majoris hebdomadæ, vel, ut in aliis codicibus MSS., usque ad absolutum sabbati sancti cursum; altera verò ab eo loco, ubi prior desiit, eumdem anni circulum usque ad Adventum prosequitur. Antiphonaria ornare, eaque pro ministerio altaris offerre mos erat. S. Ansegisus Fontanellensis abbas, anno 830, cœnobio suo Antiphonarium donavit *in membrano purpureo, argenteis scriptum litteris, ornatumque tabulis eburneis,* ut in ejus actis legimus seculi 4 Benedicti papæ I, p. 634. Plura exempla hanc in rem vide apud Georgium pag. 192, qui et de MSS. Antiphonarii codicibus disserit pag. 193, quanquàm de his plura dabit Vezzosius pag. 32, seqq. Ad Antiphonariorum editiones quod attinet, Jacobus Pamelius Brugensis canonicus, tomo 2 suorum *Liturgicon*, omnium primus Antiphonarium vulgavit, quod deinde in Gregorianorum operum editionem cùm Romanam, tùm Parisinam Petri Gussanvillæi illatum, imò et in nuperrimâ eorumdem operum editione à Maurinis Patribus adornata recusum est, adscriptis *variantibus,* quas vocant, *lectionibus.* Quatuordecim, antequàm Benedictini quos indicavi, è S. Mauri Congregatione doctissimi Patres S. Gregorii Magni opera ederent, annis, anno scilicet 1691, clarissimus Thomasius Antiphonarium magnâ diligentiâ ad MSS. codices recensum, notisque illustratum è Romanis prelis emiserat. Exemplum aliud Antiphonarii an. 1744, ex MS. codice card. Gentilis, protulit Dominicus Georgius tom. 3 Liturgiæ Rom. Pont. Demùm clarissimus Vezzosius Thomasiana opera secundis curis quùm ederet, tom. 4 illud exhibuit, sed ad alios MSS. libros exactum, ac pereruditis adnotationibus illustratum. Vide infra, *Capitulare, Gradale et Officialem librum.*

Apostolicum, in ordine Romano apud Cangium : *Subdiaconus autem qui lecturus est, sub curâ suâ habebit Apostolicum,* nempe Epistolarum librum.

Apostolus, eâdem significatione. Concilii Toletani IV canon 11 vetat, « laudes post « Apostolum decantari, priusquàm Evangelium « prædicetur, dùm canones præcipiunt post « Apostolum non laudes, sed Evangelium an- « nuntiari, » et in veteri chartâ Cornutianâ apud Mabillonium de Re diplom. pag. 462, Q. Theodovius Ecclesiæ Cornutianæ contulisse dicitur *Evangelia 4, Apostolum, Psalterium et Comitem.* Consule Georgium in cit. diss. pag. 180. Cæterùm, putant aliqui *Apostoli* nomen Epistolarum libro inditum fuisse, quòd majori ex parte lectiones in Missæ sacrificio frequentes ex Epistolis Apostolorum, ac præsertim S. Pauli decerptæ sint. Repugnat his Vezzosius, præf. in tom. 5 oper. Thomass., pag. 21, ratus, *Apostolum* apud veteres fuisse librum eas solas lectiones complectentem, quæ ex Apostolorum, et Pauli præcipuè Epistolis canonicis sumebantur. Vide comitem, epistolare, lectionarium.

Baptisterium. liber in quo ritus baptismi et orationes describuntur, vel certè ordo ad baptizandum. Burchardus, lib. 19, cap. 8 : « Discat...., Psalterium, Lectionarium cum « Evangeliis, Sacramentorum librum, Bap- « tisterium et Computum cum Cyclo. » Alia vide apud Cangium in Glossario, et Georgium p. 169.

Benedictionalis liber, ecclesiasticus liber, in quo Benedictiones, quæ ab episcopis et sacerdotibus fiunt, continentur : cujusmodi, inquit Cangius, est Benedictionalis Greg. Magni, quem ex Codice Cæsareo descripsit Petrus Lambecius lib. 2 Comment. Biblioth. Cæsar. Ordo Romanus : « Accipiat benedic- « tionalem librum, et conversus ad populum « dicat, » etc. Vide Muratorium in diss. de Lit. Rom. c. 6, col. 80, seq.

Breviarium Evangeliorum, vide infra, Capitulare.

Breviarium Psalterii, compendium quoddam est precum in Psalmis contentarum à Bedâ elucubratum, etsi Hieronymo illud nonnulli codices adjudicant. Editum fuit à Thomasio Romæ an. 1684, legiturque nunc tom. 3 oper. pag. 576, et tom. 7, pag. 282, cum Italicâ ejusdem Thomasii interpretatione. Simile aliud est, quod idem Thomasius Italicè reddidit, et eodem tom. 7, pag. 315, extat.

Breviarium, sive ordo officiorum per totam anni decursionem, liber est MS. ad usum monasterii Casinensis Alexio Comneno imperante, hoc est, circa an. 1100, exaratus, totius ecclesiastici officii rubricas, ritus etiam et cæremonias continens tam officii recitandi, quàm Missæ celebrandæ, ac præterea peculiares quasdam præcipuarum solemnitatum observantias. Unde Quesnellus à Cangio laudatus colligi posse censebat, primitùs Breviarii nomine solas rubricas, seu ordinem officiorum olim innotuisse. Id nominis nunc communiter officio ipsi tribuitur. Micrologi auctor, qui seculo XI floruit, cap. 28 de Observat. Eccles., primus Breviarii nomen hoc sensu usurpâsse creditur. Cur autem divinum officium Breviarium fuerit appellatum, non una est scriptorum sententia, Radulphi Tungrensis, Bonæ, Martenii. Utut est, Clementis VII pontif. max. hortatu, card. Franciscus Quignonius Breviarium Romanum confecerat, quod et Paulo III inscriptum prodiit. Triginta fermè annorum spatio vulgò passimque Quignonianum hocce Breviarium obtinuerat, quùm S. Pius V illud sustulit atque abrogavit, novamque Breviarii formulam ex concilii Tridentini decreto conditam substituit, quæ et per Paulum Manutium Pii ejusdem V, præmisso diplomate an. 1570, vulgata est. Sanctorum autem historiæ, quæ in eo Breviario leguntur, Pogianus conscripsit. Multis deinde accessionibus auctum, et variis recognitionibus sub Clemente VIII et Urbano item VIII interpolatum fuit; sed et consecuti pontifices alios subinde sanctos in officium intulerunt. Novam Breviarii Romani recognitionem aggressus fuerat Benedictus XIV, sed variis de causis, certè gravissimis, ab incœpto destitit. Vide Bonam de divinâ Psalmodiâ, Macchiettam de divino officio, Azevedii Exercitationes liturgicas, Lagomarsinium t. 2 Pogianorum operum, aliosque. Vide etiam infra, *Diurnum*, *Horæ canonicæ*, etc.

Cæremoniale. Augustinus Patricius Piccolomineus Senensis Pientinus in Etruriâ episcopus, Innocentii VIII, cui à cæremoniis erat, jussu Romanæ Ecclesiæ cæremonias tribus libris complexus est, quos idem Innocentio VIII, epistolâ à Mabillonio primùm vulgatâ Mus. Ital. p. 11, pag. 584, kal. martiis an. 1488 inscripsit. Liber hic tamen vulgatus non fuit à Patricio, qui mortem oppetiit an. 1496. Edidit Christophorus Marcellus Corcyrensis episcopus Venetiis 1516, Leone X summo Ecclesiæ pontifice, hoc titulo : Rituum ecclesiasticorum, sive sacrarum Cæremoniarum SS. Romanæ Ecclesiæ libri tres, non ante impressi, in-fol. Paris de Grassis Bononiensis, qui Pisauriensium episcopus, ac Romanis pontificibus cæremoniarum magister erat, indignatus Romanæ Ecclesiæ cæremonias divulgari, nihil non molitus est, ut Cæremoniale hujusmodi planè aboleretur ; plagii quoque gravissimam accusationem Marcello intulit, quasi is Patricii opus sibi impudentissimè adjudicâsset. Verùm ab hujusmodi criminatione strenuè Marcellum vindicavit Apostolus Zenius Vossianarum Dissertationum vol. 1, pag. 109, seqq. ; ejus verò liber adeò ex hominum memoriâ deletus non est, quod Paris optaverat, ut Florentiæ per hæredes Philippi Junctæ an. 1521 (hanc editionem typographico, ut puto, mendo ann. 1621, adscribit Freitagius Annal. litter. pag. 465), Coloniæ Agrippinæ 1577, Romæ 1560, Venetiis 1573, 1582 et 1616, recusus, atque adeò Lipsiæ ann. 1733, à Christ. Godofredo Hoffmanno in tomum alterum novæ suæ Collectio-

nis illatus fuerit. Cæremoniale Romanum editum jussu Gregorii X protulit Mabillonius Mus. Ital. tom. 2, pag. 221. Hùc spectant Acta selecta cæremonialia S. R. E. ex variis MSS. codicibus, ex Diariis seculi XV, XVI, XVII, aucta, et illustrata pluribus aliis monumentis nondùm editis, quorum primum tomum Romæ an. 1753 P. D. Joannes Baptista Gattico Canonicus Regularis Lateranensis vulgavit. Vide de hoc opere quæ Hist. Litter. Ital. tom. 7, pag. 470, seqq., dicta à nobis sunt. Est etiam Cæremoniale episcoporum, quod jussu Clementis VIII reformatum Romæ prodiit anno Jubilæi 1600, mense octobris in-4°.

Canon. Hoc nomine 1° designatur officium, unde etiam horarum canonicarum nomen. Rufinus in Vitis Patrum l. 3, c. 5: *Non possumus propter vos omnem* canonem *psallere.* Alia in hanc rem exempla suppeditabunt Cangius in Glossario, et Macchietta de divino Officio pag. 19. 2° Præcipua Missæ pars, in quâ, ut aiebat Walafridus Strabo cap. 22, sacramenta conficiuntur Dominica. Vocatur etiam Actio, Preces, Orationes, Secretum Missæ, de quibus nominibus ut alios mittam, consule Vezzosium in notis ad tomum 6 Thomasianorum operum pag. 172, seqq. Pro episcopis Canon extat separatim excusus.

Canon pœnitentialis. Vide, *Pœnitentiale.*

Cantatorius liber quis fuerit, ex Amalario discimus in Prologo de Ordine Antiphonarii. « Notandum est, inquit, volumen, quod nos « vocamus antiphonarium, tria habere nomina « apud Romanos: quod dicimus gradale, illi « vocant cantatorium. » Hinc de subdiacono Ordo Romanus I, num. 26, *postquàm cantor cum* cantatorio *ascendit, et dicit Responsum.* Quod autem *Cantatorium* hìc dicitur, *Tabularum* quoque nomine idem Amalarius expressit lib 3, cap. 16: « Cantor sine aliquâ necessitate legendi, tenet tabulas in manibus. » Porrò quemadmodùm *Cantatorii* nomen à cantu, ita *Tabularum* vocabulum à tegumento libri gradalis, quod ex asse fieri consuevisse Amalarius eo loco tradit, derivatum fuisse nullus dubito. Adi Thomasii disquisitionem antiquiorum rituum cantuum Missæ tom. 5 oper. p. 23.

Carpsum, quasi carptum, decerptum, Veronæ vocabant indicem Preces, Psalmos, Antiphonas, cæteraque recensentem ad Missæ, divinorumque officiorum ordinem enuntiandum; hujusmodi *carpsum* illud à Stephano sacerdote, et Cantore compilatum, de quo Marchio Maffeius pag. 92 opusculorum, quæ Historiæ Theologicæ adjecit.

Capitulare, interdùm pro Antiphonario sumi ex quodam Ordine Romano Thomasiano Vezzosius arguit pag. 321, tom. 4 oper. Thomas. Verùm usitatius fuit eo nomine denotare indiculum qui Evangelia in singulis Missis legenda designabat, et *Breviarium Evangeliorum* quoque appellabatur, uti et *Capitula lectionum Evangelii ad Missam.* Joannes Fronto unum edidit, quod minùs aptè *Kalendarium Romanum* inscripsit; Allatius quoque aliud; Martenius tertium, plura vulgavit Thomasius. Sed de Capitularibus hujusmodi confer Georgium diss. 2 de Libris liturg. S. R. E. pag. 144, seqq., et Vezzosium præf. in T. 5 oper. Thomas. pag. 24, seqq. Id unum moneo, hæc Capitularia plerùmque Evangelii textui præmissa, aut in ejusdem calcem rejecta inveniri; nonnunquàm tamen ab Evangelii textu sejuncta reperiuntur, cujusmodi quæ Baluzius recenset Capitul. tom 2, pag. 1556.

Choralis liber, nempe qui canentibus in choro usui est. Picturis et auro ornari chorales libri consueverant. Elegantissimi sunt qui cùm Senis tùm Ferrariæ in principe templo asservantur.

Collectaneum, et collectarium, liber qui collectas ad quævis officia dicenda continet. Collectæ autem orationes dicuntur, sic appellatæ, vel quòd sacerdos, ut Micrologus ait de Observat. Eccles. cap. 3, *ad Dominum omnium petitiones eâ oratione colligat, atque concludat,* vel quòd *ex auctoritate divinarum Scripturarum sint collectæ,* quemadmodùm Alcuino placuit in lib. de divin. Offic. Collectaneus masculino quoque genere apud Cangium occurrit.

Comes, liber Comitis, Lectionum liber, quem *Comitis* nomine donatum volunt, vel quòd comiti cuipiam primò inscriptus fuerit, vel quòd ecclesiasticis viris in lege Domini sacris in lectionibus seu contenta, seu exposita meditantibus die ac nocte familiaris, atque indivisus comes esse debeat. Hunc, ut supra vidimus, verbo *Apostolus,* charta Cornutiana an. 471, à Suarezio episcopo primùm, deinde à Mabillonio vulgata commemorat. Quamobrem à vero haud procul aberrare videntur, qui cum Joanne Beletho, aliisque pluribus libri hujus auctorem S. Hieronymum fuisse affirmant. Antiquior quidem Hieronymo est in Ecclesiâ sacrarum lectionum usus, ut vel ex S. Hippolyti Canone paschali, quem Caveus et Blanchinius illustrâ-

runt, constare Georgius jure contendit cit. diss. p. 175. Nihilò tamen minùs potuit S. Hieronymus sacras illas lectiones meliorem in ordinem redigere. Noster doctissimus Joannes Pinius in Tract. hist. Chron. de Liturg. ant. Hisp. c. 9, § 6, quùm in libro Comitis novem vigilias comperisset, eum *à S. Hieronymi ætate remotissimum* judicavit. Pinio irascitur propterea P. Sala in notis ad Bonæ lib. 2 Rer. Liturg. cap. 6, p. 125, sed satis meâ quidem sententiâ fuerat animadvertere, loqui Pinium de libro Comitis, quem hodieque habemus; hunc enim interpolatum esse nemo non videt, atque iis quidem accessionibus, quæ à S. Hieronymi ætate remotissimæ sunt; hinc tamen non efficitur, librum ipsum primò à S. Hieronymo non fuisse pro ætatis suæ moribus dispositum, auctum deinde posterioribus seculis. Alcuinus Caroli Magni jussu librum hunc emendavit, ut ex Codice bibliothecæ Carnutensis exploratum est. Nono item seculo auctum illum fuisse à Theotincho presbytero Ambianensis comitis Hechiardi hortatu ex Bellovacensi MS. libro Baluzius aliique comprobârunt. Inferiori ætate liber Comitis in *majorem* et *minorem* distinctus nonnunquàm fuit; quamobrem in chartâ an. 1065, apud Gattulam inter ornamenta Ecclesiæ cujusdam S. Joannis recensentur *liber Comite majore unum, et minori duo.* Putat Georgius alterum ex his *majorem* dictum, ob Epistolarum multitudinem, *minorem* alterum, ob earumdem paucitatem. Ita sanè, sed ex his istum lectiones ex Pauli aliorumque Apostolorum canonicis Epistolis, illum lectiones à cæteris Scripturam libris depromptas continuisse existimaverim, ut *Apostolus*, de quo supra, idem fuerit qui *liber Comitis minor.* Cæterùm ubi istiusmodi distinctio invecta est codices qui utrasque lectiones exhibebant, *plenarii* vocabantur; cujusmodi *Lectionarius* ille PLENARIUS *à supradicto Albino* (Alcuino) *ordinatus*, quem memorat Centulensis cœnobii Chronicon à Dacherio vulgatum lib. 3, c. 3. Ad editiones quod spectat, liber Comitis à Pamelio primùm editus fuit Coloniæ 1571, tomo 2 Liturgicon, sed Præfatione, seu Epistolâ ad Constantium truncatus, quam tamen Magdeburgi divulgârat anno 1549 Matthias Flaccius Illyricus. Hanc secuta est editio Baluzii, qui Bellovacensem Theontichi codicem nactus, illum in appendice Actorum veterum 2 Capitular. pag. 1309, Parisiis an. 1677 typis exprimi jussit; atque hic ille Bellovacensis codex est, quem Cornelius Schultingius habuerat; quare non erat cur P. Meratius tom. 1 Ven. edit. an. 1749, pag. 5, codicem istum in Bibliothecis Germanicis etiamnum latere conquereretur. Baluziana editio à Vallarsio Veronæ iterata fuit inter opera S. Hieronymi, Vezzosio improbante, cui Bellovacense illud exemplum nimis interpolatum videtur, ut Hieronymianis operibus à viro critico adcenseri potuerit. Thomasius felicior fuit: nam Carnutense Alcuini exemplum Romæ an. 1691 publici juris fecit, addito Lectionario, quod ipse ex antiquis codicibus collegerat. Hoc ipsum denuò prodiit t. 5 operum Thomas. Romæ 1750, P. Vezzosio curante, qui et Lectionario epistolam à Flaccio, ac deinde à Dacherio qui Flaccianam editionem ignorâsse videtur, typis expressam præmisit, et Lectionarium ipsum cum perantiquo Bretinoriensis Ecclesiæ libro contendit. De libro comitis consule præter citatos Bonam, Georgium, et Vezzosium, Joannis Alberti Fabricii Bibliothecam Latinam lib. 4, c. 3, Ven. edit. p. 338.

COMPUTUM, sive *liber de Computo. Compotus* seu, *Computus*, apud rudium seculorum scriptores notitia erat cursûs lunæ ac calendarum, sive, ut Durandus ait Ration. lib. 8, cap. 1, *scientia certificandi tempus secundùm solis et lunæ progressum*. Nempe nomen ductum à computando, quòd necesse sit solis lunæque cursum, annos, menses ac dies supputare, ut discantur cycli decemnovennales, epactæ, bissextus, saltus, lunæ, calendæ, idus, ac præcipuè Paschatis tempus, atque alia id genus, quæ omnia nunc *Calendarii* appellatione communius significantur. Computi enimverò scientia olim cùm presbyteris, tùm clericis magnâ sollicitudine commendabatur, legibusque etiam cautum, ne quis ab eâ addiscendâ eximeretur; quod Cangius in Glossario multis documentis ostendit. Et in id quidem argumentum nonnullos veterum libros editos habebamus; sed unum ex Ambrosianæ Bibliothecæ MS. codice auctoris anonymi, qui anno 810, aut summùm paucis post annis floruisse videtur, Muratorio placuit Anecdotorum tomo 3 divulgare.

CURSUS. Diurna officia vulgò olim dicebantur *Cursus*, ut in titulo libri de Ordine Antiphonarii Amalarius indicat. Gregorius Turonensis librum, qui intercidit, de Cursibus ecclesiasticis scripserat, et apud Anglos an. 788 decretum est concilii Chelichitensis cap. 7, ut *omnes Ecclesiæ publicæ canonicis horis Cursum suum cum reverentiâ habeant.*

DIURNUM, et DIURNUS liber, et DIURNALE, sunt horæ diurnæ, matutino excepto. Plura ejusmodi diurnalia typis expressa Fabricius commemorat Bibl. Med. et inf. Latin., t. 2 Patav. edit. p. 40, ut Parisiense, Parisiis editum 1496, Antuerpiense 1553, Ambianense, et iterùm Antuerpiense, 1670. Sufficiat nobis Romanum, Clementis VIII jussu recognitum, an. 1602. Est etiam liber Diurnus Romanorum pontificum, de quo ibidem Fabricius p. 58, ab Holstenio primùm prelo commissus Romæ 1660 (quæ tamen editio suppressa planè fuit), deinde Parisiis, anno 1680, ab Joanne Garnerio, viro eruditissimo, cujus editionis exemplum Christianus Godfridus Hoffmannus Lipsiæ anno 1733, t. 2 novæ suæ Collectionis recudit. Verùm hic liber non tam liturgicos ritus quàm formulas exhibet superscriptionum et subscriptionum, quibus Romani pontifices in suis litteris uti consueverunt, eorumdem pontificum, atque adeò suburbicariorum episcoporum electiones, ordinationesque, professiones fidei, privilegia et præcepta. Sunt tamen aliqua, unde veteribus ritibus internoscendis lux affulgere possit. Vide Vezzosium t. 4 operum Thomas. pag. 323, seq.

EPISTOLARE, EPISTOLARIUM, liber in quo epistolæ ad Missam. Sigmarus abbas Cremifanensium apud Georgium p. 182, inter sacra ornamenta ad usum suæ illius Ecclesiæ comparaverat duo Epistolaria. *Epistolares cum eburno et argento ornati* inter codices à Folmaro Weissemburgensi abbate inventos memorantur. Adi etiam Cangium. Vide præterea supra, *Comitem,* et infra, *Lectionarium.*

EVANGELIUM, EVANGELIARIUM, EVANGELISTARIUM, Evangeliorum liber. Narrat in Vitâ Benedicti III Anastasius Bibliothecarius, Michaelem imperatorem Constantinopolitanum *misisse ad beatum Petrum Apostolum... Evangelium de auro purissimo cum diversis lapidibus pretiosis;* quem morem Evangeliorum auro lapillisque exornandorum fusè persequuntur Georgius p. 129, seqq., et Catalanius de Codice sancti Evangelii. *Evangeliarii* nomen Honorius Augustodunensis usurpat l. 1, cap. 88. Inter libros, qui in cimelio ecclesiæ sancti Pauli Londinensi servantur, occurrit in Monastico Anglicano, pag. 324, Evangelistarium, quo utuntur ad magnum altare. At quid *Evangelii plenarii* nomine designatur? Hocce vocabulum non semel usurpatum reperias, ut in Chronico Centulensi apud Dacherium Spicil. t. 4, p. 468. Volumen intelligo cum Georgio quatuor Evangelia continens, quod, ut scribit Honorius Augustodunensis, l. 1, c. 4, in processione ad Missam deferebatur. Evangelium autem, Evangeliarium, Evangelistarium, unum aut alterum Evangelium, seu Evangelii lectiones ad Missam complectebatur.

GRADALE, GRADALIS, è gradibus, ubi canebatur, dictus liber. Audiendus hìc Amalarius in Prologo de Ordine Antiphonarii : « Notandum « est, volumen quod nos vocamus ANTIPHONARIUM, tria habere nomina apud Romanos; « quod dicimus GRADALE, illi vocant CANTATORIUM; qui adhuc juxta morem antiquum apud « illos in aliquibus Ecclesiis in uno volumine « continetur : sequentem partem dividunt in « duobus nominibus : pars quæ continet Responsorios, vocatur RESPONSORIALIS, et pars « quæ continet Antiphonas, vocatur ANTIPHONARIUS. » Igitur Gradale omnia quæ in Missâ antiphono cantu canebantur, complectebatur. Ejusmodi Gradale, quod etiam latiore quodam sensu Antiphonarium dicitur, Adrianus papa ad Carolum Magnum misit in tres partes distinctum, quarum prima Graduale pro Missarum solemniis, secunda Responsoriale, id est, responsoria, tertia Antiphonarium, antiphonas scilicet pro nocturnis diurnisque continebat officiis.

HOMILIARIUM, liber homilias in Evangelia complectens. Paulus Diaconus Caroli Magni jussu Homiliarium quoddam confecit. Carolus imperator, inquit Albericus Trium-Fontium monachus ad an. 807, t. 2 Accession. historic. Leibnitii, pag. 152, « per manus Pauli Diaconi « decerpens optima quæque de scriptis catholicorum Patrum, lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesiâ legendas compilari fecit. » Plura ejusmodi Homiliaria latent in Laurentianâ Bibliothecâ Florentiæ.

HORÆ CANONICÆ, officium divinum in horas distributum, de cujus origine, antiquitate, cæterisque plurimi disseruerunt; hos inter Bona, Martenius, Azevedius in Exercitationibus liturgicis, Macchietta, Grancolasius.

HYMNARIUS, liber Hymnorum, ut videre est apud Gennadium in Catalogo Virorum illustrium cap. 47. Vetus Hymnarium diligenter ex MSS. codd. eruit ediditque Thomasius; extat t. 2 oper. Thomas. p. 351, seqq.

KALENDARIUM. Hoc nomine intelligimus 1° ordinem quo singulis diebus officium recitandum est. (Vide infra, *Ordinarium, Ordo officii.*) 2° Fastos ecclesiasticos, in quibus festorum

dierum, sanctorumque commemoratio adnotatur. Consule Friderici comitis Althani de Calendariis dissertationem.

Lectionarius, lectionarium. S. Everardus in suo testamento legavit *Evangelium eburneum unum, Lectionarium simile paratum.* Interdùm Missali Lectionarium addebatur; quare Riculphus Helenensis episcopus anno 915, Ecclesiæ suæ reliquit, *unum quoque Missale, et Lectionarium in uno volumine,* quod tamen Leoni Ostiensi Chron. Casin. l. 3, c. 20, *inhonestum* visum fuit. Nonnunquàm etiam Lectionarium non Epistolas solùm, sed et Evangelia continebat, atque hinc in indice Weissemburgensis cimelii, quem Joannes Fridericus Schannatus divulgavit in Vindemiis litterariis p. 8, legimus *Evangelia cum Epistolis.* Suspicari quis posset, Lectionarium plenarium fuisse volumen Epistolas et Evangelia complectentem; verùm, quùm, ut vidimus supra, verb. *Comes,* Lectionarius plenarius dicatur qui ab Alcuino fuerat ordinatus, Alcuinus verò Epistolas tantùm in ordinem digesserit, omnis huic suspicioni locus intercluditur.

Libellus. S. Gregorius Turonensis cùm Hist. Franc. lib. 2, c. 22, tùm Vit. Patrum cap. 16, § 2, hocce vocabulum adhibuisse Georgio, p. 166, videtur, quo Missas quasdam ex Sacramentorum libris desumptas et in nonnullis celebritatibus usitatas denotaret.

Lucernarium, cum Vesperis à nonnullis confunditur; ab aliis utrumque distinguitur, qui Lucernarium de precibus ad accendendas lucernas recitandis interpretantur. Vide Martenium de ant. Eccles. Ritib. lib. 4, c. 8, n. 8.

Martyrologium, libellus in quo sanctorum nomina, eorumque acta brevi sermone indicantur. Plura habemus Martyrologia: Hieronymianum, quod aiunt, S. Hieronymo tributum; Adonianum à Rosveydo primùm, à Dominico Georgio deinde vulgatum; Usuardinum, Bedæ, Flori, Rhabani, Notkeri, Wandelberti; in primis autem Romanum tum vetus à Roweydo, tum recentius Baronii, Gregorii XIII jussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum, atque à Benedicto XIV, 1748, auctum et castigatum. De Martyrologii lectione in choro adi Martenium, l. c., n. 5.

Missa. Præter sacrificium in Ecclesiâ catholicâ usurpatum, ipsum Officium ecclesiasticum hoc nomine donatur, ut Meratius t. 1, p. 8, post alios animadvertit. *Missa* apud Mozarabes idem est ac *Præfatio Missæ* in veteri Liturgiâ Gallicanâ. Adi Vezzosium Præf. in T. 6 Thomas. p. 54.

Missale. Multa de Missalibus libris disputant Bona, Meratius ad Gavantum, Georgius in cit. diss. Thomasius, ejusque nuperrimus editor Cl. Vezzosius. Duo tantùm adnotabo. Alterum est, Missale plenarium sæpiùs in veterum scriptis memorari, Missale nempe, in quo omnia quæ ad Missam peragendam requirebantur, Epistolæ, Evangelia, Collectæ, Antiphonæ, etc., continebantur. De his præcipuè agunt citati Georgius p. 167, seqq., et Vezzosius Præf. in tom. 5 Thomas. p. 13 seq. Alterum est, de novâ atque emendatiore Missalis editione cogitatum Romæ fuisse anno 1704. Vide Thomasium tomo 7, p. 41, seqq. Veteres Romanæ atque adeò Occidentalis Ecclesiæ Missales libros Cl. Muratorius duobus comprehendit voluminibus, quæ Venetiis edidit anno 1748. Vide infra verbo *Sacramentarium.*

Mitrale. Hoc nomine Sicardus seculo XII, Cremonensium episcopus novem de Officiis libros à se compositos (octo Gesnerus, et Possevinius perperàm numerant) inscripsit, qui et *Summa* prænotantur in MS. codice bibliothecæ Parisiensis S. Victoris. Cl. Muratorio in mentem venit, Sicardi Mitrale chronicum esse; quo nomine à Vezzosio reprehenditur T. 4 Thom. oper. p. 16. Idem Vezzosius, ibid. p. 15, codices aliquot Mitralis recenset; alios vide Fabricianæ Bibliothecæ Med. et inf. Latin. T. 6 pag. 168. Quibus adde codicem MS. apud Cl. P. Trombellium, qui etiam Mitrale hoc in vulgus emittere cogitabat.

Mysteriorum liber. « Ad celebranda Missarum solemnia aiebat Agobardus in lib. de correctione Antiphonarii, habet Ecclesia librum Mysteriorum fide purissimâ, et concinnâ brevitate digestum; » nempe Missale.

Officialis Liber, nempe Antiphonarium ex eodem Agobardo. Imò in codice MS. Monasterii S. Galli apud Thomasium T. 4, pag. 342, legitur : *Incipit officialis Liber,* quo loco *Antiphonarium* inscribendum fuerat.

Officium, usitatissimum ad nostram ætatem vocabulum, quo horas Canonicas designamus, quòd his vacare precibus actio sit propria et debita eorum qui se totos Deo consecrârunt. Unde illud Hieronymi in vitâ Hilar. : « Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, et sic ad vitam properabitis. »

Orationale, liber collectas, seu orationes continens, qualis est libellus ille Orationum Gothico-Hispanus, quem anno 1746, ex peran-

tiquo Veronensi Codice Cl. Blanchinius Romæ vulgavit. Alium ejusmodi libellum habes t. 2 Oper. Thomas. pag. 435, seqq.

Ordinarium vocamus ordinem officii recitandi.

Ordo officii. « Ad celebranda divina officia « *ordinem*, quem metropolitani tenent, provin- « ciales observare debebunt ; » decretum est concilii Aurelianensis I. cap. 26. Hùc spectat Ordo officii Lucensi Ecclesiæ à Fabricio memoratus t. 5 Bibl. med. et inf. latin., p. 170. Cum primis autem memorandi hìc sunt ordines Romani à Cl. Mabillonio editi, atque egregio commentario illustrati, de quibus idem Fabricius, p. 171. Adde his Ordinem Romanum Ludovico et Lothario imperantibus perscriptum, quem Romæ anno 1728, ex vetusto Veronensi codice protulit Franciscus Blanchinius. Ordinem Veronensem verbo *Carpsum* indicavimus.

Passionale, liber res à sanctis, præsertim martyribus, gestas continens. Quâ in re à Ferreolo Ucetiensi antistite, Regul. c. 18, hæc constituta reperimus : « Gesta martyrum, « id est, passiones sanctorum fidelium, quæ « quorumdam compaginata studio, et sermone « digesta sunt tempore quo nobis diem migra- « tionis eorum anni meta cursûs sui legibus « repræsentat, recenseri in Oratorio audienti- « bus cunctis omninò decernimus. » Sed de more legendi martyrum, sanctorumque cæterorum acta, consule Mabillonium de Liturg. Gallic. p. 386, Ruinartium verò cum primis in Præf. ad Acta martyrum sincera.

Pœnitentiale, libellus Canonum Pœnitentialium. Plures ejusmodi libellos percenset fabricius Bibl. Græcæ t. 11, p. 73 et seqq., quibus adde ordines quosdam à Martenio editos t. 1 de antiq. Eccles. Ritib.

Pontificale Romanum de ritibus pontificum in ordinationibus, benedictionibus cum Jacobo Lucio Cajacensi episcopo, et Joanne Burchardo cæremoniarum magistro, Augustinus Patricius Piccolomineus jussu Innocentii VIII recensuit, ediditque Romæ, anno 1485, post Patricium sub Leone X, ab Alberto Castellano ordinis Prædicatorum recognitum fuit, vulgatumque Venetiis 1520, Lugduni 1542, Venetiis iterùm 1572. Clementis VIII postea jussu, anno 1596, et Urbani VIII, anno 1644, novis curis emendatum prodiit. Vide Zenium Dissert. Vossian. t. 2, pag. 106, seqq., et Fabricium, Bibl. med. et inf. Latin., tomo 1, pag. 152.

Psalterium ; quo nomine totum officium nuncupatum reperio, quòd major ejus pars ex Psalmorum recitatione vel cantu constabat. Cæterùm Psalterium psalmos 150 Davidicos designare exploratius est, quàm ut exemplis id confirmare necesse sit. Consule Thomasium, ejusque nuperum editorem Vezzosium tomo 2, et Mabillonium de Litt. Gallic. p. 395, seqq.

Responsoriale, in quo responsoria exstabant. Vide *Antiphonarium* et *Gradale*.

Rituale. Cardinalis Sanctorius Rituale pereruditum conscripserat, sed Pauli V jussu quùm sub prelo esset, suppressum opus fuit. In angulo Vaticanæ bibliothecæ egregii operis impressa folia diu delituerunt ; inventa porrò quùm essent, à viris liturgicarum rerum studiosis impetratum fuit, ut ea colligerentur. Adscriptus autem his est mendosus sanè titulus : *Rituale Romanum Gregorii XIII, P. M., jussu editum Romæ* 1584. De hoc Rituali plura invenies in Epistolâ à Benedicto XIV cardinali Urbis vicario inscriptâ 27 julii 1755, § 20, seqq. Quod hodieque Rituale usurpamus, ejusdem Pauli V imperio prodiit an. 1614.

Sacerdotale Romanum editum fuit à P. Alberto Castellano ordinis Prædicatorum. Echardus ait prodiisse illud ex Pii IV mandato expensum, correctumque. At certum ferè est, hìc falli Echardium, nulliusque pontificis auctoritate fultum Sacerdotale Castellani exiisse in vulgus : quâ de re vide Benedictum XIV, cùm lib. 7 de Synodo diœces., cap. 15, num. 2, tùm in Epistolâ nuper indicatâ.

Sacramentarium, et liber sacramentorum. Veteres Missales libri passim ita prænotabantur, cujusmodi Gelasianus et Gregorianus libri post Thomasii et Muratorii curas à Vezzosio quàm emendatissimè editi. Nec dubitaverim eodem titulo fuisse olim inscriptum Sacramentarium S. Leoni Magno à multis tributum (quod tamen alii aliis adjudicant), et à Blanchinio primùm, deinde à Muratorio, tertiùm à Ballerinis tom. 2 Operum S. Leonis divulgatum.

Sanctorale, idem quod *Passionale*.

Sequentiale, liber qui *sequentias*, ut vocant, exhibet. Earum post Notkerum, qui ad hujusmodi scriptiones animum intendit, frequens usus in Liturgiis fuit ; in Liturgias tamen Ecclesiæ Romanæ multò seriùs invectus est. Integram de sequentiis, earumque auctoribus Dissertationem Georgius scripsit, quæ quarta est tom. 2 Liturg. Rom. pont.

Troparii, troperii et troponarii, libri

Troporum, seu versiculorum cum cantu, qui cum Missæ introitu conjungebantur. Troporum usus inferiori ætate apud monachos præsertim adeò increbuit, ut libros eorumdem confecerint. Sed ex Missali Romano jussu S. Pii V expuncti sunt. Adi Georgii de Tropis dissertationem.

CAPUT III.

Argumenta exhibentur, quæ nullam in re theologicâ esse liturgicis libris auctoritatem efficiunt.

I. Liturgicis libris cùm Græcorum, tùm Latinorum recensitis ad præcipuam de illorum in re theologicâ auctoritate disputationem progredior, illud antea monens Sacramentariorum præsertim ac ritualium librorum auctoritatem hùc spectare; cæteri enim liturgici libri ad theologicas disceptationes transferri vix possunt. Hoc ergo capite ea promemus argumenta, quibus horum librorum auctoritas infirmari posse videtur.

II. At primum quidem argumentum ex clariss. virorum Le-Brunii et Joannis Pinii sententiâ petitur, existimantium, nullam Liturgiam fuisse prioribus quatuor Ecclesiæ seculis scripto consignatam. Neque illorum opinio levibus sanè momentis nititur, ut Le-Brunii Dissertationem primam, et Pinii tractatum de Liturgiâ antiquâ Hispanicâ cap. 1, § 3, seqq., legenti constabit. Enimverò si Liturgiæ post quartum æræ christianæ seculum scripto mandari primùm cœpêre, quàm infirma esse debet illarum auctoritas adversùs hæreticos præsertim, qui primorum seculorum testimoniis agi secum debere contendunt!

III. Necesse tamen non est, Le-Brunii et Pinii sententiæ subscribere, ut quæ sub sanctorum Petri, Marci aliorumque Apostolorum nominibus circumferuntur, Liturgiæ auctoribus, quorum nomine prænotantur, ab impostore quopiam suppositæ habeantur. Ex ipsis Catholicis, qui antiquiorem, et christianæ Ecclesiæ incunabulis æqualem esse Liturgiarum scriptionem aiunt, nullus est paulò in re criticâ exercitatior, qui inter apocrypha scripta ejusmodi Liturgias non rejiciat. (Adi Natalem Alexandrum, Grancolasium, Bonam, Salam, aliosque.) De Jacobi Liturgiâ gravior esse potest controversia : nam qui cæterorum Apostolorum Liturgias respuunt, Bona et Sala, Jacobi Liturgiam omni conatu veluti germanum Apostoli fœtum defendunt. Contra tamen alii pugnant, suppositamque Jacobo cum Natali Alexandro contendunt. Neque ejusmodi controversia de veris Liturgiarum auctoribus solas spectat Orientalium Liturgias. Nam quod Gelasio Romano pontifici vulgò tribuitur, Romanæ Ecclesiæ Sacramentarium Basnagius pontifice illo multò recentius esse pluribus confirmat. De Leoniano verò libro Sacramentorum quid attinet dicere? Vix ullus nunc est qui Blanchinio assentiatur, S. Leonem Magnum illius auctorem esse ; imò Franciscus Perezius Bayerius in libro inscripto : *Damasus et Laurentius Hispanis asserti et vindicati*, p. 131, demonstraturum se pollicetur, longè post Leonis ætatem ejus Sacramentarii codicem archetypum primum emersisse. At quid, quæso, præsidii ex Liturgiis colligas, quarum auctores ignorantur, ætasque incerta omninò est? Quid quòd nemo iis libris fidat, qui, quemadmodùm sanctissimis auctoribus falsò tribuuntur, ita ab impostoribus pro suâ fingendi libidine erroribus infici potuêre?

IV. Adde hosce libros imperfectos omninò esse, quod de Gelasiano ac Leoniano Sacramentariis constat ; imò et magnâ rerum confusione perturbatos. Muratorius hæc de Leoniano Sacramentario non invitus fatetur p. 29 : « In eo desideratur exacta temporum connexio, « et distributio festorum.... Missæ de Vigiliâ « confusæ sunt interdùm cum Missis de Festo. « Aliquando Præfationes sine præviis et sub- « sequentibus orationibus ponuntur.... Uno « verbo, videtur collector, quidquid sibi occur- « rebat, descripsisse, sed non eam, quæ par « erat, dispositionem et ordinem curæ ipsi « fuisse. Ei tamen vitio ne vertas, quòd hìc « nulla Quadragesimæ, Paschatis et Dominica- « rum recurrentium per annum mentio fiat ; « neque enim integrum ad nos pervenit Sacra- « mentarium istud, mutilum nempe in princi- « pio et fine. » De Missalibus Gothico, Francorum et Gallicano vetere, quæ post Thomasium recudit Mabillonius in celebri de Liturgiâ Gallicanâ Commentario, nemo non videt ea mutila esse, nec omnia in illis concinno ordine disponi.

V. Neque hoc satis. Libri isti pluribus in locis interpolati ad nos pervenêre, Joseph Aloysius Assemanus, Cod. Liturg. Eccles. univ. lib. 4, p. 2, præf. paginâ 28, ut Dorschæi adversùs S. Jacobi Liturgiam argumenta declinet, « haud, inquit, negamus varias preces « fuisse supperadditas, aliis breviori summâ « contractis, ritibus nonnihil immutatis, aut « paulò auctis, quod in Liturgiis *frequens* con- « tingit. » Vezzosius quoque Præf. in tom. 6

Thomas. Oper. p. 22, Basnagii adversùs Gelasiani Sacramentarii vetustatem argumentis facere satis non potuit, quin in eo libro addita aliqua post Gelasii ætatem fateretur. Sed ante eum Thomasius ipse in Præf. ad codices Sacram., p. 6, admiserat, « huic codici nonnulla « esse apposita sequenti seculo, » et universim constare dixerat, « hujusmodi sacros libros non « ad meram eruditionem conscribi, sed ad « usum potissimùm Ecclesiarum; unde novas « semper accessiones pati oportet, prout ipsa « consuetudinis temporisque ratio tulerit. »

VI. Atque utinam à Catholicis tantùm interpolatæ Liturgiæ fuissent! Verùm impias quoque hæreticorum manus passæ sunt. Certè, quamvis Missale Mozarabicum à viris piis eruditisque compositum fuerit, tamen exeunte seculo octavo, in illud errores aliquot irrepsisse, oscitantiâ aut nequitiâ quorumdam Hispaniæ episcoporum Adoptivorum hæresi faventium, quorum antesignani fuerunt Felix Urgelitanus episcopus, et Elipandus archiepiscopus Toletanus, gravissimi auctores docent, emin. Bona Rer. Lit. lib. 1, c. 11, soc. 2; Petrus Brunius t. 11, diss. 5, art. 2, sec. 2; Joannes Pinius de Lit. ant. Hisp. cap. 4, § 3, atque Alexander Lesleus Præf. in Missale Mozarab. p. 35, seq.

VII. Quid porrò si Liturgiis et hæretici usi sint? Anne putabimus, illos non omnia susque deque vertisse, ut ad errores suos populis instillandos abuterentur? Enimverò notum est in Missalibus Chaldaicis tres Nestorianorum Liturgias extare, Apostolorum, Theodori atque Nestorii; Diodori præterea, quam Renaudotius confidenter ait nusquàm præscriptam, Liturgiam; imò etiam Narsetis et Barsumæ, quemadmodùm ex Catalogo librorum Syrorum Ebedjesu Joseph Simonius Assemanus conjecit Bibl. Orient. t. 3, p. 1, pag. 30. De Nestorii autem Liturgiâ hæc scribebat Leontinus Byzantinus lib. 3 adv. eumdem Nestor., quæ cæteris hujusmodi libris consentanea videntur: « Audet et aliud malum non secundùm ad su« periora: aliam enim Liturgiam effutivit præ« ter illam quæ à Patribus tradita est Eccle« siis, nec reveritus illam Apostolorum, nec « illam magni Basilii in eodem spiritu conscri« ptam. In quâ Liturgiâ blasphemiis, non preca« tionibus Eucharistiæ mysterium opplevit. » In Missâ quoque apud Alexandrinos celeberrimâ, quæ S. Gregorii Nazianzeni nomine prænotatur, Renaudotius formulas quasdam agnovit, quæ Monophysitarum hæresim sapere omninò videntur. Hanc tamen in usu olim fuisse non solùm apud Monophysitas, sed et apud ipsos Ægyptios orthodoxos contra quàm idem Renaudotius sensit, Joseph Aloysius Apemanus contendit in Præf. lib. 4, p. 4, Cod. Liturg. univ. Eccl. p. 16, seqq. Adde his Anaphoram Dioscori; adde Severi Antiocheni patriarchæ Monophysitæ Ordinem sancti Baptismi à Guidone Fabricio editum, et id genus plura. Neque tamen credas in solis hæreticorum liturgicis libris errores contineri. Damnatorum animas fidelium precibus sublevari opinio est, quæ à communi sensu Catholicorum plurimùm abhorret. In pluribus tamen vetustis Missalibus Missa extat, cujus ope levari illorum cruciatus possent, quemadmodùm in meis ad Petavii de Angelis libri tertii caput octavum adnotationibus animadvertisse me memini, t. 3 theol. Dogm. p. 98.

VIII. Tandem ad infringendam Liturgicorum librorum auctoritatem mira illa rituum, cæremoniarum, ordinisque diversitas, quæ in illis occurrit, non parùm facere posset. Non enim libri, qui secum ipsis tot in rebus pugnant, ad unam catholicamque in fidei dogmatibus doctrinam stabiliendam adducendi esse videntur.

CAPUT IV.

Liturgicorum librorum auctoritas multis argumentis evincitur.

I. Quamvis quæ protulimus argumenta aliquam probabilitatis speciem præ se ferre videantur, multò tamen graviora ea momenta sunt, quibus Joseph Aloysius Apemanus in dissert. de Sacramento Confirmat. lib. 3 Cod. Liturg. univ. Eccles. p. 18, et ante eum Renatus Hyacinthus Drouven de Re Sacram. lib. 5, quæst. 12, magnam esse ad theologica dogmata stabilienda Liturgiarum auctoritatem confirmârunt. Nos ea paulò auctiora nostris verbis reddemus.

II. Ac primò quidem quis nesciat nullam esse quærendæ in fidei rebus veritatis aptiorem viam, quàm quæ Ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanæ præsertim de illis sententia fuerit, investigare? « Age jam, aiebat « Tertullianus de Præscrip. cap. 36, qui voles « curiositatem meliùs exercere in negotio sa« lutis, percurre Ecclesias Apostolicas.... Vi« deamus quid (Roma) didicerit (ab Apostolis), « quid docuerit, quid cum Africanis quoque « Ecclesiis contesserârit. » Falsa enim esse non potest, quam Romana, aut universa Ecclesia per

orbem diffusa tradit, doctrina. Unde porrò Ecclesiarum mens dignosci tutiùs possit, quàm ex Liturgiis, quæ singularum, in quibus usurpantur, Ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodò exhibent, atque episcoporum, presbyterorumque, imò et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt?

III. Hinc efficacitatis maximæ visum semper fuit, quod è Liturgiis petebatur, adversùs hæreticos argumentum. Pelagianos non semel Liturgiarum precibus S. Augustinus aggressus est. « Utinam, inquiebat ille l. de Bono perse« ver. cap. 23, tardi corde, et infirmi, qui non « possunt Scripturas, vel eorum expositiones « intelligere, sic audirent, vel non audirent in « hâc quæstione disputationes nostras, ut ma« gis intuerentur orationes suas, quas semper « habuit Ecclesia, et habebit ab exordiis suis, « donec finiatur hoc seculum. » Sed et illum audiamus epist. 217, al. 107, ad Vitalem. « Ex« sere, inquit, n. 2, contra orationes Ecclesiæ « disputationes tuas, et quando audis sacerdo« tem Dei ad altare exhortantem populum Dei « orare pro incredulis, ut eos convertat ad « fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium « regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut « in eo quod esse cœperunt ejus munere per« severent, subsanna pias voces, et dic te non « facere quod hortatur, » etc.; et num. 26: « Numquid orare prohibebis Ecclesiam pro in« fidelibus, ut sint fideles? » etc. Haud aliter præclarus ille collector *præteritorum sedis Apostolicæ episcoporum auctoritatem de Gratiâ Dei*, quem Cœlestinum I pontificem plerique veterum ac recentiorum scriptorum aliqui non injuriâ censent, cap. 11: « Obsecrationum « quoque sacerdotalium sacramenta respicia« mus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, « atque in omni Ecclesiâ catholicâ uniformiter « celebrantur, ut legem credendi lex statuat « supplicandi. Quùm enim sanctarum plebium « præsules mandatâ sibimet legatione fungan« tur, apud divinam clementiam humani gene« ris agunt causam, et totâ secum Ecclesiâ « congemiscente, postulant et precantur ut « infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab « impietatis suæ liberentur erroribus, » etc.; et cap. 12: « Illud etiam, quod circa baptizan« dos in universo mundo sancta Ecclesia uni« formiter agit, non otioso contemplamur in« tuitu. Quùm sive parvuli, sive juvenes ad « regenerationis veniunt sacramentum, non « priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis « et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis « immundus abigatur; ut tunc verè appareat, « quomodò princeps mundi hujus mittatur fo« ras, » etc. Idipsum Luciferianis objiciebat S. Hieronymus in Dialogo adversùs illos, cap. 4: « An nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse « morem, ut baptizatis postea manus imponan« tur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis « ubi scriptum sit? In Actis Apostolorum: « etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, « totius orbis in hâc parte consensus instar « præcepti obtinet. » Trullana quoque synodus SS. Basilii, et Jacobi fratris Domini Liturgiarum testimonia in medium attulit, ut Armenos, qui aquam è calicis vino abstulerant, coargueret. (Vide Bonam Rer. Liturg. lib. 1, cap. 7, § 3.)

IV. Tertium præterea, illudque efficacissimum pro Liturgiarum auctoritate argumentum sumimus ex curâ quam Ecclesia semper adhibuit, ne quid in illas irreperet mysteriorum sanctitati, doctrinæque veritati contrarium. Quâ in re quùm multa ex conciliis veterumque monumentis promi possent, his contentus ero. Carthaginensis III synodus can. 23 statuit: « Nemo in precibus vel patrem pro filio, vel « filium pro patre nominet, et quùm altari as« sistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. « Et quicumque preces aliunde describit, non « eis utatur, nisi priùs eas cum instructioribus « fratribus contulerit. » Præterea Cod. Afric. can. 3 legimus: « Placuit, ut preces, quæ pro« batæ fuerint in concilio, sive præfationes, « sive commendationes, seu manûs impositio« nes, ab omnibus celebrentur; nec aliæ om« ninò contra fidem proferantur, sed quæcum« que à prudentibus tractatæ, vel compro« batæ in synodo fuerint, ne fortè aliquid « contra fidem vel per ignorantiam, vel « per minus studium sit compositum. » Neque id tantummodò Africanis Patribus cordi fuit. Bracarensis III concilii præsules c. 1, sanxerunt « ut per singulas Ecclesias episcopi « per diœceses ambulantes primùm discutiant « clericos, quomodò ordinem baptismi teneant, « vel Missarum, et qualiter quæcumque officia « in Ecclesiâ peragantur. » Ulteriùs progressus est Theodulphus Aurelianensis. Nam in Epist. ad clerum suum cap. 4, decrevit ut ad synodum libri, vestimenta et vasa sacra deferrentur: « Quando, inquit, more solito ad synodum « convenitis, vestimenta, et libros, et vasa sa« cra, cum quibus vestrum ministerium, et in« junctum officium peragitis, vobiscum deferte; « necnon duos aut tres clericos, cum quibus

«Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur quàm diligenter et quàm «studiosè Dei servitium peragitis.» Idem in suo Capitulari præcepit Riculphus episcopus Suessionensis. Nec aliud sancitum videre est in Capitularibus Caroli Calvi apud Baluzium t. 2, pag. 26. En quanta fuerit Ecclesiarum sollicitudo, ut absonum nihil, nihil non castigatum in liturgicos libros, sive fraude, sive ignorantiâ irreperet. Et dubitabimus, quin in ejusmodi libris incorrupta fidei catholicæ doctrina sit? Quamobrem is solùm qui cum hæreticis traditiones contemnit, liturgicorum librorum auctoritatem spernat, necesse est. Quanquàm et hæretici ipsi cogentur, ejusmodi libros saltem ut testes admittere doctrinæ disciplinæque, quæ in Ecclesiis, quibus usui fuêre, vigebat.

CAPUT V.

Canones pro delectu liturgicorum librorum, unde in rebus theologicis peti possint argumenta.

I. Verùm etsi summa est liturgicorum librorum dignitas, et delectu in iis maximè usurpandis, qui majore polleant auctoritate, et critice in argumentorum ex illis collectione opus est. De delectu ipsorum librorum hoc capite agemus, in sequentibus de critice. Canones igitur aliquos constituamus, quos antea ob oculos habeat, qui ad comprobandas fidei morumque doctrinas liturgicis libris uti velit.

II. CANON I: *Consensio Liturgiarum omnium cùm Orientalium, tùm Occidentalium, in aliquo dogmate, firmissimum est illius argumentum.* Atque hic quidem canon, ex iis quæ superiore capite diximus, facilè comprobatur; consensio enim Liturgiarum omnium Ecclesiæ universæ consensus est; quemadmodùm ergo falli universam Ecclesiam non posse constat, ita quæ à Liturgiis omnibus traduntur, erroris insimulare nefas est.

III. CANON II. *Occidentales Liturgiæ Orientalibus præferendæ in re theologicâ sunt.* Multa hunc canonem suadent. Orientis enim Liturgiæ ab hæreticis, Nestorianis præsertim, atque Monophysitis, interpolatæ et corruptæ fuerunt. In gravissimo etiam schismate, quod Græcam Ecclesiam à Latinâ sejunxit, multa turbata fuêre. Accessit summa quæ ob barbarorum incursus Orientem obruit, ignorantia, quâ factum ut sensim in ipsos liturgicos libros minùs castigata quædam irreperent. Sed et illud animadvertendum, Orientales Liturgias tropis et formulis quibusdam oratoriis frequenter exornari, quæ etsi dogmatis veritatem non celant, tamen hæreticis præsertim effugiorum aditus minimè occludunt. Verbo, quò simpliciores sunt Liturgiæ, eò ad rem theologicam accommodatiores videntur; Orientalibus autem Occidentales multò sunt simpliciores.

IV. CANON III: *Inter Occidentales earum potissimùm habenda ratio est, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinuisse dignoscuntur.* Nam, ut aiebat S. Irenæus l. 3, c. 3, «ad hanc Ecclesiam «propter potiorem principalitatem necesse est «omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos «qui sunt undique fideles, in quâ semper ab «his qui sunt, undique conservata est ea quæ «ab Apostolis est traditio.» Quare Walfridus abbas lib. de reb. Eccl. cap. 22: «Et Romani «quidem, inquit, usum observationum à «B. Petro principe Apostolorum accipientes, «suis quique temporibus quæ congrua judicata «sunt, addiderunt. Quorum morem ideò in «sacris rebus tam multæ gentes imitantur, «quia et tanti magisterii ex apice apostolico «primordis clarent, et nulla per orbem Eccle«sia æquè ut Romana ab omni fæce hæreseon «cunctis retrò temporibus pura permansit.» Hìc autem sedulò illud annotandum est, quod in historiâ Sacramentorum, Italicè versâ, Brixiæque editâ an. 1758, monet Chardonius tom. 3, p. 37, plerosque liturgicos Occidentalium Ecclesiarum libros à multis retrò seculis in tituli fronte, *ad usum Ecclesiæ Romanæ* prænotari; quibus tamen peculiares regionum suarum ritus librarii adscribebant. Quamobrem, ne quis eo titulo decipiatur, quæque Gallicanarum aut Anglicarum Ecclesiarum peculiaria erant, Romanæ Ecclesiæ tribuat, critice opus est. Certè ipsum Gelasianum Sacramentarium Gallicanarum rerum nescio quid redolet, ut vel ejus editor Thomasius ex Morino docet Præf. p. 2, neque id mirum, quùm et in Galliis descriptum fuerit, et in Floriacensi bibliothecâ diù fuerit asservatum. Sed ne de ipsis quidem manuscriptis libris, qui Romæ sunt, aut in alicujus Romanæ Ecclesiæ cimelio latent, statim pronuntiabis, eos Romanæ Ecclesiæ in usu fuisse; quis enim nesciat, potuisse illùc ex aliis regionibus advehi, quemadmodùm ipsum illud Floriacense Gelasii Sacramentarium tandem ad Vaticanam bibliothecam delatum est? In illis verò Romanæ urbis Ecclesiis, quibus olim monachi deserviebant ut in Lateranensi facillimum est, extare etiamnum Mis-

sale aliquod, aut quempiam alium liturgicum librum à monachis Romam translatum, aut etiam, si vis, usurpatum, quem tamen Romanæ Ecclesiæ inconsultò tribueres. Demùm hâc in re animadvertendum, libris ipsis, qui Romanæ Ecclesiæ usui fuêre, potuisse Missam aliquam ordinemque ab amanuensi adscribi, non quòd reapsè illa à Romanâ Ecclesiâ vel usurparentur, vel probarentur, sed quòd in vetustiore exemplo librarius ipse invenisset. Certè etiamnum in impressis Missalibus, quibus nos in nostris Ecclesiis utimur, Missas editas videmus ad Franciscanorum, aliorumque Religiosorum hominum usus, neque tamen quis propterea arguat, Jesuitas Franciscanorum ritus Missasque usurpare. Exigendi igitur libri, qui Ecclesiæ Romanæ nomine inscribuntur, ad eos quos certò constat ad eam pertinuisse, ad ritus ab illâ usurpatos, ad doctrinam ab eâdem traditam, aliaque id genus monumenta.

V. Canon IV. *Inter liturgicos libros Orientales eminet Liturgia S. Jacobi τοῦ ἀδελφόθεου nomine inscripta.* Nam (quod ab Josepho Aloysio Assemano in Præf. lib. 4 Cod. Liturg. p. 2, pag. 25, scitè notatum reperio), « aliæ quàmplures, « quin ferè omnes Orientales ad illam suas Li- « turgias expresserunt et accommodârunt. « Syri ferè omnes illam probârunt, eâque etiam « utuntur. »

VI. Canon V : *Quæ in quibusdam particularibus Liturgiis aut singularia, aut paradoxa, aut etiam falsa occurrunt, minùs apta sunt ad Ecclesiarum, sive Orientalium, sive Occidentalium, doctrinam dignoscendam.* Nihil hoc canone æquius. Quis enim Ecclesiarum de quopiam dogmate sententiam ex paucis et illis obscuri nominis, et à communi regulâ recedentibus liturgicis libris expiscari malit, quàm ex pluribus aliis, iisque communi usu probatis, et in eamdem omnibus sive doctrinæ sive rituum formâ conspirantibus? Desipientis hominis profectò id esset, ut sanè mirer extare theologos qui, quùm Liturgiæ omnes Latinæ et Græcæ, Syriacæ Orthodoxorum, Nestorianorum, et Jacobitarum, Æthiopicæ, Armenicæ verba Christi : *Hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei*, repræsentent, Orientalium Ecclesiarum de verbis eucharisticis consecratoriis mentem non ex istis colligant, sed ex quatuor nullius notæ, ex Liturgiâ, inquam, S. *Sixti papæ* nomine prænotatâ, ex eâ quæ inscribitur *Petri II*, et Thomæ Heracleensis Liturgiâ, itemque aliâ Dionysii Barsalibi, in quibus verba illa desiderantur.

VII. Canon VI : *Si ex Orientalium libris aliquid promendum, præstat iis uti, qui apud Orientales ipsos præscripti sint; neque à missionariis censoribusque nostratibus emendati.* Id maximè notandum, ubi cum hæreticis disputatio sit, ne scilicet querantur, non Syrorum, sed Romanorum, quorum auctoritate codices reformati sunt, doctrinam eam esse, quam manuscripti aut impressi hujusmodi libri repræsentant. Transferri tamen hic canon jure potest ad disputationes quas inter sese Catholici instituunt. Nam, exempli gratiâ, qui hanc Orientalibus fuisse opinionem contendunt, nullo modo celebrandum esse sine evangelicis christianæ legis sacrificium, adversariis Sixti Romani Liturgiam, in quâ, uti nuper dicebam, evangelica illa verba omittuntur, objicientibus duos opponere non injuriâ possunt ejusdem Liturgiæ codices à Renaudotio memoratos, in quorum altero prætermissa verba margini fuerunt adscripta, in altero eadem verba continuatâ cum cæteris serie referuntur. Etsi enim codices illi antiquissimi non sunt, quùm tamen vel ipso Renaudotio teste non ex iis sint quos missionarii aut Romani censores reformârunt, vulgaris inter Syros traditionis de non omittendis inter sacra verbis evangelicis fidem indubiam faciunt. « Non enim, inquit Ursius « cardinalis in Dissert. theol. de liturgicâ sancti « Spir. Invoc. p. 17, de vetere lectione solli- « citandâ unquàm cogitâssent, et de vetustis « majorum suorum codicibus emendandis sol- « liciti aliquando fuissent, nisi hæc Syris ad- « hæsisset opinio, nullo modo esse celebran- « dum christianæ legis sine verbis evangelicis « sacrificium. »

VIII. Canon VII : *Frustra ad veteres ritus, doctrinasve confirmandas, codices liturgici in medium afferuntur, quos esse recentiore ævo interpolatos constet.* Exemplum habes in S. Gregorii Sacramentario, ubi unctio sacra in diaconorum ac presbyterorum ordinatione præscribitur. Nam sequiorum temporum additamentum illud esse planè evincit Nicolai I nono seculo pontificis Epistola ad Rodulphum Bituricensem archiepiscopum, in quâ legimus, non fuisse moris Ecclesiæ Romanæ, presbyteris ac diaconis, *quùm ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi.* Hìc autem arrigant aures Protestantes, neque putent, impunè per nos abuti se hoc canone posse, interpolatos nostros liturgicos codices prædicando, quòd dogmata contineant ipsorum doctrinis contraria. Eadem enim dogmata, propter quæ Protestantes de interpolatis

Liturgiis nostris queruntur, in aliis veterum Patrum libris passim reperiuntur; quos tamen corruptos objicere nemo possit, qui aut impudentissimus non sit, aut causæ suæ omninò non diffidat.

IX. Canon VIII : *Liturgiarum loca afferenda non sunt, in quibus mendum cubare facile est suspicari.* Josephus Aloysius Assemanus Cod. liturg. Eccles. univ. lib. 4, p. 1, pag. 10, sanctos preces nostras audire monet ad eum Gelasiani Sacramentarii de S. Stephano locum : *Pro his etiam prosit* AUDITOR. Verùm, quovis pignore contenderem non *auditor,* sed *adjutor* eo loco legendum, idque nomen multò meliùs cum verbo *prosit* conjungitur, quàm alterum, *auditoris.*

CAPUT VI.

Canones ad argumenta è liturgicorum librorum silentio ritè ducenda proferuntur.

I. Hactenùs canones aliquos constituimus, qui ad ipsum spectant liturgicorum librorum delectum ; ad eorumdem usum nunc nosmet convertamus. Illud autem primùm videamus, quàm efficax sit, quod è liturgicorum librorum silentio peti à quibusdam solet argumentum, quæque leges servandæ ut hocce argumentandi genus alicujus ponderis sit.

II. Canon I : *Liturgicorum librorum silentium, cui æqualia monumenta fidem adstruunt, efficaci argumento esse potest, hoc illudve antiquiore ævo usu non fuisse receptum.* Hinc quòd Ordo Gelasianus unctionem manuum in presbyterorum ordinatione prætermittit, rectè argues, illam Gelasio pontifice in Ecclesiâ Romanâ non obtinuisse; nam, quod superiore capite adnotabam, ne in usu quidem fuit Romanæ Ecclesiæ quo tempore Nicolaus I in Petri cathedrâ sedebat.

III. Canon II : *Si qua magni momenti ratio suadeat, aliquid olim usitatum fuisse, frustra liturgicorum librorum silentium objicitur.* Sic nuspiàm ante S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini statuta, quæ Martenius appellat de ant. Eccl. Ritib. l. 1, c. 1, art. 16, invenias in liturgicis libris formæ baptismatis conditionatæ mentionem. Illam tamen non fuisse antea in usu, uti Natali Alexandro visum fuit Hist. Eccl. sec. IV, cap. 4, art. 12, hinc perperàm quis colligeret. Nam quemadmodùm à Benedicto XIV sapienter animadversum fuit de Syn. diœc. lib. 7, cap. 6, n. 1, nisi velimus, Ecclesiam in eum, quem semper detestata est, rebaptizantium errorem incidisse, necesse est existimare, non aliter ubi de baptismo prudens aliqua dubitatio suboriretur, baptismum conferri voluisse (tunc autem conferri voluisse palam est ex Cypriani epistolâ 76, ex concilii Carthaginensis V canone 6, ex Leonis Magni Litteris ad Rusticum Narbonensem, itemque ad Neonam Ravennatem, aliisque pluribus monumentis), non aliter, inquam, in eâ dubietate baptismum conferri voluisse, quàm sub tacitâ et mente conceptâ conditione : *Si nondùm es legitimè baptizatus;* quare conditio priùs mente tantùm concepta, in ipsâ baptismi formâ exprimi et pronuntiari octavo seculo cœperit.

IV. Canon III : *Si nulla sat probabilis causa afferri possit, cur aliquid in liturgicis libris prætermissum fuerit, horum silentium argumento est, illud de quo agitur, quibus locis aut temporibus codices liturgici fuêre perscripti, nondùm fuisse usu receptum.* Hoc canone illorum potissimùm sententia petitur, qui materiam presbyteratûs in traditione calicis et patenæ, formam verò in verbis illis solemnibus : *Accipe potestatem,* etc., sitam à multis retrò seculis fuisse contendunt. Nam omnes antiqui libri rituales, ante 800 annos scripti, ut Martene aliique notârunt, hanc calicis traditionem constanter prætermittunt, nec ulla, cur rem usu receptam prætermiserint, causa probabilis potest afferri; imò, quoniam P. Simmonet tract. 17, diss. 3, art. 3, rei evidentiâ convictus fatetur propter auctoritatem concilii Carthaginensis IV, ante quintum seculum non solùm in Orientali, sed etiam in Occidentali Ecclesiâ manûs, vel manuum impositionem adæquatam fuisse materiam ordinationum sacramentalium. « Quùm enim, inquit, concilium dicit « can. 5, subdiaconum, QUIA MANUUM IM« POSITIONEM non accipit, ordinari per instru« mentorum traditionem, manifestè innuit, « episcopum, presbyterum et diaconum, quia « manûs impositionem accipiunt, tunc tempo« ris per traditionem instrumentorum ordina« tos non fuisse; » et illud, quod tamen negat, concedat oportet, ante XI seculum, non fuisse in Ecclesiâ Latinâ usitatam instrumentorum traditionem. Nam in omnibus vetustis Ordinibus Romanis aliarumque Ecclesiarum, quos Martenius, Mabillonius, Muratorius ediderunt, ubi de subdiaconorum ordinatione agitur, ea rubrica legitur ex citato Carthaginensis concilii canone sumpta :[*Subdiaconus, cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam,* etc.

V. Canon IV : *At si probabilis causa designari possit, cur ritûs aut doctrinæ receptæ libri liturgici haud meminerint, infirmum erit, quod ex eorum silentio sumitur, argumentum.* Hujusmodi porrò probabilis causa esse potest : 1° Vitium amanuensis; hoc tamen abuti passim non licet, sed illud objici tùm potest codicum silentium urgentibus, quùm manifesta corrupti codicis indicia suppetent. In Gelasiano Sacramentario, ut exemplum proferam, deest inter *benedictiones super eos qui sacris ordinibus benedicendi sunt,* benedictio acolythi: quòd si quis hinc argueret, acolythos Gelasii temporibus non fuisse Romæ inter ordines annumeratos, aperto codicis vitio revinci poterit; in ipso enim Gelasiano Sacramentario, paulò antea ubi *incipit ordo de sacris ordinibus benedicendis,* acolythus memoratur, deque ejus ordinatione agitur; quamobrem benedictio acolythi nonnisi ob librarii incuriam potuit omitti. Contra in Missali Francorum lector prætermittitur, ubi quæ in singulis ordinibus conferendis agenda sunt, percensentur; at ubi benedictiones ordinandorum describuntur, suus locus est lectoris benedictioni.

2° Disciplina arcani, præsertim quod ad sacramentorum formas attinet, Witassii Continuator de Sacram. Confirm. q. 3, art. 1, sect. 1, § 1 : « In Gregoriano, inquit, aliisque « Pontificalibus et Sacramentariis, præter ora- « tionem, seu formam jam deprecatoriam nihil « haberi (constat). Sex igitur, vel etiam septem « primis Ecclesiæ seculis nulla verborum for- « mula in Confirmatione adhibebatur, præter « orationem quæ proferebatur, quùm fieret « manuum impositio. » Verùm hæc consecutio ex eo antecedente minimè fluit. Animadvertere enim debuerat, quantâ curâ et sollicitudine SS. Patres christianæ Religionis mysteria absconderint, ex quâ factum, inquit eruditissimus Martenius de ant. Eccl. Rit. lib. 1, cap. 2, art. 3, num. 8, ut qui primi libros Sacramentorum composuerunt, Sacramentorum formas scripto tradere noluerint, quos imitati posterioris ætatis scriptores Confirmationis formam prætermiserunt. Equidem P. Berti de theol. Discipl. lib. 22, cap. 6, ait assequi se non posse, quî ob *disciplinam arcani* prætermittenda hæc essent in libris Sacramentorum in scrinio ecclesiarum occlusis, à sacris duntaxat ministris, non à plebe pervolutandis. At non christianæ plebis cui arcana hæc Sacramenta palam fierent, sed ethnicorum præsertim aliorumque nostris mysteriis nondùm initiatorum rationem habuêre, qui disciplinam arcani constituerunt, ne scilicet ad eorum manus Sacramentorum formæ mysteriaque pervenirent. Quòd autem Sacramentorum libri in scrinio ecclesiarum occluderentur, nihil obest. An non enim in eodem ecclesiarum scrinio Evangelia, cæterique utriusque Instrumenti codices sacri delitescebant? nec tamen proditores defuêre, qui libros hosce idololatris traderent. Quamobrem, ne tam sancta mysteria idolorum cultoribus proderentur, si quando vel nostrorum hominum sacrilegio, vel etiam ethnicorum ipsorum vi ac direptione liturgici codices in eorum potestatem venirent, à Sacramentorum formis vulgò inscribendis abstinebant. At P. Berti urget vetustissimos omnes codices Sacramentorum, qui hujusmodi mysteriis pleni sint, et ipsum Sacramentale Gregorianum, quod pag. 3, continet verba consecrationis; pag. 73, formam baptismi; pag. 224, consecrationem presbyterorum, aliaque omnia juxta disciplinam arcani sepelienda. Rectè omnia, nec nos negabimus, formas Sacramentorum olim scripto consignatas fuisse. Certè quod in Disputatione de Disciplinâ arcani, et de Liturgiis scriptum invenio à P. Azevedio, « impossibile videtur, tot scriptores « in diversissimis regionibus Ecclesiæ Orienta- « lis et Occidentalis referre adeò uniformiter « ferè omnes ritus liturgicos, nisi legissent « formulas sacrificales suarum Ecclesiarum ser- « vatas apud episcopos. » Quare et Confirmationis formam scripto commendatam fuisse nullus dubito. Hoc igitur dicimus, liturgicum ordinem, traditionem Symboli, Sacramentorum formas, aliaque id genus vetustissimis temporibus non in Sacramentariis, qualia habemus, fuisse conscripta, sed seorsùm ab orationibus, contestationibus, etc., quæ in vulgatioribus libris extabant, quemadmodùm Evangelia, Epistolæ, Antiphonæ, Responsoria, suos singula libros [habebant. Sacramentariorum autem illorum exempla paucissima fuisse conjicio, et ab episcopis ipsis cautè servata. Paulatim verò relaxatâ arcani disciplinâ, cœpêre ista missalibus libris adscribi, ita tamen ut aliqua veteris disciplinæ vestigia in antiquioribus sint manifesta. Quare in Missali Gothico, et in alio Francorum, quæ duo Missalia fortassè ex omnium, unde docti viri Sacramentaria eruerint, vetustissimis codicibus prodierunt, sacræ actionis verba desiderantur. Age, jam ad Gregorianum Sacramentarium oratio redeat : Si dixero, ex arcani di-

sciplinâ et illud profectum, ut sola in eo legatur oratio ad consignandos infantes, idne cuipiam minùs verosimile videatur? Nonne nulla ibi fit mentio manuum imponendarum? nulla cujusque alterius ritûs, quo infantes consignarentur? Cur de Confirmatione tam parcè actum? Cedo, si potes, probabiliorem arcani disciplinæ rationem. Enimverò quanta fuerit in præsenti negotio Innocentii papæ I religio, ex ejus epistolâ 1 ad Decentium Eugubinum episcopum pervulgatum est. Postquàm enim de unctione adhibendâ in Confirmatione disseruit, « verba autem, inquit, dare non possum, ne « magis videar prodere, quàm ad consultatio« nem respondere. » Hanc autem Innocentii religionem ob oculos quùm haberent ejus successores, mirum non est, si etiam quibus temporibus arcani disciplina minùs vigebat, in Confirmationis formâ prodendâ difficiliores fuerint, quàm in cæteris mysteriis ad eamdem disciplinam olim pertinentibus. Video quid objici possit, in Gelasiano scilicet Sacramentario, præter orationem quæ in Sacramentario Gregoriano legitur, hæc addi, quæ Gelasius Innocentii temporibus Gregorio multò proximior, si quæ diximus vera sunt, celare debuisset : *Postea signat eos in fronte de Chrismate, dicens : Signum Christi in vitam æternam. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.* Verùm hæc in Galliis, ubi codex perscriptus fuit, addita fuisse, quemadmodùm alia nonnulla Gallicani ritûs vestigia in eo viri docti deprehenderunt, mihi planè exploratum est. Nam, ut mittam, Gelasium sibi piaculo ducturum fuisse id prodere, quod Innocentius I tantoperè caverat; ut etiam prætercam, S. Gregorium, qui Gelasianum codicem Joanne Diacono teste, « de Missarum solemniis multa subtra« hens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, « in unius libri volumine coarctavit, » ea si in Gelasii codice reperisset, non fuisse prætermissurum (neque enim hæc ex iis erant, quæ subtrahenda essent); ut hæc, inquam, omittam, in ordinibus Romanis vetustissimis, quos Mabillonius edidit, hæc solùm verba leguntur : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Pax tecum*, vel *tibi* : ℟. *Et cum spiritu tuo;* quæ sola etiam extabant in libello Romano, cujus sæpè Amalarius meminit lib. 1 de Eccles. Offic. cap. 27; porrò quis credat, Romanam Ecclesiam veterum rituum custodem tenacissimam septimo aut octavo seculo, quo libellus ille scribi debuit, quùm sub insequentis noni initia Amalarius floruerit, ritum Confirmationis, qui Gelasianis temporibus in moribus erat, nullâ ad id cogente causâ immutâsse? Contra in Galliis eâ formâ consignatos fuisse infantes discimus ex quatuor codicibus, Regio 3866, Colbertino 1348, Gellonensi, et Noviomensi, quos Martenius citat, itemque ex ordine Bellovacensis Ecclesiæ, quem idem Martenius describit. Sed ordo Romanus, quem memoravi, aliud, nisi vehementer fallor, in hoc ipso Confirmationis negotio disciplinæ arcani argumentum suppeditat. Martenius aliique non pauci olim hæc tantùm verba pontificem baptizatos consignantem dixisse aiunt : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Pax tibi,* Ordinis Romani atque Amalarii ducti auctoritate. At ego nunquàm adducar ut credam, vaga hæc verba, quibus cæterorum ferè Sacramentorum formæ clauduntur, Confirmationis formam fuisse. Neque quis regerat ab ipsâ signandi actione determinari illa potuisse. Quis enim dicat Baptismi formam his verbis : *In nomine Patris*, etc., contineri posse, quòd actio ipsa baptizandi illis determinatum quemdam sensum adjiciat? In ordine Romano X, apud Mabillonium, pag. 106, hæc solùm verba adscribuntur : *Pax tecum;* ergone propterea dicemus alia illa omissa : *In nomine Patris,* etc.? Itaque mihi verisimilius est, in Romanâ Ecclesiâ eamdem, quæ nunc usurpatur, adhibitam semper fuisse Confirmationis formam : *Signo te signo crucis*, etc.; in ordinibus verò Romanis ex arcani disciplinâ prætermissam ea autem verba : *In nomine Patris*, etc., fuisse adscripta, ut confirmandi, quid sibi respondendum esset, nempe : *Amen*, edocerentur. Utut est, quemadmodùm à Gelasiano codice abest forma Baptismi, ita et in Sacramentario Gregoriano, quod ex pervetustis Othoboniano et Vaticano exemplis Muratorius vulgavit, ea forma desideratur; ut vel hinc mirari P. Berti dediscat, si Sacramentorum formas ex antiquâ arcani disciplinâ in Romanis præsertim Sacramentariis prætermissas esse dixerimus, neque Gregoriano Sacramentario deinceps utatur, interpolato illo quod Roccha et Menardus edidère.

3° Vulgatus et familiaris alicujus formæ brevissimæ usus. Drouven, de Re sacram. lib. 6, 8, 9, c. 2, aliique cum Morino contendunt, toto decem priorum Ecclesiæ seculorum decursu formam absolvendi deprecativam obtinuisse, quòd nec minimum in ritualibus libris formæ indicativæ vestigium reperiatur. At P. Simonnet tract. 15, disp. 7, art. 4, rectè monet, formulam indicativam absolutionis brevis-

simam esse, et semel exceptam auribus addisci, et in posterum nullo negotio memoriâ retineri; vulgatissimum præterea illius usum ac penè quotidianum esse, ut mirum videri non debeat, de illâ altùm rituales libros silere.

4° Mores Ecclesiarum quarum usui codices fuêre descripti. Exemplum habemus in Gelasiano Sacramentario, in quo commemoratio defunctorum post consecrationem desideratur. Quis tamen hinc confirmare se posse confidat, eam à Gelasio ipso fuisse prætermissam, nec Romæ sub eo pontifice usitatam? Nullus certè qui in Gallicanis ritibus sit paulò versatus. Hic nempe Gelasianum codicem, unde Thomasius tanto nos thesauro ditavit, fuisse in Gallis descriptum intelligens, aliquid Gallicani ritûs in hunc locum irrepsisse animadvertet. Notum est enim in Gallicanâ Ecclesiâ nullam hujusmodi defunctorum commemorationem fieri post consecrationem consuevisse, sed post oblationem diptycha fuisse lecta, id est, recitata nomina tam sanctorum, in quorum memoriam sacrificium Deo offerebatur, quàm viventium atque defunctorum, pro quibus offerebatur.

CAPUT VII.

Canones aliqui ad germanum, verumque liturgicorum librorum sensum assequendum proponuntur.

I. Vidimus quid ex liturgicorum librorum silentio effici argumentando possit; nunc quæ ratio sit ex eorumdem verbis aliquid colligendi, consideremus. Hoc autem capite paucos quosdam canones dabimus, qui generales sunt; cæteros sequenti capite expediemus.

II. Canon I : *Non omnia quæ in Sacramentorum administratione ex omnium liturgicorum librorum præscripto servamus, ejusmodi sunt, ut ab illis ipsorum Sacramentorum efficacitas pendeat.* Ita vini et aquæ commixtio, fractio hostiæ, permixtio specierum, Trisagion, Dominica oratio, in Liturgiis reperiuntur, quæ tamen omnia ad Eucharistiæ consecrationem esse prorsùs necessaria nemo contendet.

Corollarium. — Malè arguit Touttæus diss. 3 de Doctr. S. Cyrilli, c. 12, invocationis Spiritûs S. in consecratione Eucharistiæ efficaciam quamdam esse, eamque non parvam, imò et ejus necessitatem, quòd ea in omnibus prorsùs Liturgiis reperiatur.

III. Canon II : *Aliqua in liturgicis libris sunt, quæ tropico sensu explicare par est.* Eucharistia non rarò Orientalibus *Carbo* dicitur, imò et in Mozarabum Missali *carbo igneus* appellatur; in Liturgiâ quoque S. Jacobi Christus *duplicis naturæ carbo* nuncupatur; quæ nonnisi metaphoricè usurpari potuêre.

IV. Canon III : *Quæ in Liturgiis occurrunt, nisi si quid obstat, in vero ac proprio sensu accipienda sunt.* Canon hic Carthaginensis synodi anno 418, canone 8, comprobatur; eo enim contra Pelagianos statuitur, « ut quicumque verba « ipsa Dominicæ orationis, ubi dicimus : *Di- « mitte nobis debita nostra,* ita volunt à sanctis « dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, « anathema sint. »

Corollarium primum. — *Ex Liturgiis catholicæ Ecclesiæ de Trinitatis mysterio doctrinam confirmare.*

In Missali Gothico, tom. 6 Thomasian. Oper. p. 243, legere est : « Unum te Deum domi- « nantem, distinctum nec divisum, trinum nec « triplicem, solum nec solitarium, consonâ « laudamus voce. » In Missali Gallicano vetere ibid. p. 281, dicitur : « In Trinitate divinâ non « est quod majus minusve credendus sit : si « quid (siquidem) ubi unus major dicitur, « deesse minor, aliquid indicatur. In hâc ergo « ipsâ Divinitate si aliud majus quis, aliud mi- « nus asserat, ei ipse majestati contumeliam « facit, quam majorem putat, quia quùm « æqualis potestas ac dignitas Trinitatis sit, « quidquid uni detrahitur, cunctæ procul du- « bio Deitati æqualiter derogatur. » Quæ sanè in vero proprioque sensu si usurpentur, catholicæ Ecclesiæ de Trinitate doctrinam planè exprimunt.

Corollarium II. — *Verbi divinitatem adversùs Arianos Socinianosque ex Liturgiis demonstrare.*

Nonnulla in hanc rem protulit Petrus Thomas Ansaldius, *Diss. de Divinitate Domini nostri Jesu Christi*, cap. 2, sed pleraque, meo judicio, ad Arianos revincendos minùs apta; neque enim Arianus negabit, Verbum esse Deum, cum Patre simul residere, et cætera id genus. Clarissima et peremptoria hæc sunt.

Ex Sacramentario, quod Leoni Magno aliqui tribuunt, in Præf. de S. Joanne Evangelistâ col. 476, Murat. edit. : « Ut omnem trans- « grediens creaturam excelsâ mente conspi- « ceret, et evangelicâ voce proferret, quia *in « principio erat Verbum, et Deus erat Verbum, et « quia hoc erat in principio apud Deum.* Dicen-

« do quippe *erat,* PERPETUITATEM SINE INITIO « demonstravit. Addendo : *Et Deus erat Verbum,* et : *Hoc erat in principio apud Deum,* « et distinctionem protulit personalem, et UNAM « TE CUM FILIO TUO patefecit HABERE DEITATEM. » Ex Sacramentario Gelasiano Thomasianæ edit. pag. 4 : « Quem SEMPER FILIUM, et ANTE TEMPO« RA ÆTERNA GENERATUM, quia tibi æterno atque « perfecto æterni Patris nomen non defuit, præ« ...mus. » Ex eodem pag. 47 : « Hìc Dei Pa« tris et Filii UNA ÆQUALIS pronuntiatur pote« stas. » Adde loca duo, in quibus Arius ejus« que perfidia disertè damnatur, » pag. 106 et 107. Ex Missali Gothico, pag. 232 : « Per COÆ« TERNUM TIBI Jesum Christum Filium tuum ; » cujus similis formula pag. 236 occurrit. Ex eodem pag. 256 : « Qui (Christus) quùm de « suo Genitori esset ÆQUALIS, » etc. Ex Missali Gallicano vetere, Thomas. edit. pag. 377 : « Qui ex utero ante Luciferum paterno natus « infallibiliter, *Deus de Deo,* unus de uno, « *lumen de lumine,* DE SEMPITERNO PATRE COÆ« TERNUS FILIUS. Cum quo SEMPER et Spiritu « sancto *in splendoribus sanctorum* SINE PRINCIPIO « ET SINE FINE REGNAS et PERMANES in secula. » Confer etiam pag. 387. Ex libello Orationum Gothico-Hispano, quem Blanchinius edidit pag. 35 : « Coæterna Dei sapientia Patris ; » pag. 36 : « Domine, Jesu Christe, ante quem nul« lus est formatus Deus ; » pag. 37 : « Jesu Do« mine, qui es æterni Patris Filius coæternus ; « cujus divinitas ex Patre prolata ortum osten« dit, initium nescit. »

COROLLARIUM III.— *Divinitatem Spiritûs sancti ex Liturgiis contra Macedonianos comprobare.*

Ex Gelasiano Sacramentario, pag. 46 : « Hìc « Spiritus sanctus in eâdem, quâ Pater et Filius, « deitate indiscretus accipitur. » Ex libello Orationum Gothico-Hispano pag. 117 : « Omnium « rerum Creator et Dominus docuit sapientiam, « in quâ est sanctus Spiritus unicus, simplex, « multimodus, subtilis, ut unus Pater, unus « Filius, unus Spiritus sanctus, non pluralitate « deitatis ostensi, sed unitate virtutis innexi « et unione personæ careant, et in unitate na« turæ permaneant : nec sit illic aliquid diver« sum, ubi in singulis resonat unum. » Hæc quoque pag. 118 de Spiritu sancto legas : « Qui tecum est essentialiter bonus. »

COROLLARIUM IV. — *Christum ex Liturgiis ostendere verum Deum, verumque hominem.*

Hæc habet Leonianum Sacramentarium, col. 314 : « In cœlos ascensio mediatoris Dei « et hominum hominis Jesu Christi à nostrâ « non est humilitate discessio, dùm et in eâ « gloriâ, quam tecum semper habuit, et in eâ « naturâ est, quam suam fecit ex nobis. » Idem col. 469 : « In quibus omnibus eviden« ter Deum hominemque cognoscimus, qui « suscipiendo quod nostrum est, dignatus est « nobis conferre quod suum est. » Idem col. 482 : « Ut unus Christus in Dei atque hominis « veritate, nec à nostrâ divisus naturâ, nec à « tuâ discretus adoretur essentiâ. « Similia « legas in libello Orationum Gothico-Hispano. En aliqua, pag. 37 : « Homo verus et omnipo« tens Deus. » Pag. 64 : Ut sic nos qui te Deum « pariter et hominem veraciter confitentes, « unum credimus Christum. » Pag. 98 : « Ma« ledictus est, utique Domine, omnis homo, « qui in corde suo fabricat malum, scilicet qui « te vel hominem negat esse, vel Deum. »

COROLLARIUM V. — *Christum verum, nec solummodò phantasticum habuisse corpus, ex Liturgiis asserere.*

« Dominus Jesus, qui ad redemptionem ve« stram venit, non mutatione loci, sed *veritate* « hominis adsumpsit ; » sic in libello Gothico-Hispano, pag. 1 : « Dominus Jesus Christus, « qui venit de incorruptæ matris carne *corporis* « *veritatem* assumere ; » ibidem pag. 3 : « Inge« niti Dei Patris unigenitus Filius, qui in *veræ* « *carnis* mortalitate redempturus hominem ve« niens, » etc.

COROLLARIUM VI. — *Deiparæ Mariæ virginitatem ex Liturgiis tueri.*

Ex Leoniano Sacramentario, col. 473 : « Quia « et *Mater Virgo* non posset nisi sobolem pro« ferre divinam, et Deus, homo nasci dignatus « congruentiùs non deberet, nisi *Virgine Matre* « generari. » Ex Sacramentario Gelasiano p. 9 : « Quæ peperit et *Mater et Virgo* est ; » p. 11 : « Hancce enim festivitatem index *puerperæ* « *virginalis* stella præcessit. » Ex Missali Gothico, p. 235 : « Nascente Domino *Virginalis* « uteri arcana laxata sunt ; » p. 255 : « In « *Matre* verò *virgine* etiam corporaliter habi« tâsti ; » p. 256 : « Ad te ergo revertimur, *Virgo* « *fœta, Mater intacta, nesciens virum, puerpera* « honorata per Filium, *non polluta.* » Ibidem : « Ut mater *intègra* haberet fructum de Spiritu, « et *incorruptionem* de *partu.* » Ex libello Gothico-Hispano, p. 24 : « Dominus Jesus Chri« stus, qui olim ex *Virgine* dignatus est nasci,

« suæ vos Genitricis intercessu sanctificet, « quique Matrem servavit à corruptelæ contagio, sinum cordis vestri emaculet à delicto; « et qui eam fecit *Virginem manere post partum*, « cœlum vobis tribuat possidere post transitum; » p. 35 : « Deus, qui domui David prophetali vaticinio prædixisti, novum fieri « signum, atque miraculum inauditum, quòd « *Virgo* Verbum conciperet, quòd insolitò *Virginitas* parturiret, » etc. Ibidem : « Salvator « omnium, Jesu Christe, qui novæ operationis « efficaciâ *Virginem* per angelum visitas, Verbo « fœcundas, *habituram sine corruptionis injuriâ* « prolem, et *permansuram cum integritate virgineâ Matrem*, » etc.; pag. 27 : « Intra ejusdem urbis Bethleemiticæ septa Genitricem « Mariam et materno honore sublimas, et *virginitatis* honore glorificas; cujus uterum *nec* « *ingrediens reseras*, *nec egrediens violas.* » Similia legas in oratione sequente, itemque in aliâ quæ hujus paginæ extrema est. Sequentis paginæ 28 orationes eadem de virginitate Deiparæ prædicant. Confer etiam paginam 29, orationesque paginæ 36, secundam, quartam et quintam.

Corollarium VII. — *Primatum S. Petri ex Liturgiis vindicare.*

Ex Sacramentario Leoniano, col. 331, ubi, collaudatâ Petri fide, hæc sequuntur : « Pro « quo magistrâ omnium credentium fide, con« fessorem tuum cœlorum clavibus præfecisti, « ut cui ad te per te fuerat accessus, per ipsum « cæteris ad regnum tuum pateret introitus. » Ex eodem col. 341, ubi S. Petrus *apostolicæ princeps dignitatis* appellatur. Ex eodem col. 344, ubi idem Petrus dicitur *apostolatûs ordine primus, et princeps fidei confitendæ.* Ex libello Orationum Gothico-Hispano p. 124, ubi S. Petrus *summus Apostolorum* vocatur. Animadverte præterea, p. 125, quæ inter Petrum et Paulum comparatio instituatur : « Quin « potiùs tradentes ad regna cœlorum, quos « Pauli docentis adduxerit *pietas*, intromittat « Petri *potestas.* »

Corollarium VIII. — *Romani pontificis primatum ex Liturgiis propugnare.*

Ex Leoniano Sacramentario, col. 333 : « Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili « sacramento jus apostolici principatûs in Ro« mani nominis arce posuisti; unde se evan« gelica veritas per tota mundi regna diffun« deret. » Col. 337 : « Quidquid sedes illa cen« suerit, quam tenere voluisti *totius* Ecclesiæ « *principatum.* » Col. 341 : « Qui ut hanc se« dem *regimen Ecclesiæ totius* efficeres, et quod « hæc prædicâsset, ostenderes *ubique servan*« *dum*, simul in eâ et *apostolicæ principem di*« *gnitatis*, et magistrum gentium collocâsti. » Col. 430 : « Domine Deus, Pater gloriæ, fons « bonorum, qui licet Ecclesiam tuo toto terra« rum orbe diffusam largitate munerum ditari « non desinas, *sedem tamen* beati Apostoli tui « *Petri tanto propensiùs intueris, quantò sublimiùs* « *esse voluisti*; da mihi famulo tuo hujus Pro« videntiæ tuæ dispositionibus exhibere con« gruenter officium; certus *te universis Ecclesiis* « *collaturum*, quidquid illi præstiteris, *quam* « *cunctæ respiciunt.* » Hinc mirum non est, si S. Xistus Romanæ Ecclesiæ pontifex hìc, col. 390, dicatur *præcipuus sacerdos.* Ex Missali Gothico, 315, ubi de eodem S. Sixto dicitur : « Qui dùm Apostolicæ sedis excepisset insi« gnia, et se *primum* esse conspiceret *sacerdo*« *tum*, » scilicet, ut optimè Mabillonius in Præfat. ad Liturg. Gallic., num. 11, notavit, episcoporum.

Corollarium IX. — *Ecclesiam erroris expertem ex Liturgiis patefacere.*

Ex Leoniano Sacramentario, col. 330 : « Qui « secundùm promissionis tuæ ineffabile consti« tutum, apostolicæ confessioni supernâ dis« pensatione largiris, ut in veritatis tuæ fun« damine solidata nulla mortiferæ falsitatis jura « prævaleant. » Col. 332 : « Tu etenim tribuis, « Domine, ut prædicationis apostolicæ clarita« tem nulla juris inferni doctrina subvertat, « nulla prævaricatio veritatis offuscet. » Col. 334 : « Qui Ecclesiam tuam in apostolicâ soliditate fundatam ab infernarum eruis terrore « portarum, ut in tuâ veritate consistens, nulla « recipiat consortia perfidorum. »

Corollarium X. — *Presbyteros episcopis dignitate inferiores ex Liturgiis evincere.*

Ex Gelasiano Sacramentario, p. 22, et Missali Francorum, p. 346 : « Ut quùm pontifices « summos regendis populis præfecisses, ad eo« rum societates et operis adjumentum sequen« tis ordinis viros, et secundæ dignitatis ele« geris..... Acceptum à te, Deus, *secundi meriti* « munus (de presbytero, qui consecratur, ser« mo ibi est) obtineat. »

Corollarium XI. — *Gratiam ad salutaria opera, imò et ad bonam voluntatem contra Pelagianos, Semipelagianosque ex Liturgiis necessariam constituere.*

Ex Sacramentario Leoniano, col. 293 ;

« Gratiæ tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus « tuis tribue largitatem, ut mandata tua *te ope- « rante* sectantes, » etc.; col. 360 : « Sicut tua « clementia non solùm beneficia præstat im- « meritis, sed *affectum* quoque nobis, quo gratias « referamus, *inspirat.* » Ibidem : « Mentes no- « stras, quæsumus, ad opera tibi placitura « converte. » Col. 362 : « Cujus et propitiatio- « nis exordium principaliter inde sentimus, « quùm tuorum sensibus dignanter infundis « totis tibi mentibus supplicare, et indeficien- « tem gratiam comprobamus, quùm nos vel in « hâc devotione tribuis permanere, vel de per- « ceptis beneficiis non in nobis, sed in tuo « nomine gloriari. » Col. 367 : « Quùm omne « opus bonum à te inchoari constet, et perfici « hanc ipsam, quam nobis tribuis, perseveran- « tiam supplicandi. » Ibidem : « Ecclesiæ tuæ « filios sicut erudire non cessas (en gratiam « externam doctrinæ, quam etiam Pelagius « admisit), ita non desinis adjuvare, ut rectè « facienda cognoscant, et possibilitatem (non « facilitatem, quam Pelagius non detrectabat) « capiant exsequendi. » Col. 370 : « Dùm enim « sine te nihil recti velle possimus, aut agere, « aut perficere; indubitanter est gratiæ, quid- « quid convenienter operamur. » Col. 440 : « Majestatem tuam devotis mentibus implo- « rantes, ut sicut ex te habemus esse quod su- « mus, sic per gratiam tuam et benè velle su- « mamus, et bonum posse quod volumus. »

Corollarium XII. — *Originale peccatum ex Liturgiis probare.*

Ex Leoniano Sacramentario, col. 315 : « In « hâc die, quâ Jesus Christus... dispositionis « antiquæ munus explicuit, ut scilicet et dia- « bolum cœlestis operis inimicum, per homi- « nem, quem subjugârat, elideret, et huma- « nam reduceret ad superna dona substan- « tiam. » Hùc omninò spectant tres longiusculæ Præfationes, tertia scilicet, quarta et quinta in Natali S. Cæciliæ col. 457, seq. Ex libello Orationum Gothico-Hispano, p. 127 : « Domine « Jesu, qui beatissimas virgines Justam et Ruf- « finam de vasis iræ fecisti vasa esse miseri- « cordiæ, dùm *originalis peccati traduce colli- « gatæ,* sacrosanctæ regenerationis meruerunt « dealbari baptismo. »

Corollarium XIII. — *Pro Confirmationis sacramento Liturgiis adversùs Protestantes pugnare.*

Adi Josephi Aloysii Assemani dissertationem tom. 3, Codicis Liturg. Eccles. univ. p. 33, seqq., ubi ex Liturgiis Ecclesiæ universæ consensum pro Confirmationis sacramento stare demonstrat.

Corollarium XIV. — *Protestantes incruenti sacrificii hostes ex Liturgiis refellere.*

Id præstiterunt post Bellarminum viri clarissimi Muratorius in Disp. de Liturgiâ Romanâ cap. 16, 17 et 18, et Josephus Assemanus in Dissert. Codicis Liturg. lib. 4, parti primæ præmissâ sect. 2, art. 1, 2 et 3. Pauca hìc ego adscribam, quæ Mabillonius in Præf. ad Liturgiam Gallicanam ex Gallicani ritûs Missalibus decerpserat, notatis tantummodò paginis Thomasianæ, quâ hactenùs usus sum, editionis. Ex Missali Gothico p. 333 : « Magnum hoc mu- « nus misericordiæ est, qui nobis (sic) docuit « Redemptionis nostræ sacrificia celebrare, sic- « ut obtulit Dominus noster Jesus Christus. » « Ibidem p. 335 : « Qui (Jesus Christus) formam « sacrificii perennis instituens, hostiam se tibi « primùm obtulit, et primus docuit offerri. » Ex Missali Francorum, p. 365 : « Remotis « obumbrationibus carnalibus victimarum, « spiritalem tibi, summe Pater, hostiam sup- « plici servitute deferimus : quæ miro ineffabi- « lique mysterio et immolatur semper, et ea- « dem semper offertur. » Ex Missali Gallicano veteri, p. 388 : « Hanc igitur oblationem, quam « tibi offerimus ob diem jejunii cœnæ Domi- « nicæ, in quâ Dominus noster Jesus Christus « Filius tuus in novo Testamento sacrificandi « ritum instituit, dùm panem et vinum (quo « Melchisedech in præfiguratione futuri mys- « terii sacerdos obtulerat) in sacramento sui « corporis et sanguinis transformavit. »

Corollarium XV. — *Realem in Eucharistiâ corporis et sanguinis Dominici præsentiam in Liturgiis doceri.*

Et hoc in citatis Dissertationibus à Muratorio et Assemano demonstratum fuit. Unum aut alterum testimonium hìc proferam. Ex Missali Gothico, p. 338 : « Corpus « tuum pro nobis crucifixum edimus, et san- « guinem sanctum tuum pro nobis effusum bi- « bimus. » Ne verò cavillentur Calviniani, et figuram hìc aliquam comminiscantur, paulò antea in eâdem Missâ dictum fuerat : « Pre- « camur mente devotâ te, majestas æterna, « ut operante virtute panem mutatum in carne, « poculum versum in sanguine, illum suma- « mus in calicem, qui de te fluxit in cruce ex « latere. » Ex Orationibus quas ad calcem Gre-

goriani Sacramentarii edidit Muratorius, et quæ Gregorium auctorem vix habent, sed illo multò sunt vetustiores; col. 298: « Singuli « accipiunt Christum Dominum, et in singu- « lis portionibus totus est; nec per singulos « minuitur, sed integrum se præbet in singu- « lis. » Quod testimonium, inquit Mabillonius Lit. Gallic. l. 1, c. 1, n. 3, Guitmundo (qui seculo XI pro veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ adversùs Berengarium acerrimè decertavit) « tanti visum est, ut illud « retulerit in librum suum de corpore et san- « guine Domini; itidemque Algerus (floruit « hic, si Pagio credimus, ad annum 1152) in « lib. 1, c. 15, ex Ambrosio, id est, ex Litur- « giâ Ambrosianâ, in quâ hæc leguntur apud « Pamelium Dominicâ quintâ (post Epipha- « niam), et in hodierno Missali Ambrosiano, « Dominicâ sextâ post Epiphaniam. »

Corollarium XVI. — *Transubstantiationis eucharisticæ hostes ex Liturgiis propulsare.*

Conferas velim Muratorium et Assemanum, loc. cit. Hæc in præsenti sufficiant: Ex Missali Gothico, p. 246: « Ut fiat nobis Eucharistia legi- « tima in tuo Filiique tui nomine, et Spiritûs « sancti in *transformationem* corporis ac san- « guinis Domini Dei nostri Jesu Christi unige- « niti tui. » Ibid. p. 251: « Ut qui tunc aquas « in vina mutavit, nunc in sanguinem suum « oblationum nostrarum vina *convertat.* » Ibid. p. 256: « Ut *translatâ* fruge in corpore, calice « in cruore, proficiat meritis. » Adde loca Corollario superiore allata. Ex Missali Francorum p. 347, ubi pro presbytero oratur, ut « per obsequium plebis tuæ corpus et sangui- « nem Filii tui immaculatâ benedictione *trans- « formet;* » quæ eadem legere est in Gelasiano Sacramentario pag. 23. Salmasius, in Epist. ad Joannem Dallæum apud Renaudotium, in not. ad Liturg. Coptic. S. Gregor. sacerdotem Coptitam invocatione, quam omnium nomine pronuntiat, id ait solummodò designare, panem et vinum, quæ à nobis in cœnâ suscipiuntur, fieri corpus et sanguinem Domini illis qui debitè illa suscipient, quosque Spiritus sanctus priùs sanctificaverit; illos quoque solos accipere verum corpus, non panem solummodò, qui priùs per fidem et gratiam sancti Spiritûs puri facti fuerint. At hocce commentum nonne profligatur, quùm audis ex Gelasiano Sacramentario, et Missali Francorum, presbyteros ipsos oblata *transformare* in corpus et sanguinem Christi? Quid verò dicam de Gisberto Cupero, homine cæteroqui erudito, qui in Epist. ad Joan. Jacobum Scheuchzerum scribit, deprehendisse se in Missali Gothico « loca quæ omninò adstruunt « panem et vinum in Sacramento S. Cœnæ « sumi, et quæ transubstantiationi contraria « sunt? » Quæ hìc recitavimus loca, suntne *transubstantiationi* contraria? Sed væ hominibus qui præconceptis erroribus obcæcati sunt! In ipsâ meridianâ luce nihil illos videre necesse est. Vide caput sequens.

Corollarium XVII. — *Purgatorium è Liturgiis exprimere.*

Ex Missali Gothico, p. 250: « Præsen- « tem itaque oblationem ita illabere, ut « medelam viventibus, *defunctis refrigerium* « præstet. Et quorum texuit recitatio præ- « missa (diptycha intellige tum vivorum, tum « defunctorum) sortem inter electos jubeas « aggregare. » Ibid. p. 260: « Ut interventu « sancti Clementis antistitis et martyris sui « *defunctis absolutionem* viventibus tribuat salu- « tem. » Ibidem p. 261: « Deprecemur omni- « potentem Deum, ut illìc defunctorum ani- « mas transferat à tartaro, quò illum (S. Sa- « turninum) causâ amoris sui assumere dignatus « est post triumphum. » Ibidem p. 268; « Pre- « cibus imploremus, ut eductis à tartaro de- « functorum spiritibus, non prævaleant se- « pultis infernæ portæ per crimina, quas per « Apostoli fidem vinci credit Ecclesia. » Ibid. p. 319: « Ita defunctorum animæ, laxatis in- « ferni pressuris, Abrahæ patris gremio col- « locentur. »

Græcorum hâc super re Liturgias expendit Grancolasius tom. 1 antiq. Liturg. pag. 253.

Prodiit anno 1775 Lipsiæ Joan. Augusti Ernesti impius libellus inscriptus: *Antimuratorius, sive confutatio Muratorianæ Disputationis de Rebus liturgicis.* Lutherianus hic theologus, p. 155, ait, « ista precantes (in Liturgiis) fidelium « felicitatem lætis ac piis ominibus persequi, « Deumque rogare, ut eam ipsis augeat, et « summâ cum suavitate frui sinat. Quòd si « tamen quis verborum tenacior (pergit ille, « p. 157) putet esse aliquid amplius in istis « verbis . . . , ea verba pertinere dicamus ad « opinionem, quam veteris Ecclesiæ doctores « multos . . . defendisse constat . . . , quùm « dicerent, animas piorum non statim à morte « in cœlum evolare, sed venire in locum infe- « riorem cœlo, non ut ibi purgarentur à reli- « quiis peccatorum, ut volunt Romani, sed « qui sit, ut ait Tertullianus in quarto contra

« Marcionem, *temporale animarum fidelium re« ceptaculum, in quo delineetur futuri* (hoc est, « cœlestis felicitatis) *imago,* sive ut, in tertio, « *post decursum vitæ in sinu Abrahæ refrige« rium* . . . Nam in locum eum fidelibus adi« tum per preces parari nemo ne somniavit « quidem. » Quid ais, Erneste? *Nemo ne somniavit quidem? Somniavit* tamen (verbo suo utar) vetus Gallicana Ecclesia, quæ Deum orabat, ut *defunctorum animæ, laxatis inferni pressuris, Abrahæ patris gremio collocarentur.* Quorsùm enim id oràsset, si animas illas in Abrahæ patris gremio jam collocatas credidisset, aut nullam aditûs fidelibus in eum locum parandi vim suis inesse precibus existimàsset? Quid verò tam ridiculum quàm pia omnia de felicitatis augmento comminisci, ubi petitur animarum absolutio, earum eductio è tartaro, *infernarum portarum victoria,* atque ita petitur quemadmodùm pro viventibus *medela,* non utique pio solùm omine, sed veris precibus, quæ fructum sperentur consecuturæ? *Tartari* autem nomine non ipsum infernum accipias, ne veterem Ecclesiam in eo fuisse errore existimes, ut crederet, damnatos ab inferorum cruciatibus esse aliquando liberandos, sed medium illum locum inter cœlum et inferos, quem nos Romani Purgatorium appellamus.

COROLLARIUM XVIII. — *Cultum et invocationem sanctorum è Liturgiis petere.*

Ex Sacramentario Leoniano, col. 293: « Tibi enim festiva solemnitas agitur, tibi dies « sacrata celebratur, quam beati sancti Tibur« tii martyris tui sanguis, » etc. Et paulò post: « Tuas enim, Domine, virtutes, tuasque victo« rias admiramur, quoties in Ecclesiâ tuâ ho« rum dierum festa celebrantur. » Similia legas in Præf. quintæ Missæ in Natali sancti Xysti col. 391, col. 396: « Quidquid enim sanctorum « tuorum meritis adhibemus, ad tuam laudem « recurrit et gloriam. » Ex Sacramentario Gelasiano, p. 7: « Sicut divina laudamus in « sancti Stephani passione magnalia. » Ex Missali Gothico p. 242: « Ut per triumphos tuo« rum testium et solemnitatum gloriam, et « devotionum exempla susciperes. » Ex Missali Francorum p. 359: « Unde benedicimus « te, Domine, in operibus tuis, teque in sanc« torum tuorum profectione laudamus. » Ex libello Orationum Gothico-Hispano, p. 39: « Adsistat ergo nunc, omnipotens Pater, tantus « martyr, et faveat credentium votis, ut ea « quæ sibi *propter te* impendi cognoscit, famu« lantibus tibi ex te uberiùs recompenset. »

Eant nunc Protestantes, et cultum sanctorum Deo injuriosum esse obganniant. Nos cum totâ antiquitate sentimus, in Deum demùm referri quidquid sanctis tribuimus.

Sanctorum porrò invocationem piam esse utilemque demonstrari potest: Ex Sacramentario Leoniano, col. 293: « Præsta nobis, « Domine, misericordiam tuam, sanctorum « tuorum suffragiis imploratam, et quos inter« cessores nostros esse tribuisti, fac eos et « majestatem tuam jugiter exorare, et salutaria « impetrare pro nobis. » Col. 296: « Impetret, « quæsumus, Domine, fidelibus tuis auxilium « oratio justa sanctorum. » Col. 388: « Qui et « Filii tui nativitate nos salvas, et martyrum « beatorum deprecatione sustentas. » Ex Sacramentario Gelasiano, p. 7: « Ita sit (S. Ste« phanus) fragilitatis nostræ promptus adju« tor. » Ex Missali Gothico, p. 238: « Tribue, « quæsumus, per interventum ipsius (S. Ste« phani) ut viventes salutem, defuncti requiem « consequantur æternam. » Pag. 257: « Ore« mus ergo, ut pro nobis interveniat precibus « (S. Agnes) quæ digna assistit divinis obtuti« bus. » Ex Missali Francorum, p. 358: « Sup« plicationibus nostris misericordiam tuam « confidimus adfuturam, quam beati Hilarii « confessoris tui poscimus interventu nobis et « confessione præstari. » Ex libello Orationum Gothico-Hispano, p. 39: « Quæsumus « ergo ut qui invocantem eum (S. Stephanum) « pro inimicis dignatus es exaudire, pro nos« tris facinoribus ad aures tuas ejus suffragia « digneris admittere. » Pag. 41: « Dignanter « attribue, ut omnis Ecclesia, quæ nunc vene« ratur agonem martyris gloriosum, mereatur « exoratum suffragantis auxilium. » Pag. 128: « Adsistat ergo nobis precibus suis (S. Felix) « ut quibus ejus est memoria speciosa in se« culo, sit subventio in futuro. »

CAPUT VIII.

Canones alii ad verum genuinumque liturgicorum librorum sensum exprimendum perquàm opportuni.

I. CANON IV: *Ut legitimum librorum liturgicorum sensus assequaris, nôsse oportet quâ significatione hoc illudve verbum barbaris seculis à scriptoribus ecclesiasticis usurpatum fuerit; in iis tamen verbis, quorum eadem semper vis fuit, ac potestas, licebit ethnicos quoque scriptores consulere.* Prior illa canonis nostri pars clarior est, quàm ut argumentis exemplisve illustre-

tur. Unum tamen aut alterum addam. In Judicio probationis quod apud Martenium exstat t. 2, de Ant. Eccl. Rit. lib. 3, c. 7, col. 947, occurrit sacerdos *ferens sanctum Evangelium cum chrismario, et* PATROCINIIS SANCTORUM. Incautus aliquis, barbarique glossarii parùm peritus, statim hoc loco ad confirmandum de invocatione sanctorum dogma uteretur; at hìc *Patrocinia sanctorum* sunt ipsæ sanctorum reliquiæ. Antiphona ad offerendum sacrificium interdùm dicitur, ut in Missali Mozarabum, p. 95 Leslæanæ editionis; ipsum etiam officium eo nomine nonnunquàm donari, viri eruditi notârunt. Nisi hæc noveris, Missæ sacrificium ridentibus sectariis videre hìc tibi videberis. Altera quoque canonis pars manifesta est; neque satis intelligere possum quid Joanni Augusto Ernesto in mente venerit, dùm in suo Antimuratorio p. 49 et 100, doctissimo sanè viro acriter succenset, quòd ethnicos scriptores appellârit, ut quid *transfigurare,* quid *immolare* significet, disertiùs explicaret. Quodque perridiculum est, ipse ille Ernestus, qui Muratorium hanc ob rem impudenter carpit, ridetque ut μεταβολῆς significationem Lutherianis suis opportunam obtrudat, Thucididem, Polybium, Dionysium Halicarnassæum, Aristotelem, Nemesium, Ciceronem, p. 39, seqq., in medium affert. Sed sinamus, Lutherianum hunc theologistam cum suis desipere. Cordatus nemo non intelliget, ecclesiasticos scriptores verbis non ita multis exceptis, quæ sequioris ævi aut nova invexit, aut vetera novâ priscisque ignotâ significatione donavit, eum cæteris sensum tribuisse, quo antiquos seu græcitatis seu latinitatis magistros novimus illa adhibuisse, ut si quando de vi vocis cujuspiam dubitatio enascatur, prudenti omninò consilio theologus ad ethnicos sese fontes convertat.

II. CANON V : *Tituli ipsi quibus oratio aliqua vel ordo prænotatur, ad sensum ejusdem orationis vel ordinis dignoscendum facem quodammodò præferre possunt.* Exemplum esto ingens illa ordinum sylva quam Morinus congessit, ut duodecim prioribus Ecclesiæ seculis formam absolutionis deprecatoriam obtinuisse suaderet. Si enim titulos, qui reconciliationem pœnitentium feriâ 5, in Cœnâ Domini, nobis exhibent, diligentiùs perpendisset, frustra hæc omnia esse intellexisset, agi nempe ibi non de sacramentali absolutione à peccatis, sed de publicâ et solemni absolutione à canonicis pœnis pro foro externo. (Confer P. Simonnet tractatu 15, disp. 8, art. 4.)

III. CANON VI : *Cum primis autem totius orationis contextus est accuratè perpendendus.* In Ordine Gelasiano de sacris Ordinibus benedicendis, post Ostiarium Psalmista memoratur. Cave autem hinc inferas, novem fuisse in Ecclesiâ Romanâ Ordinum gradus. Minimè verò. Verba Ordinis ipsius tantisper consideremus : « Psalmista, id est, cantor, potest absque « scientiâ episcopi solâ jussione presbyteri offi« cium suscipere cantandi. » Viden'? Cæteri ordines, qui reverà ordines sunt, à solo episcopo conferri poterant ; non ergo ordo distinctus fuit psalmistarum gradus, quùm hi *absque scientiâ episcopi solâ jussione presbyteri* officio illo donari possent. Pariter, dùm in Leoniano Sacramentario, col. 331, Deus dicitur in sanctis *Ecclesiæ suæ* FUNDAMENTA *constituisse*, ne putes hæc primatui S. Petri officere. Nam præterquàm quòd is eodem loco disertis verbis traditur : « Pro quâ magistrâ omnium creden« tium fide, Confessorem tuum (Petrum) « cœlorum clavibus præfecisti, ut cui ad te per « te fuerat accessus, per ipsum cæteris ad « regnum tuum pateret introitus; » ex Protestantibus quære an velint sanctos omnes Apostoli dignitate auctoritateque pares esse? Si affirment, videant num quemquam sibi consentientem habituri sint. Si negent (uti certè negabunt, quùm et ipsi hoc unum defendant, omnes Apostolos pares potestate fuisse, non autem Apostolis quoque pares sanctos verosque christianos), objice illis ipsum hunc Sacramentarii Leoniani locum, qui *in sanctis,* non in solis Apostolis constituta Ecclesiæ christianæ fundamenta affirmat, et vel invitos coge fateri, statuendos esse gradus quosdam Ecclesiæ fundamentorum, quorum unum sit altero firmitate dignitateque præstantius : quod si dederint, dic sanctos esse Ecclesiæ fundamenta, in his autem Petrum post Christum esse præcipuum.

IV. CANON VII : *Si quis liturgicorum librorum locus aut obscurus esse videatur, aut parùm accuratam doctrinam continere, ex aliis ejusdem libri textibus explicabitur.* Ratio in promptu est; ex clarioribus nempe locis obscurior explanandus est, nec doctrinas inter sese pugnantes sacris ejusmodi libris ab Ecclesiâ probatis fas est tribuere. Sed exemplis hìc utamur, ac primò sese mihi offert locus ille Missalis Gothici de S. Paulo, pag. 267 : « Factus est *caput* « *Ecclesiæ*, qui membra Ecclesiæ conquassa« verat. » Quid? Aiemusne Petri primatum his

verbis impeti? Absit. Consule sequentem Missam in Cathedrâ S. Petri Apostoli. Ibi Petrus non solùm *caput Ecclesiæ* dicitur, sed *basis Ecclesiæ*, et (pag. 268) *cœli janitor, et in cujus confessione est fundamentum Ecclesiæ*; imò additur : « Testis est dies hodierna beati Petri « cathedra episcopatûs exposita, in quâ fidei « merito revelationis mysterium (lege cum « Mabillonio *mysterio*) Filium Dei confitendo, « prælatus Apostolos (fortè *inter Apostolos*, aut « certè legendum cum eodem Mabillonio *Apo-* « *stolis*) ordinatur. » Quis hisce perlectis dubitare possit, quin Missale Gothicum Petri primatui adstipuletur? Quamobrem, dùm Paulum *caput Ecclesiæ* idem Missale prædicat, non supremum in Ecclesiâ principatum spectavit, sed apostolatum, hujus enim causâ à Patribus Apostoli *principes, lucernæ Ecclesiæ, radices ac fundamenta dignitatum* passim vocantur.

V. Canon VIII : *Si quid dubii in loci cujuspiam liturgici interpretatione enascatur, scriptores ejus regionis gentisve, ad quam liturgicus liber spectâsse fertur, consulere opportunum erit.* Neque enim credibile est, in liturgicis cujusquam gentis ac regionis libris aliam fuisse doctrinam traditam, quàm quæ passim à cæteris ejusdem nationis Patribus doctoribusque propugnata fuit. Hinc Mabillonius de Litt. Gall. lib. 1, cap. 9, n. 25, ut ostenderet, in veteribus libris missalibus Gallicanæ Ecclesiæ doctores appellat, Hilarium cum primis, cujus in lib. 8 *de Trinitate* solemne illud effatum est : *De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus.* Clarissimus quoque vir P. de Benedictis in Antirrhetico altero, ut Syriacarum Liturgiarum auctores cum cæteris qui Christum verborum formulâ ab Evangelistis relatâ consecrâsse docent, minimè pugnare contra Renaudotii commenta doceret, hanc semper fuisse apud Syros doctores traditionem, Christum Dominum eâ verborum formulâ quam Evangelistæ produnt, sui corporis consecrationem perfecisse, prolatis illorum sententiis cap. 9 demonstravit.

VI. Canon IX : *Præcipuè autem juvabit Liturgias cum aliis Liturgiis conferre.* Hoc canone confutatur 1° Josephus Aloysius Assemanus, qui lib. 3 cod. Liturg. pag. 58, verba illa Euchologii Græcorum : *Signaculum doni Spiritûs sancti, Amen,* integram non esse unctionis formam contendit, sed vel initialia ejus verba, vel monitum quoddam, quod ungenti in memoriam revocat, dicenda ab ipso ibi esse verba mystica significantia atque imprimentia signaculum ac donum Spiritûs sancti. Nempe satis est cum eâ Græcorum Gelasiani Sacramentarii formam conferre : *Signum Christi in vitam æternam, Amen;* ovum enim ovo similius non est, quàm Græca illa Gelasianæ formæ; hæc autem quùm integra fuerit apud Gallos unctionis forma, quidni et altera apud Græcos? 2° Le-Brunius ac Renaudotius, qui invocationem S. Spiritûs apud Orientales consecratoriam esse pugnant. Nam etiam in veteribus Gallicanis Missalibus, atque in Mozarabico, non semel Spiritus sanctus, atque adeò ipsum divinum Verbum post prolatam evangelicam formam rogatur, ut super oblata descendat, veluti si nondùm descendisset, et oblationem *hostiam* faciat *spiritalem,* perinde ac si terrena adhuc esset, ac materialis, quùm tamen harum Liturgiarum institutoribus certum omninò fuerit, perfici verbis evangelicis consecrationem. Consule Ursii cardinalis de liturgicâ S. Spiritûs Invocatione Dissertationem, pag. 90, seqq. Præterea, quemadmodùm doctissimus P. de Benedictis in Antirrhetico altero observat cap.7, in Anaphorâ sancti Marci, hæc leguntur in Canone Fratrum, seu Commemoratione vivorum, multis interjectis precibus insequente illud momentum, quo juxta Le-Brunii ac Renaudotii hypothesim per invocationem Spiritûs sancti elementorum consecratio dudùm peracta creditur : *Et hanc divinam hostiam coram te positam memento, Domine, eamque gratiâ tuâ consecra,* etc. Quibus constitutis Renaudotii argumentum ipsi auctori P. de Benedictis opponit : « Sacerdos hoc loco petit ut hostia « consecretur; atqui nequit dici, illum petere « ut Deus actum agat, aut nolle impetrare quod « petit; ergo dicendum est, eo momento quo « allegatæ in S. Marci Anaphora preces in- « choantur, elementorum transmutationem « nondùm esse perfectam, sed istis demùm « precibus consummari; » quod cum Renaudotii hypothesi pugnat. Similia P. de Benedictis profert ex sacrarum ordinationum officiis; sed ipsum auctorem adi citato c. 6, et etiam 7.

VII. Canon X : *Sæpè ipsarum Liturgiarum fontes adire præstat, sæpè etiam illarum rivos.* Notum est, ut de primâ canonis parte dicam, rubricas vetustissimis temporibus non in ipsis Sacramentariis, sed in Ordinibus Ecclesiarum fuisse inscriptas; paulatim deinde in Sacramentaria invectas ab exscriptoribus, ut cleri utilitati ac commodo inservirent, ex ipsis Ordinum ecclesiasticorum libris. Quare, si quod dubium super hujusmodi rubricis oriatur, frag-

menta ipsorum Ordinum conferenda erunt. Sic (nam libet exemplis abundare) Gelasianus Ordo de sacris Ordinibus benedicendis ex canonibus Carthaginiensis IV concilii sumptus, quùm si, de alicujus vocis vel emendatâ lectione, vel sensu dubitans ipsum quartum concilium Carthaginiense consulat. Gregorianum quoque Sacramentarium, quùm Gelasianum contractum sit, multùm proderit alterum cum altero contendere. Contra (ad alteram canonis partem quod spectat), si de Liturgiæ cujuspiam sensu quæstio exoriatur, non inutile erit ad eas confugere, quæ ex illâ fuerint derivatæ. Quare Ursius in cit. diss. pag. 99, quùm monuisset, sicuti Cophticæ Liturgiæ ex Græcis Alexandrinis expressæ sunt, ita Æthiopicam in præcipuis sacri officii partibus ex Cophticis esse profectam, opportunè addit, « non parvi « momenti esse debere ad Cophticarum Litur« giarum sensum, sicubi ambiguus et obscurus « est, assequendum, perspicuam ratamque « Æthiopicæ Liturgiæ sententiæ. »

VIII. Canon XI : *Non inutile quoque erit veteres liturgicos libros cum recentioribus nostris contendere.* Id certè Joanni Morino plurimùm profuisset, reconciliationem pœnitentium deprecatoriâ formâ perfectam magnâ liturgicorum ordinum eruditione comprobaturo, ut inde efficeret, sacramentalem quoque absolutionem deprecativâ formâ fuisse traditam. Nam in ipso quo utimur Pontificali Romano p. 3, tit. 3, hujusmodi reconciliatio exhibetur ritu deprecatoriis tantummodò verbis constante. Proptereane dubitabimus quin nunc sacramentalis absolutionis forma *indicativa* adhibeatur? Quòd si inepta quæ ex illo ritu oriretur, isthæc dubitatio esset, nullam quoque Morinus inesse vim suo illi ex ritualibus antiquis libris argumentandi generi comperisset. In hunc etiam canonem Protestantes intendant; quùm enim veteres missales libros ubi evolverint, eosdem ipsos, quibus nos Romani utimur, ritus obtinuisse, et (quod gravius est) eadem quæ antiqui christianæ fidei sectatores in conficiendis sacramentis, in sanctorum suffragiis implorandis, in explicandis præcipuis doctrinæ nostræ capitibus verba usurpare, animadvertant, qui fieri potest, ut seriò secum ipsi reputent, nos diversa à majoribus nostris sentire? Numquid nos adeò ineptos sibi confingunt, ut contraria dogmata iisdem omninò verbis designari existimemus, nec qui à veterum placitis desciscere velimus, illorum quoque formulas abjiciendas nobis esse intelligamus?

IX. Canon XII : *Prudens conjectura de tempore quo primùm liber aliquis liturgicus scriptus, aut illi quidpiam additum fuit, interpretationum difficultates interdùm è medio tollit.* In Leoniano Sacramentario, col. 454, hæc legitur oratio : « Deus, confitentium te portio defunctorum, « preces nostras quas in famuli tui Silvestri « episcopi depositione deferimus, propitiatus « assume, ut qui nomini tuo ministerium fidele « dependit, perpetuâ sanctorum tuorum so« cietate lætetur. » In Gregoriano autem hæc exstat : « Annue nobis, Domine, ut animæ fa« muli tui Leonis hæc prosit oblatio, » etc. Ibi de S. Silvestro, hìc de S. Leone Magno sermonem esse nullus dubito. Quî hoc? inquiunt Protestantes. Pro sanctis erat Ecclesia? Indigent illi nostris precibus? Non igitur pro nobis intercessores idonei sunt. At orationes illas tunc perscriptas fuisse, quùm primùm sancti illi viri decesserunt, atque adeò de æternâ illorum gloriâ certi fideles non erant, facile est perspicere, et ipsum *depositionis* nomen in S. Silvestri oratione usurpatum satis ostendit. Et mirabimur, Ecclesiam, quæ sanctorum precibus sese commendat, pro illis orâsse? Ubi autem illorum ceu sanctorum memoria coli cœpit, seu vetustatis reverentiâ quâdam, seu quod ad gloriæ augmentum referri commodè poterat, quod primùm ipsam gloriæ adeptionem spectavit, eædem retentæ sunt, sic tamen ut aliæ his adderentur, quæ catholicum de sanctorum invocatione dogma disertis verbis exprimerent. Certè orationem illam S. Silvestri hæc sequitur in eodem Leoniano Sacramentario : « Hanc igitur oblationem, quæsu« mus, Domine, placatus intende, quam in S. « Silvestri confessoris et episcopi tui comme« moratione suppliciter immolamus; ut et no« bis proficiat hujus pietatis affectus, et illum « beatitudo sempiterna glorificet. » In Gregoriano verò tertia hæc oratio legitur : « Deus, « qui animæ famuli tui Leonis æternæ beati« tudinis præmia contulisti, concede propitius « ut qui peccatorum nostrorum pondere pre« mimur, ejus apud te precibus sublevemur. » Vide Trombelli dissertationem 2, cap. 22.

X. Canon XIII : *Perpendendum est etiam, quo loco hoc illudve in liturgicis libris legatur; hinc enim plana facilisque expediendarum difficultatum via patere poterit.* Si Lutherianus ille theologista, qui Antimuratorium edens grande aliquid moliri sibi visus est, Joannes Augustus Ernestus canonem hunc ob oculos habuisset, non se nobis ridendum objecisset, dùm p. 59

conjunctionem corporis et sanguinis Christi, quæ in Mozarabicâ Liturgiâ memoratur esse κοινωνίαν ait, quæ fit edendo atque bibendo, PERCEPTIONEM, idque *etiam è concilio Toletano quarto, quod seculo VII fuit, can.* 18, *patere :* POST ORATIONEM DOMINICAM ET CONJUNCTIONEM PANIS ET CALICIS BENEDICTIO SEQUATUR. Quid enim ineptius, quàm *conjunctionem* Mozarabum *perceptionem* interpretari, quùm Mozarabes verba illa dicere jubeantur, non dùm sacerdos Eucharistiam accipit, sed dùm fragmentum oblationis, seu panis in calicem mittit, quod nos *commixtionem et consecrationem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi* appellamus, *immixtionem panis in vinum* Amalarius, *immissionem panis in calicem* Micrologus, Græci *sacram unctionem* vocant? Utinam Ernestus ipsum Missale Mozarabicum consuluisset? Vidisset profectò aliud conjunctionem illam non esse, quàm *mittere particulam* jam confractam ante orationem Dominicam *in calicem.* Sed de hoc satis. Ad hunc Canonem spectat P. Ursii animadversio in dissert. de Chrismate Confirm. p. 265, adversùs eos qui in oratione *ad consignandos infantes,* Confirmationis formam constituunt. « Est etiam, inquit, illud in laudatis « Ordinibus ac Ritualibus animadvertendum, « quòd Confirmatio cum Chrismate ab epi« scopo peragenda communioni corporis et san« guinis Christi præmittitur; sed oratio ad « consignandos neophytos : *Omnipotens sempi« terne Deus, qui regenerare dignatus es,* etc., « communioni à presbytero administratæ sub« jicitur. Unde manifestò colligitur, eam seor« sim à chrismatione et separatim sumptam « habitam non esse pro sacramento Confirma« tionis; antiquo enim Ecclesiæ ritu... Con« firmatio communioni corporis et sanguinis « Christi præibat. Prædicta igitur oratio, ubi « solitaria legitur, ad Confirmationis sacra« mentum minimè pertinebat; alioquin com« munioni præposita fuisset; sed absente epi« scopo à presbytero fundebatur (quod Mar« tenius conjecerat), ut invocatione super « neophytum septiformis gratiæ Spiritûs san« cti Confirmationis defectum qualitercumque « suppleret. » Ait quidem Josephus Aloysius Assemanus in diss. de Confirm. p. 41, hæc nihil theologorum illorum, qui formam sacramenti in illâ oratione collocant, doctrinam enervare, quùm hi non quamcumque orationem, sed à legitimo ministro, et ad finem ab Ecclesiâ intentum recitatam formam sacramenti contendunt. Verùm vir doctus animadvertere debuit, quorsùm ista ab Ursio post Martenium allata sint. Non enim eò spectârunt hi, ut istâ observatione orationem illam formam Confirmationis non esse suaderent (quod profectò hisce non evincitur), sed ut theologis responderent, qui quod in plerisque ritualibus libris sola et nuda legitur oratio ad consignandos infantes, in eâ sitam esse Confirmationis formam docuerant; atque hæc certa istorum ratio illâ animadversione planè infringitur.

XI. CANON XIV : *Ritus, qui verba aliqua comitatur, subsequiturve, ad illa opportunè interpretanda plurimùm confert.* Quo in genere, inquit Mabillonius de Lit. Gallic. lib. 1, cap. 1, præclarum est in Missâ Mozarabicâ institutum, ut recitato Canone sacerdos hostiam consecratam super calicem tenens Symbolum Constantinopolitanum præcinat ex decreto concilii tertii Toletani, subsequente cleri et populi concentu. Hâc enim confessione omnes et singuli contestari videntur, se eâ fide verum Christi corpus et sanguinem in Eucharistiâ credere, quâ fide omnipotentem Deum unum atque trinum, ac Filium incarnatum credunt. Simili argumento usus est contra Græcos doctissimus cardinalis Bessarion, ut consecrationem per evangelica verba peragi, non autem per subsequentem Spiritûs sancti invocationem efficeret. Nimirùm sacerdotibus non submissâ, uti apud nos, sed clarâ voce verba evangelica pronuntiantibus solet apud Græcos populus respondere : *Amen;* « quasi dicat, inquit Bes« sarion : Verè ita est, ut dicis... *Amen* igitur « ad ea verba respondens populus : Certè, in« quit, corpus et sanguis Christi sunt munera « ista proposita; ita credimus; ita confitemur. » Ea ergo Græcorum persuasio est, elementorum transmutationem verbis evangelicis peragi.

XII. CANON XV : *Interpretatio quam absurdum consequitur, absurda et ipsa est.* Hujusmodi interpretatio est, quam Dallæus Euchologio Græcorum affingit; quòd enim officium Baptismi et Unctionis eodem titulo: *Ordo Baptismatis* prænotetur, unctionem illam esse cæremoniam, non sacramentum diversum, colligit; at cur eodem quis jure non inferat, ne ipsam quidem Eucharistiam diversum esse à Baptismo sacramentum, quùm olim simul cum Baptismo et Confirmatione soleret administrari? Ne ergo in absurdissimam hanc consecutionem delabamur, dicere præstat, officium ritumque administrandæ Confirmationis sub officio Baptismi contineri, quia statim à Baptismo conferri solebat.

CAPUT IX.

Satisfit argumentis tertio capite propositis.

I. Unum jam restat, ut quæ tertio capite contra liturgicorum librorum in rebus theologicis auctoritatem proposuimus, argumenta accuratè diluamus. Quod ut præstem, à primo exordium sumens, aio Le-Brunii Piniique, nullam ante quintum seculum Liturgiam fuisse scripto consignatam docentium, sententiam multis refelli posse, ac, meâ quidem opinione, gravissimis monumentis. Non hìc ego illa afferam, quùm satis sit doctissimos viros commemorare, qui in hoc argumenti genere summâ cum laude versati sunt, Meratium, inquam, in Gavantum tom. 1; Salam in Notis ad Bonæ cardinalis Res liturgicas tom. 1, p. 123, seqq.; Muratorium Diss. de Liturg. Rom. c. 1; Assemanum, lib. 4, p, 1, Codic. Liturg. p. 137, seqq. Unum ipse argumentum promam, quod difficillimum visum mihi semper est in Brunii Piniique sententiâ: quis enim persuadere sibi possit, non exiguam certè orationum, consecrationum, benedictionum, antiphonarum farraginem, quæ tamen sequentibus seculis multùm accrevit, memoriæ ab omnibus episcopis presbyterisque fuisse mandatam, et veluti ex tempore quatuor seculis recitatam? Narrat Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 2, cap. 22, Sidonium Arvernorum episcopum « quâdam die ad festivitatem « basilicæ monasterii S. Cyrici invitatum ac« cessisse, ablatoque sibi nequiter libello, per « quem sacrosancta solemnia agere consueve« rat, ita paratum à tempore cunctum festivi« tatis opus explicuisse, ut ab omnibus mirare« tur, nec putaretur ab adstantibus hominem « locutum fuisse, sed angelum. » Arvernis ergo miraculum quoddam visum fuit, Sidonium unius *festivitatis opus* memoriter semper complèsse, nec Brunius Piniusque dubitant, isthæc miracula quatuor seculorum spatio amplificare, illaque ad omnes omnium toto latè orbe Ecclesiarum ministros extendere? Et illud hìc quoque notandum, quùm Sidonius anno 471 episcopus sit renuntiatus, annoque 488, aut insequente vitâ cesserit, quo tempore illa acciderunt, pervulgatum traditione esse debuisse, uno solùm ante seculo ministros omnes *festivitatum opera* memoriter complent, uti tunc Sidonius; quid ergo tantâ Sidonium admiratione prosequebantur Arverni? Quanquàm demus, veram esse Le-Brunii ac Pinii sententiam, concedamusque quinto primùm seculo Liturgias scribi cœpisse. Illæ utique scripto commendatæ tum fuerint, quæ antea memoriter recitabantur. Quamobrem eâdem præstabunt auctoritate, quâ si à primis Ecclesiæ incunabilis fuissent perscriptæ, pollerent.

II. Difficilius fortassè videbitur secundum, quod ex suppositis Apostolorum nomini Liturgiis sumebatur, expedire argumentum. Illud tamen cum Natali Alexandro, Tillemontio, aliisque Romanæ nostræ communionis doctissimis criticis lubens concessero, quæ Apostolorum nomine circumferuntur Liturgiæ, eas multò recentiores esse, suisque auctoribus suppositas. At nullâ id fraude factum contendo; Jacobum enim, cæterosque Apostolos Liturgiam quampiam, seu ordinem precum in sacramentorum administratione atque Eucharistiæ præsertim immolatione servandum constituisse, prudens nemo inficiabitur. Quare, cùm processu temporis aliqua in illis immutari, demi nonnulla, addi alia contigerit, Apostoli, à quo primùm Liturgia edita fuerit, nomen retentum est tum in tantum auctorem reverentiâ, tum eorum quæ ab illo profecta fuerant, atque etiam tum usurpabantur, ratione. Gregorianum dicimus Romanum Missale, licet multis auctum ab insecutis pontificibus; neque tamen dolo id malo à nobis confingitur, aut falsum est, pleraque à Magno Gregorio profecta esse, quæ in eo Missali continentur. Certè, si Apostolis Liturgiæ de quibus agimus fraude tributæ fuissent, cautior esse mendax impostor debuit, neque (ut cætera mittam) sanctorum, qui diù post Apostolos vixêre, dignitatumque in Ecclesiâ post apostolicum ævum institutarum mentionem facere. Ad Gelasianum Sacramentarium quod spectat, Basnagii ratiunculas egregiè dissolverunt Muratorius atque Vezzosius Præf. in 6 Thomas. Oper. volumen, ut dubio locus non sit quin quod Gelasii nomine inscriptum Thomasius edidit Sacramentarium, illud reverà auctorem Gelasium habeat. De Leoniano difficilius est dicere quid sentiat. Illud tamen extra controversiam est, quod Muratorius et Ballerinii tom. 2 Leonian. Operum demonstrârunt, Romanum esse vetustissimum Sacramentarium, multaque Leonis Magni in eo exstare. De Codice archetypo nolim ego cum Perezio, viro docto atque amicissimo, contentionis funem trahere, fuerit ille post Leonis ætatem perscriptus. Etiam Gelasiani Sacramentarii exemplum, unde Thomasius illud vulgavit, non solùm post Gelasium, sed etiam post Gregorii Magni pontificatum fuisse novimus exaratum, quia

tamen à Gelasio opus illud possit adjudicare. Itaque Sacramentarium Gelasiano vetustius longè post magni Leonis ætatem ad harum rerum studiosos aut eruditionis aut pietatis causâ describi potuit. Quòd si præfractè velis hæc omnia ex impostorum officinâ primùm prodisse, vide quàm liberaliter agam : assentiar, modò illud concedas, quod negari à quoquam non potest, ab Ecclesiis quibus deinde suppositi hi libri usui fuêre, ritus in illis præceptos, traditamque doctrinam fuisse probatam. Nam, ut Josephus Aloysius Assemanus rectissimè scripsit tom. 3 Cod. Lit. p. 28, « auctoritas Liturgiarum non ex titulis, sed ex « usu Ecclesiarum repetenda est; sunt enim « non unius quamtumvis magni doctoris voces « et verba, sed Ecclesiarum, quæ unanimi « consensu eam sacrorum formam precesque « probârunt. »

III. Codicum, quæ tertio loco objiciebatur, perturbatio atque imperfectio, nihil liturgicorum librorum detrahit auctoritati : nam ad perturbationem quod attinet, ea potiùs vetustissimorum seculorum imaginem ostendit, quibus liturgicæ res nondùm eo concinno ordine dispositæ erant, quem seculis labentibus obtinuerunt. Ita ejusmodi perturbatio, ut de Leoniano Sacramentario agentes Ballerinii Præfat. p. 10, acutè animadverterunt, quæ hisce liturgicis collectionibus nonnihilùm videtur detrahere, ipsarum antiquitatem demonstrans, in non exiguam earumdem commendationem redit. De imperfectione librorum nunc dicam. Ea quidem liturgicis nostris cum cæteris omninò libris sive temporum injurias, sive amanuensium negligentiam ignorantiamque passis, communis est, ut si quid propterea liturgicis codicibus decedit auctoritatis, decedere etiam debeat MSS. sanctorum Patrum, atque adeò Bibliorum exemplis. Verùm, si quid video, salva utrorumque auctoritas est. Non enim ex iis quæ in aliquo codice desunt, vel librariorum oscitantiâ certissimè vitiata sunt, sed ex iis quæ in eo leguntur, argumenta promimus; codicum imperfectione ad vim negantis argumenti infringendam abuti solùm quis potest. Sed de hoc superiùs egimus.

IV. Ad codicum liturgicorum interpolationes, quæ quartum erant argumentum, sermonem converte. Si adversarii velint, vetustiores liturgicos codices pauciores quàm in recentioribus extant, sanctorum solemnitates Missasque continere, ritusque aliquos, precesque antiquioribus super additas, nihil dicant quod et verum non sit, neque nobis officiat. Nam id contingere necessum erat, sanctorum numero in dies aucto, ac religione honestiorem quamdam faciem populorum principumque beneficiis indutâ. At ubi ostendent, in liturgicos libros nova illata fuisse dogmata à veteribus aut non tradita, aut etiam reprehensa, sacramentorumque substantiam in illis mutatam? quod tamen unum Liturgiarum auctoritatem labefactaret. Imò verò, quùm in omnibus liturgicis libris etiam qui vetustatem majorem præ se ferunt, iidem ritus, quod ad substantiam attinet, eademque dogmata reperiantur, neque repentè omnes Ecclesias in eas res conspirâsse veri esse simile videatur, incredibile omninò est interpolationibus hujusmodi fuisse illos vitiatos. Adde vigilantiam illam, quâ Ecclesiæ præsules curâsse, ne quid falsi, superstitiosi, atque à majorum fide alieni in Liturgias irreperet, capite 4 confirmavimus; hæc enim magno argumento est, quæ in liturgicis libris longo seculorum intervallo notantur accessiones, eas disciplinæ esse posse, non fidei morumque doctrinam.

V. At hæretici nefarias manus liturgicis libris intulerunt. Non negaverim, imò præter ea quæ in argumento adversarii attulêre, scio Leonem Allatium plures in Triodio, Pentecostario, aliisque Græcorum libris errores castigâsse. Verùm hæreticorum perfidia suspicionem falsi aspergit non codicibus his quos Ecclesia catholica semper habuit, sed illis solis qui fuerunt in hæreticorum potestate, quemadmodùm in simili omninò argumento Germonius aiebat de vet. hæret. Eccles. Cod. corrupt. l. 1, p. 2, pag. 157. Nonne hæretici sanctorum Patrum libros, ipsaque utriusque Instrumenti divina volumina turpissimè corruperunt? Consule citatum eruditissimi Germonii opus. Ergone propterea sanctorum Patrum commentationibus, sacrarumque Scripturarum codici nulla erit auctoritas? neque ex illis licebit theologo sententias suas, ac fidei dogmata confirmare? Quid quòd certum esse debet, liturgicos codices ab hæreticis corruptos, à catholicis episcopis vel abolitos, vel emendatos fuisse? Priscillianistæ in Dominicæ passionis contemptum, feriâ 5 in Cœnâ Domini non modò solvebant jejunium Quadragesimæ, sed Missas defunctorum celebrabant. Hoc concilium Bracarense, can. 16, repressit, statuens : *Si quis feriâ paschali, quæ est Cœna Domini, horâ legitimâ,* post nonam jejunus in Ecclesiâ Missas non tenet, sed secundùm se-

ctam Priscilliani festivitatem diei ab horâ tertiâ, per Missas defunctorum *soluto jejunio colit, anathema sit.* Nec putabimus, catholicos præsules, quibus adeò cordi fuit ne hæreticorum disciplina in nostras Ecclesias abusus inveheret, magis curâsse ne corrupti ab illis codices fidem morumque doctrinam labefactarent? De codicibus certè ab Elipando et Felice vitiatis, quos tamen paucissimos fuisse cum viris doctissimis conjiciendi locus est, indubium esse video P. Le-Brunio, et P. Joanni Pinio de Lit. ant. Hispan. num. 197, illos *postmodùm vel abolitos* (quod Leslæo p. 36 ob eorumdem paucitatem præplacet) *vel correctos, ac primævæ integritati restitutos fuisse simul atque sæpè dicta hæresis* (Adoptivorum) ita desiit, ut vel nullos ampliùs habuerit sectatores, vel fortè paucissimos, eosque occultos. Hæreticorum autem, quorum etiamnum sectæ perdurant, libros non moror, quanquàm in his sæpè videas catholicorum dogmatum, quæ impiè deseruerunt, vestigia, et ubi nobiscum consentiant, invictum traditionis argumentum adversùs alios hæreticos alia docentes suppeditant. Quod verò extremo loco dicebatur de Missis pro damnatorum aut salute, aut levamine, quæ in quibusdam Occidentalium Ecclesiarum Missalibus exstant, ex iis facilè diluitur, quæ cap. 5 de delectu liturgicorum codicum definivimus; non enim singularum Ecclesiarum liturgica volumina erroris expertia esse defendimus; hoc de Ecclesiæ universæ, hoc de plerarumque præsertim Occidentalium Ecclesiarum liturgicis libris propugnavimus. Quantùm verò Ecclesia Romana, quantùm pleræque Ecclesiæ aliæ ab eâ sententiâ abhorruerint, et Petavius docuit, et nos ipsi in notationibus ad eumdem qui in argumento indicatur, Petavii locum fusiore calamo persecuti sumus.

VI. Demùm, ut de mirâ illâ Liturgiarum varietate ac discordiâ, quæ ab adversariis jactatur, aliquid disseram, ea adeò non officit Liturgiarum auctoritati, ut potiùs confirmet. Quùm enim in Liturgiis precum rituumque discrepantiâ admodùm dissidentibus eadem doceri dogmata, eadem sacramenta, easdem, quod ad sensum attinet atque substantiam, sacramentorum formas animadvertimus, insolentissimæ esset insaniæ erroris isthæc redarguere. Nam, ut Augustinus aiebat l. 4 de Bapt. cap. 24, « quod universa tenet Ecclesia, « nec conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum « rectissimè creditur. » Sed de Liturgiarum varietate disputantes adi Salam in Bonæ Res liturgicas tom. 1, p. 165, seqq., et Josephum Aloysium Assemanum tom. 4 Cod. liturg. p. 1, pag. 127, seqq.

DE VETERUM CHRISTIANARUM INSCRIPTIONUM IN REBUS THEOLOGICIS USU

Dissertatio.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta continet, quæ nullius in rebus theologicis usûs veteres christianas inscriptiones esse, possent efficere.

Veterum christianarum inscriptionum (eas intelligo quæ non ultra septimum nostræ æræ seculum progrediuntur, ne hæreticis cavillandi detur occasio) auctoritatem multis video posse impugnari. Ac primùm quis ad fidei dogmata asserenda monumentis uti prudenter possit, quæ idololatrarum sapiunt superstitionem, ac polytheismum apertè indicant? Plures certè Christianorum tituli vulgatam illam exhibent ethnicorum formulam, *Diis Manibus.* Hujusmodi ii sunt apud Muratorium:

D. M.
GAVDENTIO FILIO
MATER. FECIT. D. P.
PRI. KAL. DEC. IN PACE
(T. 4, p. 1878.)

D. M.
LEONTIAE
CONIVGI
AVXANON MA
RITVS FECIT DI

POSITA XII. KA
AVG.

(Ibid. p. 1901.)

Ac ne in re testatissimâ, cujus exempla multa congessit Boldettius (lib. 2, cap. 9) longior sim, en in brevissimâ, eâque latinâ inscriptione, sigla, Θ K. Refert illam Cl. Lupius (p. 105 Epitaph. S. Severæ) :

Θ K
CELESTINA.

Sunt quidem qui cum Fabrettio (Inscript. cap. 8, insc. 39) Boldettio, Marangonio, Mamachio (T. 3 Orig. et Antiq. christian. p. 19) singularias illas D. M. religiosâ interpretatione, *Deo Magno*, aut *Maximo* donare studeant; Græcas autem Θεῷ Κτίστῃ, aut Καλλίστῳ, explicandas piè censeant. Verùm qui ingenuè rem agunt, Mabillonius (Itin. Ital. pag. 71, ed. anno 1724), et Muratorius (loc. cit.) ethnicam formulam, *Diis Manibus,* ac Θεοῖς καταχθονίοις, Diis subterraneis ibi agnoscunt. Neque verò revocari in dubium id potest. Exstat in Museo Kirkeriano inscriptio, in quâ, inquit Lupius (p. 104), « simul cum solemni apud Christianos « formulâ, *in pace,* eodem planè characterum « ductu insculpta est, non per obscura sigla, « sed integris planè verbis, ad omnem dubita- « tionem tollendam, et uncialibus notis sacri- « lega illa et impia dedicatio : *Diis Manibus :*

DIS MANIBVS PRINCI
PIO FILIO DVLCISSIMO SVO PO
SVIT QVI VIXIT ANNIS VI DIES
XXVII IN PACE. »

Quid quòd Aureliæ Vitaliæ Mediolanensis inscriptio à Grutero (p. 1050, num. 9) et Muratorio (p. 1835, 11) allata M. M. dedicata fuit, nempe, doctus ut Alciatus interpretatur, *Malis Manibus?* Neque hæc tantùm ethnica formula lapides christianos vitiavit. Legas in iisdem, *debita sacratis Manibus officia;* legas, *sanctique tui Manes nobis petentibus* adsint; legas, *Lachesin*, *aquas Tænarias*, *et domum æternam* pro sepulturâ, ut ex ipso Fabrettio notat idem Lupius (p. 108). Præterea in Muratoriano lapide (p. 1858), Dionysia *deposita* dicitur *des soles,* seu die solis; miratur autem Cl. editor, *quòd Christi Fidelis* diem Dominicum *potiùs* non appellaverit. Tandem in Aurelii Gemelli inscriptionem, quam ex Boldettio in suum *novum Thesaurum* intulit idem Muratorius (p. 1837) *somnus æternalis* ex ethnicorum consuetudine irrepsit : « Somno æternali « Aurelius Gemellus, qui bixit, » etc.

Hæretici quoque tumulabantur, suosque habebant sepulcrales titulos. Quibus porrò indiciis hosce à Catholicorum inscriptionibus secernas? Id sanè opus esset, ne quis hæreticorum dogmata potiùs quàm Catholicorum lapidibus insculpta fuisse posset objicere. Atqui nulla hujusmodi indicia suppetunt. Quin etiam incertum admodùm est, Judæorumne an Christianorum tituli sint non pauci. Zozimi cujusdam Græca epigraphe à Reinesio (ep. 41 p. 359, et cl. 20, 444), inter christianas refertur; contra Judæi hominis esse contendit Fabrettius (Inscript. c. 5, p. 389). Lupius quoque (p. 177) incertus hæret, num Judaicis an Christianis titulis Faustinæ epigraphen adscribat?

Quid si inter christianas inscriptiones sint quæ in falsitatis suspicionem veniant? Atqui sunt. Alexandri et Marii adolescentis inscriptiones, quæ in eruditorum virorum libris sæpiùs excusæ sunt, non Reinesius tantùm (Syntagm. Antiq. Inscript. p. 953 et 977), Guillelmus Fleetwoodius (Inscript. Antiq. Sylloge p. 344 et 444), et Gisbertus Cuperus (in not. ad libr. de mortibus persecutorum cap. 4) ex hæreticorum numero νοθείας accusârunt, sed etiam Florentini Diarii doctorum hominum scriptores catholici (T. 2, p. 2, pag. 131 et seqq.); imò qui illas aggressus est vindicare, clarissimus P. de Prato (Præfat. ad T. 2 Sulpitii Severi pag. 44) fatetur, quùm quæ de his elogiis Marii et Alexandri sententia esset τοῦ πάνυ Scipionis Maffeii, et eruditi viri Joannis Francisci Seguierii, ab iisdem rescire voluisset, intellexisse se, utrique ea videri admodùm suspecta et sublestæ fidei.

Fac tamen nihil in lapidibus christianis fraudis latere. Quid, obsecro, ex illis monumentis extundas, quæ imperitos marmorarios, et multò imperitiores produnt auctores? Nihil christianis hisce titulis aut barbarum magis, aut magis ridiculum. Multa de corruptâ eorum orthographiâ, styloque longè corruptiore disputavit doctissimus Lupius; multa superessent etiamnum adnotanda. Supra vidimus in Principii epigraphe hominis ridendam sanè simplicitatem, qui POSVISSE sepulcrum dicens, nomen tamen suum reticuit. Sed, ut monuit citatus Lupius (p. 105), « nihil est rudi atque « ineptâ hâc taciturnitate frequentius in epi- « taphiis seculi tertii quartique. »

Gravissimum et illud est in christianorum lapidum auctoritatem argumentum, quod ex librariorum vitio ducitur. Nam quùm plures

ejusmodi lapides perierint, corrupta tantùm exempla supersunt. Neque id vitii oscitantiæ tantùm est, sed fidei atque sinceritatis. Aringhius (Romæ subter. lib. 3, c. 3, pag. 251) hanc reddit epigraphen :

LOCVS BASILI. PRESB.
ET. FELICITATI EIVS
SIBI FECERVNT.

Audi nunc quid in illam adnotàrit Fleetwoodius, pag. 365 : « Felicitas ista uxor erat « Basilii, ut innuunt verba lapidis; sed edi« tores Romæ subterraneæ omisère τὸ coi vel « vx, ne presbytero uxorem concederent, quod « tamen eo seculo inter consueta et licita. » Hoc Reinesio subolebat (Cl. 20, 35), viro quidem nasutissimo, qui legit pro SIBI, VIVI. Ecce argumenta quibus inscriptionum infringi ac labefactari auctoritas posset.

CAPUT II.

Christianarum inscriptionum auctoritatem defendit, certisque regulis definit.

Sit tamen, quod ad præsentem quæstionem attinet, hæc propositio : Magna est in theologicis rebus christianarum inscriptionum auctoritas. Quam quidem conclusionem vel una hæc ratio satis demonstrat, quòd scilicet antiqui Christianorum lapides testes sint luculentissimi traditionis, atque illis quidem temporibus, quibus paucissimos habemus Latinos Patres: nam secundo seculo unus est Tertullianus, quem citare possimus; tertio præter Cyprianum unus aut alter floruit cujus scripta ætatem tulerint; paucos etiam edidit medium seculum IV, quodque etiam gravius est, quùm ferè omnes qui ad quintum seculum scripsère veteres Patres, exteri fuerint, christianæ inscriptiones Italicarum Ecclesiarum, ac Romanæ cum primis traditionem exponunt. Porrò qui miseram priorum Ecclesiæ seculorum faciem sibi ob oculos posuerit, et in cœmeteriis christianos conventus ob persecutionum immanitatem habitos, sacraque omnia à pontificibus peracta, reverentiam quoque in martyrum, qui in illis tumulabantur, memorias attentè perpenderit; næ ille intelliget, quantâ Christiani curâ ac providentiâ caverint, ne quidquam publicis sepulcrorum tabulis inscriberetur, quod à fidei puritate abhorreret. Quare de veteribus Christianorum lapidibus illud pronuntiare non injuriâ possumus, quod de priscis Romanorum monumentis aiebat Tullius (in Verrem lib. 3, Orat. 8, num. 90) : « Exempla ex vetere memoriâ, et monumentis « ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis; « hæc plurimùm solent et auctoritatis habere « ad probandum, et jucunditatis ad audien« dum. »

Sed ne lapidum auctoritate abutamur, certis illa definienda est regulis. Itaque primus hic canon esto : *Lapidum, quorum testimonium adhibetur, ætas constare debet.* Nam si sequiore ævo positos illos suspicari quis meritò possit, nullum erit quod ex illis sumitur argumentum. Itaque eorum cum primis lapidum rationem habebimus, quibus vel æra Hispanica, vel consulum nomina adscripta sunt; nihil enim certius ad eorum dignoscendam ætatem. Quanquàm cavendum maximè est, ne magnâ temporum perturbatione, ubi consules plures eodem nomine prænotatos Fasti exhibent, ad consulatum antiquiorem referantur elogia quæ multò recentioribus consulibus fuère perscripta. Exemplo rem confirmemus. Deusdet epitaphium hâc notâ signatum exhibet Boldettius (lib. 1, c. 1) : ITERVM POS CON. PAVLINI. Quùm autem Paulinos quatuor in Fastis habeamus consules, C. Suetonium Paulinum anno christianæ æræ 66, Anicium Paulinum an. 325, Anicium Faustum Paulinum an. 334, ac Decium Paulinum Juniorem an. 534 (addi quintus debuit consul anno 498); incertus hæret quinam in eo lapide designetur; unum tamen ex tribus antiquioribus intelligi mallet, quòd Junioris titulus, quemadmodùm in Fastis, Paulino non fuerit adscriptus. Errat tamen vir doctus. « Nemo alius (inquit Mu« ratorius Ant. Italic. tom. V, diss. 58, col. « 47) in eâ inscriptione memoratur, nisi « Paulinus, qui anno Christi 534, consul in « Occidente processit; et quoniam consules « Occidentales tum desière, propterea per « aliquot subinde annos in fastis adnotatum « fuit. » Post consulatum Paulini, qui Junior appellatus est, respectu Paulini Decii consulis anno 498, quòd vir longè eruditissimus duobus Ticinensibus lapidibus confirmat, quorum tamen alterum integrum et emendatiorem habes in meis Excursibus litterariis (t. 1, p. 207). Frustra autem Boldettius Junioris appellationem hìc omissam objicit. Nam etsi in his ipsis Ticinensibus Inscriptionibus Paulinus Junior disertè dicitur, non desunt tamen tituli alii qui id nominis reticeant. Confer novum Muratorii Thesaurum (pag. 423 seq.). At quid si nulla consulari notâ distinctus sit lapis? Ut alia omittam

ætatis indicia, quæ vel ex characterum formâ, vel ex phrasibus aliisque id genus sumi non difficilè possunt, duo præsertim animadvertas, quorum alterum ad eos pertinet, quibus positæ inscriptiones sunt, alterum ad loca, unde lapides prodière. Nam si martyrum tituli sunt, paucissimos Romæ præsertim, post Juliani tempora, aut certè post quintum Christianæ æræ seculum invenias; quamobrem tutò hujusmodi lapidibus uti poteris, quùm certè intrà eam ætatem consistant, quæ hæreticis ipsis non diffitentibus primæva fidei puritas stetit. Martyrum autem titulos dùm appello, ne catholicæ Ecclesiæ adversariis cavillandi præbeatur occasio, eos tantùm cum Muratorio intelligo, qui cum vase sanguinis inventi sunt. Nam si palmâ, aliisque similibus signis contentus quis esset, ea fortassè nobis hæretici objicerent, quæ Boldettio atque adeò sacræ ipsius Romanæ Congregationis decreto magnâ contentione opposuit idem Muratorius in citatâ dissertatione LVIII, neque à fidei quæstionibus, quarum causâ hæc in præsentiarum disputamus, prudens esset consilium ad istam difficultatibus plenam, et parùm necessariam disquisitionem studium animumque deflectere. Porrò vas sanguinis luculentum esse martyrii indicium, quæ Fabrettius, Boldettius, Lupius (p. 32) congessère, planè demonstrant, ac prætcrea affirmantem habemus, et chimicis experimentis comprobantem virum doctissimum, nec Romanæ certè communionis studio abreptum Godefridum Leibnitium; ut vel heterodoxis, dummodò vel maximè imperiti, vel præfractè temerarii non sint, persuasum eâ de re esse debeat. Ad loca verò quod attinet, unde sepulcrales tituli effossi sunt, quæ è cœmeteriis præsertim Romanis in lucem emergunt, vix seculo sexto sunt recentiores. Scitè monuit Cl. Onuphrius Panvinius in libro de Ritu sepeliendi, cap. 7, quùm antiquitùs tantùm extra urbem in cœmeteriis hominum corpora sepelirentur, pace Ecclesiæ datâ, intrà urbes ad templorum limina, postea in ipsis templis sepeliendi morem invaluisse. Non negaverim tamen etiam post datam Ecclesiæ pacem in cœmeteriis Christianos fuisse tumulatos; nam id produnt inscriptiones complures consulum nominibus distinctæ, quas indicat Muratorius, cit. diss. 58, col. 52. Verùm paucæ ad quintum seculum spectant, paucissimæ ad sextum; post illud verò tempus mos ille planè obsolevit. Certè S. Paulus I, qui anno 1257 pontifex fuit renuntiatus, cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglectu ac desidiâ antiquitatis maximâ demolitione, atque jam vicina ruinæ posita (quod sanè vigente sepeliendorum in iis locis Christianorum consuetudine haud contigisset); protinùs, ut in libro Pontificiali legimus, eadem sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis.

Secundus canon : *Antequàm inscriptiones antiquæ ad theologicam tractationem deducantur, legendæ quàm accuratissimè sunt.* Cave ludicrum habeas hunc canonem. Ejusmodi tituli barbarè adeò ac ruditer inscripti plerùmque sunt, ut nisi summa in illis legendis diligentia adhibeatur, facillimum sit, quæ sejungenda sunt verba, colligare; quæ colliganda, sejungere. Quam in rem ea juvabit recolere, quæ de horum lapidum interpunctione eruditissimè collegit Lupius, p. 67 et seqq. Interdùm etiam Quadratarii inscitia, aut certè oscitantia præposteram versuum dispositionem in epigraphas intulit. Exempla habes apud clariss. Corsinium, Diss. 2, ex iis quas notis Græcorum adtexuit.

Tertius canon : *Curandum maximè est, ut recto ac genuino sensu inscriptiones intelligas.* In hunc canonem peccâsse virum summum Maffeium monui olim marmora Salonitana explanans, p. 39. Nempe Liciniam *Theodoto diaconi junctam* quùm reperisset Maffeius (Mus. Veron. pag. 179), Theodoti patrem Diaconum fuisse appellatum suspicatus est; neque animadvertit *diacon, diaconis*, unde *diaconi* in dandi casu, vulgatissimum nomen esse apud veteres ecclesiasticos libros. Confer ibi dicta p. 40.

Quartus canon : *Cavendum, ne phrases quædam perperam accipiantur.* Innumeræ inscriptiones sunt, in quibus fideles dormire dicuntur. Confer, ne longior sim, Fabrettium, pag. 553, seqq. et 758. Non tam impius quàm ridiculus sit, qui animas justorum post hanc vitam dormire, id est, extingui, cum Anabaptistis quibusdam à Becano confutatis (Theologiæ dogmaticæ lib. 4, cap. 6) inde colligeret.

Quintus canon : *Ut firmum ex inscriptionibus ducas argumentum, unam cum aliâ conferre juvabit.* Exemplis canonem confirmo. Inscriptiones invenias non paucas, præsertim Hispanicas, in quibus *Famulæ Dei* occurrunt. Cave ne statim hinc inferas Julianam, cæterasque hoc nomine denotatas feminas sanctimoniales fuisse. Contende potiùs inscriptiones hasce cum aliis. Invenies apud Gruterum p. 1060. 1, *Marcellianum maritum* epigraphen in-

scribentem : *Severillæ famulæ Christi, quæ cum viro suo vixit novem continuis annis;* invenies apud Muratorium p. 1880, 5 : *Granniolam famulam Dei, quæ vixit cum marito annos* 20. Itaque nullam esse quam parabas, argumentationem colliges. Aliud profero exemplum. Exstat apud Boldettium, p. 87, hujusmodi inscriptio:

EX VIRGINIO TVO BEN
E MECO VIXSISTI LIB. ENIC
ONIVCA INNOCENTISSI
MA CERVONIA SILVANA
REFRIGERA CVM SPIRITA
SANCTA DEP. KAL APR TIBERI
ANO II ET DIONI COSS.

Nempe anno Christi 291. Tres extremos versus alibi expendam. In primis parumper insistamus. Cl. Muratorius, p. 349, 1, sic illam legit: « Ex virginio tuo (id est, marito virgine) benè « merenti, cum quo vixisti libenter conjuca « (pro *conjux*). » Atqui non animadvertit vir doctus, Cervoniæ tumulum fuisse positum, non marito, qui propterea hìc perperam benè merens diceretur; unde autem eruerit illa, *cum quo,* planè non video. Contra doctissimus P. de Prato (Præf. in t. 2 Sulpicii Severi, p. 43) ita legendum interpretandumque hunc titulum contendit: « Ex virginitate tuâ benè « meco (pro *mecum*, formulâ satis solemni in « lapidibus) Libeni, seu potiùs Libentii (mariti « nomen) conjux innocentissima, » etc. Verùm, nisi admodùm fallor, operam luderet, qui hinc contra virginitatis osores quidquam extundere se posse confideret. *In pace cum virginitate tuâ*, lego apud Lupium, p. 176; Virginii autem nomen quùm sæpè marmoribus insculptum occurrat (vide Fabrettium, pag. 322 et seq.), nusquàm ad virginitatem denotandam usurpatam reperire est. Sed age; unam ex nuper appellato Fabrettio (p. 323,) afferamus in hanc rem inscriptionem :

DEPOSIO. IENVARIES. KAL. IENVAR....
CVM. VIRVM. SVVM. AN. XXVII....
INSCRIPSIT. TIBI. VIRGINIVS. TVV....
REBELASTI. QVOD. ADOMINVM. I....

En meâ sententiâ clavim, quæ Cervonianæ inscriptionis sensum aperiat. *Ex-virginius tuus* (nempe *qui fuit virginius tuus, seu maritus tuus,* quemadmodùm *ex-consul* dicitur, qui consulatum gesserat, *inscripsit tibi*) *benè meco vixisti libenter*, seu etiam libenter anno 1, ita ut quadratarius libenter animo versans pro AN scripserit EN. Nihil planius. Interea de Cervoniæ virginitate, deque quod inde sumeretur pro virginitatis laudibus, argumento actum. Finge jam, ut tertium addam exemplum, comprobandam tibi esse Christi divinitatem ex satis celebri lapidum formulâ: *Vivas in* ☧, seu Christo. Contende illam cum aliis lapidibus, in quibus occurrit : *Spes in Deo, vivas in Deo;* tum rectè ad institutum redibit argumentatio. Hæ scilicet formulæ satis indicant, nonnisi de Deo illas usurpâsse Christianos.

Sextus canon : *Cum aliis ejusdem ætatis certissimis monumentis inscriptiones conferto.* Exemplo sint inscriptiones, quæ sacrorum hominum cœlibatui adversari videntur. Superiore capite Basilium presbyterum et Felicitatem ejus uxorem vidimus. Boldettius p. 412, Philippum exhibet presbyteri Alypii filium. En Gabinium matrimonio junctum ex Aringhio et Reinesio, cl. 20, 394.

OLIM PRESBYTERI GABINI FILIA FELIX
HIC SVSANNA IACET TVMVLATA PATRI SOCIATA

Totidem tituli diaconos produnt uxoribus copulatos. Liciniam Theodoto *diaconi junctam* modò indicabam. Levitæ conjugem Petroniam reperio apud Fleetwoodium, p. 456, 2. Fl. Julium Zaconum (scilicet diaconum) et Aureliam Meriam conjugem ejus dedi in Marmoribus Salonitanis cl. 11, 5. Muratorius autem, p. 1833, 5, subdiaconum Augustinum suppeditat epigraphen ponentem Attiæ *conjugi dulcissimæ, cum quâ vixit an.* 8. *m.* 11. *d.* 20. Proptereane de cœlibatu tuendo conclamatum erit? Minimè verò. Patrum, conciliorum, pontificum scripta, decreta, epistolas consulamus; id demùm ex tanto sacrorum hominum conjugatorum apparatu effici videbimus, quod catholicæ causæ non nocet, nempe vel eos ex conjugio ad sacros ordines fuisse assumptos, vel licitum illis aliquando fuisse, suas domi retinere uxores, cumque illis habitare. « At « si quid efficere vellent adversarii, inquit « Tournelius, probandum ipsis foret, ejusmodi « sacris ministris licitum fuisse, non tantùm « contubernales habere uxores ante ordinatio- « nem ductas, sed etiam ejusdem tori partici- « pes; quod certè nunquàm ostendent ex iis « quæ hìc proferuntur exemplis. »

Septimus canon : *Non inscriptiones solùm, sed earum quoque ornamenta perpendito, atque ex his ipsis, seu illarum sensum colligito, seu novum argumentum ducito.* Nempe ejusmodi ornamenta à piis fidelibus addebantur titulis suis, non ex arbitrio aut vanitate quâdam, sed ut Religionis christianæ decreta exprimerent, atque ad colendam custodien-

damque virtutem incenderentur. Multa in hanc rem collegerunt viri doctissimi Aringhius, Bonarrotius, Boldettius, Lupius; Bottarius quoque et Mamachius, Origin. et Ant. christian. lib. 3, pag. 27 et seqq. Id ipsum nos infra exemplis confirmabimus.

CAPUT III.

Respondet argumentis capitis primi.

Age jam, argumenta capite primo proposita refellamus. Atque ut à primo exordiar, quod spectat ad deos Manes, fateor equidem, Mabillonium in Itinere Italico singularias D. M., quæ in Christianorum elogiis reperiuntur, ad deos Manes retulisse ; at Mabillonius ipse, dùm epistolam de cultu Sanctorum ignotorum scriberet, Fabrettii interpretationem (Deo Magno) *admittere se malle, quàm contentiosum esse* pronuntiavit , tom. 1 Oper. posthum. pag. 231. Neque id levi nititur fundamento. « Mea sic est ratio, inquit Mamachius (tom. 3, « p. 19) si τὸ D. M. pro *Deo Magno* vel *Maximo* « usurpari possit, ut hoc sensu putem à Chri« stianis adhibitum. Cur enim *dîs manibus* scri« psissent, et non *Deo Magno,* qui nullos esse « *deos Manes* credebant, pugnabantque unum « tantùm Deum, eumque magnum, imò maxi« mum esse, colique oportere? » Posse autem τὸ, D. M., pro *Deo Magno,* intelligi iis monumentis constat, quæ sequenti capite reddemus. Atqui interdùm *Manes* scripserunt. Negari non potest; neque propterea assentior Alciato, *malos Manes ,* in Mediolanensi illa epigraphe sigla, M. M., interpretanti, quùm ab ipsâ ethnicorum consuetudine id abhorreat, et cum Muratorio rectiùs explicari singulariæ possint *Me Moriæ.* Christianos ethnicorum titulos aut pretio, aut aliâ quâpiam ratione sibi parâsse, et suis loculis cœmeterialibus claudendis applicuisse propriis nominibus insculptis, et profanorum absconditis , aut abrasis , vel etiam relictis, animadversum scitè fuit à Fabrettio, p. 307, atque à Bonarrotio, Observ. p. 167. Est illud præterea exploratum, litteras D. M. aut etiam *dis Manibus* ab ethnicis marmorariis, quòd in sepulcralibus titulis usu receptæ jam essent, atque solemnes, lapidibus ad ejusmodi elogia paratis insculptas fuisse multò antequàm venderentur; unde etiam factum, ut seu singulariæ illæ, D. M., seu integra dedicatio *dis Manibus* alio quàm quo sequens inscriptio, charactere incisa sæpiùs occurrat. Hinc nil mirum, Christianos in ejusmodi lapides quùm inciderent, eosque in suos usus converterent, litteras, D. M. usurpâsse: nam et ad christianum sensum, Deumque Magnum significandum referri poterant, et quùm à cœmeteriis ethnici homines diligentissimè arcerentur, qui eâ formulâ ad invidiam catholicæ rei conflandam abuti, deosque Manes à nobis coli in vulgus jactare propterea poterant, nihil erat cur Christiani à siglis illis sibi caverent. Certè negari nequit, hujusmodi singularias satis usitatas fuisse Christianis, quùm unus Boldettius (lib. 2, cap. 11) octo ac decem inscriptiones recitet illis notatas. Quî ergo factum, ut tot inter criminationes, quas christiano nomini ethnici intulerunt , deos Manes à nobis cultos nunquàm exprobrârint? nisi quòd idololatræ à nostris cœmeteriis quùm prohiberentur, titulos nostros ignorabant, quos ad deorum Manium cultum per invidiam traducere potuissent. Quòd si nihil ab eâ formulâ metuendum erat Religioni nostræ, et catholico præterea sensu usurpari illa poterat, quid est quòd propterea majores nostros reprehendamus? Quòd tamen in Principii inscriptione, *deos Manes ,* disertè habeamus, quòd, *somnum æternalem,* in alterâ illâ Gemelli, simplici cuidam negligentiæ atque oscitantiæ tribuere malim quàm cum Mabillonio crudæ adhuc quorumdam in cordibus christianæ religioni aliquid de paganici ritûs superstitione retinenti. Annon etiam nunc temporis τὸ Mehercule , permulti adhibent, qui certè dari Herculem deum negant? Cætera quæ in argumento hoc primo congessimus aut poetico stylo, quo inscriptiones illæ conscriptæ sunt, condonabimus, aut perperam in invidiam trahimus. Nam *domûs æternæ* commemoratio non à gentilitate, sed, ut monuit Fabrettius, ep. 113, à sacrâ potiùs paginâ desumpta videtur. Quippe in libro Ecclesiast. cap. 12, vers. 5, ita habetur : *Ibit homo in domum æternitatis suæ;* et Ps. 48, v. 12 : *Sepulcra eorum domus illorum* in *æternum.* Quod verò ad diem *Solis,* non erat cur Muratorius miraretur eo nomine in Christianorum lapide diem Dominicum fuisse indicatum; Lupius enim, ex quo inscriptionem illam mutuatus est vir doctus, Eusebii et Sozomeni testimonia, p. 100, attulerat sanè luculentissima, unde communem fuisse apud Christianos appellationem illam intelligamus. *Diem Solis* præterea Dominicum diem vocant Justinus in Apologiâ longiore, ac Tertullianus in Apologetico cap. 16. Neque id nominis ægrè ferebant Christiani, qui, ut scribit S. Ambrosius, serm. 41, « in eâ

« die Salvator veluti *sol oriens* discussis infer« norum tenebris luce resurrectionis emi« cuit. » Verùm de hoc argumento nimis multa.

Ad secundum respondemus, sua non deesse indicia, quibus hæreticorum tumulos à Catholicorum sepulcris secernamus. Nam à formulâ, *in pace*, quo loco pacem cum Ecclesiâ catholicâ designat (hâc de re infra disputabimus), abstinuissent hæretici. Præterea cœmeteria nostra hæreticis magnâ cum diligentiâ occludebantur. Si enim Laodicena synodus jussit, can. 9, « non concedendum in cœmeteria, vel « quæ martyria hæreticorum dicuntur, Catho« licos orationis gratiâ, et petendæ curationis « intrare; sed et qui ierint, si sunt fideles, « incommunicabiles factos ad pœnitentiam « usque ad aliquod tempus redigi ; » an putas, licuisse hæreticis in nostris cœmeteriis tumulari? Quamobrem quæ ex cœmeteriis Catholicorum, ac præsertim Romanis effodiuntur inscriptiones, hæreticorum hominum esse, nefas est suspicari. Quæ porrò de Judaicis inscriptionibus addebantur, ludicra omninò sunt. Nam Judæorum inscriptionem ullam non invenias, quæ aut Hebræa, aut Græca non sit; quare Latinæ omnes à Judaismi suspicione vacant; Græcas autem ex additis ornamentis facile est, ad Judæos nùm spectent sententiam ferre. Quòd si quos doctos viros in hujusmodi Judaicis inscriptionibus dijudicandis ut Reinesium errâsse deprehendimus, non idcircò illud fit, indicia nobis deesse, quibus Judaicas à Christianis epigraphas distinguamus. Videmus enim nonnunquàm inter eruditissimos viros non convenire, christianane an ethnica sit inscriptio quæpiam. Sic quam Æliæ Veronicæ inscriptionem christianam putat Boldettius, p. 462, eam Mamachius tomo 3, p. 20, ethnicam esse suspicatus est. Neque hinc sanus quispiam colligat, nulla nobis patere indicia, quibus christianos ab ethnicis titulis certissimè secernamus.

Ad tertium: Fateor equidem, me quùm in T. Clementis viri consularis tumulum à Cl. P. Vitry illustratum paralipomena scriberem, in eam propendisse sententiam, quæ Alexandri ac Marii inscriptiones falsitatis arguit. Verùm animo postea recolens summam, quæ Romæ adhibita semper fuit, diligentiam, tum in custodiendis effodiendisque cœmeteriis, tum in cognoscendis tractandisque veteribus monumentis, fraudi in hisce rebus esse locum non posse intellexi. Non tamen clarissimis viris Boldettio, Francisco Victorio, Thomæ Mariæ Mamachio, Hieronymo de Prato assentiri ullo modo possum, qui inscriptiones illas eâdem ipsâ, quâ sancti martyres occubuêre, ætate incisas fuisse contendunt; sed multò post, quarto nempe aut quinto seculo, dùm sacra cœmeteria aut restituerentur aut ornarentur, vel ex antiquis Actis, vel ex majorum traditione positas illas videor mihi non levibus de causis statuere posse. Sed antequàm rationes, cur ita sentiam, in medium afferam, ipsas illas inscriptiones ob oculos pono. Prima hæc est:

ALEXANDER MORTVS NON EST SED VIVIT SVPER
ASTRA ET CORPVS IN HOC TVMVLO QVIESCIT
VITAM EXPLEVIT CVM ANTONINO IMPERAT. QVI
VBI MVLTVM BENEFICII ANTEVENIRE PREVIDERET
PRO GRATIA ODIVM REDDIT GENVA ENIM FLE
☧ CTENS VERO DEO SACRIFICATVRVS AD SVPPLICIA palma
DVCITVR. O TEMPORA INFAVSTA QVIBVS INTER
SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM SAL
VARI POSSIMVS. QVID MISERIVS VITA SED QVID
MISERIVS IN MORTE CVM AB AMICIS ET PAREN
TIBVS SEPELIRI NEQVEANT TANDEM IN COELO
CORVSCAT. PARVM VIXIT QVI VIXIT IV. X. TEM

Habeto jam Marii alteram:

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS MARIVS ADO
LESCENS DVX MILITVM QVI SATIS VIXIT DVM
VITAM PRO CHO CVM SANGVINE CONSVNSIT
IN PACE TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES CVM
LACRIMIS ET METV POSVERVNT I. D. VI.

Idem utriusque auctor videtur fuisse, qui quùm in alterâ, *parùm vixisse, qui vixit* IV, X, TEM, scripsisset, in alterâ contrario verborum lusu asseruit « satis illum vixisse, dùm vitam « pro Christo cum sanguine consunsit. » Sed certè quisquis ille fuit, seculo II aut III minimè floruit; nimiùm enim abest ab illorum temporum indole stylus hic puerilis nugaxque. « At, « inquit Mamachius, tomo 3, p. 162, epitaphia « quædam apud Gruterum, aliqua apud Fa« brettium, nonnulla apud Boldettium reperiun« tur, quæ cùm similia horum sint, tùm à « nemine in dubium revocantur. » Ego verò nego pernegoque exstare ulla, quæ ejusmodi stylum quùm præ se ferant, secundo tamen aut tertio seculo perscripta fuerint. Urget P. de Prato, p. 46, « antiquos illos Christianos ut « plurimùm præ ipsis ethnicis, inter quos « vivebant, idiotas et rudes, et metu persecu« tionum latitantes epitaphia suorum condi« disse nullo studio et arte, prout cujusque « ferebat ingenium, et vitæ institutio. » Ita sanè. Verùm ego non rusticitatem sermonis, non barbariem objicio; lusus verborum obji

cio, nugas objicio, levitatem, frigida acumina. Fateor tamen, hocce argumenti genus, quod ex dictionis stylo ducitur, lubricum esse atque errori obnoxium, nisi alia accesserint indicia : plura autem hìc accedunt. Nam in Alexandri tumulo admodùm displicet illud : *Vitam explevit cum Antonino imperatore,* quod ut commodiùs interpretetur, frustra est P. de Prato omnis labor in marmore ipso refingendo; jubet enim, ingeniosè certè, vocem, *cum,* ad Christi monogramma referri legique : *Vitam explevit cum Christo Antonino imp.;* sed Aringhio, Mabillonio, Boldettio, Mamachio adversantibus, qui omnes eam tribuunt huic marmori versuum dispositionem, quæ conjecturam istam evertit. In altero porrò Marii epitaphio nomen illud, *dux militum*, ita singulare est, atque à Romanæ militiæ consuetudine alienum, ut Adriani ætate scribi non potuisse videatur. Quanquàm postea insculptum fuisse epitaphium apertè indicant illa, *tempore Adriani imp.*, quæ mortuum jam Adrianum significant. Objicit quidem P. à Prato inscriptionem illam à Severanio aliisque recitatam, quæ incipit : *Temporibus sancti Innocentii episcopi ;* sed ipsa hæc inscriptio, si quid video, post Innocentii obitum posita fuit ; quod etiam indicat sancti nomen, quo Innocentius decoratur. Nam quæ inscriptiones supersunt vivis Siricio, Liberio, Damaso insculptæ, eæ pontifices illos sancti titulo minimè exornant. Verùm quùm etsi inscriptiones, de quibus agimus, uno alterove post sanctorum Alexandri ac Marii martyrium seculo, marmori sunt incisæ, genuinæ tamen sint atque antiquæ, nihil inde efficies contra inscriptionum auctoritatem ; sed unum id colliges, magnâ opus esse sapientiâ, gravique judicio ad ferendam de christianorum titulorum ætate sententiam.

Nullius autem ponderis est quod quarto loco objiciebatur. Barbaries enim, quâ pleræque veterum Christianorum inscriptiones scatent, veritatis index est, quæ styli fuco, pigmentisque non eget. Marmorariorum autem errores qui rectam orthographiam lædunt, ferri potuêre à Christianis ; non item illi qui fidei adversarentur.

Ad quintum quod spectat, optandum quidem esset, ut omnes Christianorum tituli cum autographis lapidibus conferrentur. Nam vix ullus est, qui eâdem planè ratione ab omnibus editoribus exhibeatur, sive litteras spectes, sive versuum distributionem. Id tamen commune est cæteris antiquitatis monumentis. Quòd si nihilominùs ad illustrandos veterum mores librosque, ethnicis utimur titulis, etsi amanuensium oscitantiâ minùs diligenter descriptis, cur, quæso, id non liceat, ubi de christianis inscriptionibus agitur? Nam quod de Romæ subterraneæ editorum fraude additur, mendacissimè Fleetwoodius effutiit. Anne etiam Muratorius uxoris nomen vaferrimè dissimulavit, dùm eamdem illam Basilii inscriptionem è schedis suis edidit, ne sacerdotum cœlibatum everteret? Si quid inde catholico dogmati detrimenti esset timendum, cur Aringhius ipse, cur Boldettius, cur alii plures alias divulgârunt inscriptiones, quæ presbyterorum diaconorumque meminêre matrimonio junctorum ? Vide quas superiore capite indicabamus; confer etiam Fabrettium, p. 557; sed pudet in ridiculis hisce calumniis refellendis diutiùs immorari.

CAPUT IV.

Ea persequitur quæ de Deo ejusque Filio Jesu Christo christiani lapides docent.

Jam verò ea percurramus, quæ de christianæ Religionis decretis in majorum nostrorum monumentis reperimus. Quâ in re, uti decet, à Deo Optimo Maximo initium ducamus. Dei unitatem hæc prodit inscriptio, quam ex Boldettio, p. 456, reddimus :

CASSVS. VITALIO QVI VIXIT
ANN. L. VIII. MENSIBVS XI
DIES. X. BENEME. FIL. FECERVNT
IN PACI QVI. IN VNV DEV
CREDIDIT IN PACE

Dei unitati sanctitatem jungit hæc alia à multis recitata, nuper autem à Mamachio, tomo 3, p. 21 :

DEO SANC ☧ VNI
LVCI TECUM PACE

Magnitudinem quoque Dei, æternitatemque lapides testificantur. Recole hunc à Fabrettio Maffeioque descriptum, Mus. Ver. p. 158 :

DEO MAG
NO AETERN
L. STATIVS DI
Corona oleagina ODORVS QVOT *Palma*
SE PRECIBUS
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M,

Nam quod Muratorius negat hanc inscriptionem Christianis esse adcensendam, abundè à Maffeio ipso confutatum est. Confer etiam historiam litterariam Italiæ, tomo 12, p. 392.

Adde Florentinum hunc titulum à Gorio recitatum inter monumenta veterum Christianorum eruta è Florentinis cœmeteriis.

D M. AET. nempe, Deo magno æterno,

DEPOSI
TVS ASE
LICVS VI
XIT AN. V

Quæ ad Trinitatem attinent inscriptiones, hæ sunt notatu dignissimæ. Ex inscriptione metricâ apud Gruterum, p. 1174, 3, inter cætera, quæ de Virgine Mariâ, ejusque Filio leguntur, hæc ad rem præsentem accipe:

VNIVS COLITVR DVPLEX SVBSTANTIA NATI
VIR-DEVS HAEC DVO SVNT VNVS VTRVMQVE TAMEN
SPIRITVS HVIC GENITORQVE SVVS SINE FINE COHAERENT
TRIPLICITAS SIMPLEX SIMPLICITASQVE TRIPLEX

Vereor tamen, ut ante seculum sextum posita hæc inscriptio fuerit, quin potiùs Gregorii alicujus (antiquioris tamen) præsulis, seu pontificis temporibus insculptam indicat corruptus certè vel amanuensium vel quadratarii vitio extremus versiculus:

PROTEGAT ILLE TVVM GREGORI PRÆSVLEM GENVS

Sexto tamen seculo, fortassis etiam quinto ad finem vergente, inscriptus fuit hic titulus, quem ex tomo 3 Historiæ principum Longobardorum à Pratillio U. C. editæ descripsi tomo 5 Hist. litter. Italiæ, p. 271:

HIC REQVIESCIT IN SOPNO PACIS
AGELPERGA ANCILLA CHRISTI
QUAE VISCIT AN PL. M. XVIII. (Plus minùs.)
CREDO DEVM PATREM. CREDO
DEVM FILIVM CREDO DM SPIRITV
SANCTV CREDO Q NOBISSIMO (novissimo.)
DIE RESVRGAM

Nomen ipsum Trinitatis habes in lapide Fabrettiano, p. 736:

QVINTILIANVS HOMO DEI
CONFIRMANS TRINITATE

Spectat autem hic lapis ad annum Christi 403, ut ex adscripto Theodosii (Junioris) consulatu ostendi in citato Historiæ litterariæ volumine 5, p. 485.

De singulis divinis personis agendum nunc esset, sed de Spiritu sancto alibi opportunius disseremus. Hìc tantùm de Christi Domini divinitate disputemus, de quâ etsi ex lapidibus non pauca in ejus operis, quod Saggio Critico della corrente letteratura straniera prænotavi, tomo 1, p. 437 et 453, multò plura proferri possunt. Itaque quo nihil in Christianorum monumentis frequentius, Christi monogramma primùm consideremus. Eo nempe Christum denotari et pervulgatissimum est, et lapides illi demonstrant in quibus, SIGNV ☧, vel IN SIGNO ☧, legimus, ut apud Boldettium, p. 399 et 83, ac Muratorium, p. 1925, 1. Neque enim aliter illa explicari possunt, quàm *signum Christi, in signo Christi*, etc. Jam verò hocce monogramma interdùm in sublimi atque honorifico loco erectum exaltatumque conspicitur. Exemplum habes in Passeriani Musei lucernâ, cujus typum exhibet Cl. Georgius, de Monogr. p. 10, in vitreo calice, quem in cœmeterio Callisti inventum refert Boldettius, p. 192. Hinc inde Apostolos videre est depictos, Petrum quidem à dextris, à sinistris *Saulum*, seu *Paulum*, in medio verò Monogramma in disco sive clypeo expressum, impositumque trunco rudis arboris, quæ obliquè assurgit, et in summo capitulum efformat ut columnam referat: quæ quidem altior est, et cum superposito monogrammate ipsas Apostolorum figuras excedit. In alterius quoque vitrei calicis ministerialis, quem Bonarrotius, vir summus, evulgavit, tab. 14, num. 2, imâ planitie spectatur sacrosanctum CHRISTI nomen columellæ impositum. Gorius quoque in egregio quem Symbolarum Florentinarum volumine tertio edidit; commentario de emitrato capite Jesu Christi crucifixi, cap. 7, clypeum ex ære vetustissimum in lucem protulit, cui insculptum cernitur monogramma in sublime erectum adstantibus hinc Paulo, hinc Petro, seu potiùs Jesu Christo ipso juvenili ætate; præterea quem appellabam, Bonarrotius, in alio vitreo calice tab. 8, n. 1, monogramma Christi sublimi in loco, mediumque inter duo sidera exhibuit; cujus quidem tabulæ utrique lateri annexæ sunt ansulæ duæ, « quæ, inquit Gorius, p. 140, manifestè declarant sculptum pictumque in tabulis, « vel in clypeis, vel intrà pretiosas coronas « sacrosanctum Christi monogramma in sacris « synaxibus attolli et suspendi consuevisse. » Confer Boldettium, lib. 1, c. 39, tab. 9, n. 38. Porrò quas nuper Gorius memorabat, coronæ ritum alium in mentem revocant, quo suam in Christi nomen reverentiam fideles testificabantur. Floribus scilicet, aliisve id genus coronatum passim cernitur in sepulcralibus titulis, in sculpturis, picturis, ut videre est in Fabrettiano Cogitatæ lapide, p. 740, in Hilari inscriptione apud Maffeium. Mus. Ver. p. 359, 2, aliisque monumentis

quæ indicant aut afferunt Gorius, l. c. p. 145, et Mamachius, tomo 3, p. 69 et seqq. Quæ quidem omnia si simul colligantur, invictum pro Christi divinitate adversùs Socinianos argumentum suppeditant : ostendunt enim Christum fuisse à fidelibus adoratum; Deum autem solum adorandum esse, quidquid Sociniani garriant, tam est è Scripturis manifestum, ut vel insipiens sit, vel præfractâ fronte, qui illud audeat inficiari. Adi Witassium, tomo 2, p. 158 Ven. edit. 1738.

Verùm aliud ex litteris, Α et Ω, inter quas medium monogramma Christianorum monumenta sæpissimè exhibent, pro Christi divinitate argumentum promamus. Non ego hìc ejusmodi monumentorum catalogum pertexam: infinitus sim, si id aggrediar. Satis sit indicare Erotis, Nigellæ, Heraclii Simpliciæque Inscriptiones, quas reddit Fabrettius p. 563, 567, 573, 581; Stephaniæ lapidem à Benedictinis Martenio ac Durandio editum, Itin. Gall. P. 1, p. 292; Perpetuæ epigraphen à Georgio descriptam, de Monogr. p. 20; profugi servi collare à Pignorio allatum in commentario de Servis, p. 15; Mercuriæ, ac Leonis et Maximanetis epitaphia apud Marangonuim, in appendice ad Acta S. Victorini, p. 98 et 104; columnam Ostiensis basilicæ à Gorio memoratam, p. 145; Dionysii titulum, quem Boldettius profert, p. 86; Anastasii elogium in novo Muratorii Thesauro, p. 1826. Confer Aringhium, Bottarium, Boldettium, Fabrettium, p. 739, n. 496, et Mamachium, tomo 3, p. 21, 65, 66, 74, 75. Vides interea solemnem hunc Christianorum morem illa Apocalypseos loca spectare, in quibus Christus de se ait : *Ego sum* Α *et* Ω, *principium et finis, dicit Dominus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens,* 1, 8, 1, 21; 21, 6; 22, 13: *Ego sum* Α et Ω, *primus et ultimus.* Notissimum porrò est, ex his Apocalypseos verbis Patrum alios Verbi omnipotentiam, alios æternitatem, atque adeò divinitatem argumentando duxisse. Prudentius, ut alios mittam, de quibus Petavius, de Trinit. lib. 2, cap. 9, num. 7 et 8, hæc verba habet, Hymn. 9 Cathemer. :

« Alpha et Omega cognominatur fons, et clausula omnium quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt. » Goriusquoque, p. 135, in hanc rem sapienter adnotavit, quòd in vetustissimo libello Gothico-Hispano Blanchinianæ editionis, prima oratio canenda 8 idus januarias in die Apparitionis Domini ad vesperum, ita se habet, pag. 47 : « Α et Ω, initium et finis, Deus et Homo, infinitus et præfinitus, etc., miserere nobis. » Sequitur porrò benedictio his verbis : « Benedicat vobis Α et Ω cognominatus, Omnipotentis Dei Patris Unigenitus Filius, qui est initium et finis, ipse vos secum victores attollat temporibus infinitis, » etc. Scio equidem Socinianos respondere, Christum dici Α et Ω non quòd rerum omnium quemadmodùm Pater initium ac finis sit, sed quòd nostra ab eo salus principium duxerit, perfectionemque sit habitura. Quare quùm non diffiteantur, in cæteris Apocalypseos locis de Christo sermonem haberi, præfractè negant, Christum in priore illo loco, quem attuli, intelligi, sed Patrem qui omnipotens est. Sed quæro ex Socinianis, cur ergo Christiani suis in titulis uni Christo verba illa aptârint? Cur nullis verbis definierint? Credibilene est, eos qui solum Patrem Alpha et Omega fassi fuissent, absolutè, ut aiunt, nullâque adjectâ limitatione Christo tam frequenter ea nomina tributuros fuisse? Anne quantam errandi incautis occasionem præberent non animadvertebant? Hæc meâ quidem sententiâ nemo prudens sibi persuaserit.

Adde jam quæ de Christo conceptis verbis expressa in Christianorum elogii legimus. Occurrit primò Domini titulus, quo passim Christus ornatur.

PETRO ET MARCELLINO IN SIGNO DOMINI ☧

apud Murat. p. 1925, 1.

REGINA VIBAS

IN DOMINO

ZESU

apud Baldettium, pag. 266.

☧ PRIMA VIVIS IN GLORIA DEI ET IN PACE DOMINI NOSTRI ☧, nempe, Christi, apud Marangonium, in app. ad Act. S. Victorini, p. 69.

ΧΑΡΙCΟΥ Τω ΚΥΡΙωΚΥΙω

ΚΑΙΤω ΧΡΙΤω

gratias age Domino inclyto (Κλίτω, quod Muratorius non intellexit pro Κλύτω, positum) Christo.

Apud Muratorium, p. 1822, 7.

IN PACE XTI DMNI

apud eumdem, p. 1825, 7 :

VITALIANVS MAGISTER MILITVM

QVIESCIT IN DOMINO

ZESV VIIII KAL

APRILIS

apud eumdem, p. 1958, 4.

Ac *dominos* quidem sanctos quoque fuisse appellatos postea docebo. Verùm dubio procul eo sensu Christum vocabant *Dominum* Christiani, quo Scripturæ, sensu scilicet, qui divinitatem illius denotabat, uti à Bellarmino, de Christo, lib. 1, c. 7, ac Petavio, de Trin. lib. 3, c. 2, n. 14 et seqq., ostensum est. Hinc interdùm Deus Dominus dictus est Christus, ut in Ermaiskis, seu Mercurioli Græco lapide Musei Kirkeriani apud Cl. Lupium, p. 191 : ἐν Θεῷ Κυρίῳ Χριστῷ, in Deo Domino Christo.

Præterea easdem quas de Deo, de Christo formulas usurpatas novimus.

1° *Famulos famulasque* DEI sæpè in inscriptionibus legimus. Plures ejusmodi titulos, qui famulorum ac famularum DEI meminêre, collegit Cl. Muratorius, diss. 56 Ant. Italic. col. 583 et seq. Sufficiat hìc sequens inscriptio posita anno vulgatæ æræ 515 :

IVLIANA FAMVLA DEI
QVAE VIXIT ANNOS
XX. ET CVM MARITO
ANNO VNO ET REQVI
EVIT IN PACE ERA
DLIII

Atqui etiam famulos famulasque Christi nobis exhibent lapides. Κυριακὸς δοῦλος occurrit apud Maffeium, Mus. Ver. p. 448, 12, apud Muratorium verò, pag. 1824, 1 : *Agripinus famulus xti Com.* (scilicet Comensis); *civitatis Eps* (episcopus circa ann. 586). Adde Reinesianum hunc lapidem, cl. 20, 372 :

BASILICAM HANC POMPONIVS
EPISCOPVS NEAPOLITANVS
FAMVLVS IESV CHRISTI DOMINI
FECIT

2° Inter sepulcrales acclamationes hæc erat longè usitatissima, *in Deo*, seu etiam, *vivas in Deo.* Sic apud Boldettium, p. 417 :

FAVSTINA DVLCIS BIBAS (vivas)
IN DEO

Castorini quoque inscriptio hâc formulâ clauditur in Muratorii Thesauro, p. 1850, 3 : *Vive in Deo.* Sic etiam legimus, Murat. p. 1918, 8 :

OLINPIODO
RE VIVAS IN DEO

Ac ne longior sim, *vivas in Deo dulcis*, videre est in Val. Sabinæ tumulo, Mur. 1954, 4. Porrò eâdem formulâ invenimus defunctis suis precatos fuisse Christianos, ut viverent in Christo. Habeto exempla :

SABINE VIVAS IN ☧

apud Marang. p. 85. Append. ad Acta S. Victorini.

FAVSTINA
IN ☧

ibidem, p. 105.

REGINA VIBAS
IN DOMINO
ZESV

apud Boldettium, p. 266.

VRSVLA ACCEPTA SIS
IN CHRISTO

apud eumdem, p. 341,

QVI LEGERIT VIVAT IN CRISTV

ibid. p. 420.

Tandem ne exemplis in re clarissimâ abutar, addo hanc epigraphen Muratorianam, in quâ utraque formula legitur, p. 1885, 5 :

HILARI VIVAS
IN DEO
HERACLIAE COMPA
RI SVAE BENEME
RENTI FECIT QUE VI
XIT ANIS XXI IN PA
CE LIBERI VIVAS IN
☧

3° Sæpè etiam Christiani, *in pace Dei*, requievisse dicuntur. Apud Fabrettium, p. 557, 61, hæc extat inscriptio :

HIC REQVIESCIT CONIRBICA DEI IN PACE DEI

Audi similia de Christo :

PASCASO INNOCEN
TI IN PACE ☧

apud Marangonium, in append. ad Acta S. Victorini p. 108.

QUESCET IN PACE ☧

apud Boldettium p. 52.

VT CVM QVIEVERIT IN PACEM IN ☧

ibidem.

PIENTIA QVÆ VIXIT ANNIS N. VI. M.
IIII. DIES II MANET IN PACE ET IN CHRISTO

apud Frabrettium (p. 579.)

4° Sperare jubentur *in Deo* Christiani. Exemplo sit hæc Hispanica inscriptio :

MARCIANE
A ☧ ω
VIVAS IN
SPES ☧ IN DEO

Sed etiam in Christo spem esse collocandam docent lapides. Hunc affert Muratorius, p. 1846, 4 :

SPES IN CRISTO BONOSO QUI VIXIT, etc.

5° *Animam Deo reddere*, qui moriuntur, phrasis est christiano usu veluti consecrata. Confer jam hanc Gruterianam inscriptionem, p. 1177, 4 :

CORPUS HVMO ANIMAM
CHRISTO PETRONI DEDISTI.

Quòd si Christum Deo Christiani in suis hisce loquendi formulis planè æquabant, quis neget, Deum illum fuisse à Christianis habitum?

Neque verò ab ipsâ *Dei* appellatione Christo tribuendâ abstinuère Christiani. Recole quam modò indicabam Mercurioli inscriptionem. Adde alias :

HIC LOCVS OLIM SORDENTIS TVMVLI SQVALORE
CONGESTVS SVMPTV ET STVDIO XPI FAMVLI HILARI
EPI IVVANTE DOMINO TANTA RVDERVM MOLES
SVBLATA QVANTVM COLVMNIS NVNC VIDETVR AD
OFFERENDVM XPO DEO MVNVS ORNATVS ATQVE
DEDICATVS EST

Inscriptio apud Fleetwood, p. 416.

SIMPLICIANA INNOX, NOFITA DEO CR

Inscriptio apud Marangonium in libro prænotato : *Cose gentilesche ad uso delle Chiese,* p. 462.

IVBENTE DEO CHRISTO NOSTRO
S. MARTYRI VICTORINO QVOD VVLT
DEVS DE SVO FECIT

Inscriptio apud Fabrettium, p. 580.

IN HOC SANCTO ET RELIGIOSO LOCO POSITA EST
LICINIA HONESTA FEMINA. OMNI LAVDE BEATA ET
DEO CRISTO DEVOTA, etc.

Inscriptio apud Maffeium, Mus. Veron. p. 179.

Ο ΘεΟ C Ο ΚΑΘΗΜΕΝΟC
ΙC ΟεΖΙΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟC
ΙC ΤΟΠΟΝ ΑΓΙωΝ COV
ΝεΚΤΑΡεΟV ΤΟ ΨΥΧΑ
ΡΙΝ Ν ΕΤΡΑΨε

Id est : Deus qui sedes ad dexteram Patris in locum sanctorum tuorum Nectarei animulam scribe.

Inscriptio apud Boldettium, p. 58.

RUFINA IN DEO ☧

Inscriptio apud eumdem, p. 340.

HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO
DEO SUO PERBENEMERITVS
QVI VIXIT ANNOS XXV
LEONTIA MATER TITVLVM POSVIT IN PACE

Inscriptio apud Muratorium, p. 1923, 5.

NVTRICATVS DEO CRISTO MARTVRIBVS

Inscriptio tomi 1 Hist. Litter. Ital., p. 299.

Anne respondebunt Sociniani, intelligi hæc posse de Christo, qui Deus sit Patri subordinatus? Legant ergo quas mox dabimus inscriptiones.

D ☧ M
TVTIE CASTE, etc.

Singularias hujus epigraphes quam recitat Muratorius. p. 1952, 1, explicare non possumus, *diis Manibus*, quùm medium inter eas sit monogramma ; sed, *Deo Christo Magno*, reddemus

DEO SANCT ☧ VNI
LVCI TE
CVM PA
CE

Ita lapis Fabrettianus, p. 565 : Si Christus *Deus Magnus*, si *Deus sanctus unus*, ergo Patri æqualis Deus est. Atqui Christus æternus prætera dicitur in Muratoriano titulo, p. 1951, 3.

QVOD AETERNO MIGRARIM DEDITA CHRISTO

Imò audi quibus ornetur Verbum præconiis in Gruterianâ seculi VII epigraphe, p. 1163, 5:

LVX ARCANA . DEI VERBVM . SAPIENTIA LVCIS
ATQUE CORUSCANTIS SPLENDIDA IMAGO PATRIS

Nihil illustrius fingi potest ad Socinianorum retundendam audaciam.

Addamus tamen novum aliquod adversùs istorum insanissimam impudentiam, illudque efficacissimum argumentum. Cujus sit defunctis immortalem coronam tribuere et catholica fides docet, et sequens inscriptio Fabrettiana, p. 583, luculenter confirmat :

✠ HIC . MIHI . CARA . PIO . TEGITVR . CONIVX . ECCE SEPVLCR.
EMERITA . SANCTIFICO . SEMPER . SOCIATA . PUDORE
BIS DVODENOS . ET . FIDA . DEO . QVE PERTVLIT ANNOS
INVIOLATA MALO FELICI CONDITA LUCI
SANCTIMONIVMQVE GERIT DOMINO TRIBVENTE CORONA
LAVRENTIVS CONTRA VOTVM

Dei ergo est æterno defunctos præmio donare. Atqui persuasum fidelibus fuit, Christum fidelibus suis coronam largiri. Docet id patera vitrea Musei Victorii, quam Cl. eques Victorius in eruditissimâ dissertatione philologicâ edidit. In eâ nempe Sixtus ac Timotheus sedentes expressi sunt, quibus Jesus Christus coronam præbet. Simile hujus vitrum illud est, quod exhibet Boldettius, p. 208, n. 35. Non igitur de Christi divinitate dubitârunt antiqui fideles. Ad alia transeo.

CAPUT V.

Celebres duas Ecclesiæ notas ex lapidibus illustrat, ac de solemni illâ formulâ, IN PACE, *copiosè disputat.*

« Si iveris in aliquam urbem, monebat « S. Cyrillus, catech. 18, n. 26, non petas « ubi sit Ecclesia, vel domus Dei ; nam etiam « hæretici dicunt se habere domum Dei, et

« Ecclesiam, sed petas ubi sit CATHOLICA Ec- « clesia; id enim nomen proprium est hujus « sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrùm. » Quamobrem ipsum catholicæ Ecclesiæ nomen apud Bellarminum, de Eccl. lib. 4, c. 4, inter Ecclesiæ notas primum obtinet locum. Id nominis quandoque lapidibus Christianorum invenias insculptum. Affero ex novo Muratorii Thesauro, p. 1954, 7, Mediolanensem inscriptionem.

B.M.M. VALERI POLYCRONII
ECCLESIAE CATHOLICAE
ANNO CENTESIMO QVARTO.

Quæres hìc fortassis quænam sit epocha ista anni 104 Ecclesiæ catholicæ? « Nihil aliud « succurrit, inquit eo loco Muratorius, nisi « ab Arianis restitutum fuisse templum illud « Catholicis, ejusque facti memoriam ad pos- « teros fuisse transmissam. » Atque Arianos quidem Mediolanensem Ecclesiam vexâsse pervulgata res est. Vereor tamen, ut unius templi restitutio epochæ cuidam instituendæ occasionem præbuisse credibile videatur. Verisimilius esset, epocham hanc in Mediolanensi Ecclesiâ constitutam fuisse, Arianis planè ex urbe ejectis restinctisque, ac pace Ecclesiæ catholicæ datâ. Verùm si quid video, antiquior lapis hic est, quàm ut quinto, aut etiam sexto seculo, anno nempe 104 ab Arianorum ejectione positus dici possit. Paucissimi christiani lapides sunt, qui gentilium more prænomen, nomen cognomenque exhibeant, quemadmodùm hic noster, in quo tamen Donii Schedæ apud Corsinium prænomen omittunt, iique certè ad prima Ecclesiæ tempora spectant. Nuper appellatus Corsinius V. C. (Diss. 2, è sex quas notis Græcorum subjunxit p. 31) quùm in citatis Donii Schedis non anno centesimo quarto, sed anno CIIII., numerum illum ad Valerii ætatem referri posse, atque in primi versûs fine excidisse hæc aliave horum similia: *Depositus in pace*, ingeniosè suspicatus est. Ad catholicæ Ecclesiæ nomen ut revertar, alius occurrit titulus, in quo idem nomen, S. Arsacii scilicet, apud Grut. 1167. 3, quem nonnulli Mediolanensibus episcopis adscribunt. Inter alia quæ in ejus elogio leguntur, dicitur Arsacius

IN FIDE CATHOLICA CREDENS CONSISTERE VITAM.

Adde tertium Herilæ comitis; sed præstabit hunc paulò post recitare.

Alia Ecclesiæ nota PAX est. Pacem enim, ut optimè animadvertit Cl. Joannes de Vitâ in notis ad Inscriptiones Beneventanas, pag. 63, quam Christus terras ingressus *hominibus bonæ voluntatis*, id est, futuris fidelibus suis annuntiatam voluit, è terris demùm discedens Ecclesiæ suæ veluti testamentum reliquit, Apostolis inquiens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, in suorum duntaxat fidelium communione præcipuè positam semper custodivit, et servat Ecclesia. « Hanc no- « bis hæreditatem dedit, aiebat in libro de Uni- « tate Ecclesiæ S. Cyprianus, dona omnia suæ « pollicitationis, et præmia in PACIS conserva- « tione promisit. Si cohæredes Christi sumus, « in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, « pacifici esse debemus... Pacificos esse oportet « Dei filios, corde mites, sermone simplices, « affectione concordes, fideliter sibi unanimi- « tatis nexibus cohæredes. Hæc unanimitas sub « Apostolis olim fuit. Sic novus credentium « populus Domini mandata custodiens charita- « tem suam tenuit, » etc. Hinc ad ecclesiasticam pacem non modò infideles non pertinebant, sed ne ii quidem qui Christi fidem professi, gravioribus inquinati delictis, velut membra putrida à Fidelium corpore abscinderentur; quos demùm legitimis pœnitentiæ spatiis expiatis denuò ad communionem admitti mos erat, quòd pacem iis dari dicebant, ut ex ejusdem S. Cypriani epistolis constat. Adeò autem ejusmodi pax veræ Ecclesiæ propria erat, ut certam ejus notam Tertullianus agnoverit, qui in libro de Præscriptionibus, cap. 41, hæreticos vel ex eo tales deprehendat, damnetque, quòd *pacem cum omnibus passim miscerent*. Insigne porrò pacis hujusmodi Christianorum monumentis adscriptæ exemplum habemus in Fabrettiano lapide, p. 757:

DEPOSITVS HERILA
COMES IN PACE FIDEI
CATHOLICE VII. KAL
AVG. QVI VIXIT ANN
PL. M. L. D. N. SEVERI AVG
PRIMO CONS
ET
CONSVLATV HERCVLANI
V. C.

Existit hoc loco quæstio subdifficilis, ac paucos ante annos clarissimum Mazochium inter, et illustrissimum Sabbatinium vehementer agitata, utrùm solemnis illa Christianorum lapidum formula, *in pace*, plerùmque hocce communionis christianæ vinculum designet. Affirmat Mazochius in duplici ad illustrissimum Georgium de Hilari Epigrammate epistolâ. Negat Ludovicus Sabbatinius in epistolâ ad

eminentissimum Besutium de eâdem inscriptione; Sabbatinio autem nuper accessit doctissimus canonicus Joannes de Vitâ in suis ad Inscriptiones Beneventanas annotationibus. Quid ipse sentiam, exponam, eòque libentiùs, quòd collatis inter se multis inscriptionibus, rem diligentissimè mihi videor expendisse. Ac duo quidem explorata mihi esse videntur. Alterum est, formulam illam certum nobis esse indicium hominis in Ecclesiæ communione defuncti; alterum est, ad idipsum denotandum usurpatam illam interdùm fuisse. Ad primum quod spectat, sapienter sibi persuasit Cl. Albaspinæus (in conc. III. Carthag. can. 4), « non dicam lectorem, sed ne episcopum quidem ullum ausum fuisse, neque excommunicato, neque pagano, neque catechumeno dicere : PAX TIBI, quòd his verbis ad Christi corpus aggregari videretur. » Multò ergo magis cavissent sibi Christiani, ne quem dicerent in pace mortuum, qui ab Ecclesiæ communione esset quoquo modo sejunctus. Ubi itaque legeris, *in pace*, intelliges eum quo de agitur, in fidelium communione quievisse. Quod ad secundum spectat, Herilæ quem retulimus titulus illud demonstrat, aliisque infra exemplis confirmabitur. Hactenùs nobiscum cum Mazochio convenit. Deinceps ab eo vel inviti discedemus.

Itaque 1° statuimus, *pacis* nomine interdùm in sepulcralibus titulis corporis pacem intelligi. Huic enim, inquit Joannes de Vitâ, licet ob animæ discessionem omnis sensûs experti, requiem tamen atque imperturbatam mansionem Christianos sollicitè curâsse testis est illa, apud Aringhium Kariti inscriptio, tomo 2, p. 610, quæ his verbis clauditur : *Ossa tua benè requiescant*. Quid quòd inscriptis monumento, quibus violatores deterrerentur, diris ossium suorum quieti consulere satagebant Christiani? Exempla habes apud Fabrettium, p. 110, et Sabbatinium, p. 23. Unum aut alterum addo ego ex Muratorio ab ipsis non indicatum :

PEON GETA SENEX
HEIC OBDORMIVIT IN PACE
DORMITIO EIVS CVM IVSTIS
DORMITIO EIVS MEMORIA EIVS
ET SI QVIS IPSUM VEXAVERIT
VLTOR ERIT DEVS ISRAEL. IN. SAECVLVM

Sic legas in Novo Muratorii Thesauro (p 1923, 2.) Honoratæ quoque titulus, ibid. p. 429, 2, his diris clauditur :

ROGO TE PER DM. OMNPM, ET IHM X... NAZARENVM NE ME TANGAS NEC SEPVLCRVM MEVM VIOLIS NAM ANTE TRIBVNAL ÆTERNI IVDICIS MECVM CAVSAM DICIS

At hic sensus profanus est, et ex gentilium scholâ profectus, apud quos sepulcrum millies in lapidibus *domus æterna* vocatur. Ita quidem Mazochius, p. 22, sed doleo ex viri doctissimi calamo hæc excidisse. Nam, præter ea quæ de domo æternali ipsis Christianorum tumulis nonnunquàm inscripta diximus, cap. 3, num. 1, non animæ certè, sed corporis pacem memoratam legimus in libro Ecclesiastici 44, 14 : *Corpora eorum in pace sepulta sunt.* Quo quidem loco non Christianis modò, qui tantoperè hanc *pacem* curabant, divinus scriptor præisse videtur, sed suam etiam mortuo corpori *pacem* quærendam docuisse, quæsitamque commendâsse. Cur verò, inquit Cl. de Vitâ, pax votis, reque ipsâ non dabitur corpori, cui licet tunc in animo, adhuc summa dignitas inest, quippe quod instrumentum olim fuerit (ut ait S. Augustinus in libro de Cur. pro mortuis agend. quo ad bona omnia sanctus usus est Spiritus)? cui demùm resurgenti, ac denuò cum ipsâ animâ copulando, ejusdem gloriæ consortium debetur. Hùc spectat, ni fallor, quod apud Boldettium legimus, p. 401 : LOCVS HIC ET IN FVTVRO IN PACE.

Aio 2° pacem in sepulcralibus Christianorum titulis expressam plerùmque non aliam esse quàm animæ pacem in gloriâ sanctorum. Nihil frequentius in lapidibus, quàm, *requiescit, quiescit, dormit in pace*. Atqui in his locis pax una animæ significatur. Quid enim hæc valent, nisi quod alibi centies (Mus. Ver. p. 478, 2) : *Hic requiescit in somno pacis?* An somnum hunc pacis de ecclesiasticâ pace explicabimus? Nemo non videt hæc ex psalmo 4 fuisse deprompta, ubi, v. g., ait Regius Vates : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* In plerisque etiam sepulcralibus Christianorum elogiis videas formulam illam extremo loco positam, quin ad ullum præcedens verbum referatur, ut in hoc Boldettiano, p. 398 :

DEP. CASTI IIIIX. KAL. MAIA VIXIT
ANNOS XXXXI. DIES XXIIII
IN PACE

Acclamatio porrò est, non secùs atque precationes illæ : *Cujus anima cum sanctis in pace*, apud Boldettium p. 58, et *Pax tibi* apud eumdem, p. 412. Hinc sæpè Christiani pacem precantes defunctos suos alloquuntur : *Vivas in pace*, Bold. p. 420; *Spiritus tuus in pace*, Bold. ibid.; *Valeri in pace*, apud Fabrettium

p. 573; *Vale in pace,* apud Lupium p. 175. Quæ qui ad ecclesiasticam pacem detorqueri possint, haud equidem intelligo. Adde Christianos interdùm formulam illam aliis conjungere, quæ de vero sensu dubitare nos nequaquàm sinunt : *Cum Deo in pace quiescet,* habet Boldettii lapis, p. 419; *In pace cum Deo,* alius Boldettii titulus, p. 420; *In pace et in refrigerio,* epitaphium à Marangonio descriptum in appendice ad acta S. Victorini, p. 122. Næ ista qui ad ecclesiasticam pacem retulerit, omnia susque deque agere se posse confidat. Et illud consideremus, clausulam hanc satis esse in christianis elogiis frequentem : *Te in pace.* Exempla dabunt Fabrettius, p. 570 et seq., et Lupius in epitaphio S. Severæ, p. 174; quibus adde lapides duos, alterum à Maffeio (Mus. Ver. p. 279, 1; à Boldettio alterum, p. 411, descriptum.

VICTORIA. DE REGIONE MADMEDERE
NSIVM QVE BIXIT ANN. XXXVI. QVE
FECIT CVM MARITVM. ANN. XIII. ET
MESES. V. ET DIES. X. REMISIT FILIOS
V. TE IN PACE

Hic Boldettianus est. En Maffeianum :

EPICTETVS. ET. FELICIA. PARENTES
FELICI. FILIO. DVLCISSIMO. BENEME
RENTI. QVI. VIXIT. ANNIS. XIII. MENSSIS
(sic.) XII. DIES XVIII. TE IN PACE

Mazochius, p. 9, ait formulam hanc sibi videri « initium hymni, aut precationis fuisse, quam « fideles defuncto in Ecclesiæ pace accinere « consueverant, fermè ut nos carmen, *Requiem « æternam,* aut similia modulamur. » Perdoctè certè. Id ipsum ante Mazochium docuerat Cl. Lupius (p. 174) his verbis : « Liturgica procul « sunt, et ad arcani disciplinam servandam « sine reliquis apposita. Iis autem defuncto « precabantur, ut eum *in pace* susciperet « Christus, quemadmodùm in emortualibus « precibus Romana consuevit canere Ecclesia : « *Suscipiat te Christus, qui vocavit te.* » Clariùs hoc exprimit Gaudentiæ titulus apud Fabrettium, ibid. GAVDENTIA SVSCIPEATVR IN PACE. At quis hâc, vel simili formulâ pacem ecclesiasticam significari sibi persuaserit, non pacem æternam? Clariora hæc mihi videntur, quàm ut in iis comprobandis diutiùs immoremur.

Quæri hìc illud potest, quandonam ea formula pacem ecclesiasticam significare dicenda sit? quandonam pacem triumphantis Ecclesiæ? Cl. Joannes de Vitâ hunc canonem statuit, ecclesiasticam pacem denotari, dùm, *defunctus in pace,* vel tantùm *in pace,* scriptum est; sin autem, *in pacem,* de æternâ quiete usurpari; quò trahit illud Tertulliani in libro de Exhort. Castit.: « Non dubito, frater, te post uxorem, « *in pacem,* præmissam, id est, post uxorem « præmortuam. » At grammatica postulabat, ut, *in pacem,* scriberet Tertullianus. Quid verò una litterula *m* sensum immutare possit? Confer, quæso, duos hosce Boldettii titulos, p. 399 :

VRSO BENEMERENTI QVI VIXIT
ANNOS DVOS MENSIS SEPTEM
DORMIT IN PACE

SIGNV ☧
CILIX ET CEREALIS. PATRI BENEM.
QVI. VIXIT. ANNIS LXXV. M. VIII. D. V.
DORMIT IN PACEM

Litterane *m* efficiet, ut dormitio, de quâ prior inscriptio, pacem ecclesiasticam significet, pacem æternam dormitio in posteriore commemorata? Age jam Mazochianos canones discutiamus. Nam quod de formulâ, *in pace,* si sola scripta fuerit, aiebat Joannes de Vitâ, est à nobis supra confutatum. Contendit ergo Mazochius, p. 9, *benemerentis* elogium, quod in christianis lapidibus est longè usitatissimum, *ad meritum notione theologicâ referri,* præsertim autem si adjungatur pacis vocabulum in hunc modum : *Benemerenti in pace;* pacis enim nomine tunc intelligi ait, p. 47, *pacis ecclesiasticæ glutinum, sine quâ meritum non procedit.* Addit, p. 9, tum maximè denotari ecclesiasticam pacem, si ut apud Reinesium (class. 20, n. 166) scriptum fuerit : IN PACE XPI. Statuit tertiò, p. 22, pacem in iis titulis memoratam, in quibus legimus, *fidelis in pace,* nonnisi ad eam *communionem,* in quâ fides est, referri. Ac de formulâ *in pace* post *fidelis* nomen adscriptâ infra dicam. Quod ad, PACEM XPI, attinet, nisi ad præcedens aliquod verbum referatur quod pacis nomine ecclesiasticam omninò definiat (de quo mox), vereor ut pacem Ecclesiæ significet. Exemplis rem declaro. Apud Marangonium in appendice ad Acta S. Victorini, p. 94, hæc exstat inscriptio :

FILI FECERVNT MATRI SVE TIGRIDI. Q.
BIXIT. AN. C. IN PACE ☧

scilicet Christi. Finge jam omissa illa, IN PACE ☧ : rectène sensus procederet? Utique. Quid ergo cogit, ut τὸ, *in pace Christi,* cum, BIXIT, seu, VIXIT, colligas? Nihil sanè. Cur ergo acclamatio non sit τὸ, IN PACE ☧, ejus similis, quæ (ibidem) in alio lapide insculpta est.

ZOSIMO MERENTI TECV P C.

seu tecum pax Christi. Itaque quod de formulâ, *in pace*, dictum est, sæpissimè illam inter æternæ felicitatis precationes esse accensendam, idem omninò de aliâ formulâ IN PACE XPI, aut DEI, aut, DOMINI, sentiendum esse pronuntio. Quod autem de *benemerentis* vocabulo statuit vir summus, admiserit nemo. Hoccine sit, ut ille ait *epitheton Christianorum* διοριστικον *discriminans*, quod in omnibus ferè ethnicorum elogiis occurrit? At in Christianis meritum theologicum significat. Unde id, quæso, probari possit? Meritumne Theologicum invenias in pueris qui sex, quinque, quatuor, tres annos, imò unum non sint prætergressi? Atqui et hi benemerentes dicuntur in titulis : *Postumius....... vixit annis sex filio* BENEMERENTI (vide Boldettium p. 58). Audi hunc alium (ibid. p. 381) :

VICTORINO POSVERVM PARETIS BE
NEMERENTI FILIO QVI VIXIT ANNO
IIII ET M. IIII. ET DIES XV
INNOCENTISSIMO SPIRITO

En alium, ibid. p. 407 :

BINCENTIVS KARO FILIO KA
RISSIMO BENEMERENTI POSVIT
TABVLA QVI BIXIT ANNOS III.
ET DIES XII.

Addo quartum, ibid. 368 :

FILIO DVLCISSIMO
VE. NEMEREN. TI. TI. GRI
NO QUI VIXIT. ANNUM MESES
DECE. DIES XX. IIII.
IN PACE

Tandem, ne longior sim, hunc legito (ibid. p. 51.)

BERNACLE BENEMERENTI PARENTES
FECERUNT. VIX. ANNO M. III.

Vides hìc benemerentes dici, qui meritum theologicum assequi minimè poterant. Illud ergo dicito, ejusmodi epitheton, uti et alia, *incomparabili*, *dulcissimo*, etc., idem omninò in christianis lapidibus, quod in ethnicis significare. At additur sæpè, *in pace*. Hoc probandum, τὸ, *in pace*, cum benemerentis vocabulo connecti; reverà enim titulis reperies sensum constare, etsi τὸ, *in pace*, deesset, ut proinde hoc acclamatio sit ab illâ voce sejuncta. Zosimum nuper vidisti merentem dictum, tum addi TECV P. C. seu, *pax Christi*. Ecce acclamationem similem hujus, *in pace*.

Sed jam tempus est, ut quid hâc in re probabilissimum mihi sit, exponam. Aio 1° : Si τὸ, *in pace*, initio tituli positum sit, aut in fine, nec ad præcedentia necessariò referatur, acclamatio est pacis æternæ. Exempla hujus formulæ in inscriptionis fine insculptæ supra invenias. Lapis quem ex Boldettio, p. 392, hìc reddo, initio illam exhibet :

IN PACE IDIBUS AVGVS. DOMITIANVS
INFELIX ET MISER POST OBITVM
TVVM VIVO

Aio 2° : si τὸ, *in pace*, cum verbo *quiescit*, *dormit*, etc, conjungatur, pacem significare sive animæ, sive etiam corporis. Recole superiùs dicta.

Aio 3° : Si τὸ, *in pace*, eo loco scriptum sit, ut verbum, *quiescit*, subaudiri possit, item pacem indicat animæ corporisve, ut apud Boldettium, p. 397 : GRATA IN PACE (nempe *quiescit*) QVE VIXIT, etc.

Aio 4° : Si ad verba, quæ mortem significant, necessariò referatur τὸ, *in pace*, communionis ecclesiasticæ pacem significat. Hujusmodi lapides sunt, in quibus quis dicitur *recessisse in pace* (confer Museum Veronense, p. 306, 6, et 423, 3), *reddidisse in pace Domini* (vide Boldettium p. 55, 388, 419), *depositus in pace* (adi Victorii Dissertationem philologicam, p. 42), *decessisse in pace* (apud Boldettium, p. 400), *ivisse aut exisse in pace* (ibid. p. 401 et 405), *in pace defunctus* (ibid. p. 404). Potissimùm autem ecclesiasticam pacem intelliges, si τὸ *in pace*, ante annos quos vixit *defunctus*, aut diem quo obiit positum fuerit; tunc enim præcedens verbum eâ formulâ spectari longè verisimillimum est. Sit exemplum in hoc Marangonii titulo (in App. ad Acta S. Victorini p. 88) :

PARENTES FILIO MERCVRIO FECE
RVNT. QVI VIXIT. ANN. V. ET. MESES VIIII
NATVS IN PACE QVINTV IDVS FEBRV

Quamvis hic dici posset *natus in pace*, seu *in cœlo*.

Aio 5° : Si τὸ, in pace ad eos spectet, qui lapidem posuerunt, idem valet quod, *in pacem*; quare pacem ecclesiasticam haud significat, ut in hoc Boldettii lapide, p. 55 : FECERVNT IN PACE DEPOSITUS, nisi malis ad sequens depositi epitheton illud pertinere. Sed certè ad verbum, *fecerunt*, refertur in hoc Muratoriano elogio, p. 1872. ☧ CASSVS VITALIS QVI VIXIT ANN. LVIII. MENSIBVS XI. DIES X. BENME. FIL. FECERVNT IN PACI. QVI IN VNV. DEV CREDIDIT.

Aio 6° Si τὸ, *in pace*, cum nomine *fidelis* copuletur, pacem ecclesiasticam esse intelligen-

dam; sic in Muratoriano lapide, p. 1821, 4: HIC REQVIESCIT FIDELIS IN PACE AEMILIANA CLARISSIMA PVELLA, etc. Hùc spectat celeberrimus Hilari lapis de quo *Mazochium* inter et Sabbatinium lis orta est: HIC REQVIESCET IN PACE ET FEDE (seu, fide) CVSTITVTVS HILARVS. At quid de hoc lapide statuendum, quem affert in dissertatione philologicâ Victorius eques clarissimus (p. 48):

TECLA FIDELIS
IN PACE VIX. M. IX.

Putat Cl. editor sic illum esse legendum; « Tecla fidelis, quæ in pace vixit. » At fortassè τὸ, *in pace*, acclamatio hìc quoque est; sensusque est: « Tecla fidelis quiescat in pace, « Vixit mensibus IX. » Aliis inscriptionibus id possem nullo negotio confirmare. Quare illud solum video generatim statui posse τὸ, *in pace*, nisi necessariò cum verbo aut epitheto conjungatur, quod ad pacem ecclesiasticam significandam illud trahat (necessariò autem non conjungetur, si suus lapidi sensus constet, quamvis illud ab eo verbo epithetove sejungas) de animæ aut etiam corporis pace consultiùs intelligendum esse, aut certè minùs efficax inde duci argumentum ad ecclesiasticæ pacis curam, quæ veteribus Christianis fuerit, comprobandam.

CAPUT VI.

S. Petri primatus, conciliorumque auctoritas veterum Christianorum inscriptionibus comprobatur.

Si sarcophagis, cœmeterialibus vitris, aliisque id genus veterum Christianorum monumentis liberet uti, plura suppeterent ex christianâ antiquitate argumenta ad S. Petri primatum suadendum. Verùm in præsentiarum solis rem agamus inscriptionibus. Extat apud Boldettium, p. 388, hæc inscriptio:

RVTA OMNIIBVS SVBDITA ET ATFABI
LIS BIBET IN NOMINE PETRI (vivet)
IN PACE ☧

Singularis hæc formula claves regni cœlorum, et principatum spectat judiciariæ potestatis, quem, ut cum Bedâ loquar (hom. in die sancto BB. Petri et Pauli Apost.), Petrus accepit, « ut omnes per orbem credentes intelligant, « quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis « illius, quolibet modo semetipsos segregant, « tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec « januam possint regni cœlestis ingredi. »

Et illud notatu dignissimum est, quod in Ennodii Ticinensis epitaphio legimus (obiit autem Ennodius a. DXXI.)

SCISMATA CONIVNXIT DVDVM DISCORDIA LEGI
ADQVE FIDEM PETRI REDDEDIT ECCLESIIS

Audistin' fidem Petri pro catholicâ fide usurpari? Nempe ad Eutychen scribebat S. Petrus Chrysologus, tomo 4 concil. Ven. edit. p. 802. « Beatus Petrus, qui in propriâ sede vivit et « præsidet, præstat quærentibus fidei verita« tem. » Quid? quòd qui in pace Ecclesiæ obierant, in pace Romæ defuncti interdùm dicebantur. Testem habeo lapidem hunc Fabrettianum, p. 757:

✠ EXSVPERANTIA D. XV. KAL. SEPT.
HIC DEPOSITA EST IN PACE ROME QVAE
VIXIT P. M. MENSES III CONS FAVSTI IVN DV
ID IANVARIAS

Atque id quidem ad Romanæ Ecclesiæ dignitatem illustrandam maximè facit; sed etiam ad Petri primatum vindicandum. Unde enim Romanæ Ecclesiæ honor tam singularis, nisi ex Petri principatu?

Neque prætereundum quod videre est apud Boldettium, p. 193, Aselli cujusdam epitaphium. In eo nempe Petri et Pauli imagines insculptæ cernuntur, Paulo ad Petri lævam collocato, quemadmodùm in omnibus ferè vitreis Christianorum calicibus, qui quidem cæteris sacræ antiquitatis monumentis sunt vetustiores, viri docti animadverterunt, atque inter hos Mamachius (Orig. et Ant. christian. tomo 5, parte 1, pag. 476 et seqq.); verùm quid aliud, quæso, Paulum ad Petri lævam situm exhibentes indicare voluerunt Christiani, quàm quod in majorum suorum commentariis legerant, esse Petrum non reliquis Apostolis modò, sed ipsi etiam Paulo præferendum? Equidem scio in aliis monumentis, Petrum modò potiorem, modò lævam partem occupare. Sed quùm multæ hujus rei causæ afferri possint, quas expendunt, illustrantque Fogginius, de Romano D. Petri itinere, p. 469 et seqq., et Mamachius, l. c. p. 507 et seqq., illud exploratum esse debet, hoc ipsum Petri excellentiam denotare. Nam cùm sæpè in nummis imperatorum, inque cæteris veterum sive ethnicorum, sive Christianorum monumentis dignior præstantiorque qui est, si, quasi dextera aliquid agat, lævam occupet, concedendum erit, inquit Mamachius, l. c., p. 515, Petrum qui in pictis sculptisque majorum tabulis extensâ dexterâ ad lævam Pauli proponatur, fuisse habitum Paulo excellentiorem.

Sed insignius restat primatûs, quem Petro tribuimus, argumentum. Illud pridem usurpârunt Cl. Marchio Maffeius tum in observationibus litterariis tomo 5, p. 23 ; tum in Musei Veronensis dedicatione, ac Mamachius, l. c., p. 292. Exstat in Museo Mediceo ærea Christianorum lucerna tertio, aut seriùs quinto seculo elaborata, erutaque olim Romæ è ruinis Cœlii Montis. Elegantis naviculæ formam habet, in cujus centro insurgit malus, cui velum ventis inflatum alligatur, et in ejus vertice affixa est tabula, ubi argenteis litteris in æs insertis hæc legitur inscriptio

DOMINVS LEGEM
DAT VALERIO SEVERO
EVTROPI VIVAS

Porrò in puppi vir sedet utrâque manu navis gubernacula regens; in prorâ stat alius vir, ut videtur, concionem habens. Lucernæ hujusce præstantissimæ schema exhibent Maffeius in citatâ dedicatione ; Mamachius tomo 3, p. 99, et Fogginius, p. 484. Ecclesiam hìc sub navis symbolo referri, quemadmodùm etiam in annulari gemmâ, quam illustravit Alexander, non est quod dubitemus. Tertulliani liceat verba usurpare in libro de Baptismo, cap. 12, scribentis : « Navicula illa figuram Ecclesiæ « præferebat, quod in mari, id est, seculo, fru- « ctibus, id est, persecutionibus et tentationibus « inquietetur. » At qui viri illi, quorum alterum in puppi sedentem, alterum vidimus in prorâ concionantem? Causeus sedentem virum esse vult S. Andræam, stantem verò D. Petrum; Bellorius aut stantem aut sedentem virum Christum esse affirmat, quod multò minùs est verisimile. Sed dubio procul Paulus, qui, *dux verbi,* in Actis dicitur, in prorâ concionatur ; Petrus verò in puppi sedet, et gubernaculum regit, ut cui *post naviculæ parvæ remigium,* quemadmodùm Maximus Taurinensis aiebet in tertiâ de Petro et Paulo Apostolis homiliâ, *totius Ecclesiæ gubernacula* tradita fuerint. Jam verò argumento id est luculentissimo, existimâsse veteres Christianos, Petrum fuisse à Christo gubernatorem principemque *visibilem* Ecclesiæ constitutum. Nam qui Ecclesiæ gubernacula teneat, gubernatorem esse principemque Ecclesiæ testata res est.

Hactenùs de Petri primatu. Pauca addam de conciliis. Cl. Corsinius, diss. 3, post notas Græcorum, ex autographis Donii Schedis hoc exhibet marmor :

HIC REQVIESCIT IN PACE DOMNA BONO
SA Q VIX ANN. XXXXXX ET DOMNO MENNA
Q VIXIT ANNOS....... EABEAT ANAT
EMA A IVDA SI QVIS ALTERVM OMINE SVP
ME POSVERIT ANATHEMA ABEAS DATRI
CENTI DECEM ET OCTO PATRIARCHE
QVI CHANONES ESPOSVERVNT ET DA SCA XPI
QVATVOR EVANGELIA

Quis hìc apertè non videat anathema, diras et imprecationes illas hìc exprimi quæ à 318 Patribus, episcopis, vel, ut barbari hìc appellant, patriarchis, in Nicænâ synodo contra Arium, sacrarumque legum contemptores conceptæ fuerant, nitidèque de Patribus illis hìc asseri, quod canones exposuêre ? Sæpiùs in actis occurrit hæc imprecatio. In Ariminensi lapide apud Muratorium, p. 1955, 1, legimus : « Qui hunc tumulum violaverit, habeat ana- « thema à 318 Patribus (Nicænis scilicet) per « verbum (*verbo* legit Muratorius, qui non ani- « madvertit singulariam P.) Domni Sergii Ve- « nerabilis episcopus, portionem cum Judâ « traditore Domini Nostri Jesu Christi. » Confer etiam Maffeium, Mus. Veron. p. 359, 1. Vides jam quantâ reverentiâ majores nostri concilii Nicæni canones susceperint, ut inter diras, imprecationesque anathema esse voluerint à Nicænis Patribus. Putasne eos qui ita sentiebant, non duxisse priùs sibi esse moriendum, quàm recedendum ab ejus concilii decretis ? « Sequor, aiebat S. Ambrosius, ep. 32, tracta- « tum Nicæni concilii, à quo me nec mors nec « gladius poterit separare. » Idipsum Christianos sensisse discimus ex hisce lapidibus. Quid? quòd in Dominianâ inscriptione Nicæni canones quatuor Evangeliis æquantur, quemadmodùm S. Gregorium affirmâsse novimus, lib. 1, ep. 24, venerari se quatuor prima concilia, sicut quatuor Evangelia. Constat ergo, sensisse Christianos Nicænum concilium errori obnoxium non fuisse. Quare quùm idem de cæteris generalibus conciliis dicendum sit, quæ Romana Ecclesia probârit, habemus egregium sanè, atque illustre argumentum, quo contra Lutherum, Brentium atque Calvinum probemus, generalia concilia à summo pontifice confirmata errare non posse.

CAPUT VII.

De membris militantis Ecclesiæ, ac primò de clericis theologico-lapidaria disquisitio.

Quod in hâc tractatione primum est, membrorum scilicet Ecclesiæ partitio in clericos et laicos, æquè à Lutheranis et Calvinistis in invidiam trahitur, qui quòd eorum contentio-

nes, et schismata, ut Bellarminus observat, l. 1 de Cler., c. 1, ab odio clericorum et laicorum favore initium duxerint, et vocabulum cleri non obscurè excellentiam quamdam ac dignitatem præ se ferre videatur, nullo modo ferunt ut ministri ecclesiastici clerici, cæteri laici appellentur; illud ex uno antiquo lapide licet luculenter probare. Exstat is apud Gruterum, p. 1050, 8, Fleetwodium, p. 347, 5, et Fabrettium, p. 735, 364; est autem hujusmodi:

AVR. SATVRNINVS. DIAC. SIBI. ET
AVR. VENERIAE. DVLCISSIMAE
CONI. DE PROPRIO SIBI FECERVNT
ROGO ET PETO OMNEM CLERVM
ET CVNCTAM FRATERNITATEM VT NVLLVS
DE GENERE VE ALIQVIS IN HAC SEPVLTVRA
PONATVR

Hic vides clerum à fraternitate distinctum, imò ob ordinis excellentiam fraternitati præpositum; fraternitatis porrò nomine nonnisi laici intelligi possunt, qui antiquo vocabulo, et ad christianæ charitatis leges composito fratres nuncupabantur; non quòd *fratrum* nomine clerici quoque non donarentur, sed quòd quùm hìc clerus à fraternitate distinguatur, alium hominum ordinem intelligi necesse sit, nempe laicorum.

Jamverò ad ordines quos ex lapidibus novimus, progrediatur oratio. Neque episcopos, presbyteros diaconosque commemorabo; hos enim ab antiquis, atque adeò primis Ecclesiæ temporibus exstitisse ne ipsi quidem inficiantur hæretici. Itaque subdiaconos non paucos nobis exhibent veterum Christianorum inscriptiones. Incertæ ætatis, seculi tamen quinti aut sexti sunt Augustinus subdiaconus, de quo inscriptio vetus à Fleetwoodio, p. 346, 2, et Muratorio, p. 1833, descripta, ac Petrus subdiaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ regionis primæ, quem memorat lapis apud Aringhium, tomo 2, p. 203, et Reinesium, cl. 20, n. 57. Hos ex adscripto consulatu quâ ætate vixerint, intelligimus. Sunt autem primò, Sanctulus subdiac. depositus Cons. Albini U.C., anno scilicet 444, Mur. p. 407, 1. Subdiaconus alius, cujus nomen intercidit, Maximo U. C. Con., seu anno 423, Mur. p. 419, 3; Filicellus, cujus meminit inscriptio posita P. C. Bilisari VI (imò III) ind. primâ, nempe anno 538. Mur. p. 424, 5, ac demùm Marcellus subdiaconus regionis sextæ... dep. p. c. Basili U. C. ann. 22, ind. XI, anno scilicet 563, Mur. 428, 2.

Unum acolythum invenio à lapidibus commemorari, Abundatium scilicet, eumque acolythum regionis quartæ titulo Vestinæ, quem ex adscriptâ indictione XII, anno 414, fuisse depositum colligit Fleetwoodius, p. 340. Lectores plures occurrunt, Heraclius lector regionis secundæ, qui decessit... Urso et Polemio conss., seu anno 338 (apud Boldettium, p. 81); Augustus lector de Belabru, scilicet ejusdem regionis secundæ, ut in diss. de Hierarchiâ Eccles. p. 89, conjicit doctissimus Georgius, cons. Seberini, anno scilicet 461 aut 482, quibus annis Fl. Severinum Fasti consulem habent, Claudius Atticianus lector, de quo Fabrettius, p. 557, 27; Attius Proculus lector (vide Gruterum p. 1049, 7), Fundanius........ Ovianus lector, Mur. 2098, 6;.... Julus lector Tituli S. martyris Cæciliæ, id. p. 1845, 4; Ulpius lector, p. 1959, 9. Neque exorcistæ desunt. Macedonium exorcistam Marangonius, in app. ad Acta S. Victorini, p. 81; Januarium Fleetwoodius, p. 502, 5; Petronium Boldettius, p. 415, exhibent.

Ex his colliges antiquissimos esse in Ecclesiâ ejusmodi ordines, quod Protestantes negant. Enimverò, etsi nullus ex indicatis lapidibus ad secundum, aut tertium seculum spectet, tamen ex more à primis usque temporibus recepto, ordines illos in Ecclesiâ fuisse pronum est argumentari tum ex aliis ejus ætatis scriptis monumentis, tum ex eo quòd nullum exstet primæ eorum institutionis vestigium. At contra ordinum quem Latina servat Ecclesia, numerum esse aliqua intelligo, quæ ex lapidibus objici possent. Primum est, nullam ostiariorum mentionem occurrere. Alterum est fossores non semel in inscriptionibus occurrere, ut apud Fabrettium, p. 739; Fleetwodium, p. 443; Boldettium, p. 60, 65, 416, ac Muratorium, p. 1966 et seq. Imò exceptores ordinibus videtur accensere Damasi, seu ejus parentis titulus à Grutero redditus, p. 1164, 11:

HINC PATER, EXCEPTOR, LECTOR, LEVITA, SACERDOS

Tertium est, in ipso hoc Damasi lapide neque acolythorum, neque exorcistarum, neque hypodiaconorum mentionem fieri. Siricium quoque Romanum pontificem, ubi primùm ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, lectoris, deinde levitæ munere sub Liberio Romano item pontifice functum esse, demùm presbyterum tituli pastoris fuisse, docet ejus epitaphium à Baronio recitatum, ad num. 398, 1:

LIBERIVM LECTOR, MOX ET LEVITA SECVTVS
POST DAMASVM CLARVS TOTOS QVI VIXIT IN ANNOS

FONTE SACRO MAGNUS MERVIT SEDERE SACERDOS

Verùm hæc nullo negotio refelluntur. Nam ostiariorum munus quarto saltem seculo vel ipse fatetur Binghamius; neque certè negari potest, nisi toti antiquitati repugnemus. Unum acolythum memorant lapides, Abundantium. Finge antequàm ille anno 1610, erueretur, aliquem ita fuisse argumentatum: Nullum hactenùs acolythum inscriptiones produnt; acolythi ergo nulli fuerunt; nonne risu fuisset exsibilandus? Quem nondùm effodimus ostiarii cujuspiam titulum, dabit fortassis felicior alia ætas; neque enim omnes Christianorum veterum inscriptiones ad hunc usque diem prodierunt.

De fossoribus quod secundo loco dicebatur, nullius est momenti. Egi de illis tomo 9 Symbol. Gorian. Florent edit., pag. 168), ostendique illos vel clericos non fuisse, vel certè minore jam aliquo ordine initiatos, quibus præterea munus, seu ministerium sepeliendi cadavera incumberet. Ostiarios fuisse nunc suspicor. Ad exceptores quod attinet, etsi non reperio qui de illis quod ad rem præsentem attinet, accuratè egerint, fateor rem esse difficilioris indaginis. Nam præter Damasi, qui in argumento objiciebatur, titulum, Gelasius, ep. 1, c. 6, recensens ecclesiasticos gradus, quos obire oporteret, «si assecutus est litteras, «inquit.... continuò lector, aut notarius, aut «certè defensor effectus post tres menses exi«stat acolythus.» Quibus sanè verbis lectoratum cum notariatu (qui exceptorum munus fuit), aut defensoris officio suppleri posse satis significat. An autem ordo suppleri possit officio, quod ordinibus non sit accensendum? Neque negotium facessat quod de defensore hìc ait Gelasius. Nam licet Petavius, in Epiph. hær. 62, n. 10, fuisse defensorem affirmet, non ordinis, sed officii nomen, quod laici gerebant, qui Ecclesiæ jura in civili foro propugnabant, Gothofredus tamen, in Cod. Theod. lib. 16, tit. 2 de episc. leg. 38, et Morinus, Exercit. 16, c. 6, n. 16, ex antiquis monumentis, illos Ecclesiarum defensores potissimùm fuisse clericos tradunt Trotzius in notis ad Hermanni Hugonis eruditum librum de primâ scribendi origine, p. 532, ex Mabillonio et Montfauconio, lectores non rarò notarii munere functos fuisse animadvertit. Atque id quidem negari non potest. Verùm et Damasi titulus, qui patrem primò exceptorem, deinde lectorem fuisse docet, et Gelasius, qui lectoris munus notariatu suppleri posse affirmat, lectorem ab exceptore apertè distinguunt. Quid? quòd in vitâ B. Epiphanii narrat Ennodius lectorem primò fuisse Epiphanium, tum in exceptorum numero dedicatum enituisse. Diversus igitur uterque gradus fuit. Porrò illa Ennodii verba consecrationem quamdam exceptoris officio tribuere videntur, ut nihil omninò desit, quo illud ordo comprobetur. Id ipsum indicant illa ejusdem Ennodii verba, in Vitâ B. Antonii monachi Lerinensis: «Qui «(Constantius antistes) eum (Antonium) in«ter ecclesiasticos exceptores cœlestem mi«litiam jussit ordiri.» Hæc theologis animadvertenda relinquo. Mihi illud dicere sat est, quod Witassio et Drouvenio placuisse video, septem ordines, quos Latina etiamnum servat Ecclesia, vetustissimos esse, et ab ipsis Ecclesiæ primordiis usu receptos; utrùm autem plures quàm septem antiquis temporibus fuerint, quæstionem esse ad hæreticos septem illorum ordinum contemptores refellendos non necessariam, neque à Tridentino concilio definitam.

Tertium argumentum plures facillimè solvunt; fatentur enim ordines minores, quemadmodùm temporum rationes postulabant, fuisse interdùm prætermissos. Ego verò neque necessariam, neque fortassis veram hanc esse opinionem censeo. Nam lectores quòd aliquando ad diaconatum promotos fuisse legimus, idem dictum esto de cæteris, inde factum quòd ii plures annos in ejus ordinis ministerio transegerint. Unde autem probabis, dùm diaconi consecrabantur, non fuisse priùs exorcistas acolythosque ordinatos? Certè in ejusdem Missæ solemniis diaconatum et presbyteratum fuisse nonnunquàm collatum plura testificantur vetera monumenta, quæ Drouvenius in medium affert, lib. 8, p. 1, quæst. 2, cap. 3, § 2. Quidni idem dicamus de inferioribus illis ordinibus? Porrò quùm ad altiorem ordinem promoti mediorum ordinum ministerium non peregerint, ut Sardicensis concilii verbis utar, can. 10, mirum non est, horum ordinum in illorum inscriptionibus mentionem non fieri, sed eorum tantùm in quibus diutiùs perseverârunt. Hæc mihi planior via commodiorque videtur ad catholicam de numero ordinum propugnandam doctrinam. Quamobrem probare vix possum quod in notis ad. Zosimi epistolam 60 ait vir doctus Constantius, col. 970, Siricium ep. 1, n. 14, Zosimo ipsi suffragante, «præcepisse, ut qui «grandævus baptizatur, statim lectorum aut «exorcistarum numero societur, *quasi alteru-*

« *trum è duobus illis gradibus suscepisse satis* « *esset, quo ad altiorem quis promoveretur.* » Nam si ex Zosimo Siricium interpretari debemus, unum id curæ fuit utrique pontifici, ut nemo ad altiorem ordinem promoveretur, quin, sive inter lectores, sive inter exorcistas, ait Zosimus, quinquennio teneretur: poterat autem quispiam in alterutro hoc gradu quinquennio consistere; nec tamen ad altiorem efferri, ordine alio non suscepto. Nam posteaquàm ordinis unius ministerio sese probârat, ad altiorem jamjam promovendus, poterat medii ordinis, cujus ministerium non exercuerat, consecrationem suscipere, ac dein in ejusdem Missæ solemniis ad sublimiorem illum evehi, in quo aliquot annorum intervallo hærere debebat.

Nunc pauca quæ ad disciplinam pertinent præteritorum temporum circa tempus, quo quis in unoquoque ordine consistere jubebatur, aut ad altiorem progredi ordinem poterat, ex inscriptionibus colligamus. Recole ergo quos supra lectores recensebamus: « HERACLIVS fuit in seculum (sic.) an. XVIIII. M. VII. « D. XX., » puerumque ex uxore susceperat. « ATTIVS PROCVLVS vixit ann. XVIII. M. VIII. D. « VII. IVLVS vixit annos plus minus XVI. M. VI. » Nempe « quicumque se Ecclesiæ vovebat ob- « sequiis à suâ infantiâ, ante pubertatis annos « baptizari, et *lectorum* debebat ministerio so- « ciari, » ait Siricius, ep. 1 ad Himerium Tarraconensem. Ubi autem ad annos pubertatis venerat, ex tertii concilii Carthaginensis canone 19, cogebantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Porrò si (quis) ab infantiâ ecclesiasticis ministeriis nomen dedisset, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuatâ observatione perdurare jubebatur, uti à Zosimo constitutum fuit in epistolâ 9, ad Hesychium Salonitanum. Ut tamen lector ætatis annum 20 attigerat, licebat illi, ut et aliis in alio ordine constitutis quousque vellent perstare. Quare Ulpius lector in lapide quem supra indicavi vixisse dicitur annis 25. Abundantius verò acolythus 30; Sanctulum quoque subdiaconum annorum 80, memorat ejus inscriptio. Hùc spectat Memoriani titulus, quem in Excursibus litterariis dedi, tomo 1, p. 207:

HIC IN PACE REQVIE
SCIT SANTE MEMORI
AE MENORIANVS
DIACONVS QVI VIXIT
IN HOC SECVLO AN
NOS PMIN. XLV, etc.

Quod ad presbyteros attinet, singularis est titulus, quem Cl. Maffeius divulgavit, Mus. Ver. p. 180, 5:

B. N. M
HIC REQVIESCET IN
PACE SCTM PREBITER (Sanctæ memoriæ)
VRBANVS QVI VIXET
IN HOC SECVLVM AN
NVS PLMN XXX ET FVAE (Plus minùs)
PRSB ANVS IIII ET M (Presbyter)
VIII. DEPOSITVS SD VI (Sub die)
NONAS OCTOB PC IT (Post consulatum iterùm)
ATQUE IT LAMPADIO (Iterùm)
ET ORESTO VVCC (Viris clarissimis consulibus)
IND. XI. Scilicet a. 533.

Quùm 30 circiter annis vixerit Urbanus, fuerit autem presbyter annis quatuor et mensibus octo, fit ut paucis post quintum et vicesimum ætatis annum mensibus presbyteratum sit consecutus. Canones tamen vetant ante 30 ætatis annum quempiam sacerdotio insigniri. Confer Chardonium in historiâ Sacramentorum, lib. 3, sect. 1, cap. 5. Pauca tamen exempla dispensationum in hoc disciplinæ genere supersunt, quibus Urbanus noster erit addendus. « Nempe si minimè reperiuntur « (sacerdotes) et necessitas exposcit, inquit « Zacharias papa in epistolâ ad Bonifacium « 12, à viginti quinque annis et supra levitæ « et sacerdotes ordinentur. »

At quoniam diaconissæ in clero numerantur à Nicæno concilio (apud Labb. tomo 2 Concil., col. 246, can. 19) non ante huic capiti finem imponam, quàm diaconissas duas ex sepulcralibus titulis in medium attulerim. Prima Daciana est, cujus epigraphen etiam exhibui in notis ad Petavii Dogmata, tomo 6, p. 40:

✠ DACIANA DIACONISSA
QVE. V. AN. XXXXV. M. III
ET. FVIT. F. PALMATI. COS
ET. SOROR. VICTORINI PRESBRI
ET. MVLTA PROPHETAVIT
CVM FLACCA ALVMNA
V. A. XV. DEP. IN. PACE III. ID. AVG,

Ad annum christianæ æræ 539 spectat hæc alia, quam Muratorius edidit in novo Thesauro, p. 424, 6:

✠ ✠ ✠
HIC IN PACE REQVIESCIT B. M.
THEODORA DIACONISSA QVAE
VIXIT IN SECVLO ANNOS PLM

XLVIII. D. XI. KAL. AVG. V. P. C.
(*quintum post consulatum*),
PAVLINI IVN. V. C. IND. II.

Habes hinc diaconissas duas, quæ quinquagesimum ætatis annum haud attigerunt Nimirùm etsi illas non minùs sexaginta annorum esse S. Paulus statuit, concilium tamen Chalcedonense anni 451, annum duntaxat quadragesimum, can. 15, requisivit. Confer Joannis Pinii V. C. de Ecclesiæ diaconissis Tractatum præliminarem ad tomum 1 Septembris Bollandiani, cap. 1, n. 4 et 5, et Bingamium (Orig. sive Antiquit. Ecclesiast., lib. 2, c. 22, § 4).

CAPUT VIII.

Monachatûs antiquitas ex lapidibus demonstrata; item votorum, continentiæ præsertim, adversùs nostri temporis hæreticos defensio.

A clericis ad monachos cum Bellarmino progredimur. Illud verò primùm occurrit, quod ab hæreticis negari solet, monachatum non hodie, aut nudiustertiùs inventum esse, sed ab antiquissimis retrò temporibus. Quod quidem quùm nostri controversiarum scriptores Patrum scriptis accuratè dilucidèque ostenderint, lapidum quoque auctoritate licet nobis confirmare. Habeto hìc Justinæ abbatissæ inscriptionem anni æræ christianæ 569 positam, atque à Muratorio divulgatam, p. 429, 3 :

HIC REQVIESCIT IN SOMNO PACIS
IVSTINA ABBATISSA FVNDATRIX
SANCTI LOCI HVIVS QVAE VIXIT
PLVS MINVS ANNOS LXXXV. DEPOSITA
SVB DIE KALENDARVM NOVEMBRIVM
IMP. D. N. N. IVSTINO P. P. AVG.
ANNO III. P. C. EIVSDEM INDICTIONE TERTIA

Porrò quùm Justina anno 569, quo obiit, annum ageret 85, natam illam oportet anno C. 485, atque adeò sub quinti seculi finem, quo 16 omninò ætatis annos numerabat, monasticam potuit vitam inire. Paucis S. Benedicto æqualis temporum fuit. Sed exhibeamus abbatem aliquot ante S. Benedicti ortum annis vitâ functum. Is est abbas Habetdeus, cujus meminit inscriptio apud Fabrettium, p. 757, 626, et Reinesium, d. 20, 94.

HIC REQVIESCIT IN PACE
SANCTVS. ABBAS HABE
TDEVS. POSITVS. VII.
ID. MAIAS ANTHEMIO
III. COS.

Tertium Anthemii consulatum tacent Fasti. Cæterùm quùm Anthemius anno 468, secundum inierit consulatum, interemptus autem fuerit anno 472, hoc annorum intervallo tertius hic consulatus concluditur. Quamobrem ut seriùs abbatem hunc obiisse velimus, anno 472 mortuum esse oportuit, octo scilicet annis antequàm S. Benedictus nasceretur. Quùm autem Capuæ defossus fuerit hic lapis, suspicarer abbatem fuisse Habetdeum Capuani ejus monasterii, quod Craterensi Gregorius Magnus unitum volebat, ut ex ejus epistolâ constat, lib. 9, ep. 22, Adeodato Neapolitano abbati inscripta.

Verùm hæretici non tam monachatûs antiquitatem insectantur, quàm vitam, votaque cum primis, quibus monachi adstringuntur; continentiæ autem maximè adversantur. Ac Lutherus quidem, in Epithalamio, duo hæc inter cæteras ineptias, calumniasque monastici statûs mendacia effutiit: mulieres nempe nonnisi ad matrimonium creatas fuisse, ac mulierem conjugatam meliorem esse coram Deo, quàm virgo sit. Quibus refellendis ut alia non suppeterent monumenta, sufficerent lapides, qui Leoninam (apud Marang. in app. ad Acta S. Victorini, p. 90), Florentiam (apud Mur. 1875, 3), Bassillam (apud Fabrettium p. 567), Avreliam (ibid.), Severam (apud Marang. in libro inscripto, delle cose Gentilesche ec. p. 455), Vervicem (apud Maff. Mus. Ver. p. 357), Agapen (apud Boldettium p. 80), Statiliam (ibid. p. 82), Faustinam (ibid. p. 339), Virginiam (ibid. p. 362), Septimiam (ibid. p. 384), Demetriam (ibid.), Ptolmaidem (ib., p. 416), virgines; Felicem quoque, *qui exivit virgo de seculo* (apud Marangon. in app. ad Acta S. Victor. p. 129), memorant. Quis enim credat, Christianos tantâ curâ ac diligentiâ virginis titulum suarum mulierum tumulis inscripsisse, si mulierem non esse ad aliud creatam, quàm ad nuptias, Deoque chariorem quæ viro conjuncta fuerit, quàm quæ virginitatem servâsset, sibi persuasissent? Id autem adeò sibi persuaserant, ut in illarum interdùm puellarum, quibus virginitas ob ætatis teneritudinem laudi tribui non poterat, elogiis virginitatem celebrârint. Exemplum profero ex Boldettio, p. 365 :

CεPHNIΛΛΑ ΠΑΡΘεΝΟC
ZHCACA εNIAYTON KAI MINACI
εNΘΑΛε KεITE ENI. PHNHTHTI POI KAL. IAN.

Nempe : Serenilla virgo, quæ vixit annum et mensem, jacet hìc in pace pridie kal. januarias. Sic etiam apud Maffeium, Ant. Gall. ep.

20, p. 101, celebratur ADVLESCENS INTEGRE CARNIS NOMINE LEVDOMARI, qui tamen VIXIT ANNIS NVMERO IV. et dies VIII.

Nihil tamen hæreticis exosum magis quàm perpetua virginitas, ac voto Deo nuncupata. Hanc ergo majoribus nostris in pretio fuisse ex lapidibus ostendamus. Quâ in re omitto Munatiam religiosam feminam, scurpillosam quoque religiosam, quarum duæ meminerunt inscriptiones, altera apud Muratorium, p. 413, 5; altera apud Maffeium in Antiquitatibus Galliæ, p. 98, ne fortassis pias tantùm hìc feminas aut viduas, quas concilium Carthaginense IV (can. 97) religiosas feminas appellat, memorari heterodoxi cavillentur. Ancillas Dei, aut Christi fuisse quas sanctimoniales dicimus, hospes sit in antiquis monumentis qui nesciat. Nam monasterium Eupræpiæ in quo Ancillarum Dei congregatio esse dignoscitur, à S. Gregorio Magno memoratur, lib. 11, ep. 19. In sacramentario quoque Romanæ Ecclesiæ quod Ven. card. Thomasius edidit, oratio legitur super ancillas Dei, quibus conversis (id est, monasticæ vitæ sese tradentibus) vestimenta mutantur. Demùm ut alia mittam, quæ in Cangii glossario congesta in hanc rem videre est, in Romano anni 721 concilio in eum anathema dicitur, qui monacham, quam Dei ancillam appellamus, in conjugium duxerit. Nunc ejusmodi ancillas Dei Christique in lapidibus quæramus. Offert autem sese primò Savinilla Jesu Christi ancilla in Marculi civis Nepesini et martyris titulo, quem edidit Boldettius, p. 580. Idem antea Boldettius, p. 466, Aureliæ Agapetillæ ancillæ Dei inscriptionem attulerat. Adde Gaudiosam clarissimam feminam ancillam Dei anno C. 447 defunctam, cujus meminit Muratoriana inscriptio, p. 407, 4, et ancillam Dei Julianam, cujus epigraphen Gorius evulgavit, tomo 1, p. 349. At tria hìc fortassis objici possent. Primum est, ancillæ Dei nomen viduis quoque, quæ post mariti obitum continentiam vovebant, commune fuisse; alterum tribui id nominis teneris etiam filiabus, quæ monasticum statum amplecti minimè poterant, ut in eo Boldettii lapide, p. 467:

DORMITIONE ANC DEI.
OLYMPIATIS. PARENTES
FILIAE B. M. F. Q. AN. B. V. (quæ annos bixit quinque.)
M. XI. D. XXI

Tertium est, *famulas Dei*, eas quoque appellari, quæ marito nupserant; ancillæ autem nihil à famulabus videri differre. Quæ tamen nullius sunt momenti: nam quùm nominum significatio ex usu pendeat, ancillasque Dei eas constet fuisse appellatas, quæ sanctimoniales fuerunt, Deoque voverant continentiam, frustra in famulæ Dei nomine præsidium quærunt heterodoxi. Ut autem demus, viduas hìc memorari, negare tamen non possunt hæretici, eas quoque continentiam vovisse, quod ad rem nostram satis omninò est. Quanquàm Agapetillam viduam non fuisse, vel ex eo constet, quòd ann. vixerit 21, menses 3, dies 4, et in ejus imagine tumulo insculpta velato capite exhibeatur; viduæ autem nonnisi post 40 annum velari consueverant. Olympiatis denique titulus nihil officit: nam, ut optimè ex Tertulliano atque Hieronymo animadvertit eo loco Boldettius, solebant interdùm parentes puellas suas Christo consecrare, futuras deinde ex voto *templum Dei*.

Clariora tamen proferre in hanc rem possumus monumenta. Virgines duas in classes Patrum scripta, conciliorumque atque pontificum decreta dispescunt, quarum aliæ sese Deo dicabant, habituque mutato, ac voto virginitatis emisso, paternas ædes incolebant, vel etiam *necdùm sacro velamine tectæ* in monasteriis degebant, aliæ Christo *spiritaliter nupserant, et velari à sacerdote meruerant*, ut Innocentius loquitur in celebri ad Victricium epistolâ cap. 12. Illæ *Deo devotæ*, hæ *sacratæ*, et *sacræ virgines*, ac *virgines Dei* nuncupabantur. Confer Cangium et Constantium ad eam Innocentii epistolam. Utrarumque nunc exempla ex inscriptionibus damus:

FVRIA. HELPIS
VIRGO DEVOTA

Occurrit in Fabrettii Syntagmate, p. 567. Hujusmodi etiam Irene Damasi soror, quam ipse S. Damasus hoc epitaphio exornavit:

HOC TVMVLO SACRATA DEO NVNC MEMBRA QVIESCVNT
HEIC SOROR EST DAMASI, NOMEN SI QVAERIS, IRENE
VOVERAT HAEC SE SE CHRISTO CVM VITA MANERET
VIRGINIS VT MERITVM SANCTVS PVDOR IPSE PROBARET
BIS DENAS HIEMES NEC DVM COMPLEVERAT AETAS
EGREGIOS MORES VITAE PRAECESSERAT AETAS, etc.

Hæc *devotarum* exempla sufficiant. Plura alterius generis proferamus. Columba virgo *sacrata Dei*, cujus titulum justo commentario illustravit Fontaninius, agmen ducat, quæ anno 453 ad superos evolavit. Manliam virginem sacratam Deo, Æmilianam quoque sacram virginem exhibent Gruteriani lapides duo, p. 1055, 2, et 1057, 5. Sacratam Geor-

giam Christi legere est ex Ruinartio apud Muratorium, p. 1180, 8. Apolloniam sacram virginem idem Muratorius protulit, p. 1830, 7. Nigellam virginem Dei reperias in Fabrettii Syntagmate, p. 567. Conirbicam Dei, virginem scilicet idem Fabrettius eodem loco in medium adducit. Sed integrum ex Maffeii Gallicis antiquitatibus, p. 97, reddamus Eusebiæ titulum, quo nihil in hoc argumento illustrius possit excogitari.

HIC REQVIESCIT IN PACE
BEATAE MEMORIAE
EVSEBIA. SACRA. DNO
PVELLA. CVIVS. PROBA
BILIS VITA. INSTAR
SAPIENTIVM PVELLA
RVM SPONSVM EMERVIT
HABERE XPM
CVM QVO....

Ne ipsum quidem sacrarum virginum velamen tacent lapides, ut si quod superesset hâc de re dubium, penitùs evellatur. Marangonius hunc exhibet titulum, in append. ad Acta S. Victorini, p. 88.

ANIMA DVLCIS. AVFENIA VIRGO
BENEDICTA QVE VIXIT. AN. XXX.
(Aufeniæ imago)
DORMIT. IN PACE

Velatam Aufeniam insculpta imago ob oculos ponit. Benedictæ autem nomen virginem omninò fuisse velatam, non viduam indicat; nam de viduis nullâ benedictione velandis exstat Gelasii decretum in epistolâ ad Lucaniæ episcopos nonâ. Vide Martenium, de ant. Eccles. lib. 2, c. 7, n. 5. Nec prætermittam, quam ex Capacio referunt Reinesius, cl. 20, 422, et Fleetwoodius, p. 514, inscriptionem:

IN HOC REQVIESCVNT TVMVLO VENE
RANDA CORPVSCVLA SACRAR VIR. ET
CONSECRAT. VELAMINE CVLTV CVM
QVA BACCINO ROSA ET IN SAECVLVM
PETRONILLA VERONICA S. SEVERA

Velaminis sacri meminit etiam lapidis fragmentum apud eumdem Fleetwoodium. p. 511. Atque hæc ad continentiæ votum vindicandum sufficiant.

CAPUT IX.

De laicis agit, ac potestatem politicam, militiamque à Christianorum legibus non abhorrere suadet.

Paucis ea perstringemus, quæ ad laicos pertinent. Politicam potestatem bonam esse, et Christianis licitam negant Anabaptistæ ac Trinitarii. Eos refellit Bellarminus, lib. 3 de Laicis, cap. 3 et seqq. Ridiculus sim, si lapides omnes afferre hìc velim, in quibus magistratuum à Christianis administratorum fit mentio. Describendæ hìc essent inscriptiones omnes christianorum imperatorum; describendi consulares tituli, ut Boetii ac Flavii Constantii; describenda præfectorum *prætorio*, idque genus elogia, cujusmodi illud à Fabrettio redditum, p. 741, Fl. Julii Catervii *ex præfecti prætorio*. Sed satis sit hæc indicâsse. Nimirùm incredibile dictu est Christianos à redditâ Ecclesiæ pace ad nostra tempora magistratus, eosque præstantissimos gessisse, si id evangelicæ legi adversaretur.

Existit hìc altera quæstio breviter et ipsa tractanda de militiâ, quam Christianis vetitam nonnulli existimârunt. In quâ quidem quæstione præter Bellarminum, l. 3 de Laicis, c. 14; Sigismundus Jacobus Baumgartem, anno 1745, accuratè versatus est in Examine sententiæ veterum Christianorum de militiâ, uti et Mamachius tum in primo, tum in tertio Originum et Antiquitatum christianarum volumine. Sed nobis agenda solis sepulcralibus titulis res est. Quis certè credat, Christianos suorum, qui milites fuissent, elogiis exercitæ militiæ munus inscripturos fuisse, si id lex Christi aversata fuisset? Atqui inscripserunt, neque solùm illorum, qui virtutis famâ inter ipsos minùs claruissent, sed etiam martyrum epitaphiis. Præstò sunt exempla plurima. Pauca hìc recitabo :

FLAVIVS FLORI....
EX TRIBVNIS QUI VIXIT
ANNIS OCTOGINTA ET
SEPTEM MILITAVI ANN
TRICINTA ET NOVEM POSITU
EST AD SANCTOS, etc.

Ita ejus lapis apud Muratorium, pag. 1875, 1, qui, pag. 1886, 1, hunc alium titulum exhibet :

HIC REQVIESCIT IN PACE
HISIDORVS VIR DELMATA
....NVMERI....

Accipe ex eodem tertium militem, p. 1922, 4:

HIC PAX QVIESCET EVCARIDV. F. SCVT
SCOL. SECVND. QVI MILITAVET AN. P. M. XVIII.

Marangonius in eo libro, quem *delle Cose gentilesche* prænotavit, p. 460, alium suggerit, in quo tamen vitiatos esse numeros existimârim :

CRESCENTI BENEMERENTI IN PACE VIXIT ANNIS P.
M. XIIII.

MILITAVIT ANNIS. V. FECERVNT CONMANIPVLI IPSIVS Utique et hi conmanipuli fuère Christiani, neque enim ethnici aut voluissent sepulcrali titulo christiani hominis memoriam ornare, aut etiam potuissent, Christianis cœmeteria sua, ut alias dixi, diligentissimè custodientibus.

Longè plures Boldettius exhibet, ut Felicissimum, p. 417; Pyrrhum p. 415; Annæum, p. 416. Sed in solis martyrum titulis immoremur. Marium ducem militum fuisse prodit ejus inscriptio aliquantò recentior, genuina tamen, ut alio loco dixisse me memini. Beneficiarium præfecti prætorio quod militare munus dubio procul fuit, habemus in hoc Secundini epitaphio, p. 415:

SECVNDINO. BENEMERENTI QVI VIVIT ANNOS XLII. B. N. F PRAEFT. QVIESCIT IN PACE VI. IDVS AVG.

Porrò Secundinum martyrem fuisse, sanguinis vasculum in ejus tumulo repertum demonstrat. Imò Boldettius eumdem hunc putat, qui in Martyrologio Florentinii VI Idus Augusti celebratur.

CAPUT X.

Legem posse servari, atque opera bona, orationem præsertim atque eleemosynam, esse meritoria contra hæreticos ex lapidibus arguit.

I. Quæ communia sunt capiti, membrisque Ecclesiæ, Christianæ pietatis justitiæque officia persequamur. Primum illud, ut Evangelicam legem servent. At nostri temporis hæretici, ut in vitia omnia prolabi nemine exprobrante ipsis liceat, servari legem posse audacter negant. Ita est. Verùm cæteris prætermissis argumentis, quibus insanum hocce, impiumque commentum à theologis nostris passim confutatur, in hâc etiam disputatione veterum Christianorum lapidibus utamur. Enimverò Dulcitia in ejus titulo, quem Muratorius refert (p. 427, 4) laudatur, quòd *morebus optimis* fuerit; Pauliam quamdam *cujus fides et integritas immaculata* (sic) *die vitæ suæ fuit,* apud Boldettium reperio, p. 378: *Laurentius innox anima agnus sine maculâ,* apud eumdem occurrit, p. 408. Servârunt ergo hi legem. Clariùs id de quibusdam aliis narrant lapides. Sic Mandrosa à Smetio et Fabrettio, p. 558, memorata fuisse dicitur *fidelis in* XPO *ejus mandata reservans;* Augustus apud Muratorium, p. 1834, 2, appellatur *divina legis jussa verenda colens;* Andream autem pontificem his verbis alloquitur ejus epitaphii auctor (Mur. p. 421, 1): *Nunquàm de manibus tibi lex divina recessit.* Certum igitur erat majoribus nostris, divinam posse legem impleri, quam à sanctis viris servatam fatebantur, ac prædicabant.

II. Mirum tamen haud est, hæreticos de divinâ lege tam impiè sentire, quùm bonorum operum osores sint, eaque nec necessaria, nec meritoria esse blasphement. In hoc ipso autem stultissimi sunt. Legant in Marangonii appendice ad Acta S. Victorini, p. 72, Græcam Hermogenis epigraphen. Ea latinè hujusmodi est: *Hermogeni, gaude, annos qui vixisti 45 benè faciens, neminem contristans, neminem offendens.* Ecce; jubetur Hermogenes gaudere quòd benè fecerit. Quid hoc? Opera bona si meritoria non sunt, de illis non est cur quisquam lætetur. Præterea Eleuteria in lapide *D. N. Cl. Juliano Aug. IV et Fl. Sallustio consulibus* notato, seu anni 363, dicitur *secura quiescere sanctis pro meritis et opera tanta*, et paulò post *pro factis ad alta* (cœlum scilicet) *vocata.* Hæccine ab iis profecta sint, qui cum Luthericolis crediderint, opera bona meritoria non esse?

III. Neque hoc solum generatim de bonis operibus lapides prædicant; sed orationem præsertim, atque eleemosynam ita commendant, ut plurimùm in utrâque esse meriti palam significent. Barbarum exhibeo ann. 626 positum epitaphium, quod Cl. Maffeius edidit, Ant. Gallic. p. 102:

EPYTAFIVM HVNC QVI INTVIS LECTVR (intueris lector)
BONE RECORDACIONIS AGAPI NEGVCIATORIS
MEMBRIA QVIESCVNT NAM FVIT ISTE STACIO
MISERIS ET PORTVS EGINIS OMNEBS APTVS (omnibus apertus)
FVIT PRAECIPVE LOCA SCORVM ADSE
DVE. ET ELEMOSINAM. ET ORACIONEM
STVDVIT. VIXIT IN PACE ANNS LXXXV. OB
VIII. KAL. APRILIS LXI. PC IVSTINI INDICT. QVARTA.

Sed de eleemosynâ possum plura exempla proferre. Lucas *Agathensis gentis alumnus.... justitie fons, munditie vas, lex pietatis, lux,* etc... *devia spes miseris* dicitur in Museo Veronensi, p. 312, 2. In Diogeniæ titulo, quem ex Grutero describit Fleetwoodius, p. 391, fertur illa fuisse:

LAETA SVIS LACRIMIS IEIVNO CORPORA PASTA
PRODIGA PAVPERIBVS NAM SIBI PARCA NIMIS

Quid Ennodium memorem? Fuit is, si sepulcrali ejus elogio credimus, quod Fabrettius, p. 753, vulgavit:

LARGVS VEL SAPIENS DISPENSATORQVE BENIGNVS
DIVITIAS CREDENS QVAS DEDIT IPSE SVAS

Eadem de Andreâ pontifice, quem supra memorabam, legere est.

HOSPITIBVS GRATUS SE IPSUM DONAVIT EGENIS
ILLOS ELOQVIO HOS SATIABAT OPE

Neque ea omittam, quæ de Valentiniano episcopo ejus epitaphium refert, Mur., pag. 425, 6:

ABIECTIS QVI FVDIT OPES NVDATAQVE TEXIT
AGMINA CAPTIVIS PRAEMIA LARGA FERENS
EST PIETAS VICINA POLO NEC FVNERIS ICTVM
SENTIT OVANS QVI FERIT ASTRA BONIS

Dulcitiâ quoque cujus supra facta mentio est, *charitate largissimâ* in ejus titulo prædicatur, et Augustus largus pauperibus. Quò, amabo, tam singularis atque præclara harum virtutum recordatio spectat, nisi ut intelligamus eas fuisse, quibus sancti illi viri Deo maximoperè placuêre, gloriamque sibi immortalem peperere-runt? Stet ergo, antiquitatem contra Lutheranorum inventa pugnare, Christianorumque titulos catholicum dogma de bonorum operum meritis vindicare.

CAPUT XI.

Baptismi necessitas, Baptismus infantium, ejusdem sacramenti effecta, et cœremoniæ ex lapidibus illustrantur.

Media salutis, cujusmodi Sacramenta sunt, necesse nunc est expendere, quidque ad ea sive illustranda, sive vindicanda conferant lapides, ob oculos ponere. A Baptismo autem initium ducimus, cujus necessitatem quam hæretici negant, Inscriptiones probant. Instar omnium duæ sint, quarum alteram Muratorius, p. 1916, 4; alteram Boldettius exhibet, p. 58. Prior hæc est:

NILAE FLORENTINAE INFANTI DVLCISSIMAE ATQ
INNOCENTISSIMAE FIDELI FACTAE PARENS CONLOCAVIT
QVAE PRIDIE NONAS MARTIAS ANTE LVCEM PAGANA
NATA ZOIIO CORP. MENSE OCTAVO DECIMO ET VICESI
MA SECVNDA DIE COMPLETIS FIDELIS FACTA HORA NO
CTIS OCTAVA VLTIMVM SPIRITVM AGENS SVPERVIXIT
HORIS QVATTVOR ITA VT CONSVETA REPETERET AC DE
FVNCTA HYBLE HORA DIEI PRIMA SEPTIMVM KAL
OCTOBRES, etc.

Ut ἐν παρόδῳ id observem, quid sit *Zoiio corp.* disputat Mazochius, p. 43. Hyblam autem, quùm plures sint in Siciliâ antiquâ hoc nomine urbes, Megaram intelligo; nam hæc proximior est Catanæ, ubi lapis existit. Posteriorem jam reddo:

IXΘYC
I. POSTVMIVS EVTHERION. FIDELIS QVI GRATIA
X SANCTA CONSECVTVS PRIDIE NATALI SVO SEROTINA
Θ HORA REDDIT DEBITVM VITE SVE. QVI VIXIT, etc.

« *Gratia* verò *sancta* non aliud, inquit Corsinius p. 34, intelligi vel esse profectò debet, quàm *baptismus* ipse, quem *postumius* propemodùm moriturus susceperat. » Rectè; hæc certè apud S. Cyprianum reperio in ep. Baluz. edit. ad Fidum, quæ Postumii lapidem mirificè illustrant: « propter quod neminem putamus, à *gratiâ consequendâ* impediendum esse... et idcircò, frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia, à *baptismo*, atque à *gratiâ Dei*.... neminem per nos debere prohiberi, quod, quùm circa universos observandum sit, atque retinendum, magis circa *infantes* ipsos, et recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostrâ, ac de divinâ misericordiâ plus merentur, quòd in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur. » Verùm quod ad institutum à me de Baptismi necessitate sermonem pertinet, illud est, Nilam ac Postumium utique ob instantis mortis periculum fuisse sacro baptismate ablutos. Cur autem, nisi quia persuasum Christianis erat, posse neminem salvari, qui ex aquâ renatus non fuerit? Equidem Joan. Georgius Walchius in Historiâ Pædobaptismi, p. 504, verosimile esse ait, de non baptizatorum infantum salute Patres ab ipso seculo III cœpisse dubitare; deinde *errorem* vocat. Verùm seculone jam tertio Christus Ecclesiam suam deseruerat, ut gravi de Baptismatis necessitate errore teneretur? Designet erroris sui Lutheranus homo tam vetusta principia; vel saltem patiatur errare cum christianâ antiquitate nos malle, quàm sapere cum Lutheranâ novitate.

Cæterùm quas inscriptiones adduximus, eæ etiam efficiunt, Ecclesiam infantium Baptisma probâsse contra quam Anabaptistæ garriant, qui non licere docent Baptismum tradere, nisi adultis, qui Baptismum per se flagitant. Accedunt innumeri alii lapides, in quibus fideles (baptizatos scilicet, ut infra dicam) et neophytos passim reperimus infantes. Sic apud Victorium Diss. Phil., p. 48, novem mensium puella *Tecla fidelis* appellatur, *neofitus* apud Boldettium, p. 807. Victor dierum 80 Florentinus quoque ab eodem Boldettio, p. 462, memoratus vixerat *annum et menses novem, dies quinque*; *fidelis* tamen de seculo

recessit. Achillam *neophytam unius anni mensium V*, invenias in Muratorii Thesauro, p. 1819, 6. Vin'? triennem puerum baptizatum? Legito hunc Cyriaci titulum, quem ex Boldettio, p. 453, descripsi.

✠

CYRIACVS FIDILIS DECESSIT OCTODIES

MINVS. A. TRES. ANNVS III. KAL. MAR.

Diebus 32 ultra tres annos vixerat Fl. Jovina, quæ in ejus epitaphio, apud eumdem Boldettium p. 271, *deposita* fertur *neofita in pace*; duobus autem diebus junior, neophytus tamen et ipse fuit Domitius, cujus epigraphen dedit Fabrettius, p. 559. In Museo Veronensi, p. 180, 3, Q. *Viminatium neofitum* offendimus, QVI VIXI ANN P M V, seu plus minùs quinque, Marangonius præterea, in app. ad Acta S. Victorini p. 109, hanc refert Inscriptionem :

V R C I A

F L O R E N T I N A

F I D E L I S I N P A C E

V I X. A N V. M E S. V I I I I.

D I E S V I I I

Sive autem legas *anu.* scilicet annum, sive *an. V*, annos quinque, perinde est. En ergo invictum Baptismi infantibus prioribus Ecclesiæ seculis collati argumentum, eòque magis invictum, quòd, ut Cl. Mazochius observat, p. 44, Nilæ Baptismus cœlesti voce fuisse approbatus in sepulcrali lapide dicitur; pergit enim inscriptio : « Cujus occasum cùm uterque parens omni momento fleret, per noctem *majestatis* vox extitit, quæ defunctam lamentari prohiberet. »

Cave tamen credas, istos omnes, quorum inscriptiones indicavimus tum primùm baptizatos fuisse, quùm in vitæ discrimen adducti fuêre. Non eò hoc dico, quòd contrariæ sententiæ sectatores ab Anabaptistis nihil, aut parùm differre existimem. Absit. Ut hæreticos istos refellas, satis sunt infantium baptizatorum exempla, etsi baptismo initiati sunt ingruente mortis periculo; hoc nempe discrimen ut magnum sit, non facit, ut infantes baptismum per se exposcant, quod tamen necessarium esse heterodoxi illi contendunt. Nego tamen illud verum esse, quod Cl. P. Corsinius p. 52, « Muratorio duce, ut ipse ait, nisi mortis periculum immineret, pueros baptismum distulisse usque ad usum rationis » affirmat. Hoc quidem ante Muratorium, quo *duce* gloriatur Corsinius, docuerunt Ludovicus Vives, Salmasius atque Suicerus, Thes. eccles. T. 2, p. 1136; imò omnibus præivisse videtur Walafridus Strabo seculi IX scriptor, cujus hæc sunt verba in libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 26 : « Notandum deinde primis temporibus illis solummodò baptismi gratiam dari solitam, qui et corporis et mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire et intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum; quid confitendum atque credendum; quid postremè in renatis in Christo esset servandum. » Verùm id veterum Patrum scriptis ac lapidibus ipsis repugnare confidenter aio. Cyprianum supra audivimus. Notum est Gregorium Nazianzenum, Orat. 40 de Bapt., ita censuisse, ut infantes nisi si mortis periculum intercederet, « triennio exspectato, aut aliquantò breviori vel longiori temporis spatio... per magni baptismi sacramentum et animos et corpora sanctificarent. » Tertulliano quoque constat in libro de Baptismo, c. 18, *cunctationem Baptismi*, ut quæ *utilior* esset, introducere voluisse. Quæ quidem utriusque doctoris opinio singularis satis apertè contrariam indicat in Ecclesiâ consuetudinem obtinuisse; Nazianzeni præterea sententia per sese Corsinio adversatur. Sed, ut alios Patres prætersam à Walchio in historiâ Pædobaptismi, atque à Binghamio, Orig. Eccl. lib. 11, c. 4, magno numero congestos, Siricium ab utroque prætermissum placet in medium afferre : « Sicut, inquit S. pontifex, epist. 1 ad Himerium, c. 2, sacram ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus qui necdùm loqui poterunt per ætatem, *vel* his quibus in quâlibet necessitate opus fuerit sacri unda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri. » Quæ Siricii verba, ut Chardonius observat in historiâ Sacramentorum, sect. 1, p. 2, c. 1, p. 156, edit. Gall., significant, infantium Baptisma ne tum quidem fuisse dilatum, quando in nullo mortis discrimine versabantur; infantes enim distinguit pontifex à cæteris, *quibus in quâlibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis*, et tum his, tum illis jubet *omni celeritate succurri.*

Patribus consentiunt lapides. Cur enim in aliquibus *neophyti*, in aliis *fidelis* nomen defunctis tribuitur? Nempe ut intelligeremus, *neophytos* in mortis periculo fuisse baptizatos, non item alios. Quid? quòd si *neophytos* suos hoc nomine non designabant in more positum Christianis fuit baptismi tempus disertis verbis adnotare. Hanc ego consuetudinem infra exemplis comprobabo; interea sufficiat Nilæ

epigraphen recolere, ubi non *fidelis* dicitur, sed *fidelis facta hora noctis octava*. Adeò Christianis curæ fuit in sepulcralibus monumentis verba ecclesiastico usu quodammodò consecrata propriè usurpare. Quùm ergo *neophyti* quidem *fideles* fuerint, *neophytos* tamen illos potiùs quàm *fideles*, ubi eorum veluti classem designare vellet, appellare Ecclesia consueverit, illis *fidelis* nomine reservato, *qui non noviter*, ut Gregorii Magni verbis utar, l. 4, ep. 50, *erant plantati in fide*, Christianos, qui tam sæpè *neophyti* nomen in suis titulis inscripserunt, credibile non est *fidelis* vocabulum latiore quodam sensu, atque iis etiam qui aliquandiù post baptisma susceptum in vivis egerant, communi adhibuisse. Quòd si *fideles* propriè ii fuerunt, fuisse illos extra mortis periculum baptismate perfusos dicendum est. Nam si velis baptizatos eos fuisse, quùm vitæ discrimen subierunt, alterutrum affirmare necesse erit, aut eos omnes è periculo illo emersisse, ac demùm novâ ingruente ægritudine obiisse, aut cum morbo tamdiù fuisse colluctactos, ut non ampliùs *neophyti*, sed *fidelis* titulo possent extra omnem ambiguitatem donari; quod utrumque in tantâ *fidelium* infantium multitudine incredibile est, nec ullâ certè probabili ratione suaderi potest. Non sum equidem nescius, quarto præsertim, et quinto seculo Baptismum ad provectiorem ætatem, atque adeò ad mortem usque protractum à plurimis fuisse. Exempla passim in Ecclesiæ annalibus occurrunt. Duos indicâsse sufficiat, quorum Muratorius epitaphia in novum suum Thesaurum intulit, p. 382, 2, et 390, 3. Junium nempe Bassum. V. C. *qui vixit annis* 42, *mens.* 2, *in ipsâ præfecturâ Urbi iit ad Deum* 8 *kal. septemb. Eusebio et Hypatio cons.*, scilicet æræ christianæ 359, et *Fl. Arcadio et Baudone conss.* (anno 385), 10 *kal. julias defunctum* Leontium *neophytum qui vixit ann. plus minùs* 20. 8. *Mes.* 5. *d.* 15. Verùm hoc generalem illam Muratorii et Corsinii regulam haud probat, *nisi mortis periculum immineret, pueros baptismum distulisse usque ad usum rationis*; imò quùm Patres eam consuetudinem longè latèque vagantem gravissimis verbis insectarentur (confer S. Joannis Chrysostomi *in Ep. ad Hebræos homiliam* 13), alium planè usum, quem quin plures servârint, dubitare non possumus, probâsse Ecclesia videtur.

Nollem hìc, Lutheranum quempiam, qui actualem in parvulis, dùm baptizantur, fidem Luthero duce requireret, Goriano lapide abuti, quem etiam Corsinius refert, p. 33.

INGENIOSAE QVAE VIXIT ANNIS IIII. M. V. DIES XXI.
FIDE. PERCEPIT. MESORVM. VII.

Quanquàm si quis inscriptionem istam objiceret, in re lapidariâ hospitem sese ac peregrinum ostenderet. Non enim Ingeniosa dicitur hìc *percepisse*, id est Baptismum, quem ex arcani disciplinâ reticeri sæpè consuevisse postea ostendam, *fide*, quàm actu habere; sed τὸ *fide* Baptismus ipse est, qui propterea sacramentum Fidei à Patribus, ut à Fulgentio, de fide ad Petrum c. 30, sæpè appellatur. Nam « sicut (inquit S. Augustinus ad Bonifac. ep. « 23) secundùm quemdam modum sacramen- « tum corporis Christi corpus Christi est, et « sacramentum sanguinis Christi sanguis Chri- « sti est, ita *sacramentum fidei fides* est. » Scribitur autem, *fide*, pro, *fidem*, more non in Christianis tantùm, sed etiam in ethnicis inscriptionibus ab eruditis viris observato; littera enim M. sæpissimè in hujusmodi monumentis omittitur. Ridiculus sim, si rem planè certissimam exemplis confirmem. Unum tamen ex Lupio, p. 173, adducam, apud quem in Florentini epigraphe legitur, PAX TECV. Confer etiam Bonarrotium, p. 47 et 166.

Ad Baptismi effecta transeamus, cum hæreticis iterùm congressuri. Negant Lutherani, negant Calviniani apud Bellarminum, de Bapt. lib. 1, c. 13, Baptismo tolli peccata, sed aiunt deleri tantùm eorum reatum, ut imputatione nullâ sint. Conferamus jam cum hoc errore veteres Christianorum lapides. Primus sit Gruterianus, pag. 1164, 7, quem Fleetwoodius quoque, pag. 440, exhibet emendatque:

QVI PECCATORVM SORDES ABOLERE PRIORVM
TERRENISQVE OPTAS MACVLAS ABSOLVERE VITAM
l. maculis
HVC ADES AD CHRISTI FONTEM SACRVMQVE LIQVOREM
CORPVS VBI AC MENTES PARITER SENSVSQVE LAVANTVR
AETERNVMQVE DATVR CASTO BAPTISMATE MVNVS

Porrò fontes S. Anastasiæ, quibus hæc carmina insculpta erant, extruxerat Romanæ urbis præfectus Longimanus, qui inter *comites sacrarum largitionum*, anno 399, recensetur, et PP. seu *præfectus prætorio* (Italiæ scilicet) anno 406, fuit constitutus. Hujus similis inscriptio est Viennæ Allobrogum à Cl. march. Maffeio inspecta: in eâ hæc de IFOEDVLA leguntur:

MARTINI QVONDAM PROCERIS SVB DEXTERA TINTA
CRIMINA DEPOSVIT FONTE RENATA DEI

Arrigant aures heterodoxi: Baptismo *peccatorum sordes* ABOLENTVR *priorum*, *terrenis maculis* ABSOLVITVR VITA, *crimina* DEPONVNTVR: Hæccine

indicant, remitti tantùm peccata, non tolli? Hinc interdùm, ut in præclarâ quam Muratorius refert, p. 1888, 5, inscriptione Spiritus sanctus columbæ specie baptizandi capiti imminens exhibetur. Nempe Spiritûs sancti gratiam, quam Baptismus confert, hoc pacto indicare Christianis visum fuit.

Quare mirum non est, Christianos Baptismum, cujus tam præclaros effectus nôrant, tanti fecisse, ut tempus, quo illum perceperant, veluti singularis cujusdam felicitatis ἐποχὴν suis tumulis inscripserint. Sed in hâc illustrandâ consuetudine paulò diutiùs immoremur. Cl. Mazochius in duabus quas de Hilari epigrammate ad Dominicum Georgium dedit, epistolis, hunc morem in illo Hilari epitaphio visus est sibi deprehendisse; quod enim ibi legitur QVI VIXIT ANNVS PL. MS. XXV, ipse explicat: *Qui vixit annos plus minùs quinquaginta, menses viginti quinque.* Nempe in quibusdam marmoribus animadvertit singulariam P. significare *plus minùs*, sequens verò MS, non est nota τοῦ *minùs*, sed *mensium*, ut videre est apud Valerium Probum, et cæteros notarum Romanarum scriptores. Sed pace viri summi, quem maximi facio, atque adeò amo, Sabbatinio, cui etiam in Museo Veronensi adstipulatur Maffeius, legenti, *plùs minùs viginti quinque* assentiri omninò cogor. Quid enim in Valerio Probo aliisque Romanarum rerum scriptoribus quærimus notarum à Christianis usurpatarum explanationem? Uti verborum, ita siglarum portenta Romanis quadratariis ignota prodeunt in dies in Christianorum titulis. Adde exemplum in Muratoriano Thesauro, p. 1954, 3, τοῦ MS, pro, *minùs*, à Sabbatinio inventum, ubi *Valeria* vixisse dicitur *in hoc seculo* ANNIS PL MS XXXII. Mazochius quidem et hìc legit: *Plus minùs quinquaginta, mensibus* 32. At formula illa, *vixit in hoc seculo* hanc explicationem minimè fert. In Hilari verò epigrammate quùm voces aliæ omnes puncto notentur, atque à sequentibus disjungantur, quî factum ut post litteram P (siquidem illam Mazochius à sequente separat) nulla fuerit interpunctio adhibita? Nempe quia cum sequente conjungenda est; conjuncta autem nonnisi PLVS potest significare. Quid? quòd Christiani ut videbimus ubi Baptismi ἐποχὴν suorum tumulis inscribere voluerunt, verbo aliquo diversam hanc ἐποχὴν accuratè denotârunt. In Hilarine tantummodò ac Valeriæ titulis rem ita obscurè indicârint ut Mazochio œdipo opus fuerit ad eam enucleandam? Neque eidem doctissimo viro subscribere possum ad eumdem Christianorum morem duos hosce lapides trahenti, p. 52, à Marangonio editos in libro qui prænotatur, *delle cose Gentilesche*, p. 461 et 458:

I.

AELIAE IENVARIAE FIL
ET MARTIO MARITO ET.
QVI FECERVNT INC...
DIES XL. QVE IENVARIA
VIXIT ANNIS X7 II. MES... L. XVIII.
PARETES. BENEMER.

II.

AMANTIO. QVI VIXIT. ANN. P. M. XXXVIII. DECESSIT IN PACE
DD NN HONORIO VIII. ET THEODOSI III. AVVGG. QVI FECIT
ANN. XXX. ET MENS. VIII.

In hâc inscriptione, si Mazochio credimus, posterior summa est temporis post lavacrum; sensusque est *fecisse* Amantium nempe *in Christo*, (quæ locutio integra reperitur in primo AELIAE IENVARIAE titulo) *ann. xxx. et Mens. viii.* In alterâ verò quùm vita post baptismum exacta perquàm brevis fuerit, per dies notata est. Hæc vir eruditissimus. Sed in primâ illâ nihil ego de Christo aut lavacro invenio; quæ enim desunt post litteram C..., suppleo ON, nempe *in conjugio*, ex Fabrettii lapide 131, p. 270.

A. FRI. CA. NVS. FOR. TVN. A. TE. CONIV. GI. CVM. QVEN. FECIT
IN. CONIV. GIVM. ANNOS. N. VIII. MENSES N. II. DIES N. XXVII
QVE NVBSIT. ANNORVM. N. XV. MENSVM. N VIIII. QVE. VIXIT.
ANNIS N. XXIII. MENSES N. II

Secundam autem de conjugio quoque explicandam suadet vetus formula, atque à Christianis quoque usurpata *fecit*, quam ad spiritale cum Christo conjugium cum Mazochio referrem, si exemplo aliquo suaderi id posset. At quî Amantius, qui annos tantummodò 38 vixit, *facere* potuit, seu vivere cum conjuge ann. 30? Nempe aut typographi vitio in Marangonii exemplo, aut etiam quadratarii oscitantiâ in autographo lapide nota aliqua numeralis deest in priore annorum summâ. Dicere hoc malo, quàm sine exemplo conjugalem formulam mystico sensu intelligere. Jam verò rejectis hisce exemplis certiora alia quæramus, quibus consuetudo illa Christianorum confirmetur. Quanquàm duo jam attulimus *Nilæ*, inquam, atque *Ingeniosæ*. Ac de Nilâ quidem explorata res est; de Ingeniosâ verò nullo negotio ostendi-

tur. Recito iterùm lapidem INGENIOSAE. QVAE. VIXIT. ANNIS. IIII. M. V. DIES. XXI. FIDE PERCEPIT, MESORVM VII. Viden' duplicem ἐποχὴν, vitæ alteram, alteram fidei perceptæ, Baptismi nempe suscepti? Num autem sensus sit, Ingeniosam vixisse menses 7 à fide perceptâ, an potiùs quùm septimum ætatis mensem ageret, fidem percepisse, quærant alii, mihi hoc alterum verosimilius ex gignendi casu *mesorum*. Disertissimum aliud hanc in rem argumentum ex Fabrettio, p. 563, Mazochius profert, p. 9:

D. M.
EV. FROSINE
COIUGI KA
RISSIMO
KAMPANO QUI VIXIT MECU AN
BENE XII. MESES DVO. DIES V. PERIT ANN XXXV
EX DIE ACCEPTIONES SVE VIXIT DIES LVII

ACCEPTIO hìc nihil aliud est quàm Baptisma. Equidem illa ad Confirmationem significandam lubens detorquerem: duo tamen vetant; alterum est Ingeniosæ titulus, ubi FIDE (Baptismum scilicet) PERCEPIT disertè legimus; ethnicæ illæ formulæ TAVROBOLIO CRIOBOLIOQVE PERCEPTO; quas Mazochius scitissimè recolit: quùm hujusmodi sacra à dæmone inventa potissimùm fuerint in quamdam Baptismi imitationem atque ludibrium.

Verùm hocce *acceptionis* vocabulum monet, ut de disciplinâ arcani apud veteres Christianos verba faciam. Ejus ubi de formulâ IN PACE disserui, exemplum dedi in liturgicis precibus. Sacramenta porrò à Christianis diligentiùs celabantur. Hinc arcanæ hæ locutiones, ACCEPTIO, FIDES, et quam in Postumii titulo notabamus, GRATIA SANCTA CONSEQVVTVS ad indicandum Baptisma. Hùc etiam spectat quod in Severiani tumulo legimus, apud Murat., p. 414, 4, QVI RELIGIONEM DEVOTA MENTE SVSCEPIT. Illustrant hanc arcani disciplinam celeberrima illa S. Augustini verba in Ps. 103, conc. 1. « Quid est, quod occultatum est, et non publi- « cum in Ecclesiâ? sacramentum Baptismi, sa- « cramentum Eucharistiæ. Opera nostra bona « vident et pagani; sacramenta verò occultantur « illis. » Atque id tam cautè observabant Christiani, ut Baptisma significaturi verbo aliquo ut, *accepit, percepit*, uterentur, nomine prætermisso. Exempla afferamus, superiorem quoque illum temporis, quo Baptismus susceptus fuerat, adnotandi morem confirmatura. Primum ex Marangonio, in app. ad acta S. Victorini, p. 91, depromo:

FELICISSIMVS. CRESCENTI
NE. CONIVGI DULCISSIME
KARISSIME. QVE. VIXIT. ANN
XXXIII. MES. II. ACCEPIT. III. KAL
IVL. DEP. VI. KAL. NOVE
NBRES. BENEMERENTI

Habemus aliud in Capuano lapide, quem Muratorius edidit, p. 1998, 6:

HIC EST POSITA
FORTVNIA
QUAE VIXIT AN PLVS
MINVS IIII
PARENTES DVLCISSIMAE
FILIAE POSVERUNT
CONSECVTA
EST DVI DEPOSITA
EST VIII. KAL AVG
GRATIANO. II. ET PROBO

Spectat hic lapis ad annum 371, quod non animadvertens Cl. Corsinius, p. 34, hanc inscriptionem inter exempla attulit, quæ probant, « antequàm Ecclesiæ catholicæ pax et « tranquillitas *Constantini Magni temporibus*, « affulgere cœpisset, ideòque *neophyti, fidei*, « *fidelis, Christi*, aliaque id genus sacra nomina « sepulcralibus Christianorum titulis perspicuè « disertèque inscriberentur, eadem nomina « juxta veterem arcani disciplinam reticeri, « vel obscuriùs exprimi consuevisse. » Quibus in verbis alia quædam sunt, quæ omninò non placent. Nam neophyti, fidei, fidelis, Christi nomina, ad arcani disciplinam spectâsse non ita facilè comprobabitur, nec quis sibi in animum inducet lapides omnes, quibus ea nomina insculpta fuêre, Constantiniano ævo esse recentiores. Nam quæ ipsa sacramenta aut secretiora fidei mysteria significant, ea potissimùm arcani disciplinâ obvolvebantur, seu ut Tertulliani verba usurpem, Apol. c. 7, omnibus mysteriis silentii fides adhibebatur; hinc Baptismi nomen frustra in lapidibus requiras; pleraque autem illa nomina, etsi ad Sacramenta ac mysteria Religionis nostræ referuntur, non ea tamen ipsorum sunt vocabula, aut quidquam detegunt, quod naturam illorum, rationes, affectiones, effecta patefaciat et celari debuerint. Christi porrò nomen adeò non occultabatur, quod ad ejus divinitatem pertinet, ut qui ethnicis liturgicos libros prodere, Sacramenta aperire, Trinitatem explicare piaculo sibi duxissent, Christum verum esse Deum palam prædicarent. Quanta de Christo, deque ejus divinitate in apologeticis, quos gentibus pro Christianorum nomine obtulerunt, Tertullianus atque Justinus nar-

rant! Confer Origenem l. 1, contra Celsum. Præterea arcani disciplina diu in Ecclesiâ obtinuit, ut quem supra reddidimus Augustini locus demonstrat; imò ea fortassis disciplina post datam à Constantino Ecclesiæ pacem arctiore quâdam ratione servabatur, quemadmodùm Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Athanasii, aliorumque Patrum scripta testantur. Quis enim seculo quarto aut quinto ea evulgare ethnicis se posse credidisset, quæ in primâ Apologiâ Justinus de Baptismo deque Eucharistiâ ipsâ prodidit? Quare christianarum inscriptionum ætas neque ab expressis hisce vocabulis, neque ab arcanis quibusdam locutionibus, meâ quidem sententiâ, est repetenda. Verùm in viam redeamus. Tertium hocce disciplinæ, de quâ agimus, exemplum Mazochius, p. 31, reddit:

EVFRONIA EV..... f. Eufronii
FILIA. ET M..... f. misere
NAVFRAGIO.....
NECTA. NAT.....
PRI. KAL. NOV.....
PERCEPIT
III. ID. APRIL.
DECESSIT
PR. KAL. MAI

Equidem Cl. Sabbatinius, in Epist. ad card. Besutium de Hilari epigrammate, p. 30, negat christianam hanc esse inscriptionem, quòd inter christianas à Gudio relata non fuerit, quòdque nihil aliud titulus hic innuat, nisi Eufroniam, quæ *Natale pridie calendas novembres percepit*, seu nata est, *naufragio ereptam tertio idus apriles decessisse.* Quis tamen Maffeio, in Ant. Gall. p. 96, Muratorio, p. 1464, 1, Corsinio, p. 34, antiquitatis peritissimis viris, qui Christianis lapidem istum accensent, assentiri non malit, quàm Gudio, cujus collectio nullum judicium, nullam diligentiam, nullam eruditionem prodit? Præterea ut Christianis inscriptionem illam Sabbatinius abjudicaret, necesse illi fuit *inauditam phraseologiam* (Mazochii verba sunt, p. 31), procudere: *Natale percepit.* Quid? quòd si Sabbatinianam sententiam amplectimur, quid Eufronia post mortem, quam obiisse *III kal. april.* ait vir doctus, egerit ad ultimum *prid. kal. majus* in lapide disertè inscriptum, ignorabimus. Christianam ergo inscriptionem esse, tot egregiis clarissimisque viris auctoribus demus, Mazochio viro et ipsi præstantissimo, deque universâ litterariâ republicâ optimè merito, Baptismumque eo verbo *percepit* ex arcani disciplinâ indicatum fateamur.

Pascasii tamen ante alios fuerat lapis commemorandus. Sed quoniam is cæremonias præterea quasdam Baptismi nobis in mentem revocat, opportuniùs paulò post describetur. Hæ porrò cæremoniæ aliæ Baptismum præcedebant, aliæ comitabantur, aliæ demùm sequebantur. Eas inter, quæ ante Baptismum in more erant, præcipua erat catechumenatus. Hujus vestigium quoddam in Græco *Onesimes* titulo, quem Marangonius (p. 74) divulgavit in Cœmeterio S. Hermetis repertum; ea enim ΚΑΤΑΧΟΥΜΕΝΗ dicitur. Scio tamen, Cl. Corsinium, p. 33, Neophyti sensu Catechumeni vocem hìc usurpatam contendere. Etenim sola quatuor annorum ætas, quam Onesimi tribuit inscriptio, « pati vix poterat, « inquit vir doctus, ut ea sacris mysteriis in« structa, suscipiendique Baptismatis cupida « foret, adeòque receptâ jam phrasi *catechu« mena* diceretur. » Ac facilè tanti viri auctoritas, tamque probabilis ratio me in ipsam hanc sententiam pertraheret. Dùm tamen animadverto, S. Gregorium Nazianzenum (Orat. 40 de Bapt.) triennium censuisse parvulorum, qui baptizandi erant, ætati præfiniendum, « nam tum et mystici quiddam audire, ac res« pondere possunt, ac si minùs plenè et exactè « intelligunt, imbuuntur tamen, et informan« tur; » faciliùs intelligo, puellam, quæ non quatuor tantùm annos, sed etiam menses quinque, diesque tres numerabat, sacris potuisse mysteriis institui, ac Baptismi desiderio teneri, atque ægrè adducor, ut credam catechumeni nomen contra totius Ecclesiæ consuetudinem ad neophytam significandam in sepulcrali titulo fuisse translatum. At quî ergo quievisse dicitur in pace? Nimirùm fortassis martyr occubuit; ut autem Prosper cecinit, ep. 87:

Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit;
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

Vel certè, quod de Valentiniano Juniore aiebat Ambrosius, *hanc sua pietas abluit, et* VOLVNTAS. Quùm autem plures essent catechumenorum gradus, primumque AVDIENTES constituerent, reddendus hic lapis est à doctissimo Gorio divulgatus, qui audientis titulum continet: SOZOMENETI ALVMNAE AVDIENTI PATRONVS FIDELIS.

Muratorii inscriptionem, p.1888, 5, indicavi,

in quâ baptizandi capiti Spiritus S. columbæ specie imminet. Adstat in eâdem puero in baptismali vase posito (quod antiquissimum mersionis ritum exprimit hinc episcopus, hinc sponsor seu patrinus. Nempe dandi Baptismi jus quidem habet « summus sacerdos, qui « est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, « non tamen sine episcopi auctoritate, » ut « ait Tertullianus, de Bapt. c. 17. « Fide« jussores verò, quemadmodùm loquitur Au« gustinus (serm. 116 de Temp.) pro ipsis (bap« tizandis, si parvuli essent, aut hebetes) res« pondebant, quòd abrenuntient diabolo, « pompis et operibus ejus. » In mulierum baptismate diaconissas operam præstitisse suam constat. Id ipsum indicat Christiani lapidis fragmentum à Maffeio Græcè editum, Latinèque redditum, Mus. Ver. p. 66, 1 : Μὲ Οὐαλεντίλλα θέτο λουτρῷ..... ὡς ἀγλαίν τε φάεος : *Me Valentilla in lavacro posuit.... tanquàm in splendore lucis.*

Inter ritus, qui Baptismum sequebantur, inprimis commemorandæ vestes albæ quibus induebantur baptizati, quasque in ipsâ octavâ Paschæ exuebant in Ecclesiæ vestiario custodiendas. Harum mentio in quanti vis pretii lapide Fabrettiano p. 577.

NATV. SEVERI NOMINE PASCASIVS
DIES PASCALES PRID. NOV. APRIL. N
DIE IOBIS FL. CONSTANTINO
ET RVFO VV CC CONSS. QVI VIXIT (1)
ANNORVM VI. PERCEPIT
XI. KAL. MAIAS ET ALBAS SVAS
OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM
DEPOSVIT D IIII. KAL. MAI. FL. BASILIO
V. C. CO.... (2).

Ad eosdem ritus, qui Baptismum sequebantur, spectat Neophytorum et fidelium nomen, quo baptizati donabantur. Exempla supra adduximus. Monui in historiâ Litterariâ, t. 6, p. 481, catechumenos in nonnullis Ecclesiis, atque Hierosolymitanâ præsertim, *fideles* quoque fuisse appellatos. Cæterùm id nominis Ecclesiæ ferè omnes baptizatis tribuebant. Cl. Mazochius, p. 43 et seqq. contendit *fidelium* nomen tributum fuisse baptizatis, non quòd jam crederent, sed passivâ significatione, quòd fide digni essent, seu quòd digni haberentur, quibus fidei arcana crederentur. Ingeniosè id quidem dictum, et ex parte verè. Nam baptizati πιστοὶ, hoc est, *fideles* eo sensu appellari possunt, quo *initiati* etiam vocantur, *quia* scilicet *Jesus se credidit eis,* ut cum Augustino loquar, tract. 11 in Joan., imò nisi fallor, eo sensu *fideles* à Cyrillo Hierosolymitano, protocatech. n. 6, *illuminati* dicuntur, dùm fideles illos appellari ait veluti filios Altissimi, qui *fidelis* est et *justus.* At id esse hujus etymon vocis mihi persuadere non possum, nec sibi persuasit Augustinus. Nam in primo *de peccatorum Meritis* et *Remissione* libro ait : « Non hoc judicat ecclesiastica « regula, quæ baptizatos infantes *fidelium* nu« mero adjungit. Porrò si illi qui baptizantur, « propter virtutem celebrationemque tanti sa« cramenti, quamvis suo corde atque ore non « agant quod ad credendum confitendumque « pertineat, tamen in numero *credentium* com« putantur. » Ubi manifestum est idem esse Augustino fidelium numero adjungi, quod in numero credentium computari. Imò in eodem libro non multòpost disertè ait S. doctor: « Nec « ideò tamen eos (parvulos) quisquam fidelium « *fideles* appellare cunctatur ; *quod à credendo « utique nomen est,* quamvis hoc non ipsi, sed « alii (sponsores scilicet) pro eis inter sacra« menta responderint. » Hactenùs de Baptismo.

CAPUT XII.

Christianos lapides recenset, qui Confirmationem memorant, hancque verum esse sacramentum à Baptismo distinctum evincit; unctionem quoque ejus esse materiem declarat.

De Confirmatione, quæ alterum est christianæ Ecclesiæ sacramentum, acturis offert sese statim celeberrimus Leopardi titulus, de quo olim Mabillonium inter et Fabrettium disputatum fuit.

D M A SACRVM XL
LEOPARDVM IN PACEM
CVM SPIRITA SANCTA. ACCEP
TVM EVMTE ABEATIS INNOCINEM
POSVER PAR. Q. AN. N. VII. MEN. VII.

« Hìc manifestus, inquit Mabillonius, Itin. « Ital. p. 72, edit. 1724, de Confirmationis sa« cramento locus est. » At Fabrettius, p. 575, de Baptismo lapidem interpretatur. Neutrum placuit Lupio viro doctissimo, atque antiquorum lapidum peritissimo (p. 169.) « Quis enim « vetet, aiebat ille, τὰ CVM SPIRITA SANCTA de « Ecclesiâ, ac cœtu sanctorum potiùs intelli« gere, quàm de SPIRITV τῷ ΠΑΡΑΚΛΗΤΩ? Sen« sus namque opportunissimus illius epitaphii « est LEO. ARDVM IN PACEM (in pace) CVM SPIRITA « SANTA, Spiritus sanctos, Spiritibus sanctis « ACCEPTVM EVNTE (eumdem) ABEATIS INNOCINEM

(1) A. 457, pascha incidit in diem martii 31; quare dies Jovis post pascha 4 aprilis numerabatur.

(2) Basilii consulatus annum designat 463, quo 21 aprilis pascha celebratum fuit.

« (habeatis innocentem). » At Lupium multis refellere nuper aggressi sunt viri tres sanè eruditissimi, Mazochius in epistolâ posteriore de Hilari epigrammate p. 47; Corsinius (diss. 2, p. 35), et Joannes de Vitâ in notis ad inscriptiones Beneventanas, p. 54. Ego verò etsi horum doctrinam magni facio, veneror que, tamen ad Lupii interpretationem ita me trahi sentio, ut nihil illâ aut verisimilius aut aptius excogitari posse existimem. Age, rem accuratissimè perpendamus.

Negat Mazochius, negat de Vitâ SPIRITUM SANCTUM à Christianis pro *animâ sanctâ* fuisse usurpatum, « quia nefas erat (inquit Mazo- « chius, à quo de Vitâ minimè dissentit) so- « lemne divinæ in Trinitate personæ nomen « cum quovis alio commune facere. » Nefas? Cur ergo in Luciferæ epitaphio apud Lupium, p. 167, scriptum SANCTO ET INNOCENTI ESPIRITO? Dices, τὸ, *et innocenti* satis à *notionali* Paracleti nomine Spiritûs sancti nomen distinguere? Adi ergo apud eumdem Lupium, p. 5, Severæ epitaphium. Disertè hæc sunt: ED. ISPIRITO. SANCTO TVO. Quis hæc aliter interpretetur, atque *animæ sanctæ tuæ?* Quamobrem quis vetat hæc quoque eodem sensu accipere HISPIRITO SANCTO MARCIANETI, apud Boldettium, p. 419; CONIUGI BENEMERENT ISSPIRITO SANCTO, apud Fabrettium, p. 571; ISPIRITO SANCTO SEXTILIO LEONI, apud de Vitâ, p. 64? Multa vetant, si quos antea appellavi, viros clarissimos audias. Nam ISSPIRITO SANCTO idem est, atque *in Spiritu,* quemadmodùm in Thesauro Muratoriano, p. 1900, 10, legere est: *benemerentibus* IN XPO. SANCTO. Deinde, ut notat de Vitâ, non legitur, *Hispirito sancto Marcianetis, Ispirito sancto Sextilii Leonis,* benè verò, *Hispirito sancto Marcianeti, Ispirito sancto Sextilio Leoni,* ita ut posteriora nomina à prioribus non gignantur, sed utraque diverso casu posita diversam significationem præferre videantur. Hæc illi. At neutrum quidquam efficit. Nam ut de primo dicam, nominibus ab SP, SC, ST vel duplice aliâ incipientibus præpositum olim I fuisse, quod animadverterant viri docti Reinesius, cl. 20, 328, et Bonarrotius, p. 112, multis confirmavit exemplis P. Lupius, p. 169, quibus adde ISTERCORIVM à doctissimo Oliverio editum in Marmoribus Pisaurensibus, num. 157. Cur ergo hìc potiùs præpositionem IN, quàm πρόθεσιν illam litteræ I, designatam dicemus? Imò verò cùm nunquàm disertè, *in Spirito sancto* Christiani lapidibus suis insculpserint, sed *Ispirito,* aut *Hispirito sancto,* aliud omninò denotare voluisse dicendi sunt. Quid enim? qui toties *in Christo* tumulis suis insculpserunt, nunquàm, *in Spiritu sancto,* scripsissent, si id incidere in animo habuissent? Adde Reinesianum lapidem, cl. 20, 193, SPIRITO SANCTO INNOCENTI. Non *in Spirito sancto,* non hìc *Ispirito,* sed, *Spirito sancto legitur;* ergo idem significat *Ispirito,* quod *Spirito;* atqui hìc *Spirito sancto* ad Paracletum minimè traducas, quùm nulla hìc adsit præpositio. Atque hinc quod secundo loco à de Vitâ objiciebatur, sanè evertitur, nisi fortè velis INNOCENTI casum esse gignendi. Sed alia præstò sunt exempla: BICTORI DIGNO ISPIRITO exstat in Fabretti Syntagmate, p. 571; non *Bictoris,* seu *Victoris;* quidni ergo scribi potuerit BICTORI ISPIRITO SANCTO, seu, quod idem est, DIGNO ISPIRITO BICTORI, ISPIRITO SANCTO BICTORI? Nihil quod solidi sit, respondebitur.

Posse Leopardi lapidem ita intelligi, ut non Paracletus, sed animæ sanctæ designentur, hactenùs ostendimus; debere sic intelligi nunc demonstremus; SPIRITA SANCTA esse hìc accusandi casum nemo miretur, ubi exempla animo verset à Lupio eruditissimè cumulata, p. 168 et 169, intolerandæ, ut Fabrettius loquitur, cap. 4, ad inscript. 30, barbariei, quæ præpositioni, *cum* accusandi casum jungere consuevit, ut, *cum eum, cum maritum, cum filias suas duas.* Mirabitur potiùs quispiam, Cl. Mazochium, p. 47, contendere SPIRITA SANCTA esse hìc femininum, atque adeò auferendi casum. Quid hoc? « Apud Hebræos, inquit vir « doctus, SPIRITVS *Ruah* est feminini generis. » Ita sanè. « Id ergo etiam in titulos plebeios « Christianorum redundavit, eos saltem quos « Judæi Christiani (quorum erat infinita mul- « titudo) fieri curâssent, nisi volumus ab Ju- « dæis christianis id et Christianos non Judæos « postmodùm imbibisse. » Negemne eruditè hæc et ingeniosè proferri? Minimè sanè. Nego equidem verè dici, aut etiam seriò. Quis enim judaizantes hoc in uno nomine sibi fingat Christianos seculi præsertim III, eosque Romæ? quo scilicet tempore ac loco Judæorum lingua ac natio nulla erat, atque adeò Romanis invisa. Sed hoc mittamus. *Spiritum spiriti,* ac *spirita spiritorum* barbarè seculo III, Romæ usurpatum pro, *spiritus,* testis est luculentissimus Victoriæ et Zotici lapis, in quo ita acclamatum invenit Boldettius, p. 417, SPIRITA VESTRA DEVS REFRIGERET. Nullus hìc ad Hebraismum confugii locus; SPIRITA VESTRA plurali numero hìc usurpatur, ubi dicendum,

SPIRITVS VESTROS. Igitur quùm lapides ex lapidibus ejusdem præcipuè ætatis pronum sit explanare, nonne is verosimiliùs agit, qui SPIRITA inveniens *spiritus* intelligit plurali numero, quàm qui *spiritum* singulari numero explicat, atque ad femineum genus sive ex barbarie, cujus exemplum in hoc nomine nullum extat, sive ex Hebraismo profectum confugit ? Quid si addatur præpositio CVM, quam barbaries ablativo rejecto cum accusandi casu copulare passim didicerat ? Quùm ergo apud Muratorium, p. 1872, 6, Fl. Crisbinum conjugi acclamantem legeris

VALE MICHI KARA IN PACE
CUM SPIRITA XAN-TA VALE IN ☧

cave cum Cl. Corsinio, p. 36, explices, *cum Spiritu sancto,* sed cum *spiritibus* sanctis, sive *beatis* interpretare ; quod etiam auxesim quamdam habet, quam quadratarius, aut inscriptionis auctor indicare voluisse videtur ; valere in Christo salutis ac pacis omnis auctore jubens Aureliam Anianetem Crisbini uxorem, postquàm pacem cum beatis fuerat illi precatus. Exemplum aliud attulerat Lupius, p. 168, in *Cervoniæ Silvanæ* Boldettiano lapide, ubi legitur REFRIGERA CVM SPIRITA SANCTA, *Refrigereris* nempe *cum spiritibus sanctis.* At Corsinius quùm Refrigeriam nescio quam, imò et *Refrigerium* in Muratoriano Thesauro offendisset, quovis pignore contendit, τὸ REFRIGERA hìc quoque tertium nomen esse tumulatæ Cervoniæ. Quod ut concederem, frustra tamen ad Spiritum Paracletum reliqua vir doctus pertraheret ; ratio enim, quæ tertio seculo obtinuit, declinandi nominis SPIRITVS, et præpositio, CVM, accusandi potiùs, quàm auferendi casu iis temporibus donata poscit, ut ea de *spiritibus sanctis,* seu beatis accipiamus. Sed neque illud concessero, SPIRITA VESTRA DEVS REFRIGERET ; supra vidisti : TIBI DEUS REFRIGERIT, SPIRITVM TVVM DEVS REFRIGERET, ANIMA DULCIS IN REFRIGERIO una Boldettii p. 418 suppeditabit. Simile est illud apud Marangonium in appendice ad Acta S. Victorini, p. 122 : IN PACE ET IN REFRIGERIVM, et, p. 80 : IN BONO REFRIGERES (pro refrigereris) DVLCIS. Quidni ergo in Cervoniæ lapide acclamationem harum similem potiùs agnoscam, quàm ut eam trinominem fuisse confingam contra universam ferè christianæ antiquitatis consuetudinem, quæ feminas uno plerùmque, raro duplici, triplici vix nomine donare consuevit ? Itaque ut ad Leopardi inscriptionem revertar, cujus gratiâ disputata hæc sunt, dùm is *cum spirita sancta acceptus* dicitur, ne antiquitati repugnemus, quam *spirita* plurali numero usurpâsse, et *cum* præpositionem accusandi casui junxisse constat, *Spiritam* singulari numero, ac femineo genere usurpâsse neque exempla, nec ratio ulla suadet, cum spiritibus sanctis fuisse acceptum intelligemus. Atque id quoque verosimillimum faciunt similes formulæ, quæ in christianis lapidibus occurrunt : CVIVS ANIMA CVM SANCTOS ; DIGNA INTER SANCTOS.

Non in omnibus tamen probo Lupii explicationem. « Ac certè quidem, inquit Cl. « Corsinius p. 35, si marmoris interpretatio « à Lupio tradita admittatur, adeòque cum illo « exponatur : *Leopardum in pace cum spiritibus « sanctis acceptum eumdem habeatis innocentem ; « posuêre parentes ,* sensus omninò mutilus et « hiulcus erit ; neque facilè intelligi exponique « poterit, quinam sunt ii qui eumdem habere « debeant, aut quosnam tituli scriptor alloqua- « tur. » Idem ergo Corsinius, p. 36, marmor ita exponendum putat : « Leopardum in pace « cum Spiritu sancto. Acceptum eumdem à « beatis innocentem posuerunt parentes. » Audacior aliquis apud Corsinium ipsum, p. 25 et seq., animadvertens non semel quadratariorum vitio versus fuisse transpositos, lapidem hoc potiùs modo explanaret. « Leopardum in « pace cum spiritibus sanctis acceptum. Eum « posuerunt parentes , qui vixit annis numero « septem, aut annis septem mensibus septem. « *Te à beatis innocentem,* » ut scilicet hæc postrema verba liturgica sint, quemadmodùm illa, *Te pace, Te in pace,* de quibus supra dictum fuit, precumque sacrarum quæ pro defunctis recitarentur initium. Alius τὸ, *à beatis* plebeium idiotismum pro, *ad beatos,* et similem Italico nostro , *a' Beati,* affirmabit, nulloque negotio sic lapidem reddet : « Leopardum in pace cum « spiritibus sanctis acceptum, euntem ad bea- « tos innocentem posuerunt, » etc. Nam quod Corsinius urget, in ipso marmore ante vocem, ACCEPTUM, interpunctionem reperiri, quæ vocem ipsam cæteris insequentibus conjungendam esse demonstrat , nullius est momenti. Mirum est clarissimum hunc virum interpunctionem objecisse , quùm (ne quæ à Lupio eruditissimè hanc in rem congesta sunt , p. 67 et seq. hìc repetam) ipsemet paulò post Aureliæ Anianetis epigraphen recitet , ubi vitiatâ , ridiculâque interpunctione eadem vox, XANTA, in duas dissecatur, XAN, TA. Interpunctionis tamen, si vis, ratio habeatur. Non video cur marmor exponi non possit : « Leo-

« pardum in pace cum spiritibus sanctis. Acceptum eumdem à beatis innocentem posuerunt parentes. » At instat Corsinius. « Si beati mox nitidè disertèque memorantur, à quibus Leopardus acceptus, atque cum illis conjunctus est, cur ecclesia ac cœtus sanctorum in vocibus aliis, spirita sancta, designari dicatur? » Nempe in priori lapidis parte acclamatio quædam est; quæ sequuntur, historica quodammodò sunt, neque tam ad *acceptionem* Leopardi *cum beatis*, quàm ad modum, quo acceptus est, seu ad ejus innocentiam denotandam insculpta. Utut est, nihil hìc de Confirmatione video; Baptismi tantùm vestigia quædam in barbarâ illâ voce *Innocinem* cum Fabrettio intueor; unde enim Leopardus *innocens*, nisi quòd sacro fuerat lavacro ablutus?

Sed qui in Leopardi marmore confirmationem minimè invenimus, in aliis designatam lapidibus non negamus. Exstat in his mutila Christiani cujusdam apud Boldettium p. 80, inscriptio, ubi de eo dicitur: *Qui crucem accepit* D. N. (Domini nostri) *die* 12. *kal. octobres, Marin ano et Paterno II coss.*, seu anno Christi 268. Hæc in eo marmore è litterarum vestigiis feliciter deprehendit citatus Corsinius. Sed quid Dominicæ crucis nomine hìc designatur? « Facile est quidem, inquit eo loco Corsinius, hâc sacrâ Christianorum phrasi martyrium intelligere. At nullus in loculo martyrii character inventus; nullum in titulo martyrii signum exprimitur, atque ubi *Christianus* 20. *septembris die martyrio affectus dicatur,* intelligi vel explicari non poterit, cur sequenti defunctus ponatur, nisi unâ die cruciatus martyrioque superstes, alterâ è vivis excesserit. Itaque suspicari nunc libet *crucis* nomine fortassè Baptismum ipsum, sive potiùs Christi fidem et religionem cruce veluti symbolo expressam hìc indicari. Certè Paulinus, in Natali, ubi de S. Martino loquitur, qui Christi Religionem amplectebatur, ita cecinit:

Transiit ad sacram constanti pectore legem,
Signavitque crucis sanctam munimine frontem.

« Perinde quasi crucis nomine, vel crucis signo fronti inscripto Christi fides, lex, religio suscepta satis exprimeretur. Quid ergo si in nostro etiam marmore crucis acceptæ nomine non martyrium, sed Christi fides et Baptismus ipse intelligatur? adeòque singularis hæc formula, planeque insueta reliquis Christianorum phrasibus accenseatur, quibus Baptismum ab iis indicari consuevisse jam vidimus. » Hæc vir doctus. Et certè præter Paulinum S. Gregorius Nyssenus, Orat. in eos qui differunt Baptismum, Baptismum appellat *signaculum et signum crucis*; aliaque in hanc rem testimonia affert Gretserus, de Cruce lib. 4, cap. 4. Verumtamen quùm Confirmationis sacramentum non solùm sine crucis signaculo administratum nunquàm fuerit, ut idem eruditissimus Gretserus latè probat, eodem lib. 4, cap. 15, sed à crucis signo Signaculi nomen acceperit, ut paulò post videbimus; sint præterea theologi et numero et doctrinâ præstantes, qui sacramentum hoc absque crucis signo ne conferri quidem validè posse arbitrentur; crucis nomine Confirmationem liberiùs intelligerem. Hinc Augustinus, in Ps. 141: « Multa, inquit, sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, sicut nôstis, ore accipimus; quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille qui dixit: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, ipsam ignominiam quodammodò, et quam pagani derident (crucem) in loco pudoris nostri constituit, utique per sacramentum Confirmationis. »

Non desunt certiora in lapidibus confirmationis monumenta. Ea eruditè illustrat Cl. Corsinius, p. 36, seq. Enimverò, ut supra de Baptismo notavi, in Catervii epigrammate legimus: QUOS DEI SACERDUS PROBIANUS LAVIT ET UNXIT. Ubi unctionis nomine Confirmatio designatur, ut Tertulliani, l. de Bapt.; Cypriani, ep. 70; Aviti Viennensis, in ep. ad Clodovæum Francorum regem, sexcentisque aliis veterum testimoniis, si opus esset, comprobare possem. Insigne et illud est Confirmationis monumentum, quod ex Apiano Gruterus, ex Grutero Fleetwoodius protulit:

PICENTIAE
LEGITIMAE
NEOPHITAE
DIE. V. KAL. SEP
CONSIGNATAE
A LIBERIO P. F (1)

(1) « Etenim, ut benè sapienterque Corsinius, Picentia illa nuper baptizata, sive neophyta è vivis excessit, postquàm à Liberio papâ consignata, sacro nimirùm Chrismate delibuta, vel confirmata jam fuerat. Quemadmodùm enim Confirmationis sacramentum à veteribus Unctio et Chrisma dicebatur, et qui sacramentum illud acceperat, *uncti* nomine vocabatur, ut superiùs ostendi, ita

FL. HOSPITIANVS
MARITVS
VXORI
BENEMERENTI

Jam verò aliqua ex hisce inscriptionibus in rem theologicam derivemus. Primum illud, quod cum hæreticis pugnat, Confirmationem non ritum esse Baptismi, sed diversum à Baptismate sacramentum. Cur enim tot inter ritus Baptismatis solius lotionis unctionisque meminisset Catervii epitaphium? Cur quæ Baptismum acceperat Picentia, unde illi *neophytæ* nomen, postea à Liberio papâ fuit consignata? postea, inquam, nam si Baptismum quoque à Liberio accepisset, hoc etiam epitaphiographus adnotâsset. Cur Christicianus solam *crucem* et Confirmationem, non etiam Baptismum accepisse dicitur? Hæc sanè argumento sunt nobilius aliquid simplici Baptismi ritu Confirmationem esse, esse aliquid ab eo diversum. Nam quod diverso à Baptismate tempore accipitur, quod ab alio ministro, eoque solùm qui episcopus sit traditur; quod si simul cum Baptismo conferatur, peculiari mentione dignum videtur, ac veluti quidpiam distinctum profertur, habitum illud fuisse à Baptismo diversum sacramentum necesse est. Alterum quod ex allatis marmoribus consequitur, est Unctionem sacramenti hujus esse materiem. Quùm enim *consignationis* et *crucis* nomine Confirmatio denotetur, ac præterea verbo, *unxit,* definiatur, quæ omnia unctionem vel indicant vel apertè significant, nemo sibi persuadeat, aliam esse hujus sacramenti materiam creditam nisi unctionem, quemadmodùm dùm audimus verbo *lavit* expressum Baptisma, statim aquam esse ejus materiam intelligimus.

CAPUT XIII.

Sacramenta alia, de quibus Christianorum lapides meminêre, expenduntur atque illustrantur.

Pauca de aliis sacramentis suppeditant lapides. Ea hìc perpendemus. Pœnitentiæ, ut equidem reor, canonicæ exstat Aquis Sextiis in inscriptione an. 517, illustre monumentum. Recitatur à Maffeio, ant. Gall. p. 100, atque hujusmodi est :

☧
HIC IN PACE QVIESCET
ADIVTOR QVI POST
ACCEPTAM PAENITEN
TIAM MIGRAVIT AD DNM
AN LXV. MENS VII. DIES XV.
DEPOSITVS SD VIIII. KAL (*Sub die*)
IANVAR ANASTASIO VC
CONSVLE

Ministri quoque, quem *Pœnitentiarium* dicimus, mentio fit in duobus lapidibus, Latino altero apud Murat., p. 419, 2, Græco altero apud Fleetwoodium, p. 343. Spectat ille ad annum 523, ut statim ex adscripto consulatu intelliges.

HIC REQVIESCIT IN PA
CE GERONTIVS VC PAE
NITENTIALIS QVI VIXIT
ANN. PL. M. LVI. DEPOSITV
EST SVB D. NON DECEMB
MAXIMO V. C. CONS. IND. SE.

Græcus Fleetwoodii lapis hic est :

ENΘADE KEITAI
AΛEZANDPOC . IATPOC .
XPICTIANOC KAI ΠNEV
MATIKOS

« Pneumaticus, ait hìc Fleetwodius, est « presbyter auricularius, confessor (verè, « nam plurima istius nominis hoc sensu usur- « pati occurrunt exempla in Cangii glos- « sario Græcitatis, et hic noster rem, ut vi- « detur, medicam exercebat. »

De Ordine præter ea quæ alio loco discussa sunt, unus superest Adeodati diaconi titulus an. 474 positus, unde discas, diaconatum fuisse sacrum ministerium, non profanum, ut hæreticis visum est :

SEDIS APOSTOLICAE LEVITES SVMMVS IN ISTA
MENTE PETENS XPM MEMBRA RECONDIT HVMO
INSIGNIS MERITIS CLARVSQVE PER OMNIA MILES
ENITVIT TANTI DIGNVS HONORE LOCI.
ADEO SIC DATVS ALTARIS FVIT ILLE MINISTER
NOMEN VT AEQVARET VITA DECORA VIRI.
DEPOS. VII. IDVS MAIAS LEONE IVNIORE AVG PRIMVM.
CONS.

Exstat apud Reinesium (cl. 20, 3.) et Fleetwoodium p. 342.

Ad matrimonium quod spectat, notum est

« quoque sacramentum ipsum *Signaculum Dominicum* à Cypriano, epist. 71; *Signaculum spirituale* ab Ambrosio lib. de initiandis, « c. 7; *Signaculum vitæ æternæ,* à Leone, Ser. 4 « de Nativit., vocatur; atque fideles illi, qui « Chrisma ab episcopo receperant, *consignati* « dicebantur. Hinc Innocentius I. (in Epist. « ad Decentium) ait : *De consignandis verò infantibus manifestum est non ab alio quàm ab episcopo fieri licere;* paucisque interjectis « addit, *solis pontificibus deberi ut consignent.* « Itaque dùm Picentia à Liberio papâ *consignata* dicitur, non aliud intelligi profectò « poterit, quàm quòd illa Confirmationis sa- « cramentum ab episcopo sive pontifice Ro- « mano receperat. »

de secundis nuptiis paulò duriùs veteres aliquos sensisse, ut concilium Neocæsariense, can. 3, nuptias repetentibus pœnitentiam injunxerit. Alii verò etsi non improbârunt, concedere se tantùm illas affirmârunt. Sic aiebat Hieronymus in Epistolâ ad Marcell : « Nos secundas nuptias non tam appetimus quàm « *concedimus.* » Quia tamen, ut S. Ambrosius loquitur in libro de Viduitate, alia est infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis, laudibus celebrabantur quæ secundas nuptias respuerant; imò ex illis non secùs atque ex virginibus Diaconissæ deligebantur. Hinc in Placidiæ epitaphio, quod an. 571 positum fuit, atque à Muratorio redditur, p. 430, 1, ea dicitur VNIVERA, seu unius viri uxor. Sic etiam *Mandrosa*, cujus alio loco meminimus, dicitur apud Fabrettium, p. 558, *transegisse falsi seculi vitam* VNIVS VIRI CONSORTIO *terquinus* CONIVNCTA *per annos.* Addi potest Pulcheria, quæ in Muratoriano Thesauro, pag. 427, 3, *tenuisse fertur castam defuncto conjuge vitam. Viduæ* frequentiùs in lapidibus occurrunt, ut *Prima*, quæ *decessit ann. centu*, apud Lupium, pag. 153. *Diogenia, quæ viduata viro vixit amica Deo* apud Gruter. 1167, 7. Addo, Baleria, Latobia, Hilara, quarum titulos refert Fabrettius, p. 545. Efigenia (apud eumdem Fabrettium p. 559). Sed num uni tantùm viro an duobus antequàm in viduitate consisterent, eæ nupserint, nihil certi proferri potest. Unum habuisse virum probabilius est Antoniam illam, quæ (ut est apud Aringhium, T. 1 Romæ subterraneæ lib. 3, cap 22, p. 609, in Græco titulo vixisse dicitur *cum Alypio viro suo* annos *viginti et septem; vitam* autem *mutâsse amicitiâ gravi Valerii episcopi.* Quid verò rei est isthæc *mutatio vitæ? Pœnitentiane*, quam à Valerio episcopo receperit, quemadmodùm adjutor paulò antea à nobis memoratus? an Baptismus? Utrumque probabile Cl. Corsinio visum est, p. 39 et seq. Fortassè tamen verisimilius fit, *viduitatis servandæ propositum* Valerii suasu ab Antoniâ emissum hìc denotari. Viduas enim, *quæ sanctæ religionis propositum* vellent, ut in Toletani X concilii cap. 4 statutum reperio, *sacerdoti, vel ministro... scriptis professionem suam faciebant.... continentes se et religionis propositum velle, et hoc perenniter inviolatè servare.* Porrò si conversio religiosa professio passim in veterum monumentis appellatur, quidni *vitam* quoque *mutâsse* ea dicta fuerit, quæ sanctæ religionis propositum emittebat?

CAPUT XIV.

Res funerea Christianorum exponitur; animæ quoque immortalitas; preces pro defunctis, resurrectio, judicium inscriptionum suffragio confirmantur.

Multa hìc simul jungimus, quæ aliquam inter sese habent affinitatem. Atque ut à re funereâ Christianorum exordiar, animus mihi non est ea omnia persequi, quæ de Christianorum funere Panvinius, Aringhius, Gretserus, aliique tradiderunt, sed illa tantummodò, quæ ex inscriptionibus discimus. Itaque quæ loca sepeliendis fidelibus destinabantur, cœmeteria passim vocata scimus; hæc autem quùm afflictis Cæsarum et cæterorum gentilium rabie ac furore christianis rebus, in *cavernis*, ut Alexandri Martyris epitaphium ait, necesse fuerit effodere, *cryptæ* etiam appellabantur. Hinc Valeria et Sabina in Boldettiano lapide, pag. 53, emisse dicuntur sepulturæ locum *in* CRUPTA NOBA *retrò sanctus.* Animadverte autem, cœmeteria tunc temporis sacris fidelium conventibus patuisse, inque illis divina fuisse mysteria peracta. *Cœmeterii* quoque nomine singularia illa loca, in quibus cadavera singula recondebantur, donata fuisse reperio. Exstant hujus moris insignia duo monumenta, apud Aringhium, lib. 1, c. 1, alterum, alterum apud Gorium, p. 111. Inscript. Etruriæ pag. 308. Illud sic habet:

ΚΟΙΜΗΤΗΡΙΟΝ ΤΟΥΤΟ
ΩΚΤΑΒΙΑΛΗΤΗ ΙΔΙΑ ΓΙΝΑΙΚΠ
ΛΑΥΔΙΚΙC

Nempe *Cœmeterium hoc Octavillæ propriæ conjugi Laudicis*, in Gorgiano verò legimus: *Qui positi sunt per* SINGULA COEMETERIA. *Singula tamen hæc cœmeteria* usitatiore vocabulo *loci*, et *loculi* dicebantur, imò et *requietoria.* Confer Lupium, p. 2, seq. Quia verò in uno sæpè loculo duo, tria, atadeò quatuor cadavera tumulabantur, *bisoma*, *trisoma* et *quadrisoma* nominabantur. Sit hoc *trisomi* ex Reinesio exemplum (cl. 20, 389):

SEBIBA EMET DOMINA
LOCVM A SVCESVM
TRISOMV VBI POSITI
ET

Fabrettius porrò, p. 571, hanc recitat inscriptionem, in quâ bisomi mentio:

GAVDENTI
QVI LOCV E
ME SIBI BISO
MV

Pacatis autem Ecclesiæ rebus, etsi in cryptis interdùm sepeliebantur Christiani (quod ubi de inscriptionum ætate agebam, monuisse me memini) in porticibus tamen, aliisque locis, quæ Ecclesiis proxima, sive conjuncta forent, tumulabantur. Exempla plura eruditissimè in hanc rem congessit Corsinius, p. 29. Ita apud Fleetwoodium, p. 433, Lucillus et Januaria quiescere dicuntur *ad sanctum Petrum Apostolum ante regia in porticu;* ubi *regiæ* nomine principem aut interiorem Ecclesiæ portam intelligi scitè monuit idem Corsinius, addens id pluribus veterum testimoniis demonstrâsse Rosweidum, ad Paulini ep. 32, atque etiam ex Cornutianâ chartâ deduci posse, quam Cl. Gorius inter Donianas edidit, p. 506, et in quâ legitur: « Item ante regias Basilicæ vela linea « plumata majora, » etc. Sic in Muratorii Thesauro, p. 1970, 2, *Felicem Faustinianum* reperias emisse sepulturæ locum *in Baltinis basilica locum subteglata*, sub *tegulis* scilicet, *sive suggrundiis ipsius basilicæ,* ut optimè interpretatur Cl. editor. Demùm (ut alia præteream) in Catanensi Nilæ Florentinæ elogio, quod sæpiùs commemoravi, humata illa dicitur *pro foribus Martyrorum.* In ipsis tamen basilicis sepultos deinceps esse Christianos ne dubita. In alio Muratorii marmore, p. 1913, 3, legas: *Memmius. Sallutius. Salvinus. Diannius. V. S.* (vir spectabilis) *basilicam. sanctorum. angelorum. fecit. in qua. sepeliri. non licet;* ergo id in aliis basilicis licebat, quemadmodùm sapienter collegit Muratorius; cur enim id vetuisset Diannius, nisi contrarius mos obtinuisset? Et verò *Gaudiosa deposita* dicitur apud eumdem Muratorium, p. 1878, 8, *in basilicâ Domni Felicis,* et, p. 1956, 6, *filius episcopi Victoris* legitur *depositus in basilicâ sanctor. Nasari et Naboris.* Sed in oratoriis quoque tumulatos Christianos deprehendimus. Nam et Agripinus Comensis episcopus dicitur *oratorium sanctæ Justinæ fabricâsse, et sepulturas ibi ordenâsse,* Mur. p. 1824, 1, et in epigraphe anni 613, quam, p. 24, reddit Lupius, offendimus *locum quem sibi comparabirum in oraturiu sancti Alexandri.* Ecce quàm immeritò ab hæreticis carpamur, quòd in sacris locis defunctos nostros sepeliamus.

In loculos autem (ne hoc quoque sileamus) ubicumque demùm fuerint, inferebantur à fossoribus. Eorum antea suo loco meminimus. Hujusmodi erant Sergius et Junius, quorum hic extat titulus in Bottarii Româ subterraneâ:

SERGIVS ET IVNIVS FOSSORES
B. N. M. IN. PACE. BISOM

Cæterùm sacro funeri aderant presbyteri. Hinc in Nilæ epitaphio legimus: *Cujus corpus pro foribus Martyrorum cum loculo suo per presbyterum humatu e. IIII. non. octobr.*

Porrò maxima Christianis erat sepulcrorum cura. Quare 1° ipsorum locum describere, vel indicare consueverant. Ad sepulcrorum indicationem spectant numeri, quos interdùm loculis suis insculpebant ad eos designandos. Vidimus supra exemplum in Leopardi lapide DMA SACRVM XL. Qui numerus, ut à Mabillonio pridem observatum fuit, *est ad designandum tumulum.* Ad sepulcrorum autem descriptionem pertinent exempla à Cl. Corsinio allata, p. 29. Sic *Matrona* apud Gruterum, p. 1054, 8, tumulata dicitur Herculano consule, hoc est, anno Christi 452, in basilicâ S. Pauli INCONTRA COLOMNA VII. Apud Fleetwoodium, p. 433, Lucillus et Januaria, ut supra vidimus, quiescere feruntur *ad Sanctum Petrum Apostolum ante regia in porticu columnâ secundâ, quomodò intramus sinistrâ parte virorum. Filius* quoque ille *Victoris,* cujus antea memini, *depositus* legitur *in Basilicâ sanctor. Nasari et Naboris, secundu arcu juxta fenestra.* Denique *Valeriæ* et *Sabine* locus erat (apud Boldettium p. 53) *in crupta noba* (cryptâ novâ) *retrò sanctus.* 2° Sepulcra violari, submoveri, aliòque transferri minimè patiebantur. Hinc diræ illæ in sepulcrorum violatores, quas contra Reinesium Fabrettius vindicat, p. 110. Imò etiam pœnæ illis, qui aliquâ demùm ratione ea violâssent, indicebantur. Extat apud citatum Fabrettium, p. 114, hæc inscriptio:

MAXIMINA
DOMVM AETERNAM
VIVA SIBI POSVIT
SI QVIS ALIVD CORPVS
SVPERPOSVERIT
DET FISCO ∋Є CCC. MILIA

In marmoribus Salonitanis, quæ olim illustravi (p. 39), occurrit similis formula: *Si quis post nostram pausationem hoc sarcofagum aperire voluerit, inferat Ecclesiæ Salon. argenti libras quinquaginta.* Confer etiam Muratorium (p. 1909, 5.)

Cæmeteria sepulcrorum loca fuisse appellata nuper diximus. Causas hujus nominis inquiramus. Nempe, ut optimè Mamachius notat t. 3 Orig. et Ant. Christ. p. 259, *cæmeterium* Græci vocant, quod nos *dormitorium* dicere possumus. Nam quùm post mortem vi-

tam sempiternam, resurrectionemque crederent futuram, non interitum Christiani mortem videri, sed soporem ac somnum arbitrabantur. Etverò utriusque dogmatis à Christianis crediti certa in sepulcralibus titulis monumenta habemus. Atque ut de primo illo vitæ æternæ, animæque immortalis dogmate aliqua proferam, Fabrettius, p. 546, hanc refert epigraphen :

AVFIDI
CARISSIME
VIBIS.INE
TERNO

Similem acclamationem invenias apud Boldettium, p. 417 :

DIOSCORE VIBE IN ETERNO

Clariùs æterna vita describitur in Muratoriano lapide anni 586, p. 431, 2:

VIVIT IN AETERNVM NVLLVM MORITVRA PER AEVVM.

Quod verò ad resurrectionem spectat, luculentissima hæc ejus sunt documenta. Primum sumo ex inscriptione Muratorianâ, p. 414, 4 :

IN HOC TVMVLO CONDITVR BONAE
MEMORIAE SEVERIANVS QVI RELIGIONEM
DEVOTA MENTE SVSCEPIT SIC QVEM
ANIMA AD AVTHOREM DM
REMEANTE TERRENA MEMBRA
TERRIS RELIQVIT EXACTIS VITAE
ANNIS XXXII. OBIIT PRIDIE IDVS
AVGVSTAS RESVRGIT IN XPO DMO
NOSTRO POST CONSULATO LONGINI
BIS ET FAVSTI A. 491.

Alterum exemplum suppeditat idem Muratorius, p. 435,3 :

HIC IN PACE REQVISCIT LAVRENTIA. L. F.
QUAE CREDIDIT RESVRRECTIONEM, etc.

In epitaphio quoque Agnelli Ravennatis episcopi, qui an. 566 aut 569 decessit, legimus :

IVSTUS CVM SCIS XPO MEDIANTE RESVRGET

Refert idem Muratorius, p. 1857, 1, 3, fragmenta duorum lapidum, in quorum utroque aperta resurrectionis vestigia supersunt. Nam in primo scriptum est :

QVIESCIT CAROMEA NO....
P. M. CREDO RE RVSC....

In altero autem legitur :

REQVIESCIT CARO MEA NO...
PM CREDO RESVSC....

In Ariminensi quoque epigraphe, apud Mur. p. 1953, 1, disertis verbis resurrectio docetur :

CREDO QVIA REDEMPTOR MS VI
VIT ET IN NOVISSIMO DIE SVSCITA
VIT ME. HIC REQUIESCIT IN PA
CE VENERIV PRB. etc.

Eadem formula in Neapolitanis inscriptionibus frequenter occurrit. Nam ut Basilii epitaphium seculi ut Summontio et Fleetwoodio, p. 520, visum est VIII, prætermittam, apud Muratorium, p. 1865, 1, invenio *Euphimiæ et Joan. viri ejus* titulum iisdem verbis incipientem : *Credo quia Redentor meus vibit, et in nobissimo die de terrâ suscitabit me, et in carne meâ bidebo Deum meum.* Contra Agelpergæ ancillæ Christi inscriptio, quam ex Pratillio V. C. descripsi, Hist. Litter. Ital. t. 5, p. 271, clauditur his verbis : *Credo q. nobissimo die resurgam.* Mirabitur fortasse quispiam non attulisse me Gruterianum lapidem, 1050, 3. Aurelii Balbi... *in spe resurrectionis quiescentis.* Sed quamvis Scaliger in Gruterianis indicibus, et Fleetwoodius, p. 345, eum Christianis accenseat, Casaubano tamen assentior, Christianum hunc esse neganti. Multa quidem ex Tertulliano affert Cl. Corsinius, p. 15, ut probet paganis resurrectionem ignotam fuisse. Verùm neque lapis fictitius est, neque Christianus quispiam, etsi ethnicas formulas interdùm à majoribus nostris usurpatas novimus, passus esset, ut hominis fidelis tumulo hæc inscriberentur IOVIS. OP. MA. *Beneficio.* Quid ergo ? Dicemus lapidem paganum esse, sed tertii aut quarti seculi. Quid enim ethnici (ut benè Mazochius notabat, p. 51, *epist. poster. de Hilari epigram.*) ultimis maximè temporibus non ex christianismo in sua sacra transtulerunt ?

Qui resurrectionem credebant, næ illi judicium quoque fatebantur. Exstant tamen de illo diserta testimonia. Mitto Græcam epigraphen quam eruditè æquè atque feliciter Corsinius explicat, p. 14, seq. Recolamus *Romanæ* inscriptionem ab Oliverio V. C. Marm. Pisaur., p. 203, redditam atque explanatam : *Romana dulcissima hic requiescit in diem judicii deposita III. KAL. Martii Var. Tertu,* Varrone nempe, seu Varari ac Tertullo Coss. anno 410. In inscriptione quoque Muratorianâ anni 568, p. 429, 2, hæc legitur formula, quæ futurum judicium indicat : *Ne me tangas, nec sepulcrum meum violis, nam ante tribunal æterni judicis mecum caussam dicis.* Imò hanc execrationem offendas in Muratoriano Thesauro, p. 1858, 5 ; *Si quis hunc sepulcrum violaverit.... in die judicii non resurgat.*

Quæres hìc utrùm ex lapidibus probari possit, Fidelibus persuasum fuisse, quod nos Catholici credimus, defunctorum animas nostris posse suffragiis juvari? Equidem ita esse sentio. Neque ad id utar formulis quibusdam, quæ sepulcralibus titulis inscribebantur. Hujusmodi illæ: RECORDETUR IPSIUS DEUS IN SCVLA (apud Marang. in app. ad Acta S. Victorini, p. 72 ISPIRITVS TVVS BENE REQVIESCAT (apud eumdem in libro prænotato *delle cose gentilesche p.* 456). IN REFRIGERIO ANIMA TVA VICTORINE (*apud Fabrett. p.* 547.) CVIVS ANIMA IN PACE REQVIESCAT (apud eumdem p. 561.) CVIVS ANIMA INTER IVSTOS SIT (apud Murat. p. 1872, 5); CVIVS SPIRITVM IN REFRIGERIUM SVSCIPIAT DOMINVS (apud eumdem p. 1922, 1). Nam licet ad eas preces accedant, quas pro defunctis fundere Catholici consuevimus, hæretici tamen respondere facilè possent, has esse acclamationes quasdam earum similes, VIBAS IN DEO, PAX TIBI, etc., imò et illarum quæ in ethnicorum tumulis sunt usitatæ. Itaque aliud monumentorum genus hæreticis objiciamus. In Cassii Narniensis quinto seculo episcopi hæc leguntur:

TU ROGO QUISQUIS ADES PRECENOS MEMORARE BENIGNA
CVNCTA RECEPTURUM TE NOSCENS CONGRUA FACTIS

Respondet quidem Fleetwoodius, p. 376, preces benignas, quales hìc petit Cassius, esse: *Anima ejus in pace quiescat, Deus illi lucem et refrigerium præbeat,* etc. Verùm heterodoxus *homo* non *proficit hilum.* Vel enim has fore sibi utiles putavit Cassius, vel non. Hoc si dixeris, te Cassius ipse redarguet, qui ut preces illas obtineret, monet precantem *cuncta recepturum congrua factis;* quis enim ad rem alteri inutilem præstandam moveatur spe similis rei sibi parandæ? Si primum, preces ergo pro defunctis, quæcumque demùm eæ sint, illis prosunt. Sed Cassii titulo alius lucem afferet, et catholicum dogma confirmabit. Extat ille in Muratoriano Thesauro, p. 1914, 6:

SEPVLCRVM. QVI. IN. HANC. AEDEN. VENE
RANDAE XPI MARTYRIS. CAECILIAE
SITVS EST. IN. QVO. ET. QVIESCIT. IN. PACE
MOSCHVS. HVMILIS. DIACONVS. SCE. SEDIS
APLICE. OMNES. EXPOSCENS. VT. PRO ME
DNVM EXORETIS. QVATENVS. EIVSDEM. SA
CRATISSIMAE. VIRGINIS. INTERVENTIONE.
CVNCTORV. CONSEQVI. MEREAR. INDVLGENTIAM
DELICTORV.

Viden' quas preces *Moschus* exposceret? Easdem petebat Cassius. Uterque autem idem quod nos de mortuorum suffragiis sentiebat. Similis formula occurrit in Martini episcopi ac monachi (apud Murat p. 1910, 2) tumulo: ROGO VOS OMNES QVI HINC TRANSITIS ORAE PRO ME. Addo quartam inscriptionem multò antiquiorem. Recitat illam Lupius, p. 167. *Luciferæ* est, quæ MERVIT TITVLVM INSCRIBI VT QVIVIS DE FRATRIBVS LEGERIT ROGET DEV. VT SANCTO ET INNOCENTI ESPIRITO AD DEVM SVSCIPIATVR. Nihil aptius ad confirmandum dogma de oratione pro mortuis.

Eamdem lapides alii suadent. Cur enim putas aliquos sepulturam in oratoriis ac templis etiam pretio comparâsse, sanctorum patronicium imploraturos, nisi orationes illorum sibi utiles fore credidissent? Quòd si sanctorum preces prodesse mortuis possunt, quidni et viventium? Sed age, lapides id testificantes reddamus. Unum affert idem Lupius, p. 24.

☧ LOCVS LETE CVM FILIIS SVIS, etc.
LOCVM QVEM SIBI COMPARABIRVM IN ORATVRIV
SANCTI ALEXSANDRI QVI SE ANIMAS SVAS HIC COM
MENDABERVM

Recitat alterum Baronius, ad ann. 770, et ex eo Corsinius, p. 54, qui etiam illum illustrat. Joannis est Nepesini præsulis, qui

ANTE LOCO VOLVIT SEPELIRIER ISTO
QVO PER HOS SANCTOS INVENIAT REQVIEM

Sed rem clariùs conficit Eugenii Notarii, suorumque epitaphium anno 578, positum; in eo enim hæc (cæteris missis) leguntur: *Deputavimus in istâ sepulturâ nostrâ ex* TM *paginm* (Testamenti paginâ) AD OBLATIONE VEL LVMINARIA NOSTRA *Orti Transtiberini uncias sex*, etc. En primò, ut adnotavit Aringhius l. 2, c. 10, p. 340, antiquâ hâc inscriptione comprobatam piam consuetudinem, quâ agri ac bona Ecclesiæ ex Testamento addicebantur ad perficiendas in Ecclesiâ oblationes, et luminaria ibidem jugiter concinnanda. Præterea quùm hæc legentur, *in istâ sepulturâ nostrâ ad oblatione* (scilicet oblationes, seu missas), et *luminaria* dicantur NOSTRA, illæ utique missæ indicantur annuatim natali eorum die, mortis scilicet, pro eorum animabus offerendæ erant, ac luminaria in eorumdem anniversariis de more accendenda. Quòd si vetus Ecclesia suffragia vivorum credidit mortuis prodesse, utique id ipsum quod nos, sensit de Purgatorio, ejusque pœnis. Nam quùm ad inferos damnatis peccatoribus utilia esse suffragia non possint (vide Petavium de Angelis lib. 3, cap. 8, et quæ ad eum locum in nuperâ

Remondinianâ ejusdem editione adnotavimus), neque illis beati indigeant, id demùm restat, ut Purgatorium existat, in quo constitutis animabus ex nostris precibus, suffragiisque levamen subsidiumque derivetur.

CAPUT ULTIMUM.

Reliqua catholicæ Ecclesiæ dogmata de sanctorum beatitudine, invocatione, et cultu inscriptiones produnt.

Nihil jam restat ad summam in theologicis rebus inscriptionum utilitatem comprobandam, quàm ut ea dogmata, quæ ad sanctos pertinent, illis mirificè declarari ostendamus. Atque illud primùm quærendum, *sintne piorum hominum spiritus, qui et corpore soluti sunt, et nullâ purgatione egent, jam ad fruendam beatitudinem, quæ in clarâ Dei visione sita est, admissi?* Antiquorum nempe, ac recentium hæreticorum ea opinio est, *animas piorum* (ut cum Calvino loquar l. 3 Instit. c. 25, § 6) *militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitiâ fruitionem promissæ gloriæ expectant;* quam hæresim Thomas Burnetius Britannus in eo libro quem *de statu mortuorum* conscripsit, omni argumentorum genere suadere conatus est. Sed hos basilicè falli lapides clamant. Et verò quid illa significant: ACCEPIT REQVIE IN DEO, Murang. in App. ad Acta S. Vict. p. 97; QVESCIT IN PACE AETERNA, ibid. p. 107; MANET IN PACE ET IN CRISTO, apud Fabrettium, p. 579, nisi defunctos æternâ jam gloriâ frui? Mitto quæ Muratorius in libro *de Paradiso* cap. 4 et 13, Patrum loca operosè collegit ut *requiem*, et *requiesceret* beatitatem jam collatam indicare ostenderet. Certè qui Deo nondùm frueretur, non *accepisset requiem in Deo*, sed eam esset accepturus, non *quiesceret in pace æternâ,* quam nondùm obtinuisset, non maneret *in pace et in Christo,* cujus aspectu haud lætaretur. Quanquàm hæc clariora sunt. Innocentius Amantius, apud Murat. p. 1825, 7, quiescere dicitur IN SINVS ABRAHAE. ISAC. ET IACOB IN PACE XTI DMNI. Sinus porrò Abrahæ cœlestis beatitudinis sedem designat, ut allatis in medium Patrum testimoniis probat Muratorius, l. c. cap. 12 et 20. Neque aliud significat Abramiæ Græcus titulus ab eodem Muratorio redditus, p. 1819, 3, ubi is *insinu degens felicitatis* dicitur. Hæc tamen omnia, si vis, nihili habeantur. Licet mihi plura ex inscriptionibus promere, quæ disertissima sint, nec ullum Burnetiano errori effugium relinquant.

Arrige ergo aures, Burneti, et audi quid *Primæ* titulus habeat in Marangonii appendice ad Acta S. Victorini, p. 69:

PRIMA VIBIS IN GLORIA DEI ET IN PACE DOMINI NOSTRI

Audi et *Simplicianæ* inscriptionem, quam in libro prænotato *delle Cose gentilesche*, p. 462, idem Marangonius recitat.

HIC QVIDEM CORPVS TVVM TEL.... *lus*
ET ANIMAM TVAM LVX VERO CAE.... *li*
PVLCRA DECORETVO IPSOQVE DEO

Audi jam Fleetwodium tuæ Britanniæ, Ecclesiæque Anglicanæ alumnum. Reperies (p. 573) Cerviæ lapidem, quem Gruterus, p. 1051, 2, pridem ediderat, ibique hæc in rem præsentem legi:

ASTRIGERAM. SECAT. ALMA. VIAM. CAELOQVE. RECEPTA
HIC. VITAE. METAS. ET. INANIA. MEMBRA. RELIQVIT.

Quid si Muratorianum Thesaurum consulueris? Occurret, p. 1834, 2, Augusti epitaphium, ex quo hocce distichon ad institutum nostrum facit:

CORPVS HABET TELLUS ANIMAM CAELESTIA REGNA
SIC SEDES PROPRIAS SINGVLA RITE TENENT

At inquies nullâ hæc marmora notâ temporis insigniri, unde quâ ætate posita sint, liqueat. Cap. 3, hanc objectionem occupavimus. Non desunt tamen inscriptiones certæ ætatis, quæ dogma de sanctis jam nunc cœlo potitis edoceant. Ab anno 363 ad ann. 384. Damasus pontificatum gessit. Hic autem de S. Gregorio in ejus titulo cecinit:

HIC QVICVMQVE VENIS SANCTORVM LIMINA QVERENS
INVENIES VICINA IN SEDE HABITARE BEATOS
AD COELVM PARITER PIETAS QVOS VEXIT OVANTES

Quatuor post Damasi obitum annis Eutychii epitaphium positum fuit, quod exstat in Muratorii Thesauro, p. 391, 5. In eo autem legitur:

EVTICHIVS SAPIENS PIVS AEQVE BENIGNVS
IN CHRISTVM CREDENS PRAEMIA LVCIS ABET

S. Ambrosius Mediolanensis antistes idem sensit; nam Marcellinæ sororis tumulo hæc inscripsit:

CORPORIS. HAEC. DOMVS. EST. NAM TE PIA VIRGO SVPERNVM
ACCIPIT IMPERIVM PLACIDAE POST MVNERA MORTIS
AETERNAE. CHRISTVS. PRETIVM. TIBI. DESTINAT. AVLAE
PRAEMIA DANS CASTIS INTACTAE MATRIS HONOREM
TE MELIVS IVLI TRANSCENDIT FERVIDE CVRSVS
ET TE VIRGO TVVS TRANSVEXIT AD AETHERA SPONSVS

S. Ambrosio æqualis fuit Vercellensis episcopus Honoratus, cujus titulus, S. Eusebii Ver-

cellensis mentio quùm in eo facta esset, his tandem verbis clauditur apud Muratorium, p. 1886, 3:

AMBO FIDE DIGNI MERITIS ET NOMINE FRATRES
CVM CHRISTO IVNCTI PRAEMIA SVMMA TENENT

Quinto seculo floruit Datilla honesta femina, et Coss. Calepio et Artabure, anno 447 decessit. Lege jam in Muratoriano Thesauro, p. 407 ejus epigraphen. *Cujus animam pro casto sancto.... nemo dubitat cœlum pet....* nempe *petiisse.* Sexti seculi nunc dabo titulum à Muratorio divulgatum, p. 421, 1:

PANDE TVAS PARADISE FORES SEDEMQVE BEATAM
ANDREAE MERITVM SVSCIPE PONTIFICIS, etc.

Confer eumdem Muratorium, p. 438, 1, qui etiam, p. 1940, 7, inscriptionem affert positam ERA 697, seu anno Christi 659, ubi *sursùm rapta cœlesti migrâsse in aulâ* speranda virgo dicitur. Adeò verum est, singulis veteris Ecclesiæ seculis eamdem de sanctis in cœlis gaudia jam nunc translatis sententiam, fidemque obtinuisse, quam nos Romani habemus.

Nec minùs perspicua sunt in inscriptionibus invocationis et cultûs sanctorum monumenta. Atque ut primùm de sanctorum invocatione agamus, quæ tria negant hæretici sanctos orare pro illis qui eorum opem implorant, aut etiam pro nobis in genere, utilemque esse sanctorum invocationem, ea disertè lapides statuunt. Nam primò orare sanctos pro nobis saltem in genere ii docent tituli, in quibus eorum orationibus sese fideles commendant. Sic apud Marangonium, p. 90 App. in acta S. Victorini, legere est

SVT. I PETE
PRO NOS
VT SALVI SIMVS

Similis est epigraphe illa quæ in villâ Carpineâ olim exstabat, et à Fabrettio, p. 738, edita fuit:

SABBATI. DVLCIS
ANIMA PETE ET RO
GA PRO FRATRES ET
SODALES TVOS

Deinde sanctos pro illis orare, qui ipsorum patrocinium petunt, sequentes inscriptiones confirmant. Redeo ad Marangonii appendicem in Acta S. Victorini. Hunc ibi titulum invenio, p. 119:

ATTICE SPIRITVS TVS
IN BONV ORA PRO PAREN
TIBVS TVIS

Pro parentibus ut oret, rogatur etiam Matronata, Mus. Veron. p. 264, 13:

PET PRO PARENTES TVOS

Damasus quoque hæc S. Agnetis tumulo inscripsit, apud cit. Marang. p. 138:

VT DAMASI PRECIB. FAVEAS PRECOR INCLYTA
MARTYR

Præterea in Justæ matris filiorum septem epitaphio, quod habes in Fabrettii syntagmate, p. 551, 30. Legimus ET TV PE PRO EOS, scilicet *et tu pete pro eis,* filiis. Maritus contra conjugis precibus se commendat in Felicitatis inscritione Muratorianâ (p. 1836, 8) EPPETE PRO CEISNIANVS CONIVGEM, nempe *et pete pro Ceisniano conjuge, sive roga Deum pro eo.* Confer etiam *Lete* inscriptionem de quâ superiore capite. Accedat autem inscriptio, quam ex MS. Codice Fabii Vecchionii nuper eruit Cl. Pratillus in famigeratissimâ dissertatione de consularibus Campaniæ, p. 123:

TIBI PETRE AP. ☧
SE PETRVS HUIVS
S. BASILICE DIAC
PRECIBVS COMMENDAT
DD. INP. III. ID
FEBR. DN. VALENTIN
AVG. ET ANTEMIO CONS.

nempe: *Tibi, Petre Apostole, Christi se Petrus hujus S. basilicæ diaconus commendat depositus in pace III. Idus februarias domino nostro Valentiniano Augusto et Antemio consulibus,* anno scilicet 455. An autem putas Christianos sanctorum se precibus commendaturos fuisse, si inutilem eorum invocationem cum hæreticis nostris credidissent? Apage nugas. Atque hoc ejusmodi invocationis utilitatis comprobandæ satis esset. Verùm alia ad eam confirmandam præstò sunt ex christianis marmoribus. Recole enimverò alias quas citato capite 14. Inscriptiones reddidimus. Videbis Moschum *sacratissimæ Virginis interventione cunctorum indulgentiam delictorum,* Joannem verò Nepesinum *per sanctos* inventurum se *requiem* sperantem. Hùc pertinet, quod Sarmatæ presbyteri epigraphe Gruteriana, p. 1169, 7, occurrit:

NAZARIVS NAMQVE PARITER VICTORQVE BEATI
LATERIBVS TVTVM REDDVNT, MERITISQVE CORONANT
O FELIX GEMINO MERVIT QVI MARTYRE DVCI
AD DOMINVM MELIORE VIA, REQVIEMQVE MERERI

Idem testatur lapis olim Ravennæ positus, atque ex Agnello in vitâ S. Maximiani à Muratorio excerptus, p. 426, 2:

CONSECVTI BENEFICIA ARCHANGELI
MICHAELIS BACHAVDA ET IVLIANVS
A FVNDAMENTIS FECERVNT ET DEDI
CAVERVNT SVB DIE NON MAII

QVATER P. C. BASILII IVNIORIS
VIRI CLARISSIMI COS. IND. VIII.

anno scilicet 545.

Verùm hæc inscriptio cultum quoque sanctorum confirmat. Illius tamen hæc alia supersunt in lapidibus. Primùm enim sanctos *domnos* sive *dominos* honoris ac reverentiæ causâ Christiani appellabant. Multis id inscriptionibus ostendit Cl. eques Victorius, diss. Philolog., p. 28 et seqq., quibus addi potest *Tigridis* titulus apud Boldettium, p. 351. Ursæ epigraphe (apud eumdem, p. 429), Acaviæ elogium in Muratorii Thesauro, p. 1810, *sanctis marturibus Papro et Mauroleoni Dominis* votiva tabula quam, hist. Litt. Ital. t. 2, p. 532, seq. exhibui. Imò in eâ sum sententiâ, nusquàm in christianis inscriptionibus domni titulum tribui nisi martyribus, ut etsi alia martyrii desunt indicia, unum domni nomen illud manifestò declaret. Sed et illos *proceres* Christiani vocabant.

CERBASIVM PROCEREM PROTASIVMQVE COLIT

legere est in Ifœdulæ titulo, quem Cl. Marchio Maffeius *Ant. Gall.* p. 98, divulgavit. Vota etiam quæ hæretici irrident sanctis persolvebant. CAMASIVS ET VICTORINA VOTVM REDDIDISSE sanctis martyribus, quos nuper nominavi, *Papro et Mauroleoni* dicuntur in citatâ votivâ epigraphe. Agathum S. Petro votum solvisse Gruteriana inscriptio, p. 1163, 10, nos docet. S. Paulo quoque oblatum votum memorat tabula marmorea à Fabrettio allata, p. 758, cui hæc inscripta sunt :

✠ DE DONIS DI ET BEATI. PAVLI APOSTOLI DOMETIVS DIAC. ET
ARCARIVS SCAE. SED. APOSTOL. ADQUE PP VNA CVM ANNA
DIAC EIVS GERMANA HOC VOTVM BEATO PAVLO OPTVLERVNT.

Accipe nunc ex Muratorio, p. 1878, 2, votum Evangelistæ Joanni solutum :

SANCTO AC BEATISSIMO APOSTOLO
IOANNI EVANGELISTÆ
GALLA PLACIDIA AVGVSTA
CVM FILIO SVO PLACIDO VALENTINIANO
AVGVSTO
ET FILIA SVA IVSTA GRATA HONORIA
AVGVSTA
LIBERATIONIS PERICULO MARIS
VOTVM SOLVIT

En aliud votum ex eodem Muratorio pag. 1925, 2 :

PETRVS ET PANCARA BOTV PO
SVENT MARTVRE FELICITATI.

Addo aliud, quod Romæ exstabat in S. Sebastiani.

TEMPORIBVS SANCTI INNOCENTII EPISCOPI
PROCLINVS ET VRSVS PRESBITERI
HVIVS SANCTI SANCTO SEBASTIANO
EX VOTO FECERVNT

Nempe, ut S. Saturnini titulo inscriptum à S. Damaso fuit, apud Gruterum pag. 1117, 2.

SOLVERE VOTA LICET. CASTASQVE EFFVNDERE PRECES.

Festis etiam diebus sanctos colebant. Non hìc ergo Kalendarium Neapolitanum marmori seculo IX insculptum memorabo, quod viri clarissimi Mazochius ac Sabbatinius illustrârunt. Sæpè hujusmodi sanctorum celebritates titulis sepulcralibus incisas reperimus ad dies mortis, seu depositionis designandos. Abundantiùs apud Fleetwoodium, p. 340, dicitur DEP. IN P. D. NAT. SCI. MARCI. MENSE OCTOBR. Pascasius, in cujus elogium eruditissimam *dissertationem Philologicam* Cl. eques Victorius conscripsit, *fecit fatum* IIII. *Idus octobris* VIII. ANTE NATALE DOMNI ASTERI. Principalis (ut ejus epigraphe docet ab eodem Victorio accuratè edita, p. 38, fuit *depositus* NATALE SVSTI, seu *Sixti*. Hùc refer inscriptionem, quam exquisitâ eruditione Corsinius explanavit, PECORI DULCIS ANIMA BENIT IN CIMITERO VII. IDVS IVL. D. P. POSTERA DIE MARTVRORV, nempe die x Julii, quâ die sanctorum martyrum septem sanctæ Felicitatis filiorum memoria in urbe solemnis recolebatur.

Sancti præterea templis in eorum honorem exstructis colebantur. Videant hæretici, qui hunc in nobis morem reprehendunt, videant inquam, quantùm ipsi à veteris Ecclesiæ consuetudine abhorreant. Quid enim est *basilica sanctor. Nasari et Naboris?* quid *basilica domni Felicis?* Quid *basilica sanctorum angelorum?* quas sacras ædes capite superiore commemorabam; nisi id ipsum quod novatores sugillant, in honorem scilicet sanctorum erecta templa? Accedant his Ravennatia duo seculi VI epigrammata, alterum anno 547, alterum anno 540 inscriptum; utrumque in Muratoriano Thesauro editum, p. 426, 5, et p. 527, 2. Secundum hujusmodi est:

IN HONOREM SANCTI PROTOMARTIRIS STEPHANI
SERVVS CHRISTI MAXIMIANVS EPISCOPVS
HANC BASILICAM IPSO IVVANTE A FVNDAMENTIS
CONSTRVXIT ET DEDICAVIT DIE III. ID.
DECEMBR. INDICT. XIIII. NOVIES
P. C. BASILII IVN. V. C.

anno, inquam, 540. Primum nunc accipe, in quo etiam consecrationis ab hæreticis improbatæ clarior fit mentio :

B. VITALIS BASILICAM MANDATO
ECCLESII EPISCOPI IVLIANVS AR
GENTARIVS AEDIFICAVIT CONSE
CRANTE VERO REVERENDISSIMO
MAXIMIANO EPISCOPO SVB DIE
XIV. KAL MAII. SEXIES P. C.
BASILII IVNIORIS V. C.
IND. X.

Templorum facta mentio me monet, ut eorumdem ornamenta, quæ etiam hæretici reprehendunt, lapidum auctoritate defendam. Et quoniam Ravenna titulos dedit, quibus templorum in sanctorum honorem ædificia à Novatorum dicteriis vindicaremus, elogium prima suppeditet ad sacrarum ædium ornatus propugnandos. Refert illud, illustratque Fontaninius in commentario inscripto : *Discus argenteus votivus*, factumque fuit in vivis agente archiepiscopo Agnello, qui anno 566 ad superos evolavit.

SALVO. DOMNO. PAPA. AGNELLO. DE. DONIS. DEI
ET. SERVORVM. EIVS. QVAE. OBTVLERVNT. AD
HONOREM. ET. ORNATVM. SANCTORVM
APOSTOLORVM. ET. RELIQVA. PARS. DE
SVMMA. CERVORVM. QVI. PERIERANT
ET. DEO. AVCTORE INVENTI. SVNT
HAEC. ABSIDA. MVSIVO. EXORNATA EST

Romam migremus. In throno SS. martyrum Cosmæ et Damiani hæc extabat inscriptio, quam Gruterus refert, p. 1164, 16 :

AVLA DEI CLARIS RADIAT SPECIOSA METALLIS
IN QVA PLVS FIDEI LVX PRECIOSA MICAT.
MARTYRIBVS MEDICIS POPVLO SPES CERTA SALVTIS
VENIT ET EX SACRO CREVIT HONORE LOCVS.
OBTVLIT HOC DOMINO FELIX ANTISTITE DIGNVM
MVNVS VT AETHERIA VIVAT IN ARCE POLI

Felicem IV, qui anno 530 obiit, hìc intelligi suspicatus est Fleetwoodius p. 406; nec injuriâ. Nam de eo ista narrat Liber Pontificalis, *Vignol. edit.* t. 1, p. 295 : *Hic fecit basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum in urbe Româ.* Sed quod ait eodem in loco Fleetwoodius, fidem ex operibus non solùm bonis, sed magnificis meritos olim esse Christianos IMPRUDENTES, dignum est hæretico conviciatore. Aliter Joannes Diaconus sensit, qui initio vitæ S. Gregorii Magni de Felice IV loquens : « *Vir,* « inquit, *magnæ in Christi Ecclesiam reverentiæ,* « *qui Basilicam SS. Cosmæ et Damiani Marty-* « *rum... sicut hactenùs cernitur,* VENUSTISSIME *fa-* « *bricavit.* » Præterea eadem Christianos, pontificesque Romanos imprudentia quinto seculo tenuit. Nam Gruterus, p. 1164, 6, hocce epigramma profert :

ANTISTES DAMASVS PICTVRAE ORNARAT HONORE
TECTA QVIBVS NVNC DANT PVLCHRA METALLA DECVS
DIVITE TESTATVR PRETIOSIOR AVLA NITORE
QVOS RERVM EFFECTVS POSSIT HABERE FIDES
PAPE HILARI MERITIS OLIM DEVOTA SEVERI
NEC NON CASSIAE MENS DEDIT ISTA DEO

Ticini quoque celeberrimus Ennodius, ut in suo epitaphio legere est,

TEMPLA DEO FACIENS YMNIS DECORAVIT ET AVRO

Tandem (modus enim debet esse in exemplis) « aulam, ubi corpus beati sancti Antioci quie- « bit in gloriâ (Calari), » quemadmodùm ait inscriptio à Bonfantio et Muratorio reddita, p. 1829, 6 :

PETRVS ANTISTES CVLTVS SPLENDORE NOTABIT
MARMORIBVS TITVLIS NOBILITATE FIDE

Atque hìc dissertationi nostræ finem imponimus, optantes ut noster quicumque labor in Dei O. M. gloriam cedat, et catholicæ Ecclesiæ utilitatem.

THOMÆ A JESU VITA.

THOMAS A JESU, vel DIDACIUS SANCHEZ D'AVILLA, Baecæ natus in Andalusiâ circa annum 1568, unus ex Carmelitis discalceatis, ordinis sui prior provincialisque in Castiliâ, et postea congregationis Hispanæ definitor generalis, primus erexit Discalceatorum domus dictas *Eremitoria*. Fidei miles strenuus, congregationem ad illam apud infideles propagandam inter suos creare suscepit. Cùm verò conatus non feliciter cessissent, venit in Belgium, ubi plurima monasteria et in primis silvæ Marlagnensis haud procul à Namurco *Eremitorium* instituit.

Obiit Romæ die martii vigesimâ sextâ 1609, sanctitatis famâ venerandus.

Vita Thomæ à Jesu plenissima fuit vita, in quâ multa præclarè facta non scientiam exclusêre. Præcipuè inter ejus opera notantur :

1° *Thesaurus sapientiæ divinæ in gentium omnium salute procurandâ*, in-4°, ex quo deprompta est eximia quæ sequitur disquisitio. Plurimi fiebat apud SS. pontifices Urbanum VIII et Benedictum XIV. 2° *Stimulus Missionum*, in-8°; 3° *Expositio in omnes ferè regulas ordinum religiosorum*, in-f°. Tantà est in omnium æstimatione Thomas à Jesu, ut pars illius scriptorum Coloniæ vulgata fuerit cum hoc titulo : *Opera omnia* homini religioso et apostolico utilissima, 3 vol. in-f°, 1684.

DE UNIONE SCHISMATICORUM CUM ECCLESIA CATHOLICA PROCURANDA.

PROLOGUS.

Quemadmodùm divinæ charitatis unio, quæ membra Ecclesiæ vivo suo capiti Christo coaptat et adstringit, Deo gratissima est : ita vehementer displicet membrorum divisio, quæ spiritum pacis et dilectionis extinguit. Quamobrem qui inter veros Ecclesiæ filios rem Deo acceptissimam facere cupiunt, in conversionem schismaticorum qui ab Ecclesiæ Romanæ corpore seipsos diviserunt, seriò incumbere deberent, quod subjectis rationibus persuaderi videtur.

Prima : Negari planè non potest, quin Ecclesia Latina Græcæ et aliis Orientis provinciis, ubi schisma grassatur, plurimùm debeat, cùm ab eis pretiosissima bona, antequàm scinderetur, receperit. Floruerunt quippe ibi Patres sanctitate ac doctrinâ celeberrimi, quorum monumentis erudimur, et ad pietatem incendimur. Quis ergo non videat, dolendum esse, quòd pars Ecclesiæ nobilium germinum productrix se à summorum pontificum obedientiâ subtraxerit? eoque dolore unà cum gratitudinis stimulo ad schismaticorum reductionem non excitetur? Secunda : Clarissima concilia in Ecclesiâ Græcâ ac Orientali celebrata sunt; et profectò pios animos intimè movet divisio ejus partis, in quâ unio tot sanctorum facta et ad commune totius orbis bonum derivata fuit. Quocirca pro parte illâ resarciendâ Jesu Christi famuli strenuè laborare deberent. Tertia : Ipsa gentis ruditas summâ commiseratione digna est, præsertim si cum vitiorum colluvie conjungatur. Et quidem eò ampliùs adjuvanda esset, quò saluti propinquior est, cùm minùs quàm infideles, à Christo recedat. Ordo enim divinæ charitatis exposcit, ut eò plus dilectionis impendatur, quò quis nobis conjunctior est. Quarta : Notum est ex schismaticis aliquos hâc ætate nostrâ misisse legatos, qui summis pontificibus obedientiæ obsequium redderent, pro his qui Romam venire nequibant. Et licet postea ad vomitum redierint, fortassè non prorsùs tota defectionis causa in eorum fragilitatem refundenda est, cùm probabile sit multos ex ipsis in Ecclesiæ obedientiâ fuisse perseveraturos, si ministros Latinos nacti fuissent.

Denique charitas ipsa validissimam rationem producit, ut quò quis Deo conjunctior est, eò fortiùs omnem divisionem à proximiorum animis depellat. In eâ verò missione quæ ad schismaticos instituitur (ut admixtos schismaticis hæreticos prætercam), pro charitate pugnatur, quodam scilicet prælii genere quod veros Christi amicos decet, qui ferre non possunt Christi vestem discindi. Atque utinam Ecclesiæ principes in adunando grege diviso plurimùm auctoritatis et operæ, igne charitatis incensi, ponerent, ut fieret Christi vestis contexta per totum, et antiquæ sanctitatis forma rediret. Schismaticorum autem reductionem in duo præcipua capita dividemus : Primum erit de Græcorum ac Ruthenorum procurandâ salute. Deinde de Orientalibus omnibus juvandis, quorum maximus est numerus, Deo dante, dicemus.

CAPUT PRIMUM.

DE UNIONE GRÆCORUM AC RUTHENORUM CUM ECCLESIA CATHOLICA.

Dùm stetit in Oriente sincerior fides atque simplicitas, ingens fuit Græciæ splendor, tum ob christiani orbis imperium, quod aliquando in Græciâ floruit, tum ob disciplinas ferè omnes, quæ à Græcis ad omnes ferè

alias nationes promanârunt. At ubi Græci in superbiam elati, Romanam sedem omnium Ecclesiarum matrem aspernari cœperunt, divinitùs factum est, ut et imperii splendorem, et, quod majus est, in varios errores prolapsi, orthodoxam fidem amitterent. Pertentatum igitur fuit sæpè ab Ecclesiâ Latinâ, tam in synodis generalibus quàm aliis modis, ut tanta atque adeò præcipua reipublicæ christianæ portio, veterum Patrum suorum vestigia terens, ita nobiscum modò sentiret, quemadmodùm Apostolorum seculis una erat atque consentiens. At cùm quaterdecies suos Græcia errores agnoverit, adhuc super cordibus eorum manet velamen, ut id quo sæpè convicti sunt, et judicio suo condemnati, confiteri jam nolint. Talis est schismatis natura et conditio : nam cùm pietatis speciem præ se ferat, eaque contenta sit (quo etiam fuco nostri temporis hæretici populos deceperunt) caputque, à quo vitæ spiritualis sensum et motum accipiat, non habeat, vix rationis ullius vim extrinsecùs admittit; et si quid veritate cogente admittit, hoc vix diù retinet. Et quamvis nullum fuerit seculum in quo non plura et maxima Romana Ecclesia contulerit beneficia in Græcos et Orientales, ut latissimè ac satis eleganter Thomas Bozius lib. 5 de Signis Ecclesiæ c. 4 et 5, recenset, id tamen inficiari non possumus, non omnem fuisse adhibitam diligentiam, ut res incœpta ad optatum finem perduceretur. Nam si cùm primùm absoluta Florentina synodus, libelli eâ de re pro populi captu et communi linguâ per Orientem semel atque iterùm fuissent sparsi, illarum saluti aliter esset consultum, fœcundioremque segetem habuisset Ecclesia, quæ, ut ita dicam, non potest consolari, quia non est.

Sed et præter Eugenium IV, si Innocentius III, Gregor. X, Alexander VI aliique pontifices hoc negotium aggressi non solâ synodorum convocatione, vel unius hominis epistolæve missione contenti fuissent, sed rem hanc sedulò Apostolorum more ursissent, forsan Ecclesia suo fœtu non esset orbata, ac tam insignes nationes ad pristinam gloriam rediissent.

Verùm etsi ex istâ tantorum pontificum diligentiâ pro Græcorum aliorumque Orientalium conversione adhibitâ, non tantus extiterit fructus quantus optandus erat, tamen minimè cessandum erit à sollicitudine, ut vinculo Religionis catholicæ Ecclesiæ jungantur. At verò ut hoc fiat, non est opus unius diei aut legationis : etenim arca, in quâ pauci salvi facti sunt, non nisi 100 annorum spatio, id est, longanimi et non intermissâ perseverantiâ perfici potuit. Proinde huic rei seriò ac cum magnâ animi longanimitate enixè connitendum est, ut fructus subsequatur, et ut Græci verâ Religione imbuantur, tum quia inter alios ab Ecclesiâ catholicâ dissidentes, Græcis tanquàm conjunctioribus ac domesticis fidei, ac tanquàm genti olim florentissimæ, et cujus antiqui Patres Ecclesiam illustrârunt, major quàm aliis cura pro recuperandâ eorum salute debeatur. Quare meritò alloquens cœli incolas, civesque domesticos Dei exclamat quidam doctor : Afferte, inquit, opem gratiamque divinam, tum nobis, tum verò mortalibus cunctis, ut ad Ecclesiæ, cujus admirandas et divinas explicavimus virtutes, convolent omnes complexum. Videte quibus Oriens, unde christianæ Religionis lumen effulserat, nunc tenebris involvatur, quibus miseriis opprimatur. Item Græcia sapientiæ quondam parens, imperii summi sedes, ut altissimâ circumfundatur caligine; ut durissimâ servitute, postquàm discessit ab Ecclesiâ, olim cœperit astringi, nunc autem penitùs conteratur? Quomodò sedet quasi vidua domina gentium, regina provinciarum? Evanuit ab illâ decor omnis, è sublimi missus est ignis in ejus ossa. Tetendit arcum suum Deus, quasi inimicus firmavit dexteram suam, quasi hostis occidit omnes, quod pulchrum visu erat in tabernaculis ejus. Non est qui consoletur ipsam ex omnibus charis ejus; omnes amici spreverunt eam, non despectam tamen ab Ecclesiâ matre, quæ toties eam tutata est atque adhuc tutatur sola adversùs inimicos ejus. In suam domum vocat, illam domum luminis, domum sapientiæ et omnium bonorum. Si ignoras te, ô pulcherrima nationum, abi post vestigia gregum tuorum, et pasce illos juxta tabernacula pastoris illius cui dicit adhuc Christus : *Pasce oves meas*, Joan. 21. Vide ut ille brachio suo congreget agnos, in sinu tollat, at fœtos Romæ, et ubicumque potest, ille gestet? Meministi quoties adversùs lupum, qui nunc te tuosque discerpit, dilaniat, devorat, cum maximis suorum copiis, ut te ab amicis tuis desertam defenderet, accurrerit, advolârit. Revertere in te tandem, revertere, et exemplo filii prodigi, vide quot in domo matris tuæ abundent, tu autem fame peris. Prætendite, ô beatæ mentes, quæ in

cœlo degitis, pereuntibus lumen, conciliate illis gratiam divinam, robur cœleste inspirate, miseremini errantium, miseremini pereuntium: tum quia Græcorum schismati et vestigiis non contemnenda mundi pars inhæret; hujus enim sectæ et religionis sunt Moscovitæ, Rutheni et aliæ nationes; latissimè namque patent eorum ritus et fines; nam ab ortu solis gaudent Constantinopolitano ac aliis tribus patriarchatibus; à septentrione universo Moscoviæ patriarchatu, et Lithuaniæ parte, hoc est, albâ Russiâ et rubrâ; à meridie Cypro et Cretâ, in quâ 14 millia pagorum numerantur; occupantque alias quàmplurimas gentes, præcipuè verò Georgianos, quos Iberos appellant cosmographi, qui omnes, exceptis paucis, qui Romanam Ecclesiam venerantur ut matrem, iisdem errorum tenebris implicantur.

Pro Græcorum igitur aliorumque schismaticorum salute procurandâ quatuor præstabimus. Primò de erroribus qui Græcis attribuuntur, de schismatis origine ac confutatione dicemus. Secundò de ratione juvandi Græcos aliosque schismaticos, eosque ad fidem alliciendi. Tertiò in quibus rebus communicatio cum schismaticis, Catholicis à sacris canonibus sit permissa.

ARTICULUS PRIMUS.

De erroribus qui Græcis attribuuntur, et de eorum confutatione.

Præcipui Græcorum errores, qui illis à concilio Florentino et aliis imputantur, quinarium numerum non excedunt.

Primò, negant Spiritum sanctum procedere à Patre et Filio. Secundò, asserunt Sacramentum Eucharistiæ confici non posse in azymo pane, sed præcisè in fermentato; adeòque tenaciter inhærent his duobus erroribus, ut inter alia perversa dogmata, propter quæ ab Ecclesiâ Romanâ descivêre, hæc duo omninò præcipua, et veluti totius dissensionis capita fuerint. Tertiò, docent nullum esse purgatorium locum, in quo animæ corporibus emigrantes purgentur à sordibus quas in corpore contraxerant, antequàm in æterna tabernacula recipiantur, et ex consequenti nihil prodesse defunctis sacrificia, eleemosynas, et hujusmodi opera pia, quæ à vivis pro illis offeruntur. Quartò, quòd sancti post hanc vitam ante diem judicii Deum facie ad faciem non videant, neque ejus visione fruantur, nec peccatores ante eumdem diem inferni suppliciis afficiantur. Quintò errant, negantes summum pontificem Romanæ sedis Apostolicæ caput esse totius Ecclesiæ, ac B. Petri Apostolorum principis successorem. Concedunt ipsi quinque esse totius Ecclesiæ primarios, et præcipuos patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Jerosolymitanum, et inter hos quidem Romanum ordinis quidem et dignitatis primatum habere, ita ut in conciliis et aliis conventibus primum locum in sedendo, sententiam dicendo, suffragium ferendo et subscribendo tenere debeat, sic tamen ut nihil juris et potestatis in alios quatuor, præcipuè verò Constantinopolitanum habeat. Guido Carmelita et post ipsum Gabriel Palæottus de Sectis hæreticorum, verbo *Græci,* multos alios errores Græcis attribuunt, licet Lucinianus natione Cyprius, ordinisque Prædicatorum theologus, pius et doctus, apud Possevinum tom. 1 Biblioth. l. 6, c. 8, magnam prædictorum errorum partem fuisse Græcis impositam contendat, ut nos etiam obiter hìc adnotavimus.

Ex mente igitur prædictorum auctorum errant Græci primò, affirmantes simplicem fornicationem non esse peccatum contra illud Christi Matth. 5: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, fornicationes, furta,* etc., quamvis Lucinianus, ubi supra, excuset Græcos ab hoc errore. Secundò errant Græci, cùm dicunt eos qui sunt aliquibus peccatis implicati cùm Eucharistiam suscipiunt, non recipere corpus Domini, contra illud Apost. 1 Cor. 10: *Quicumque manducaverit panem, et biberit calicem Domini indignè,* etc., quibus verbis satis ostenditur quòd peccatores verè illud sumant, licet indignè, et quòd judicium accipiant, non dijudicantes corpus Domini: licet Lucinianus falsò hunc errorem Græcis imponi affirmet. Tertiò primas nuptias admittunt, secundas damnant: in quo clarè Evangelio contradicunt Matth. 10 et 19. Si enim alter conjugum mortuus sit, alter solutus est, ut iterùm possit nubere. Sed Lucinianus negat damnari secundas nuptias à Græcis, fatetur tamen solere Græcos sacerdotes in primis benedicere, sed non in secundis. Quartò docent nuptiarum fœdus posse pro conjugum arbitrio dissolvi et fieri divortium. Lucinianus tamen apud Possevin. ubi supra, affirmat, nunquàm inter Græcos permissum fuisse divortium, quo liceret novas quærere nuptias. Quintò errant, affirmantes Latinos contra Apostolorum præceptum non servare abstinentiam à sanguine et suffocato, non advertentes

illud Apostolorum decretum contra idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum et idolothitum edebant. Quare tantùm illud servandum erit sicut et à Catholicis servatur, ubicumque inter gentes quæ idola adorant, immolatitia sunt. Porrò illo Apostolorum decreto tantùm immolatitia et non alia prohiberi docent gravissimi Orientalium Patres, B. Cyrillus Hierosolymitanus in 4 Catechesi; D. Gregor. Nazianz., Serm. in sanctum Pascha; Justin. Martyr. quæst. 45; Origenes lib. 8 contra Celsum, et alii. Sextò asserunt Eucharistiæ sacramentum, in die Cœnæ Domini confectum, esse excellentioris virtutis et efficaciæ, quàm alio quolibet die confectum. Hunc tamen errorem falsò imponi Græcis Lucinianus quoque defendit. Septimò errant Græci cùm Sacramentum Extremæ Unctionis infirmis quandoque ad corporis quoque salutem prodesse negant: id enim apertè pugnat contra illud Jacobi 5, qui de hoc Sacramento loquens, ait: *Et oratio fidei salvabit*, vel (ut textus Græcus habet), *sanabit infirmum*. Octavò, affirmare etiam Græcos refert Prateolus, ubi supra, non esse peccatum dare aliquid ad usuram, contra illud Lucæ 6: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Et quod deterius est, non esse necessariam rei furto sublatæ restitutionem, ut quis possit assequi vitam æternam, non animadvertentes, *non tolli peccatum, nisi restituatur ablatum. Si quid aliquem defraudavi*, inquit Zachæus, Lucæ 19, *reddo quadruplum*. Hanc tamen esse calumniam apertam in Græcos docet Lucinianus; nam apud illos asserit hæc verè peccata censeri, atque ab eorum sacerdotibus adigi pœnitentes, ut reddant quod debent. Nonò, mortuâ sacerdotis uxore, credunt sacerdotem non ampliùs esse sacerdotem, quasi ab uxore et non à Christo per episcopum sacerdotium suscepisset, vel character sacerdotalis esset delebilis. Hunc tamen errorem Lucinianus Græcis imponi apertissimè docet ubi supra. Decimò, errant Græci existimantes non licere Christi imaginem sculpi, sed tantùm depingi, non animadvertentes sculptilia à Deo fuisse prohibita, ut Judæorum animos pronos ad idololatriam ab eâdem averteret: ortâ verò jam Evangelii luce, seclusoque idololatriæ periculo, licet hominibus Dei sanctorumque aliorum memoriam omnibus piis modis, sive per imagines depictas sive sculptas, excitare et ad mentem revocare. Hi sunt errores qui Græcis solent attribui.

Adversùs Græcorum errores scripserunt inprimis ipsius Ecclesiæ Græcæ viri doctissimi, Emmanuel Caleta, patriarcha Constantinopolitanus, Georgius Protosingelus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Bessarion cardinalis Nicænus, qui et postea fuit patriarcha Constantinopolitanus. Et præcipuè Georgius Scholarius (deinde vocatus Gennadius cùm patriarcha Constantinopolitanus nominaretur), qui cùm synodo Florentinæ cum aliis Græcis affuisset (ubi omnes de suis erroribus convicti ad Ecclesiæ unitatem redacti sunt, postea verò retrorsùm abeuntes omnes ad vomitum reversi sunt), eleganter Græcorum errores confutavit, eorumque calumniis contra Ecclesiam Latinam objectis doctè et piè respondit; cujus opera versa in Latinam linguam habentur tomo 4 Bibliothecæ SS. Patrum.

Ex Latinis verò D. Anselmus archiepiscopus Cantuar. in Opusc. de azymo; Rabanus Maurus de Institutione Clericorum l. 1, c. 31, de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini; Hugo Etherianus adversùs errores Græcorum ad Alexandrum III, pontificem maximum, libris tribus, qui habentur tomo 9 Bibliothecæ Sanctorum Patrum, et Chrisolanus Mediolanensis archiepiscopus, de Spiritu sancto; S. Th. de Aquino Opusc. 1 et 2 contra Græcorum errores, et omnes ejus expositiones in primam partem in quæst. celebri de processione Spiritûs sancti; cardinalis Turrecrem. in Expositione decreti de unione factâ in synodo Florentinâ, et novissimè licet breviter Antonius Possevinus, vir pius et doctus in suâ Moscoviâ; Azorius 2 tomo Instit. Moral. l. 4, c. 14. Et potissimùm, ut alios nunc omittam, sacra synodus Florentina, ubi Patres doctissimè Græcorum errores confutârunt, eisque pœnitentiam et obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstandam persuaserunt, factâque unionis bullâ ab Eugenio IV, pontifice maximo, Græci discessêre, cùm tamen neque ab ipsis neque à Latinis, tunc fuissent apud Græcorum nationes, neque concilii Florentini decreta, nec unionis bulla publicata, quod causa fuit, ut Græci sicut et antea in suis erroribus permanerent.

Articulus II.

De origine errorum et schismatis Græcorum.

Dicam nunc breviter de origine schismatis Græcorum. Dùm orthodoxa fides in Oriente vigebat Græci primatum visibilis hujus ac militantis Ecclesiæ Petro Apostolo, ejusque successoribus fuisse à Christo Domino collatum

facilè credebant et confitebantur, ut latiùs probat cardinalis Bellarm. l. 2 de Roman. Pontif. in controversiâ de summo pontifice. Quare in conciliorum confirmatione necessariam Romani pontificis auctoritatem agnoscebant, et cùm vel ab hæreticis, vel ab ipsis imperatoribus patriarchæ sive episcopi aliquâ afficiebantur injuriâ, ad Romanam sedem, ut defenderentur, confugiebant.

Quin imò ex toto terrarum orbe ad eamdem veluti ad Petri sedem episcopi de rebus fidei aliisque gravissimis quæstionibus scribebant; atque ad ejusdem pontificis maximi jussum vel cogebant concilia, vel coacta petebant, ut confirmarentur. At cùm Constantinus Magnus imperii sui sede Bizantium translatâ, Romam Christi vicario cessisset, Græci terreni imperatoris præsentiâ inflati, anno Domini 381, episcopum Constantinopolitanum, qui antea nec patriarchatûs munere fungebatur, tribus Orientis patriarchis anteponere, et secundum à Romano pontifice facere voluêre, sicut ex concilii Constantinopolitani canone 5 patet. Nec hoc quidem contenti, anno Domini 451, eumdem Constantinopolitanum episcopum Romano pontifici parem efficere conati sunt, ut ex Act. 16 Chalcedonensis synodi constat. Propè verò annum 600, episcopum Constantinopolitanum œcumenicum, id est, orbis terræ episcopum sive universalem pastorem ausi sunt nominare. Ac denique anno 1054 (ut superbia ascendit semper), apertum schisma prodire cœpit, adeò ut solùm antea semina jacta viderentur; imperante enim illo tempore Constantino Monomacho, patriarcha Constantinopolitanus nomine Michael, cupiens reipsà universalis fieri patriarcha, cujus dignitatis nomen jamdudùm sibi usurpaverant ejus prædecessores, proclamare cœpit Romanum pontificem, omnesque alios Latinos esse excommunicatos ob hanc causam, quia Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere assererent, et contra decretum concilii Nicæni in symbolo illud, *Filioque*, addidissent. Romano autem pontifice de primâ sede ejecto, ad se primam sedem jure pertinere, quia post Romanum primus esset, aiebat. Hæc fuerunt Græcorum schismatis semina; sed quia excæcati tumore superbiæ ordinem à Christo institutum et honorem Petri successoribus debitum arripere et perturbare conati sunt, ipsi potiùs perturbati atque confusi sunt. Turcarum mancipia effecti, bonis litteris et libris, corporibusque Sanctorum Patrum ipsis ademptis, et ad unam veram Romanam Ecclesiam translatis. Qui plura desiderat de Græcorum schismatis origine, legat Azorium 2 tom. Institut. Moral. l. 4, c. 18, per totum.

ARTICULUS III.

De processione Spiritûs sancti disputatio, in quâ ostenditur Spiritum sanctum à Patre et Filio procedere.

Cùm Græci negent Spiritum sanctum à Filio procedere, et conquerantur Latinos ad Symbolum Nicænum addidisse illam particulam, *Filioque*, duo nobis erunt tractanda. Primò probabimus ex Scripturâ sacrâ, conciliis et Patribus (potissimùm Græcis) Spiritum sanctum à Filio quoque procedere. Secundò meritò potuisse et debuisse Latinos particulam illam, *Filioque*, Symbolo addere.

De origine hujus erroris et schismatis aliqua licet breviter attigimus supra, nunc brevitati etiam consulentes, scire oportet, olim et Symbolo Nicæno et Constantinopolitano nullam mentionem fieri de processione Spiritûs sancti à Filio, quia cùm in Ecclesiâ non essent circa hoc exortæ hæreses, non opus fuit in Symbolo id explicare; postea verò cùm orthodoxi omnes unanimi consensu docerent Spiritum sanctum à *Filio* etiam procedere, pertinaciter id negantibus Græcis, addita fuit majoris claritatis gratiâ ab Ecclesiâ Symbolo Nicæno et Constantinopolitano illa particula, *Filioque*. Quando verò fuerit à Latinis facta illa additio, *Filioque*, licet id clarè non constet, verisimilius creditur fuisse factam circa annum sexcentesimum. Nam in concilio Toletano octavo celebrato circa annum 653, recitatur symbolum cum hâc additione; et cùm ante hoc tempus non inveniatur cum illâ, ut constat ex concilio Toletano tertio, anno 589 celebrato, signum evidens est, illo medio tempore, fuisse à Romano pontifice additionem factam, ut creditur in concilio ingenti Latinorum Patrum, propter dissensiones quasdam exortas inter Galliam et Hispaniam: quamvis non constet quale fuerit illud concilium, ut notavit D. Thom. 1 p. q. 36, art. 2; unde quamvis certò non possit explorari neque locus, neque tempus hujus additionis, certum tamen est, vel in aliquo concilio generali, vel auctoritate alicujus summi pontificis additam esse.

§ 1. *Ex Scripturis ostenditur Spiritum sanctum procedere à Filio.*

Primò, Joan. 16: *Omnia quæ habet Pater,*

mea sunt, inquit Christus. Item Joan. 17 : *Omnia tua mea sunt;* id est, quidquid habet pater, habet etiam Filius, exceptâ solâ paternitatis relatione, ut Augustinus exponit; sed Pater habet esse principium Spiritûs sancti non ut Pater, sed ut Spirator; ergo et Filius id ipsum habet. Deinde si Pater et Filius non haberent omnia communia, exceptâ relatione oppositâ, distinguerentur plusquàm relatione, et proinde substantiâ. Nam Pater ut Spirator non est relativum ad Filium ; ergo si ut Spirator distinguitur à Filio, distinguitur per spirationem non ut relatio est, sed ut forma quædam in Patre subsistens, et proinde Pater et Filius in substantiâ differunt, quæ fuit Arianorum hæresis.

Secundò, Joan. 16 : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Quid accipiet à Filio Spiritus sanctus nisi scientiam ? Nam paulò ante dixerat vers. 13 : *Non à seipso loquetur, sed quæcumque audiet loquetur,* et de scientiâ exponunt Chrysostomus, Cyrillus et Augustinus. Quomodò autem potest Spiritus sanctus accipere à Filio scientiam, nisi accipiendo ab illo essentiam? Quidquid enim aliud dicatur, fiet Spiritus sanctus creatura.

Theophil. et Euthymius duas insinuant solutiones. Prima, Spiritum sanctum accipere de scientiâ Filii, quia nihil docet contrarium iis quæ docuit Filius. Secunda, illud, *de meo,* significare de meo thesauro, qui est Pater, ac si diceret : Accipiet unde ego accepi. Sed prima solutio non quadrat : non enim solùm Christus dicit : *Accipiet de meo*, sed etiam dicit : *Non loquetur à semetipso*, ubi apertè indicat scientiam Spiritûs sancti non esse illi à seipso, sed à Patre et Filio ; deinde ipse Christus rationem reddit quare dixerit : *Accipiet de meo*, quia *omnia quæ habet Pater,* inquit, *mea sunt.* Quæ ratio non videtur quid valeat, nisi admodùm extorqueatur textus, si sensus non sit, accipere de Filio Spiritum sanctum, ut accipit à Patre. Secunda solutio etiam non satisfacit : nam thesaurus scientiæ in Deo non est persona Patris præcisè ut persona, sed essentia divina, quæ est communis Patri et Filio. Thesaurus enim et scientia perfectionem absolutam significant, perfectio autem absoluta ad essentiam spectat. Quare Paulus ad Coloss. 2 : *In Christo,* inquit, *omnes thesauri sunt scientiæ et sapientiæ Dei.* Spiritus ergo accipiens de hoc thesauro accipit de re communi Patri et Filio.

Quæres, quare dixerit, *de meo,* et non potiùs, *meam essentiam,* aut *sapientiam,* etc., et cur ait in futuro, *accipiet,* et non in præsenti, *accipit.* — Respondeo, *de meo,* dixisse, quia Spiritus sanctus non accipit filiationem, sed essentiam, et proinde non totum id quod est in Filio accipit. Dixit autem, *accipiet,* in futuro, quia acceptio illa est æterna, et continet in se virtute omnia tempora; Scriptura autem tempora exprimit prout res de quâ agitur postulat; hoc autem loco describitur Spiritus sanctus tanquàm legatus à Patre, et à Filio mittendus ad Apostolos ; legati verò tunc instruuntur, cùm mittuntur; ideò dicit, *quæcumque audiet, et de meo accipiet.*

Tertiò, Joan. 16 : *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Item c. 15 : *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Missio autem tantùm esse potest, aut per imperium, quomodò mittuntur servi à dominis; aut per consilium, quomodò dicuntur mitti qui instruuntur à sapientioribus ; aut per modum causæ, cujus gratiâ, quomodò mittit ad bellum, cujus meritis fit bellum ; aut per modum consensûs, quâ ratione mittit qui consentit mitti, vel quia res tantùm mittuntur ejus qui dicitur missus, sicut qui diceretur mitti, quando mittuntur insignia ejus. Denique aut per naturalem productionem, quomodò arbores dicuntur emittere flores. Primo et secundo modo Spiritus sanctus non potest dici à Filio mitti, cùm non sit inferior, aut potentiâ aut sapientiâ, Filio. Neque tertio et quarto, tùm quia hoc non est nisi impropriè mitti, tùm quia etiam dici posset Patrem mitti à Filio, quia Filius est etiam causa suis meritis, et consentit ut ad nos veniat Pater. Quinto quidem contendunt Græci Spiritum sanctum mitti à Filio, scilicet quòd Spiritûs sancti dona nobis largiatur Filius : sed aberrant, tum quòd non solùm dona dentur Spiritûs sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus, ad Rom. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ecce distinctionem inter dona ipsa et Spiritum sanctum. Deinde si mittere Spiritum sanctum sit tantùm mittere dona, Pater mittetur etiam à Filio et Spiritu sancto, quia quælibet persona est auctor omnium donorum. Denique pari ratione dici pòsset, mitti Filium à Patre, nihil aliud esse, quàm mitti Filii dona, et sic eluderetur Incarnationis mysterium.

Quartò Joan. 20 : *Insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum sanctum;* hâc enim cæremoniâ voluisse Christum declarare Spiritum sanctum ab illo procedere, docent August. lib. 3 in

Maxim. c. 14; Cyrillus 12 in Joannem, c. 56.

Quintò, eodem modo in Scripturâ dicitur Spiritus sanctus Patris Spiritus, et Filii Spiritus : *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Rom. 8 : *Si quis Spiritum Christi non habet.* At dicitur *Spiritus Patris,* quia à Patre procedit; ergo similiter dicetur *Spiritus Filii,* quia ab ipso procedit.

Nec respondere possunt dici Filii Spiritum, quia simul cum Filio à Patre procedit, vel quia est Filio similis. Nam sicut non obstante relatione Spiritûs sancti ad spirantem diceretur Filii Spiritus sanctus, eò tantùm quòd procedant ambo à Patre, vel quia similes in naturâ: pari ratione dici posset Christus Spiritûs sancti Filius et Verbum, non obstante relatione ad Patrem et dicentem, quia simul etiam ambo à Patre procedunt, et item in naturâ similes.

§ 2. *Idem probatur ex conciliis.*

Eadem fidei veritas definita est in conciliis. Et inprimis concilium Ephesinum in Epistolâ totius concilii ad Nestorium, his verbis definivit : « De Spiritu quoque cùm dicit : *Ille me* « *clarificabit,* hoc rectissimè sentientes unum « Christum Dominum, et Filium non velut « alterius egentem gloriâ, confitemur à Spiritu « sancto gloriam consecutum, qui ejus spiri- « tus nec melior, nec superior ipso est. Sed « quia humana opera faciens ad demonstratio- « nem suæ deitatis virtute proprii Spiritûs « utebatur, ab ipso glorificari dicitur, quòd « virtus sua, vel disciplina quælibet unum- « quemque clarificet. Quamvis enim in suâ sit « substantiâ spiritus ejus, et intelligatur in « personâ proprietas, juxta id quod spiritus « est, et non Filius, attamen alienus ab illo « non est : nam spiritus appellatus est verita- « tis, et veritas Christus est. Unde et ab isto « similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Deni- « que hic ipse Spiritus etiam per sanctorum « manus Apostolorum miracula gloriosa perfi- « ciens, Dominum clarificavit Jesum Christum « postquàm ascendit in cœlum. Nam creditus « est Christus naturâ Deus existens per suum « Spiritum virtutes efficiens, ideòque dicebat : « *De meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Nequa- « quàm verò participatione alterius idem Spi- « ritus sapiens aut potens dicitur, quia per « omnia perfectus est, et nullo prorsùs indi- « gens bono : nam paternæ virtutis et sapien- « tiæ, id est, Filii, spiritus creditur; et ideò « ipsâ re, et subsistente virtute virtus, et « sapientia comprobatur. » Hactenùs concilium. Cùm enim Nestorius Christum hominem distinctum suppositum astrueret à Filio Dei, nec beatam Virginem Dei genitricem confiteri vellet; cùmque illum errorem etiam inde probare contenderet, quòd Christus homo fuerit à Spiritu sancto clarificatus, ut ipsemet et Joan. 16, prædixerat eâ sententiâ : *Ille me clarificabit,* etc., explicat concilium quânam ratione Christus à Spiritu sancto sit clarificatus, addens eum Spiritum esse Spiritum Christi, quatenùs Christus est Dei Filius, à quo etiam, inquit, sicut ex Deo Patre procedit.

Quòd autem Epistola illa non fuerit solius Cyrilli, sed totius Ephesinæ synodi, constat inprimis ex verbis illis ad initium ejusdem Epistolæ : « Religioso et Deo amabili Nestorio, « Cyrillus, vel quicumque sunt apud Ephesi- « nam synodum. » Fit autem in eâ peculiaris mentio Cyrilli, quoniam auctoritate Cœlestini papæ præsidebat toti concilio. Constat deinde quoniam ex sequentibus conciliis generalibus in Græciâ celebratis est manifestum, Patres illius concilii fidei defensionem adversùs Nestorium confecisse, quæ sanè nulla alia est in eâ synodo, quàm ea quæ in eâ Epistolâ continetur. Nam fidei confessionem, quam ejus concilii Patres fecerunt, in quâ fusiùs, ut errores Nestorii flagitabant, exponuntur Nicænæ Constantinopolitanæque synodi confessiones; eam, inquam, confessionem unà cum tredecim anathematismis in Epistolæ formam redactis ad eumdem Nestorium absentem, si fortè resipisceret, tanquàm ad amicum benignè direxerunt.

Accedit præterea, quòd ex eisdem conciliis, quæ sunt in Græciâ consecuta, certum est, quæ continet ea Epistola fidei definitiones esse. In concilio enim Chalcedonensi, actione quintâ, in primâ fidei definitione suscipiunt Patres tanquàm fidem orthodoxam ea quæ in tribus præcedentibus conciliis generalibus definita fuerunt, scilicet in Nicæno, Constantinopolitano et Ephesino. Cùmque ad Ephesinam ventum est, adjicitur sequens sententia : « Statui- « mus etiam S. synodum Ephesi factam, cujus « fuerunt auctores venerabilis memoriæ Cœle- « stinus Romæ urbis, et Cyrillus Alexandrinæ « Ecclesiæ sacerdotes. » In secundâ verò fidei definitione additur: Beatissimi quondam Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotis synodicas Epistolas, tam ad Nestorium, quàm ad cæteros per Orientem congruas, et sibi consentientes

suscipit, ad confutationem quidem Nestorianæ amentiæ, et ad interpretationem eorum qui religioso zelo salutaris Symboli cupiunt intellectum. In quintâ prætereà synodo, actione quintâ, anathematismo 13 et 14, feriuntur anathemate, qui repugnârint definitis à S. synodo Ephesinâ et beato Cyrillo, fitque manifesta mentio de contentis in Epistolà ad Nestorium. In sextâ etiam act. 7, in definitione fidei orthodoxæ suscipiuntur Epistolæ synodicæ, quæ à B. Cyrillo scripta sunt adversùs impium Nestorium, et ad Orientales episcopos, et denique ea omnia, quæ à quinque præcedentibus conciliis universalibus definita fuerant. Quo fit, ut dogma de processione Spiritûs sancti à Filio in tertiâ synodo generali fuerit definitum, et in tribus sequentibus in Græciâ celebratis confirmatum ac subscriptum.

Eamdem veritatem statuit concilium Lateranense secundum, sub Innocentio III, cap. *Firmiter* de sum. Trin. et fide cath., his verbis : « Pater à nullo, Filius à Patre, ac Spiri« tus sanctus pariter ab utroque. » Item in concilio Lugdunensi cap. *Fideli* de summâ Trinitate et fide catholicâ, l. 6, ubi Gregorius X : « Fideli, inquit, et devotâ professione « fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter « ex Patre et ex Filio, non tanquàm ex duo« bus principiis, sed tanquàm ex uno princi« pio, non duabus inspirationibus, sed unâ « inspiratione procedit. Hoc professa est ha« ctenùs, prædicavit, et docuit sancta Romana « Ecclesia, mater omnium fidelium, et ma« gistra. Hoc habet orthodoxorum Patrum at« que doctorum Latinorum pariter et Græco« rum incommutabilis et vera sententia. Sed « quia nonnulli, propter irrefragibilis præ« missæ veritatis ignorantiam, in errores varios « sunt prolapsi, nos sacro approbante concilio « damnamus et reprobamus omnes qui negare « præsumpserint æternaliter Spiritum sanctum « ex Patre et Filio æternaliter procedere ; sive « etiam temerario ausu asserere quòd Spiri« tus sanctus ex Patre et Filio tanquàm ex « duobus principiis, et non tanquàm ex uno « procedat. » Hæc Gregorius X, in eo concilio.

Accedit concilium Florentinum, cui Joannes Palæologus Græcorum imperator, patriarcha Constantinopolitanus, et multi alii episcopi Græcorum interfuêre, ubi post longam disputationem communi Latinorum et Græcorum consensu, sess. ultimâ in litteris sanctæ unionis, decreto de processione Spiritûs sancti, sequens definitio edita est : « Approbante « hâc sacrâ synodo Florentinâ, definimus, ut « hæc fidei veritas ab omnibus Christianis cre« datur et suscipiatur, quia Spiritus sanctus à « Patre et Filio æternaliter est, et essentiam « suam suumque esse subsistens habet ex Patre « simul et Filio, et ex utroque æternaliter, tan« quàm ab uno principio, et unicâ spiratione « procedit, declarantes, quòd id quod SS. do« ctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium « procedere Spiritum sanctum, ad hanc in« telligentiam tendit, ut per hoc significetur « Filium quoque esse, secundùm Græcos qui« dem causam, secundùm Latinos verò princi« pium subsistentiæ Spiritûs sancti, sicut et « Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, « ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, « præter esse Patrem, hoc ipsum, quòd Spi« ritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius « à Patre æternaliter habet, à quo etiam æter« naliter genitus est. » Hæc Florentina synodus. In ejusdem litteris sanctæ unionis legere licet rationem, quâ Græci et Latini ad concordiam venerunt. Cùm enim utrique explicârunt, quod antea dicebant, inventum est solis verbis dissensisse, cùm Græci non se satis explicarent, nec intelligerent Latinos, crederentque eos in eâ esse sententiâ, ut dicerent Spiritum sanctum procedere à Patre et Filio tanquàm à duobus principiis, distinctisque spirationibus, quod nunquàm asseruerunt, ut patet ex conc. Lugdunensi, ubi contrarium fuerat definitum.

Divus Antoninus, tertiâ parte suarum historiarum, titulo 22, c. 13, § 13, refert nullum ferè fructum ex eâ concordiâ fuisse secutum, eò quòd Græci non curaverint eam definitionem populo tradere, quin potiùs episcopi et sacerdotes, qui concilio pœnitentes non adfuerunt, in eodem errore suo permanserint, et mortuo Joanne Palæologo per sequentis imperatoris creationem ad statum pristinum errores Græciæ redierint, unde perseverant adhuc Græci ab Ecclesiâ Romanâ divisi, non minùs quàm ante concilium Florentinum. Addit D. Antoninus in pœnam tanti delicti, 14 anno sequenti post concilium Florentinum, Constantinopolim videri captam à Turcis, et paulò post totam Græciam.

Eamdem veritatem statuit concilium Toletanum primum in confessione fidei, cùm dicit : « Spiritum quoque esse Paracletum, quia nec « Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Fi-

« lioque procedens. » Fuit verò concilium hoc confirmatum à Leone primo ; cujus auctoritas congregavit, firmavitque concilium Chalcedonense. Idem affirmat Leo I, sermone secundo in Pentecosten. Idem Toletanum III, anathematismate 3, Toletanum IV, cap. 1 ; Toletanum VIII in Symbolo fidei, demùm Toletanum XI in Professione fidei.

§ 3. *Ex Patribus Græcis idem statuitur.*

Eamdem veritatem non solùm Latini omnes semper constanter asseverârunt, sed etiam, ut ex concilio Lugdunensi et Florentino constat, præcipui Græci Patres ; in quorum numerum referuntur, quotquot Ephesinæ et tribus sequentibus synodis generalibus in Græciâ celebratis interfuerunt. Et quamvis Græci Patres in duas soleant classes dividi, quòd alii Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere ferè eisdem verbis ac nos disertè fateantur ; alii autem, licet in verbis Latinorum non consentiant, re tamen ipsâ nihil differunt, dùm docent Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere. Utriusque classis Patrum testimonia referam.

Inprimis S. Athanasius : « Spiritus sanctus « à Patre et Filio non factus, nec creatus, « nec genitus, sed procedens. » Hæc ille in Symbolo. Quod Athanasii esse patet, primò quia Nazianzenus Oratione de laudibus Athanasii dicit eum composuisse perfectam fidei confessionem Occidenti et Orienti notam. Secundò, quia Augustinus in Ps. 120, citans nominatim Athanasium episcopum Alexandrinum, integrum versiculum hujus Symboli adduxit, et suppresso Athanasii nomine, utitur hujus Symboli sententiis l. 5 de Trin. 8, Ep. 174, Enchirid. c. 36, passim, ut in Ecclesiâ notissimi.

Non fuisse autem particulam, *et Filio*, additam huic symbolo, hinc constat, quòd habeatur in Græco, et quòd Toletan. IV, cap. primo, recitat confessionem fidei ferè ad verbum, sumptam ex hoc symbolo, in quâ hæc particula habetur. Quare cùm Græci non haberent quid responderent ad hoc testimonium, dicebant, teste Gennadio, lib. pro defensione concilii Florentini, cap. primo, sect. quintâ, Athanasium fuisse ebrium cùm hæc scripsit.

Idem quoque Athanasius serm. 4 contra Arianos affirmat Spiritum sanctum accipere à Verbo. In Epistolâ ad Serapionem episcopum, de Spiritu sancto, sic loquitur : « A Patre dici« tur procedere, quoniam à Verbo Patris « desumit, et mittitur, et donatur. » Et infra : « Spiritus porrò à Filio accipit : de meo enim, « inquit, accipiet, et annuntiabit vobis. » Et paucis interjectis : « Cùm igitur istiusmodi « ordinem et naturam habet Spiritus ad Fi« lium, qualem Filius habet ad Patrem, quì « fieri potest, ut qui Spiritum sanctum crea« turam dicit, non illud idem necessariò et de « Filio sentiat ? »

S. Cyrillus in illud Joelis : *Effundam à Spiritu meo,* hæc habet : « Quatenùs enim « Deus ex Deo naturaliter est Filius, genitus « enim est ex Deo Patre, proprius ipsius, et « in ipso, et ex ipso est Spiritus, sicut profectò « et ex Patre ipso intelligitur. » Idem in Exposit. 9 Anathematismi, sic ait : « Factus « homo unigenitus Dei Filius mansit quoque « Deus, omnia quæ Pater habens præter esse « Patrem, propriumque sibi, qui ex ipso, et « ipsi innatus est Spiritus sanctus. » Idem etiam in Apologiâ ad Theodoretum, ait : « Pro« cedit enim sicut ex Deo Patre Spiritus, « juxta Salvatoris vocem, non tamen alienus « à Filio est. Omnia enim habet cum Patre, et « idcircò dictum quoque est illud : *De meo « accipiet.* » Et in lib. ad Palladium per interrogationem et responsionem, ait : « Mutabilis « haudquaquàm est Spiritus sanctus, vel si « ipsum mutari intelligit, in ipsam Momus « divinam resultabit naturam, si Dei Patris « est, necnon et Filii, substantialiter ex am« bobus, hoc est, ex Patre per Filium effusus « Spiritus. » Et in quinto ad Hermiam, inquit : « Cujus proprium esse dicimus Spiritum san« ctum ? Num solius Dei Patris ? vel certè « Filii ? An verò utriusque divisim et ambo« rum tanquàm unum ex Patre per Filium « propter identitatem essentiæ ? » Hermia respondet : « Ita aio, amice. » Et Cyrillus : « Rectè. »

S. Epiphanius in Anchorato apertissimis verbis : « Spiritus sanctus ex Patre et Filio tertius « appellatione. » Et ibidem : « Uterque habitat « in homine justo, Christus, et Spiritus ip« sius. Si ergo Christus ex Patre creditur Deus « de Deo, et Spiritus à Christo, vel ex am« bobus, ut Christus ait : *Qui ex Patre proce« dit, et ille de meo accipiet.* » Et ibidem : « Atqui « dicet aliquis : Ergo dicimus duos filios esse, « et quomodò Christus unigenitus? Nequaquàm. « Tu verò qui es, qui contraria de eo dicis ? « Filium vocat ex se, Spiritus autem sanctus « ab utrisque. » Et ibidem : « Spiritus sanctus

«Spiritus veritatis est, lumen tertium ex « Patre et Filio. » Et rursùs : « Quemadmodùm enim nemo noscit Patrem, nisi Filius, « neque Filium, nisi Pater; ita dicere audeo, « quòd neque Spiritum nisi Pater, et Filius « à quo procedit, et à quo accipit. Neque Filium neque Patrem, nisi Spiritus sanctus « glorificans verè, et docens omnia, qui ex « Patre et Filio est. »

Sanctus Basilius Magnus in tertio contra Eunomium, circa principium, adeò clarè et luculenter de veritate hujus articuli disputat, ut Græci quidam temerario ausu, tanti Patris auctoritatem pertimescentes, non dubitârint verba quædam sancti doctoris expungere, atque alia de suo addere, sicuti nunc in excussis legitur libris. Locus verò integer, Basilii procul dubio stylum et grandiloquentiam redolens, à Bessarione recitatur, qui se illum Constantinopoli legisse ait in pluribus vetustissimis manuscriptis : « Quæ enim necessitas si « ordine et dignitate tertius est Spiritus sanc« ctus, tertium quoque esse naturâ? Dignitate « enim secundum esse à Filio, esse ab ipso « habentem, et ab ipso accipientem, et nun« tiantem nobis, atque omninò ab illâ causâ « dependentem tradit nobis pietatis sermo, » etc. Et contra Eunomium lib. quinto cap. cui titulus : *Quare Spiritus sanctus non est Filii Filius?* respondet hoc pacto : « Non quia per « Filium à Deo non sit, sed ne Trinitas infinita « multitudo censeatur, et ex filiis filios, ut in « humanis fit, habere putetur. » Idem in eodem cap. : « Propterea esse quidem Spiritum ex « Deo manifestè declaravit Apostolus dicens, « quòd *Spiritum, qui à Deo est, accepimus.* Per « Filium autem elucere clarè docet ubi Spiri« tum ipsum Filii nominat, sicut et Dei Pa« tris. » Constat autem legentibus Basilii verba Patrem hunc loqui de æternâ Spiritûs sancti productione. Nam illud, *elucere*, vel, *eluxisse*, quod Græci de temporali missione malè interpretantur, sæpè Basilius ipse pro ipsâ Spiritûs sancti *processione ad intra,* ut vocant, explicanda usurpavit.

S. Joannes Damascenus l. 1 de fide Orthod. c. 13, hæc habet : « Ipse igitur Pater mens « est, Verbi abyssus, Verbi genitor, et per « Verbum productor manifestativi Spiritûs. » Et rursùs : « Spiritus autem sanctus occultæ « divinitatis, Patris manifestativa virtus, ex « Patre per Filium procedens, ut ipse novit, « non generationis modo. » Idem in fine capitis ait : « Spiritus Patris cùm ex Patre pro« cedat, et Filii quoque est Spiritus, non tan« quàm ex ipso, sed tanquàm per ipsum ex « Patre procedens; solus enim Pater causa « est. » Porrò illud, *per*, singularem causæ, seu principii naturam, et verba ipsa Damasceni non obscurè indicant, et testatur Basilius Magnus, c. 8, lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium his verbis : « Quòd per Fi« lium creet Pater, neque imperfectam Pa« tris creationem, neque impotentem Filii de« notat operationem, sed unitam ipsorum vo« luntatem significat. » Quare vox illa, *per Filium,* originalis causæ confessionem continet, non autem ad coarguendam efficientem causam sumitur. Hoc etiam fusè Basilius c. 5, ad Amphilochium.

Idem docet Chrysostomus, explicans illa verba : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ait enim : « Quod enim sic per ipsum dictum est, nullam « aliam ob causam dictum est, quàm ut ne Fi« lium aliquis ingenitum suspicetur. » Ergo juxta horum Patrum sententiam, vox illa, *per Filium,* accipienda est, ut originalis in Patre principii significativa. Hoc verò loquendi modo sæpissimè usus est Basilius Magnus, qui accuratissimè ac planissimè scripsit de Spiritu sancto, tum in quinque adversùs Eunomium libris, tum in libro, quem de Spiritu sancto scripsit ad Amphilochium; præsertim verò c. 18, ubi de Spiritu sancto ita disserit : « Igitur « Dei cognitionis via est ab uno Spiritu per « unum Filium ad unum Patrem, et è converso. « Naturalis bonitas, et quæ secundùm naturam « est sanctificatio et regia dignitas à Patre per « Unigenitum ad Spiritum pervenit. »

Sanctus quoque Maximus in Epistolâ illâ quam citant Græci Patres concilii Florentini, delarat simul ac tuetur dogma et loquendi modum Ecclesiæ Romanæ; ait enim, quod Latini dicunt *ex Filio,* idem esse, quod Græci, *per Filium,* illumque loquendi modum, Latinos, inquit, dicere, sumptum esse à Patribus tam Græcis quàm Latinis. Præterea explanans quid sibi velit aureum Zachariæ prophetæ candelabrum et lucerna, hæc ait : « Spiritus enim « sanctus ut naturâ coessentialis est Deo Patri, « ita et Filio secundùm substantiam est, quippe « qui ex Patre essentialiter per Filium genitum « ineffabiliter procedit. » Ex his duobus loquendi modis et *ex Filio*, et *per Filium*, Maximus et Damascenus, sed præcipuè posterior hic primum secundo postposuerunt. Imò Damascenus non vult esse dicendum, *ex Filio,* sed, *per Filium.* Quapropter Græci Patres con-

cilii Florentini, et præcipuè patriarcha Joseph, ut habetur sess. 25, post longas disputationes et sanctorum Patrum lectiones hujusmodi tandem protulit sententiam, cui Græci omnes acquieverunt :

« Posteaquàm audivimus dicta sanctorum « Patrum Occidentalium et Orientalium, quo« rum alia Spiritum sanctum ex Patre et Filio « procedere dicunt; alia verò ex Patre per Fi« lium, tametsi, *per Filium*, idem est, quod, *ex « Filio*, et *ex Filio*, idem est quod, *per Filium*; « nos tamen illud, *ex Filio*, omittentes, dicimus « Spiritum sanctum procedere à Patre per Fi« lium ab æterno, et substantialiter, ut ab uno « principio, et causâ, præpositione, *per*, in præ« senti in Spiritùs sancti processione signifi« cante causam. »

Quapropter videbatur illis inter præpositiones, *per*, et *ex*, hoc esse discrimen, quòd præpositio, *ex*, primum præsentiale, et procatarcticum, ut Græci vocant, principium denotat. *Per* verò, duo simul connotat, et secundæ personæ actionem, et primæ, hoc est, Patris suppositionem, vim et actum producendi Filio communicantis. Atque in hoc communem Græcorum Patrum dicendi modum, sed præcipuè Maximi et Damasceni secuti sunt. Ejusdem etiam sententiæ fuit Didmyus l. 2 de Spiritu sancto (habetur inter opera D. Hieronymi); Cyrill. Hierosolym. Catech. 16 et 17; Nazianzen. Orat. 24, et expressè Chrysostomus Homiliâ 1 et 2 de Symbolo, tom. 5; Philo à sancto Epiphanio episcopus ordinatus in lib. Enarrationum in Cantica, primo tomo Bibliothecæ, ac denique Gregorius Thaumaturgus, et Nyssenus referens ejus vitam, quatenùs dicunt Spiritum sanctum esse imaginem Filii, ac denique omnes antiqui Patres Græci, excepto Theophylacto.

Sed Græci nobis objiciunt Damascenum primo lib. fidei Orthodoxæ ad finem, cap. 11, ubi ait : « Spiritum sanctum et ex Patre, et « Spiritum Patris nominamus, ex Filio autem « Spiritum sanctum non dicimus. » Quibus verbis videtur apertè docere Spiritum sanctum ex Patre procedere, non verò ex Filio. Respondemus Damascenum, se verbis quæ continuò sequuntur exponere, neque eâ in re à reliquis Patribus dissentire. Subjungit namque : « Sed Spiritum Filii nominamus (si quis enim « Spiritum Christi non habet, divinus inquit « Apostolus, non est ejus), et per Filium appa« ruisse, et nobis traditum confitemur. Insuf« flavit enim, et dixit discipulis suis : *Accipite « Spiritum sanctum*. Quemadmodùm autem ex « sole radius, et splendor (ipse enim fons est « et radii et splendoris) atque per radium no« bis splendor tribuitur, et ipse est, qui illu« minat eos, et participatur à nobis. Porrò Fi« lium neque Spiritum esse dicimus, neque « etiam ex Spiritu. » Hactenùs Damascenus. Ex quibus verbis constat eam esse Damasceni mentem, ut dicat Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, cùm tamen è contrario (ut rectè subjungit) nec dicamus Filium esse Spiritûs sancti, nec esse ex Spiritu sancto, eò quòd Filius nihil prorsùs accipiat à Spiritu sancto : accipit autem Spiritus sanctus à Filio. Patet etiam Damascenum ostendere velle, ut Spiritus sanctus per Filium à Patre procedat, sicut splendor proficitur à sole per radium. Unde addit Spiritum sanctum per Filium apparuisse, et nobis esse traditum tanquàm eum qui à Filio, ut splendor à radio emanârit; ideòque Christum insufflâsse, quasi qui ex se emitteret, produceret, daretque Spiritum sanctum, dixisseque discipulis, Joan. 20 : *Accipite Spiritum sanctum.*

Ut ergo Bessarion, cap. 7 suæ orationis rectè notavit, eâ ratione duntaxat Damascenus, et nonnulli alii ex Græcis, affirmant Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium, non secùs ac splendor procedit à sole per radium. Renuunt verò concedere procedere ex Filio, quoniam apud eos dictio, *ex*, denotat emanationem ab aliquo tanquàm à primâ origine et fonte, quo pacto Spiritus sanctus à solo Patre procedit, quoniam is solus à se, et non ab alio habet vim, quâ spirat Spiritum sanctum. Verùm quia Filius spirandi vim sicut et reliqua accepit à Patre per generationem æternam, haud secùs quàm radius à sole accipit vim fundendi splendoris, idcircò licet Spiritus sanctus proficiscatur à Filio, sitque ejus Spiritus, quin etiam ab eo detur, et mittatur, renuunt tamen aliqui Græci Patres concedere hanc propositionem: Spiritus sanctus procedit ex Filio, licet concedant hanc aliam : Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium, tanquàm per suppositum, et causam intermediam inter Patrem et Spiritum sanctum, eo modo quo radius media causa est inter solem et splendorem. Atque id dicunt denotare dictionem *per*; unde sicut quia radius principium est intermedium à quo emanat splendor, concedimus splendorem esse radii splendorem, non verò radium esse radium splendoris; ita vult Damascenus, ut dicamus Spiritum sanctum esse Spiritum Filii,

non verò Filium esse Spiritûs sancti, aut de Spiritu sancto.

Ex hactenùs dictis facilè intelligitur eos Græcos qui à Latinis dissentire videntur, solis verbis differre, esseque facillimam inter utramque Ecclesiam concordiam, longè tamen meliùs loqui ad rem, de quâ agitur, Latinos, eosque Græcos, qui cum Latinis conveniunt.

Primum et secundum patent ex eo, quia neutri negant Spiritum sanctum accipere suam essentiam, ac esse subsistens, procedereque à Filio tanquàm à supposito intermedio inter Spiritum sanctum et Patrem. Neutri item negant Patrem non ab alio, sed à seipso habere, quòd Spiritum sanctum producat, Filium verò id ipsum sicut etiam cætera à Patre accipere. Utrique etiam affirmant Patrem et Filium non esse plura principia, sed unum tantùm Spiritûs sancti; nec spirare Spiritum sanctum distinctis, sed unâ tantùm spiratione; licet Pater id habeat à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab utroque, seu quod idem est, à Patre per Filium. Solùm ergo differunt Græci quidam à Latinis in eo, quòd Græci nolunt spirationem Spiritûs sancti vocare processionem ex Filio, sed ex Patre per Filium; Latini verò vocant eam spirationem, processionem ex Filio, quæ sanè quæstio est de solo modo loquendi.

§ 4. *Solvuntur argumenta Græcorum.*

Primum Græcorum argumentum ex verbis illis Joan. 15: *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, conficitur. Cùm enim in iis tam apertè Dominus dixerit Spiritum sanctum à Patre procedere, et non addiderit etiam à Filio, temerarium omninò videtur asserere ab eo produci. — Respondeo cum Augustin. l. 3 contra Maxim., c. 14, solum nominari Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater est auctor principalis Spiritûs sancti, eò quòd ab ipso Filius potentiam habeat, seu virtutem spirandi. Non excludi verò Filium, probatur ex similibus Scripturæ loquendi modis, Matth. 16: *Caro,* inquit, *et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis,* in quibus verbis etsi solus nominetur Pater, non tamen propterea aliæ excluduntur personæ, cùm ea revelatio facta fuerit à totâ Trinitate. Idem de Spiritu sancto dicitur: *Ille vos docebit omnia,* et tamen Pater et Filius etiam omnia docent, imò, ut lib. de processione Spiritûs sancti ratiocinatur Anselmus, etsi dictum esset: « Nemo producit Spiritum sanctum nisi Pater, » nec etiam excluderetur Filius, sicut nec in illis Matth. 11: *Nemo novit Filium nisi Pater,* non excluditur Filius et Spiritus sanctus à cognitione Filii. Dici præterea ulteriùs posset, in prædictis verbis manifestè Filium poni, cùm Christus dicat missurum se Spiritum sanctum, et missio in divinis, processio sit naturalis.

Secundum. In Concilio Ephesino lectum est Symbolum Nestorianorum et liber Theodoreti contra anathematismos Cyrilli, ac in utroque habetur expressè, Spiritum sanctum non procedere à Filio. Cùm verò Patres concilii tacuerint, omninò approbâsse videntur eam sententiam. — Respondeo, in eodem concilio, et in quarto ac quinto, lectam fuisse Epistolam Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium, in quâ bis habetur Spiritum à Filio habere suum esse, et Patres non contradixerunt: ergo (retorquendo argumentum) approbaverunt. Deinde Theodoretus negavit Filium procedere etiam per Filium, quod tamen Græci non asserunt. Igitur si quid valet eorum argumentum, concilium approbavit sententiam illis contrariam. Denique ipsum concilium satis suam significavit sententiam, cùm summo consensu probavit totam Cyrilli doctrinam, et contrariam Theodoreti et Nestorianorum damnavit.

Tertium, ex Dionysio cap. 2 de divin. Nominibus, p. 1, desumitur, ubi ait: « Solus « fons supersubstantialis Deitas est Pater. » — Respondeo dici solum fontem, non quomodocumque, sed quia non habet aliunde divinitatem; Filius autem dicitur etiam fons, sed de fonte, sicut Deus de Deo. Ita Epiph. Hæres. 69.

Quartum. Basil. Ep. 43: « Nullam, inquit, secundùm propriam notionem communionem habet Filius cum Patre; » ergo non convenit cum Patre in spiratione. Deinde ait, propriam notionem Spiritûs sancti esse, quòd per Filium, et cum Filio cognoscatur, et ex Patre substantiam habeat. — Ad primum locum respondeo, non loqui Basilium de quâlibet notione, sed de notione, quæ est proprietas, nempe filiatione: spiratio enim non est proprietas, Filius autem in filiatione nullam reverà habet communionem cum Patre. Ad secundum, esse pro nobis, si benè intelligatur: non enim vult dicere Spiritum sanctum cognosci ex doctrinâ et prædicatione Filii: nam eo in loco disserit de distinctione personarum

intimâ et æternâ, quæ non debet sumi à temporali nostrâ cognitione, sed cognosci per Filium et cum Filio, ut relativum per suum correlativum. Nam paulò ante dixerat, Spiritum sanctum ex Filio pendere, et non posse unum sine alio cogitari (quod est proprium correlativorum), et proinde Spiritum sanctum esse à Filio. Nemo enim dicit Filium esse à Spiritu sancto.

Quintum. Omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, exceptâ causalitate, ait Orat. ad episc. qui venerant ex Ægypto, Nazianzenus. — Respondeo, non loqui de quâcumque causalitate, sed de causalitate Patris erga Filium : vult enim dicere omnia quæ Pater habet esse Filii, exceptis iis quæ sunt propria Patris. Ita enim postea confert etiam Spiritum sanctum cum Filio : « Omnia, inquit, quæ habet Filius, « habet Spiritus sanctus, exceptâ filiatione, » id est, exceptâ proprietate personæ, à quâ procedit, sive producitur.

Sextum. Leo III papa, qui post additionem, *Filioque,* in Symbolo factam vixit, ut testis est Petrus Lombardus 1, dist. 11, jussit scribi ad fidei cautelam in tabulâ argenteâ Symbolum Constantinopolitanum sine additione illâ, et poni in altari post corpus sancti Pauli : ergo illam additionem abstulit. — Respondeo pontificem deditâ operâ hoc fecisse, ut servaretur memoria Constantinopolitani Symboli, quale fuerat, et ut intelligerent omnes non damnari illud Symbolum, nec esse contrarium nostro. Habet enim Ecclesia plura symbola, quæ omnia recipit et honorat, nec unum destruit aliud, quamvis aliquid sit expressius in uno, quàm sit in alio.

Septimum. In c. 3 Joannis Theoph. : « Sanè, inquit, Latini malè hæc exponentes, et « minùs rectè intelligentes, dicunt quòd Spiri« tus etiam ex Filio procedat. » — Sed Theophil. tempore schismatis vixit, et proinde rejicitur, sicut neque reciperent Græci Bernardum, Rupertum, aut alios similes Patres.

Octavum, Spiritus sanctus est unus; ergo unum habet principium, non duo, et unâ spiratione procedit, non duabus.

Respondeo, hoc totum esse verum, non tamen sequi unum principium esse idem ac unam personam, et unam actionem ab unâ tantùm esse personâ in divinis. Nam unum est principium mundi, et una creandi actio, et tamen mundus est à tribus personis, quibus est communis actio creandi; aliàs sequeretur aliquam personam divinam non esse creatorem; illud autem unum principium Spiritûs sancti est Pater et Filius : qui licet sint duo spirantes, unicâ tamen spiratione spirant. Nihil enim multiplicatur in Deo nisi relatio opposita; spiratio autem quâ Pater spirat non opponitur spirationi quâ spirat Filius, atque proinde unica est, non multiplex.

Nonum. Pater est sufficiens principium Spiritûs sancti, ergo non requirit auxilium Filii. — Respondeo, Filium cum Patre spirare, non quia Pater egeat auxilio, sed quia habent eamdem potentiam; quâ ratione mundus producitur etiam à tribus personis necessariò, necessitate, quam vocant, producentis, et quia intrinsecè ad rationem Spiritûs sancti spectat distingui illam realiter à Patre et Filio, propterea necessitate etiam quam vocant producti, ab utroque procedit.

Ultimum. Si à Filio procedit Spiritus sanctus, ergo Patri similior est Filius quàm Spiritus sanctus. Nam Filius spirat cum Patre spirante, et Spiritus non generat cum Patre generante. — Respondeo : Si in hoc esset attendenda similitudo, simile sequeretur incommodum, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet; nam tunc esset Filius similior Spiritui sancto quàm Patri, siquidem Filius procederet cum Spiritu sancto, et non produceret cum Patre : sed neutrum reverà concludit. Nam similitudo attenditur ex parte essentiæ, non ex parte relationum.

§ 5. *Demonstratur rectè factam additionem,* Filioque.

Hæc particula, *Filioque,* est explicatio Symboli, ut declarat concilium Florentinum : « Defi« nimus explicationem verborum illorum, *Filio*« *que,* veritatis declarandæ gratiâ, et immi« nente tunc necessitate, licitè et rationabiliter « Symbolo fuisse appositam. » Debuit autem explicari Symbolum, cùm multi credere cœpissent Spiritum sanctum non procedere à Filio; hic enim error est contra fidem, teste Athanasio in Symbolo : « Hæc est fides catholica, « quam nisi, » etc., et Epist. ad Serapionem, et concil. Florent., et ubi error, ibi remedium quàm possit aptius afferendum est : nullum autem aptius quàm expressa Symboli verba, cùm Symbolum sit quod omnes publicè profitentur.

Sed Latinos sine consensu Græcorum hanc explicationem facere potuisse constat : tum quòd papa pastor universalis Ecclesiæ nequeat errare in decretis fidei ex cathedrâ docens;

illius autem est decernere de fide, qui errare nequit; tum quia, etsi tantùm esset ut nimiùm primæ sedis episcopus, sine quo concilia robur nullum, ut docet Gelasius in tomo de vinculis Anathematis, habent, sufficeret concilium aliquot episcoporum ab ipso confirmatum, ut aliquando factum est; tum etiam quòd sit vel de fide vel ritu quæstio: si posterius, potest quilibet in suâ diœcesi episcopus aliquem introducere ritum sine aliorum consensu; si prius, potuerunt quidem Latini, quamvis Romanus pontifex esset solùm patriarcha cæteris major, illud definire; non tamen quòd statim reciperetur à cæteris, sed aliis videndum num res rectè definita; sin minus, majus convocare concilium; Græci autem non solùm hanc particulam esse contra fidem nequiverunt probare, sed plures eorum fuêre à Latinis convicti. Legitimè ergo facta est hæc additio à Latinis.

Dices: Licet non fuerint necessariò Græci initio vocandi, quare tamen non fuêre vocati? — Respondeo primò, an minimè fuerint vocati certum non esse. Secundò, non fuisse necesse, quia facilis quæstio: nec enim, sicut lib. 4 ad Bonifac. 12, August. ait, omnis hæresis talis est, ut propter eam omnes debeant provinciæ versari. Tertiò, rei definiendæ necessitatem ita instâsse, ut quantociùs malo occurrere oportuerit. Quartò, quia inutile, cùm nulli extarent in Græciâ homines docti.

§ 6. *Solvuntur objectiones Græcorum.*

Prima. Decrevit sancta synodus (scilicet III generalis) alteram fidem nemini licere proferre, aut scribere, aut exponere præter eam quæ definita fuit à sanctis Patribus, apud Nicænam urbem in Spiritu sancto congregatam; eos autem qui fuerint ausi aliam fidem componere, sive porrigere, aut proferre his qui volunt ad veritatis cognitionem converti ex gentilibus, vel Judæis, vel etiam ex quâlibet hæresi; istos, siquidem episcopi fuerint aut clerici, alienos episcopos quidem ab episcopatu, clericos ab clericatu; si laici fuerint, anathematizatos esse. — Respondeo primò, prohiberi tantùm mutationem quoad sensum contrarium Symbolo, sicut ad Galat. 1, Paulus anathematizat docentes præter id quod docuit, cùm tamen ipse alia postea docuerit. Aliàs synodus III abrogâsset Constantinopolitanum Symbolum, quo tamen utuntur Græci; addidit enim multa ad Nicænum. Dicunt quidem Græci Constantinopolitanum et Nicænum pro uno et eodem haberi; sed quare, nisi quia in eumdem conspirant sensum? Hæc autem particula, *Filioque*, in eumdem quoque tendit. Quare Græci cùm non ignorarent opinionem Latinorum, et eam additionem factam fuisse, per annos tamen circiter trecentos siluerunt. — Secundò, etsi prohiberet concilium additionem etiam quoad verba, ejus tamen prohibitio nonnisi ad singulos episcopos, clericos et laicos intelligeretur extendi (si enim ad omnes episcopos simul ac pontificem, quis eos deponeret?). Deinde non ignoravit concilium par in parem non habere potestatem. At hanc additionem summus pontifex, approbantibus postea tribus generalibus conciliis, symbolo intexuit.

Secunda. Etsi hoc licuerit Latinis, non tamen expedivit: alioquin multa alia Symbolo essent addenda. — Respondeo convenienter id actum, tum quia dabat Symbolum, sine hâc particulâ, causas erroris; tum quia facilè poterat addi sine notabili mutatione Symboli; cùm et quæcumque alia particula addi posset, si Romano pontifici aut concilio videretur expedire.

§ 7. *Concluditur disputatio divino testimonio.*

Primò, usque ad schisma adeò floruit Græcia doctis atque sanctis viris, ut omnia concilia generalia in eâ celebrata fuerint; post verò nullum habuit generale concilium, nullum miraculis clarum peperit doctum Patrem. Latini concilia celebrârunt generalia duodecim, viri etiam miraculis clari singulis floruerunt ætatibus, iique doctissimi, quorum majorem partem religiones diversæ tulerunt. — Secundò, fides Latinorum propagatur usque Indos tum Orientales tum Occidentales; Græcorum verò quotidiè tabescit atque minuitur, ejusque sectatores quater aut quinquies convicti et conversi à nostris, semper redierunt ad vomitum. — Denique illorum imperium in Turcarum incidit manus, idque ipsis Pentecostes feriis. Anno siquidem, ut probat Gerardus Mercator in chronolog. 1452, die 28 maii, qui fuit (ut cognoscitur ex aureo numero, qui eo anno erat 9, et litterâ dominicali A) Pentecostes. Mahumetes II ultimam obsidionem ad Constantinopolim statuit, et sequenti die urbem expugnavit, occisoque imperatore imperium extinctum est.

ARTICULUS IV.

Eucharistiæ Sacramentum confici tam in azymo quàm in fermentato, contra Græcos probatur.

Post annos à Christi nativitate mille et quin-

quaginta, orta est inter Græcos et Latinos celebris illa de azymo controversia, ut ex Epistolâ Leonis 9, ad Michaelem patriarcham Constantinopolitanum, c. 5, et ex Anselmo lib. de Fermentato et Azymo, et aliis colligitur. Ita verò pertinaciter suæ Græci adhæsêre sententiæ, ut ipsius defensio una ex præcipuis causis semper exstiterit, propter quam se à Latinorum communione separatos conservaverint. Et quamvis controversia hæc in concilio Florentino, quò Græci convenerant, fuerit eo decreto absoluta, quo Patres sanctæ illius synodi judicârunt utrumque panem, azymum videlicet et fermentatum, veram esse Eucharistiæ materiam, et utrumque in unaquâque Ecclesiâ juxta antiquam consuetudinem retinendum : quia tamen semper Græci contendunt nos Eucharistiâ carere, illicitèque in azymo consecrare, ostendendum nobis erit falsam eam esse sententiam, et nullo prorsùs fundamento inniti. Quod ut breviùs ac solidiùs absolvamus,

Supponamus inprimis utrumque panem tam videlicet fermentatum quàm azymum, verum esse panem, atque in Scripturâ sacrâ utrumque panem simpliciter dici. Et quia de fermentato et ipsi affirmant, et nos non negamus, id probabimus de azymo. Lucæ 24, duo illi discipuli qui pergebant in Emmaus, Christum cognovisse dicuntur in fractione panis, quem tamen azymum fuisse constat, quòd illud acciderit in secundo vel tertio Paschæ die (ut ex historiâ ipsius Evangelistæ colligitur) quibus diebus non licebat Judæis nec domi habere panem fermentatum, ut patet ex Exod. c. 12 et 13. Marc. etiam 2, David dicitur manducâsse panes propositionis, quos tamen azymos fuisse scribit Philo et Josephus, ille in libro de Vitâ contemplativâ; hic verò lib. 3 Antiquit. cap. 9, ubi ait : « Et duodecim panes azymos « in eâ (hoc est, mensâ) ponebant, senos per « partem, valdè mundos. » Et ex Levit. cap. 2 colligitur, ubi omnem oblationem, quæ Domino offertur absque fermento fieri debere dicitur. Scriptura autem rectè utrumque panem simpliciter panem appellat, quòd uterque conficiatur ex farinâ triticeâ, et naturali aquâ, coquatur puro igne, quæ tantùm sunt de ratione panis; uterque præterea habet usum panis, quamvis fermentatus, quia est melioris saporis, sit usitatior. Hanc nostram suppositionem præter D. Thomam in 4, dist. 11, q. 2, art. 2, q. 3, ad 6, docet Theod. Orat. decimâ in Danielem.

Quia verò in hâc controversiâ præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum, est factum Christi (neque enim dubitari potest, quin illud sit melius, et faciendum quod Christus fecit), ideò ista quæstio ab aliâ pendet : Utrùm Dominus Sacramentum instituerit primo die azymorum, quando fermentum inveniri non poterat in omnibus finibus Israel, an verò ante eum diem. Si enim Dominus Sacramentum instituit in primo die azymorum, certum erit azymo pane usum fuisse in ejusmodi institutione : nam Exod. 12 et 13, præcipitur, sub pœnâ mortis, ne fermentatus panis inveniatur in domibus, aut in ullo alio loco filiorum Israel. Si alio tempore instituit, res non erit omninò certa.

Sed antequàm Græcorum fundamenta statuamus, præmittere oportet id quod S. Thomas notat in quarto, distinct. 11, q. 2, art. 2, quæstiunc. 3, morem celebrandi in azymo acceptum fuisse ab Apostolis, et omnibus Ecclesiis olim servatum, ut docet Innocentius de mysterio Missæ l. 4, c. 4. Postea verò, ut scribit Leo Papa Epistolâ ad imperatorem Constantinopolitanum, ab eodem Innocentio citatâ, propter hæresim Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia esse servanda, sancti Patres, ne eis consentire viderentur, cùm scirent non esse de necessitate hujus Sacramenti confici ex azymo, instinctu Spiritûs sancti ad tempus statuisse, ut Eucharistia ex fermentato conficeretur. Postea verò cessante illâ hæresi Ecclesiam Romanam ad primum morem rediisse ! Græcos autem noluisse relinquere consuetudinem illam ad tempus susceptam, et obstinati dicebant, non posse confici, nisi ex fermentato, dicentes sic Christum confecisse.

Græcorum igitur ea est sententia, ut existiment Christum consecrâsse in fermentato asserunt enim ipsum suum Pascha manducâsse, et Sacramentum instituisse die sive lunâ decimâ tertiâ mensis primi, sequenti autem die, ad occasum solis incœpisse tempus paschale, quo à Judæis omnis fermentatus panis abjiciendus erat. Sic Euthymius in Commentario ad c. 26 Matth., et Nicephor. l. 1 Histor., c. 28.

Est verò observandum ab Hebræis initium omnium mensium sumi à novilunio, et idem apud ipsos esse primam lunam, et primam diem, et lunam 14, vel 13, ac diem decimum quartum, vel decimum tertium. Porrò secundùm legem Exod. 12, die 14 mensis, id est, decimâ quartâ à novilunio post solis occasum

solitos fuisse incipere dies azymorum, qui erant septem, omnes quidem paschales, sed primus et ultimus soli solemnes. Ita ut in his tantùm non liceret opus ullum servile exercere, ut patet Levit. 23.

Dicunt ergo Græci feriâ quintâ in Cœnâ Domini fuisse diem decimum tertium apud Hebræos, in quo nondùm incœperat tempus azymorum. Feriâ autem sextâ, in quâ Christus mortuus est, dicunt fuisse profanum, sed illâ ipsâ lunâ post solis occasum cœpisse tempus azymorum, quia ille erat dies decimus quartus, postea verò diem decimum quintum fuisse diem sabbati solemnissimum. In hâc ergo sententiâ Græcorum, non est evidens Christum consecrâsse in azymo, cùm post esum agni paschalis in institutione Sacramenti assumere potuerit fermentatum, cum nondùm cœpisset tempus azymorum. Sed neque est evidens, sicut notavimus ex sancto Thomâ, Christum in fermentato consecrâsse : cùm enim in comedendo agno, propter legis observantiam azymum adhibuisset, gratis dicitur, quòd post cœnam fermentatum reassumpserit. Imò probabilius est eodem pane in cœnâ et post cœnam usum fuisse, quamvis S. Thomas putare videtur esse necessarium.

Communis verò theologorum sententia est, in quarto, distinct. 11, Christum comedisse agnum paschalem, et instituisse Sacramentum Eucharistiæ lunâ 14 primi mensis, quo tempore Judæi, qui tunc vivebant, diem festum azymorum inchoaverunt. Observandum enim est aliter dies festos, aliter dies naturales apud Hebræos constitui : dies enim naturalis apud ipsos incipit ab ortu solis, et terminatur ad occasum solis, et continet diem et noctem artificialem, quod patet ex Genes. Illud enim : *Factum est vespere et mane dies primus,* ut exponunt Ambr., Basil., significat ex die artificiali qui terminatur in vesperam, et ex nocte sequenti, quæ terminatur in mane, factum esse diem naturalem : dies verò festus è contra apud ipsos incipit ab occasu solis, et terminatur in occasum solis, ex Lev. 23, et proinde dies festos azymorum comprehendere noctem lunæ, sive diei naturalis quartæ decimæ, et lunam diei naturalis, sive lunæ quintæ decimæ. Quare cùm Judæi ineunte festo azymorum ipso initio noctis lunæ decimæ quartæ abjicerent omnem panem fermentatum, Christus autem ipsâ eâdem nocte Eucharistiam institueret, in hâc sententiâ necessariò consecravit in azymo.

Ex quibus primò colliges Græcorum sententiam, existimantium Christum consecrâsse in fermamento, erroris manifestè convinci. Et primò probatur, quia omnes ferè Patres docent Christum lunâ decimâ quartâ, in quam ex Exod. 12, primus dies azymorum incidebat, suum pascha immolâsse. Ita Origen. tit. 35 in Matth.; Chrysost. Homil. 53 in Matth.; Theoph. et Theophan., apud Bedam de Ratione tempor. cap. 57 et 59; Theodor. quæst. 24 Exodi; Tertull. Cyprian., Ambros., Epist. 83; Hieronym. in cap. 26 Matth.; Augustin. Epist. 86; Beda et alii. Sed eo tempore non licebat uti pane fermentato : igitur consecravit in azymo. Secundò ex Evangelio apertissimè probatur, quia Matth. 26, sic dicitur : *Primo die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Et Marci 14 : *Primâ autem die azymorum, quando pascha immolabant.* Et Luc. 22 : *Venit dies azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha.* Cùm ergo hi tres Evangelistæ dicant Christum post cœnam instituisse Eucharistiam primo die azymorum, qui nusquàm in totâ Scripturâ dicitur 13 mensis, sed quartus decimus, aut decimus quintus, ut patet Exod. 12, 13, et Lev. 23, et Num. 28, apertè convincitur errorem esse dicere, quòd Christus consecraverit lunâ decimâ tertiâ, ante diem festum azymorum.

Respondent impudentissimè quidam Græci, referente sancto Thomâ, prædictos tres Evangelistas errâsse, et à Joanne fuisse correctos. Hoc autem est blasphemum, et si admittatur error in Evangelio, non est ratio, cur potiùs erraverint tres, quàm unus. Respondent alii et Euthymius, dicentes Evangelistas loqui de die azymorum, non qui aderat, sed qui erat proximus.

Sed contra est, quia cùm alii Evangelistæ dicant ipso die Azymorum discipulos missos fuisse ad parandam cœnam Paschæ, non potest esse ulla difficultas. Secundò, quia hoc modo necesse esset dicere Christum prævaricâsse legem , quòd Pascha comederit ante tempus, contra illud : *Non veni solvere legem, aut prophetas, sed adimplere.* Sed ex Joanne etiam, à quo Græci dicunt alios Evangelistas fuisse correctos, apertè demonstratur, Christum lunâ decimâ quartâ, post solis occasum, ineunte Paschatis festo, cœnâsse cùm discipulis, consequenter post esum agni nonnisi in azymo instituisse Eucharistiam.

Primò enim cap. 13, dicit Joannes : *Ante diem festum, sciens Jesus quòd venit hora ejus;*

ergo dies passionis erat dies festus Paschæ: sed dies festus incipiebat à solis occasu; ergo festum Paschæ, seu primus dies azymorum, incœperat à nocte quâ Christus cœnavit, et instituit Sacramentum; ergo instituit lunâ decimâ quartâ; dies enim festus Paschæ comprehendere debebat noctem lunæ, sive diei naturalis quartæ decimæ, et lucem lunæ, sive diei naturalis quintæ decimæ. Respondent Græci ad hoc, cùm Joannes dicit: *Ante diem festum,* non intelligi de *ante* immediato, sed de *ante* mediato, ac si diceret: Antequàm veniret Pascha. Respondeo hoc esse figmentum Græcorum. Deinde dico nostram sententiam catholicam apertè colligi ex sequentibus verbis Joannis, ut latiùs docet Bellarm. de Euch. l. 4, c. 7.

His præjactis, asserendum nobis est, Eucharistiæ sacramentum confici tam in azymo, quàm in fermentato: assertio est de fide certa in conciliis Florentino et Tridentino tradita, et à Leone IX, in supra citatâ epist., ita antea confirmata, ut Græcorum sententiam hæreticam appellaverit. Docent eam omnes Patres latini ac theologi quidam post Magistrum in 4, quidam cum D. Thom. 3 parte.

Probatur primò ex Apostolorum traditione, cujus testes sunt Innocentius de myster. Missæ lib. 4, cap. 4; Leo Papa epist. quâdam ad imperatorem Constantinopolitanum, quam citat idem Innocentius, et D. Thomas, loco supra citato; qui omnes affirmant morem consecrandi in azymis à D. Petro et Apostolis Romanam Ecclesiam accepisse, sed eum propter hæresim Ebionitarum postea fuisse intermissum, cùm ipsi docerent simul cum Evangelio legalia esse servanda, Patres illius ætatis Spiritûs sancti instinctu, scientes azymum non esse hujus Sacramenti materiam necessariam, ne hæreticis consentire viderentur, decreverunt, ut ad tempus ex fermentato Eucharistia conficeretur. — Probatur secundò: Christus Dominus consecravit in azymo: ergo ille panis sufficit ad substantiam hujus sacramenti. Antecedens supra est probatum. Consequens evidenter deducitur. — Probatur tertiò: Uterque panis verus est et simpliciter panis: sed ille totus est sufficiens Eucharistiæ materia; ergo sive fermentatus, sive azymus sit, totus erit ad consecrationem aptus. Majorem primâ suppositione probatam reliquimus. Minor probatur: nam ex Evangelistis et Paulo nil aliud colligimus, quàm à Christo acceptum fuisse panem, consecratum, et Apostolis distributum. Quare sicuti ex eo quòd vinum vertendum in sanguinem assumpserit, æquè aptum existimamus rubrum ac album, cùm utraque vera sint vina, etsi accidentaliter diversa, ita pari ratione existimandum est utrumque panem sive azymum, sive fermentatum, ritè posse ad hoc mysterium celebrandum assumi.

Objicies dictum illud Christi Domini: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ex quo deduces panem fermentatum esse corruptum. Sed sensus illius proloquii non est, à modico fermento massam corrumpi, sed fermentari, hoc est, alterari et disponi, ut tali modo fiat. Fateor à nimio fermento posse massam corrumpi; sed propterea meritò admonet divus Thomas, ut non sit nimia illius mixtio, ut ita verus panis efficiatur, atque usui hominum aptus: qui si talis sit, non minùs erit ad consecrationem aptus, quàm si azymus esset.

His duabus rationibus, quæ assertionem demonstrare videntur, duæ aliæ addi possunt, quibus probetur congruentiùs consecrationem fieri in azymis, quàm in fermentato, quarum altera sumitur ex significatione. Nam panis azymus designat puritatem et sanctitatem corporis Christi, vel accedentium ad illud accipiendum, juxta illud D. Pauli, 1 Corint. 5: *Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Alteram verò indicat Anselm. d. loco supra Matth. cap. 26, ubi ait, azymum panem faciliùs, puriùs, ac decentiùs confici, additque D. Thomas magis eum esse ab omni corruptione immunem.

Græcorum argumenta diluuntur.

Omnia Græcorum argumenta eò tendunt, ut probent Christum Dominum in fermentato consecrâsse, non quidem, ut convincant congruentiùs in fermentato quàm in azymo consecrationem fieri, sed ut omninò azymum rejiciant, tanquàm materiam ineptam et à Christo non institutam. Quibus omnibus argumentis, si antecedens concederetur, non inferretur propter ea consequens, quod ipsi opinantur, ut ex prædictis facilè colligitur. Sed quia antecedens est falsum, aliqua eaque præcipua eorum argumenta proponamus.

Primum argumentum fit: Christus fuit occisus ante celebrationem Paschæ; ergo cùm Christus pridiè quàm pateretur Pascha manducaverit, vel prævenit Judæorum cæremoniam, vel Judæi suam postposuerunt: hoc secundum est falsum, tum quòd nullo probabili fundamento fulciatur, nisi solidum fundamentum existimes Rabbinismum cujusdam Gamalielis, qui de solis et lunæ montibus scripsit

ante quingentos annos, ut mirum propterea sit Burgensem Catharinum, et quosdam alios paucos sententiâ ipsius esse usos; tum etiam, quòd Joan. 14 repugnet dicenti, *ante diem festum Paschæ* lavâsse Christum discipulorum pedes, azyma manducâsse, Eucharistiam instituisse, et deinde morte fuisse condemnatum: ergo prævenit potiùs Judæorum Pascha; sed tunc licebat uti fermentato: ergo in eo Eucharistiam instituit.

Confirmatur ex illo communi Scribarum placito, ne Christus occideretur in die festo, ad evitandum tumultum populi.

Ad hoc argumentum respondeo, apocryphum omninò esse, quod aliqui existimârunt, Judæos diem festivum Paschæ postposuisse, quòd eo anno caderet feriâ sextâ; sed non minùs esse falsum, quòd Christus Pascha anteverterit, agnumque statuto legis die non manducaverit, ut supra diximus, et Marcus expressè affirmat cap. 14, cùm dicit: *Primo die azymorum, quando Pascha Judæi immolabant*, accessisse ad eum discipulos, atque ut locum ad mysterium celebrandum designaret, postulâsse; et vespere facto, locoque in cœnaculo grandi instructo agnum comedisse. Vocavit autem Marcus eum diem *primum azymorum*, quòd post paucas horas, vespere videlicet facto solemnitas instaret azymorum, ut supra dicebamus. Cùmque sequenti luce fuerit Christus occisus (siquidem *pridiè quàm pateretur accepit Jesus panem*, ut ait Paulus, et ex Evangelistarum contextu liquet), eaque fuerit decima quinta, sequitur in ipso festivissimo die omninò ipsum obiisse.

Ad confirmationem adductam respondendum est, placitum illud scribarum minimè fuisse receptum, sed illud eorum qui dicebant premendum esse potiùs, et occasionem non negligendam, tollendi è medio Christum quocumque die, quocumque festo incideret, quocumque demùm legis præcepto prohiberentur, rati videlicet expedire potiùs Christum mori, quàm legem observari, ideò ipso festivissimo die, ut docent Tertull. lib. contra Judæos, c. 9; Euseb. l. 10 de Demonstratione Evang., demonstr. 6; Cyrill. Hierosolym. c. 13; Orig. Homil. 23 in Num.; Clemens papa l. 5 Constit., c. 14; August. Tract. 50 in Joan; Leo papa Serm. 6 de Passione, et alii. Quo die paraverunt quidem mulieres aromata, et Joseph mercatus est sindonem, quòd opera pietatis his etiam diebus in lege non prohiberentur. Et licet judicia habere esset illicitum, ejus tamen legis reos se minimè Judæi existimârunt, quòd Romanis curam Christum occidendi demandaverint. Propterea ait Joannes, 18, ipsos non introiisse prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, victimas scilicet paschales, quæ ex ovibus et bobus quotidiè in diebus Paschæ immolabantur, Deut. 16, quarum esus non nisi purificatis concedebatur, ut ex Levit. constat c. 22. E mediâ ergo plateâ Pilato electionem inter Christum et Barrabam proponenti, responderunt Judæi: *Tolle hunc, et dimitte nobis Barrabam*, Lucæ 23; quam electionem proposuit, ut liberandi Christum viam quæreret, et consuetum observaret morem, singulis annis in die Paschæ unum vinctum, quem populus mallet, dimittendi; cui expositioni non obstat, nisi Chrysostomus, Homil. 82 in Joannem, qui credidit Judæos cœnam legalem postposuisse, legemque prævaricâsse: sed id jam est à nobis ex Lucâ reprobatum. Obiit ergo Christus die ipso artificiali Paschatis; propterea dixit Joannes: *Ante diem festum Paschæ*; sed initio ipso solemnitatis ad vesperam decimæ quartæ Eucharistiam instituit, quando uti fermentato non licebat.

Secundum argumentum ex Epiphanio desumitur primo contra Hæres. cap. 50, ubi expressè ait, Christum oportuisse in decimâ quartâ die immolari secundùm legem. Decimâ ergo tertiâ die Christus et agnum comedit, et Eucharistiam instituit. Ad hoc argumentum, quamvis admitteremus antecedens et consequens, non proinde sequitur Christum in fermentato consecrâsse: cùm enim ex lege cum azymo agnus esset comedendus, quis dicat eodem non usum fuisse in instituendâ Eucharistiâ; sed Epiphanius, loco cit., solummodò loquitur de figurante, sive typicâ Christi immolatione, ac si dixisset, oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari decimâ quartâ lunâ ad vesperam; incœptâ jam azymorum solemnitate, quod indicant ea verba ipsius, *secundùm legem*: arguit siquidem eo loco Quartadecimanos, quòd celebrantes cum Judæis lunâ 14, non animadverterent Judæorum pascha eo die ad vesperam significare synagogam lumen suum amissuram Christo adveniente; dies enim 14 est ultima incrementi, cùm decimâ quintâ decrescere jam incipiat.

Tertium: Azyma sunt Judæorum propria: ergo consecrare in azymis est judaizare. Respondeo esse propria Judæorum ad significan-

dam Christi puritatem futuram, non autem præsentem, vel ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum : alioquin nec uti deberemus aquâ et fermento, cùm his ad suos ritus uterentur Judæi.

Quartum : Immolatio agni paschalis figura fuit passionis Christi : sed agnus immolabatur die 14 ; ergo eo die fuit ipse occisus, et præcedenti ab ipso Eucharistia instituta. Respondeo agnum paschalem magis significâsse Eucharistiam, quàm Christi mortem, quòd ritus agni paschalis magis ad manducandum, quàm immolandum pertineret. Quare meritò Eucharistia in profesto Paschatis, lunâ scilicet decimâ quartâ, est instituta, quo die agnus immolandus erat.

Quintum : Augustinus, Tract. 120 in Joan., docet acceleratam fuisse Domini sepulturam propter Judæorum Parasceven, quia illâ nocte cœnam erant comesturi puram : ergo Christus prævenit Judæorum cæremoniam. Respondeo per eam cœnam non intelligi ab Augustino agnum paschalem, sed quamdam aliam solemnem, quam ad vesperam feriæ sextæ sumebant, initio videlicet sabbati, ut patet ex D. Irenæo, lib. primo, cap. 10, et lib. 5, c. 23, et ex Bedâ, in cap. 23 Lucæ. Unde quando Joannes 19, ait : *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta,* non debet intelligi dies præparationis ad Pascha, sed ad sabbatum, ut seipsum declarat Joannes, aiens : *Propter Parasceven Judæorum, ut non remanerent in cruce corpora sabbato; erat enim magnus dies ille sabbati.*

Non ante absolvam hanc controversiam, quin moneam finxisse Calvinum à quodam Alexandro summo pontifice introductum fuisse in Ecclesiâ azymum panem in sacrificio Missæ; *finxisse* dixi, cùm nullum hujus historiæ testem referat, atque à veritate alienissimum sit. Nam omnes pontifices hujus nominis post primum, successores fuêre Leonis IX, Romanæ sententiæ acerrimi defensoris. Primus verò hujus nominis pontifex, qui circa annum Domini 110 sedit, non potuit esse hujus institutionis auctor, cùm Christi Domini factum, et nascentis Ecclesiæ ritus eum latere non potuerit; eam autem ipso exordio in azymo consecrâsse supra ex Leone diximus, qui, c. 24, dicit sanctos martyres primitivæ Ecclesiæ nostris azymis saginatos.

Articulus V.

Purgatorii locum esse aliquem, in quo justorum purgantur peccata, contra Græcos demonstratur.

Purgatorium esse inprimis probatur ex omni curâ quæ pro defunctis habita est, tam in veteri quàm in novo Testamento, atque in illo quidem primo ex l. 2 Machabæor., c. 12, in quo Judas orare fecit pro mortuis, et subjungitur in textu : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Unde quinque colliguntur : Primò posse mortuos à peccatis solvi, et proinde Purgatorium esse ; secundò sacrificia et orationes illis prodesse; tertiò non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, ut fingit Lutherus ; quartò posse hominem piè mori, et tamen habere aliquid solvendum; ultimò hoc esse de fide.

Secundò, exemplo Tobiæ, qui filium suum docuit panem et vinum ponere super sepulturam justi, id est, eleemosynam dare, ut pro eo oretur : alioqui ridiculum esset ponere panem et vinum super sepulcrum. Dicit autem, *justi,* pro *fidelis,* qui piè in Domino defunctus sit. Inde etiamnùm in aliquibus Ecclesiis usitatum est, ut in die Commemorationis omnium animarum, panem et vinum ponant super sepulcra suorum defunctorum, quæ cedunt in usum ministrorum Ecclesiæ, et aliorum pauperum. Nam in his eleemosyna ipsa valet coram Deo pro defuncto, etiamsi ipsi parùm fortassè oraverint pro defunctis illis. Abusus si qui irrepserunt, debent per episcopos emendari.

Tertiò, exemplis populi Israel, quoties luxit obitum clarorum virorum multis diebus : ut habitatores Jabes Galaad luxerunt Saül regem septem diebus, 1 Reg. ult.; David luxit pro Jonathâ aliisque ex populo Israel in prælio occisis, 2 Reg. 1 ; populus Israel luxit interitum Judæ Machabæi diebus multis, l. 1 Machab. 9, et horum similes. Nam diuturnus iste luctus præsertim conjunctus cum jejunio, non significat solam mentis tristitiam, sed et orationes et sacrificia, quæ per dies istos pro defuncto sunt oblata Deo.

Quartò, ab exemplis novi Testamenti, de quibus meminit Apostolus Paulus, 1 Cor. 15, dicens : *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt ? Baptizari* enim hìc significat pati, juxta illud Christi ad filios Zebedæi : *Potestis baptismo, quo ego ba-*

ptizor, baptizari? Marci 10. Baptizari ergo pro mortuis est aliquid pro eorum salute sustinere. Cujusmodi sunt opera satisfactoria, ut jejunia, orationes, eleemosynæ, peregrinationes, oblationes, etc.

Deinde Purgatorium esse, probatur secundò et principaliter ex verbis Christi Domini, Matth. 12, ubi peccatum contra Spiritum sanctum dicit non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro. Ex quibus verbis sacri interpretes colligunt esse aliquorum peccatorum remissionem post hanc vitam. Quò pertinet et illud de ingrato et iniquo servo, quem Dominus tradidit tortoribus, quoad usque redderet ei universum debitum, Matth. 18. Ita et de incarcerato à judice ait : *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,* Matth. 5.

Tertiò ex verbis Apostoli, 1 Cor. 3 : *Si cujus,* inquit, *opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo quidem in loco observandum est Apostolum uti similitudine architectorum, quorum unus super fundamentum lapideum atque solidum ex pretiosâ erigit materiâ domum, quæ non timeat ignem ; alter super fundamentum simile exstruit ædificium ex combustibili materiâ, ut stipulis, ligno, etc. Hoc duplici ædificio si ignis applicetur, prius quidem integrum manebit etiam salvo architecto, si sit intùs ; posterius verò brevi per ignem devorabitur, et architectus inclusus non nisi egredietur per ignem, in quo transitu non quidem morietur, sed tamen ejus corporis leviores partes incolumes non egredientur. Huic sententiæ consonant dicta prophetarum, ut Davidis psalmo 65 : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Et Isaiæ 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris.* Hæc verba D. Augustinus interpretatus est de igne purgatorio, de Civitate Dei, l. 20, c. 25. Eumdem sensum habent verba prophetæ Malachiæ, c. 3 : *Ipse sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum.* Accedunt et illa verba prophetæ Zachariæ, c. 9 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quod aliquantò clariùs expressit B. Petrus Apostolus, Act. 2, loquens de Christo : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni.* Dolores enim inferni eorum qui à Christo soluti sunt, nulli alii sustinuerunt, quàm qui tunc erant in Purgatorio. Nam qui erant in limbo Patrum, nullos dolores patiebantur.

Quartò, plurimùm hùc faciunt verba Apostoli Pauli ad Philip. 2, ubi docet de gloriâ Christi, et inter alia dicit : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Per quos tres ordines intelliguntur : Angeli in cœlis, homines fideles in terris, et animæ defunctorum in Purgatorio sub terrâ. Nam qui in inferno sunt damnatorum, non adorant Christum, sed blasphemant.

Quintò probatur ex Patribus Græcis et Latinis. Ex Græcis, primus Clemens, l. 48, longam orationem describit pro defunctis fieri solitam.

Dionysius de Ecclesiasticâ Hierarchiâ c. 7, p. 3 : « Accedens, inquit, deinde venerandus « antistes, precem sacram super mortuum per- « agit ; precatur oratio illa divinam clemen- « tiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem « humanam admissa peccata defuncto, eum- « que in luce statuat, et regione vivorum. »

Athanasius 34 ad Antiochum quærit, num animæ sentiant utilitatem ex orationibus vivorum. Respondet sentire omninò.

Basilius in Liturgiâ instituit orationem pro mortuis. Idem Basilius, qui magnâ apud Græcos pollet auctoritate, sæpè alibi Purgatorium statuit. In illud Isaiæ 9, quòd *iniquitas ardebit ut ignis,* hæc habet : « Præparatam enim ma- « teriam per peccata tolli atque corrumpi, à « divinâ bonitate ordinatum est, in beneficium « hominum. » Et in illud : *Ut aridum gramen comedetur ab igne, et comburetur in densitatibus sylvæ,* ita ait : « Si ergo nudaverimus pecca- « tum per confessionem, fecimus ipsum aridum « gramen dignum quod à purgatorio igne con- « sumatur. » Idem infra ostendit, quòd terrena traduntur igni punitorio in beneficium animæ, sicut et Deus innuit dicens : *Ignem veni mittere in terram;* et infra illud : *Et erit populus tanquàm à flammis rogi combustus homo,* hæc ait : « Non minatur destructionem, sed pur- « gationem significat, juxta quod ab Apostolo « dictum est 1 Cor. 3 : *Si cujus opus arserit,* « *detrimentum patietur, ipse autem salvus erit,* « *sic tamen quasi per ignem.* »

Idem S. Basilius, in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium c. 15 : « Ipse nos baptizabit « in Spiritu sancto et igne. Ignis Baptismum, « vocans examinationem judicii, ut inquit « Apostolus : *Uniuscujusque opus, quale sit,* « *ignis probabit.* » Et rursùs : « *Dies enim Do-*

« *mini declarabit, quia in igne revelabitur.* »

S. Gregor. Niss. in Oratione de Defunctis, ultra medium, hæc ait : « Similes quippe nos « Deo reddit liberum arbitrium. Ut ergo et « libertate maturâ non privetur, malumque de- « leatur, excogitàvit hoc Dei sapientia inven- « tum, permittere scilicet hominem in iis esse « in quæ prolabi voluit, ut degustatis malis « quæ exoptavit, et experientiâ discens, qui- « bus cum rebus quantas commutaverit, sponte « suâ revertatur ad pristinam beatitudinem « per desiderium, affectus omnes rationi non « parentes velut naturæ onus excutiens, vel in « præsenti vitâ per cautionem et philosophiam « expurgatus, vel post præsentem peregrina- « tionem per ignis purgatorii fornacem. » Et infra : « Quòd si in affectus rationis expertes « declinârit brutorum pelle adjutrice usus ad « pravas animi affectiones, longè aliud post « hæc consilium capiet de bono diligendo « post discessum à corpore, agnoscens quan- « tum sit inter virtutes et vitia discrimen. Cùm « divinitatem participare non poterit, ni priùs « immixtæ animo sordes igne purgatorio ex- « purgentur. » Et infra : « Et prophetas audi- « vimus, quique cum illis, et post illos fuère, « per virtutem et philosophiam ad perfectio- « nis culmen pervenisse, discipulos, inquam, « et Apostolos, et Martyres, omnesque qui « conjunctâ cum virtute vitam adductæ ma- « teriæ vitæ prætulerunt. Qui etsi numero « pauciores sint, si cum eorum copiâ qui malo « adhæserunt, conferantur, posse tamen in « carne virtutem colere ostenderunt. Reliquos « verò per disciplinam posteriorem in purga- « tivo igne deponentes affectus materiales, in- « que gratiam à principio naturæ concessam « per desideria bonorum redeuntes. » Idem Nyssenus in Oratione de infantibus immaturè abreptis, prope initium : « Quid de ipso infante, « scilicet abrepto, sentiendum? quomodò de « his qui hoc pacto obierunt, judicandum? « Aspicietne et illa anima judicem? Sistetur « et illa cum cæteris ante tribunal? subibit an- « teactæ vitæ judicium? dabitne dignas pœnas « expurgata igni juxta Evangelii dicta? an verò « potiùs rore benedictionis erit recreata? » Evangelii verò locum intelligit, quem frater ejus Basilius in Isaiam : *Ignem veni mittere in terram.*

Eumenius in primam ad Corinth., explicans illud 3 cap. : *Ipse verò salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* hæc habet : « Vel etiam hoc « pacto possumus intelligere : Qui super ædi- « ficaverit materiam facilè combustibilem, « omninò projectus est. Detrimentum enim « passa sunt ipsius studia, ipse verò salvus « erit? Quisnam? qui superædificaverit aurum « et argentum, et lapides pretiosos. Cùm enim « de ipso dixisset quòd mercedem accipiet, « nunc ait qualem mercedem, hoc est, salutem? « Salvus autem erit cum dolore et ipse, ut par « est, cùm qui per ignem transit, modicarum- « que inhærentium sibi sordium indiget pur- « gatione. Nam Dei solius est perfecta impec- « cabilitas, homines autem quantùmlibet justi, « non sunt omninò mundi. Dictum est enim, « quòd in multis omnes peccamus, et nemo « mundus à peccato, etiamsi unius diei fue- « rit vita ipsius. Dictum quippe est à Malachiâ « etiam, quòd ut ignis in fornace, utque her- « bam lavantium lavabit, et mundabit aliquos Deus. » Idem Eumenius citat Basilii Commentarios super Isaiam interpretantis locum illum, 1 Cor. 3 : *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* his verbis : « In Commentariis in « Isaiam S. Basil. iterùm hunc textum repe- « tens, de purgatione ipsum intellexit. »

Theodoretus explicans dictum Pauli locum, hæc ait : « Ignem hunc, credimus Purgato- « rium, in quo purgantur animæ, tanquàm « aurum in fornace. » Basilius Seleucianus Chrysostomi familiaris in quartâ de Davide Oratione in ipso fine : « Ne expectemus, in- « quit, ut igne curemur, ubi perpendendum « est illud, *igne cremari.* » Gregorius Nazianz. in Oratione in Cæsarium, circa finem; inquit : « Et nostras et eorum qui quasi in viâ paratio- « tiores priùs ad hospitium pervenerunt, ani- « mas commendemus. » Ibidem Orat. pro animâ ejusdem Cæsarii. Idem Nazianz. in Oratione ad eos qui vocârunt, et non accurrerunt, prope finem : « Superædificantes fundamento « fidei, non lignum, non herbas, neque stipu- « lam, materiam tenuem, et facilè combusti- « bilem cum igne dijudicabimur, vel purgabi- « mur, sed aurum, argentum, » etc. S. Ephrem, in suo Testamento : « Assiduè, inquit, in vestris « orationibus mei memoriam faciatis; etenim in « vanitate, iniquitate vitam peregi meam. » Cyrillus catechesi 5, Mystagogicâ : « Denique pro « omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi « sunt, maximum credentes esse animarum « juvamen, pro quibus offertur obsecratio « sancti illius et tremendi sacrificii. » Eusebius, l. 4 de Vitâ Constantini, dicit, cum voluisse sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum. Epiphanius in fine ope-

ris contra hæreses numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis; et hæresi 75, Aerium hæreticum facit, quia hoc negabat. Chrysostomus Homil. 41 in priorem ad Corinthios : «Juvetur, inquit, mortuus non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.» Et infra : «Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.» Homil. 69 ad populum : «Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio : sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam.» Idem Homil. 32 in Matth. et 84 in Joan., Homil. 3 in Epist. ad Phil., et 21 in Acta Apostolorum, et alibi. Theodor., l. 5 Hist. c. 26, scribit Theodosium Juniorem procubuisse ad reliquias sancti Joannis Chrysostomi, et orâsse pro animabus parentum suorum Arcadii et Eudoxiæ jam defunctorum. Theophylact. in cap. 12 Luc. : «Hoc autem dico, inquit, propter oblationes et distributiones, quæ fiunt defunctis, quæ non parùm conducunt etiam iis qui in gravibus delictis mortui sunt.» Damascen. in libro de iis qui in fide migrârunt, probat hanc veritatem testimoniis multis, Dionysii, Athanasii, Gregorii Nazianz., Gregorii Nysseni, et aliorum. Vide etiam Palladium in Historiâ Lausiacâ, c. 41.

Ex Latinis autem Patribus ferè nullus est qui dissentiat. Sufficiat autem contra Græcos Græcorum Patrum sententias retulisse.

Objicitur Augustinus, qui 21 Civit. c. 26, et in Enchirid., c. 69, dicit «dubitari posse an post hanc vitam animæ torqueantur purgatorio igne.» Respondeo non dubitare de pœnâ animarum, sed de modo ac qualitate pœnæ. Nam in priori loco, solùm dubitat, an purgatorius ignis sit idem in substantiâ cum gehennæ igne; in posteriori, an post hanc vitam urantur animæ igne doloris de amissione temporalium quo hìc uri solent.

Denique rationibus probatur. Prima : Ex illo Apocal. 21 : *Non intrabit in illud aliquid coinquinatum.* At multi fidelium hinc emigrant, qui maculas vitæ suæ non satis expiârunt : itaque post obitum purgari debent, ut digni fiant ad inhabitandam civitatem sanctam in cœlis. Secunda : Cùm in nobis sint aliqua peccata levia sive venialia, fieri potest, ut quis cum hujusmodi venialibus moriatur. Ergo assignari debet aliquid quo purgentur. Tertia : Cùm reconcilientur homines Deo, non dimittitur semper tota cum peccato pœna; ergo si antequàm solvatur, moriatur homo, illam alibi solvere tenetur. Probatur antecedens : Nam Mariæ, Num. 12, dimissa fuit culpa, et tamen jubente Deo luit pœnam per hebdomadam unam. Item in pœnam adulterii Davidis moritur infans ; in pœnam numerati populi grassatur pestis. Respondent primò, hanc pœnam non esse in satisfactionem, sed in remedium, cùm eam patiantur justi. Deus pepercerat populo, Exod. 32, et tamen in pœnam peccati multi occiduntur, certè non ad emendationem : quomodò enim post mortem emendatio? — Respondent secundò, in morte deleri omnia. Contra sequeretur absurdum, nempe unam et eamdem esse pœnam pro gravissimis ac levibus peccatis.

Quarta ratio : In quo omnes conveniunt gentes, vix aliunde provenire potest, quàm à naturali lumine : quæ enim sunt ab hominibus effìcta, varia sunt pro varietate gentium. Sed opinio de purgatorio omnibus gentibus est communis (non tamen multæ de pœnis fabulæ, quas sibi quisque pro capite suo finxit). Igitur à lumine naturæ procedit : sicut Deum esse, non autem varios, et multiplices esse deos. Probatur minor. Ita Hebræi, 2 Mach. 12; Mahumetani in Alcorano, ubi Purgatorium disertè habetur; ethnici in Phædone et Gorgiâ Platonis.

Quinta : Videmus aliquos morientes valdè bonos, alios valdè malos, alios mediocriter bonos. Ergo sicut ratio dictat valdè bonos statim præmiandos felicitate æternâ, valdè malos æternis puniendos suppliciis, sic dictat esse temporarias pœnas pro mediocriter bonis.

Sexta : Testantur gravissimi auctores animas apparuisse, renuntiantes se in Purgatorio versari, implorantes auxilium à vivis. Anima Paschasii apud Gregor. Romanum; Vitalinæ virginis apud Greg. Turon.; sancti Severini apud Petrum Damianum; Fursæi apud Bedam à mortuis resurgens multa narravit de Purgatorio; sororis sancti Malachiæ apud Bernardum, etc.

Pro solutione tandem argumentorum notandum est primò quòd Scriptura sacra frequenter duorum duntaxat locorum, scilicet cœli et inferni meminit; partim quia respicit ad sententiam extremi judicii Dei, quâ alii ad beatitudinem, alii ad damnationem mittentur, nec erit porrò tempus purgationis; partim quòd sub nomine justorum, qui beatitudinis fiunt participes, etiam continentur constituti in Purgatorio, quia de suâ beatitudine certi

sunt, tametsi eam nondùm habeant; partim denique quòd omnis legis fines duo sunt: scilicet decernere justis præmia, et iniquis supplicia: tamen in utrisque inveniuntur gradus, ut nec paria sint quorumlibet justorum præmia, nec pares pœnæ iniquorum omnium.

Secundò, ordinarius locus Purgatorii est propè infernum damnatorum, in medio terræ, quò Christus in triduo mortis suæ descendit. Quod autem quidam leguntur purgatorium suum habuisse in aliis locis, id speciali Dei ordinatione factum est, in terrorem viventium, ne pœnas Purgatorii leves putent, et liberiùs peccent. Potest quoque dici, istas animas non continuè fuisse in locis istis extraordinariis, sed pro ordinatione Dei aliquando duntaxat apparuisse viventibus, reliquo tempore fuisse in ordinario loco Purgatorii.

Tertiò, non mirum est animas in Purgatorio torqueri ab igne certo tempore, cùm aliæ torqueantur in infernali igne in perpetuum, exigente et operante divinâ justitiâ, quæ novit igni dare virtutem, ut animas affligat, nec unquàm absumat, neque ipse consumatur.

Articulus VI.

An sanctorum animæ Deum videant, et verè beatæ sint ante diem judicii.

Præcipuus Græcorum aliorumque schismaticorum error, ut ex concilio Florentino, et D. Thomâ, Opusc. 6, c. 9, constat, ille fuit, ut assererent nec beatorum animas ante extremi judicii diem beatitudine frui, nec impiorum inferni igne puniri. Cujus oppositum definitum fuit in concilio Florentino, sessione ultimâ, in decreto unionis Latinorum cum Græcis, ac novissimè in Trident., sessione 25. Ac demùm post longam inquisitionem idem definivit Benedictus XII, in Extrav. quæ incipit: *Benedictus Deus;* quam refert Alphonsus à Castro l. 3 contra hæreses, verbo *Beatitudo.*

Facile autem erit veritatem hanc contra Græcos convincere tum Scripturarum auctoritate, tum Græcorum Patrum, aliorumque Orientalium testimoniis: quarum plurima adducit doctissimus Hennadius patriarcha in Expositione pro concil. Florent. c. 4, ac cardinalis Bellarminus, tomo 2, controversiâ 4 generali, lib. 1, cap. 3.

Primò igitur Scripturæ auctoritate comprobemus. Luc. 23: *Hodie mecum eris in paradiso.* Vel hìc Dominus promittit paradisum terrestrem latroni, vel cœlestem, sed futurum, sicut exponitur ille locus: *Qui non credit jam judicatus est*, id est, judicabitur; vel jungendum est, *hodie*, cum verbo, *dico*, hoc modo: *Hodie dico tibi*, etc.; vel promisit in præsenti habiturum visionem beatam, quæ est paradisus cœlestis. Non primum, quia Dominus promittit animæ convenientem ei paradisum. At quid animæ cum pomis et frugibus terrenis? Non secundum, quia non est recurrendum ad figuras, cùm aperta sunt verba, et nihil inde sequitur absurdi; sicut nec in illis: *Qui non credit*, etc. Non est enim sensus, judicabitur, sed jam judicatur à seipso, cùm nolit veram amplecti fidem. Secundò, quia dixit Christus, *mecum.* At Christus non erat futurus in beatitudine, cùm jam in illâ esset; nec voluit dicere, eris mecum, sicut alii omnes sunt, quia Christus ubique est; nihil enim speciale ei promisisset. Neque tertium, hoc enim est ridiculum: nonne videbat latro Dominum illâ die loqui? Deinde, *hodie* respondet illi adverbio, *quando.* Memento meî, quando veneris in regnum tuum. Ergo idem est, *hodie eris in* paradiso illi, *quando.*

Secundò, ex Paulo ad Philip. 1: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* At esse cum Christo, ita ut requiratur dissolutio corporis mortalis, est esse in gloriâ ejus. Nam quicquid aliud fingatur, explere non poterat Pauli desiderium. Tertiò, ipse Paulus, ad Hebr. 12, describens Sion montem et Jerusalem cœlestem, docet eam constare ex angelis, et Ecclesiâ primitivorum et spiritibus justorum perfectorum, id est, prophetarum et apostolorum. Quartò, Stephanus cùm vidisset cœlos apertos, et gloriam Dei, clamavit: *Domine Jesu, accipe spiritum meum*, utique in gloriam, quam viderat. Quintò, quia in Apocalypsi apertè dicitur: *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Quid est ante thronum Dei, nisi Deum cernere præsentem? Sextò, Christus dixit Apostolis, Joan. 14: *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum, vos sitis.* Et Joan. 17, alloquens Patrem, sic ait: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Si igitur discipuli modò cum Christo non sunt, vera non fuit Christi promissio.

Ac denique expressè Paulus 2 Corint. 5: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis: nam in hoc ingemiscimus, habitationem*

nostram quæ de cœlo est superindui cupientes, quasi dicat : Non est cur timeamus nobis unquàm domum defuturam ; nam si ab hâc mortali pellimur, habemus aliam æternam. Per domum enim non manufactam intelligunt Græci, ut OEcumenius et Anselmus vitam æternam.

§ 1. *Ex Patribus Græcis probatur.*

Primus Ignatius Epist. ad Rom. : « Aqua « viva manens in me, intrinsecùs mihi dicit : « Veni ad Patrem, sine me puram lucem aspi- « cere, illùc perveniens homo Dei ero. » Et rursùm : « Miserabilis sum nunc, donec Deum « merear adipisci. » Significat autem ibi id consecuturum statim post martyrium. Dionysius, cap. 7 Ecclesiast. Hierarchiæ : « Nôrunt « (inquit) profectò se totos percepturos exa- « ctissimam ad Christi speciem, requiem, cùm « ad præsentis vitæ finem pervenerint. Viam- « que ad immortalitatem suam (id est, gloriam « beatam, cùm id neque de immortalitate car- « nis, aut naturali animæ intelligi possit) è « vicino jam clariùs intuentes divinitatis lau- « dant munera. » Justin. q. 75 : « Post animi à « corpore excessum statim fit bonorum malo- « rumque distinctio : ducuntur enim ad loca quæ « eis digna sunt, ab angelis : bonorum quidem « animi in paradisum, ubi consuetudo est, et « aspectus angelorum et archangelorum, visio « etiam conservatoris Christi ex verbis his : Pe- « regrinari à corpore, et præsentes esse ad Domi- « num ; improborum autem ad inferorum loca. »

Irenæus, l. 1, c. 2 : « Justis, et æquis, et « præcepta ejus servantibus, et in dilectione « ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab « initio (id est, statim ut mortui sunt, sine « maculâ et reatu), quibusdam ex pœnitentià « vitam donans, incorruptelam loco muneris « confert, et claritatem æternam circumdat. » Basilius loquens de sancto Gordio : « Erat, « inquit, affectus, non ut qui in lictoris manus « deventurus esset, sed velut angelorum ma- « nibus seipsum commissurus, qui statim ipsum « recens mactatum, assumptum ad beatam « vitam translaturi essent. » Gregorius Nazianz. Oratione in Basilium : « Tu obiter (alloquitur « Basilium defunctum) è cœlo respice, etc., ut « hinc demùm discedentem me in æterna « tabernacula recipias, et beatam Trinitatem, « eo quo est modo, tecum pariter contemplari « valeam. » Nyssenus, Oratione in sanctum « Ephrem : « Tu verò divino assistens altari, « vitæque principi et sacrosanctæ unà cum « angelis sacrificas Trinitati, omnium nostrûm « recordare, vobiscum peccatorum veniam « impetra. » Chrysost. Homil. 3 in Epist. ad Philip. : « Peccatores ubivis fuerint, procul à « rege sunt, atque ideò digni qui fleantur. « Justi verò sive hìc, sive in futuro seculo « fuerint, cum rege sunt, illìc tamen magis et « propiùs, non per ingressum ac fidem, sed « facie ad faciem. » Cyrillus Alexand. lib. 11 in Joan. c. 36, ait, « sanctorum animas post « mortem evolare in manus Dei Patris, quo vitam « perpetuam cum Christo habent, qui viam pri- « mus aperuit. » Epiphanius hæresi 78, in fine : « Sancti sunt in honore, quies ipsorum in glo- « riâ, profectio hinc in perfectione, sors ipso- « rum in beatitudine, in mansionibus sanctis, « tripudium cum angelis, diæta in cœlo, gloria « in honore incomparabili et perpetua bravia « in Christo Jesu Domino nostro. » Theodoret., l. 8, ad Græcos, qui est de Martyribus : « Si « cœlum sedes illorum est, qui piè vixerunt, « hunc profectò finem sui cursûs et martyres « jam consecuti sunt ; his enim magis pium « esse nihil potest. Ideòque majori sorte meritò « perfruuntur martyres, qui nunc, et à cunctis « latè mortalibus honores amplissimos ferunt, « et æternis sunt insigniti coronis. » Eusebius lib. 4 Histor., cap. 15, ait, « Polycarpum post « mortem immortalitatis præmia adeptum. » At quæ est immortalitas, præter naturalem animæ, nisi gloria beata ? Damascenus, Historiâ de Barlaam et Josaphat, in fine : « Vultui « Domini nitidè et nudè præsentatur, illiusque « gloria, jam ante promissâ sibi coronâ, ex- « ornatur. » Theophil. in c. 23 Lucæ : « Di- « cendum est, idem esse paradisum, et regnum « cœlorum : nam latro est in paradiso ac regno ; « alioquin non fruetur perfectâ bonorum par- « ticipatione. » OEcumenius in 9 ad Hebræos : « Christum non solùm ingressum in cœlum, « sed etiam secum duxisse genus humanum, id « est, sanctos Patres. At quid est secum duxisse, « nisi participes fecisse gloriæ suæ ? » Ex Latinis verò Patribus innumeri sunt, qui hanc veritatem fatentur ; ex omnibus tamen præcipuè Gregorius Magnus, quem Græci ipsi maximè venerantur, eam ex professo probat, lib. 4 Dialogorum, c. 25.

§ 2. *Idem probatur ex officiis quæ in Ecclesiâ Græcorum celebrantur.*

Denique Gennadius patriarcha, ut supra, ipsos Græcos ex eorum libris preces psalmos ac vitas sanctorum continentibus manifestè convincit. Ipsum tamen audiamus, quia ex testimo-

niis ab ipso collatis efficax adversùs Græcos desumitur argumentum ; in fine igitur c. 4, sic inquit : Sed subdit mihi dicere, etsi durum vobis videbitur, in magnis profectò nugis aures vestræ versantur; magnâ voce canitis, nihil tamen intelligitis, sive potiùs negligitis; legere enim et non intelligere, dixit quidam ex sapientibus, est negligere : quoniam libri omnes de precibus id continent, sanctorumque animas in cœlo esse Damascenus et Theophanes ejus rei auctores clarâ voce clamant : magnas igitur gratias habere vobis debemus, quia non aut delêstis, aut ea fraude aliquâ in codicibus obliterâstis, ut quidam ante vos in tractatibus et libris de processione Spiritûs sancti conscriptis effecerunt; id tamen illis inutiliter cessit, nam adhuc libri manent qui maleficorum audaciam testantur ; et apud vos perbellè servantur, et quotidiè cum vocis modulatione concinuntur, menstrua, tirodia, sermones, metaphrases, quinquagenaria, versiculi, troparia, idiomela, contacia, aecis, ynaxaria, exapostilaria; et ne singula enumerem, omnis ferè Ecclesiæ nostræ scriptura ita sentit. Nam Ecclesiæ theologi ac doctores, poetæ, melodique profundâ meditatione perpendentes, hoc statuerunt, quasi ex uno cratere sapientiæ referto, omnes omninò hauriendo. Idcircò nec discordant, nec sibi contradicunt mutuò, nec dissentiunt inter se.

Unde igitur exordiemur ? à primâ die mensis septembris in idiomelis D. Simeonis Stylitæ : « Sancta tua anima, inquit, pater Simeon, in « societate exultat angelorum. » Et in alio : *Et cum incorporeis in cœlo tripudians.* Rursùs in altero : *Cum angelis in Deo assistens.* Vigesimâ octavâ ejusdem mensis de sancto Cyriaco : « Et nunc paradisum incolis, in omni lætitiâ « constitutus. » Octobris primo de divo Romano : « Cum justis intùs in divinâ gloriâ in« habitans, oblectationem illam ineffabilem « aspicis. Vides indesinentes delicias, aspicis « cœlorum pulchritudinem, quæ verè est « amabilis ; aspicis, beatissime, choreas pa« triarcharum. » Eodem mense vigesimo sexto, de divo Demetrio magno martyre : « Habet « quidem tua divina anima, et immaculata, « gloriose Demetri, cœlestem pro habitatione « Jerusalem. » Et iterùm : « In ultramunda« nas sedes immaculatum spiritum tuum, « sapiens martyr Demetri, Christus Deus rece« pit. » Et alibi : « Deo assiduè assistens. » Et rursùs manifestiùs : « Beatitudinis finem es « consecutus Christo assistens, toto corde « deprecare. » Et iterùm : « Nunc tu Christi « vultum intueris in faciem, ô Cyrille, spe« culis verè confractis, tuo divino amori « junctus es. » Et rursùs : « Recordare nostrî, « pater Basili, consubstantiali Trinitati assi« stens. » Alibi : « Et nunc in cœlis speculis « effractis, Antoni, sincerè sanctam inspicis « Trinitatem citra medium congressus. »

Et de magno Gregorio : « Partim, inquit, « victoriâ tuâ coronam recepisti, partim verò « cum Christo regnas splendidissimâ ex san« guine purpurâ indutus, et sceptro tuorum « certaminum ornatus, et coronâ gloriæ con« spicuus in infinita secula. » Et alibi : « Hodie « martyr de peregrinatione triumphans ad « cœlestia pervenit, et in gloriæ throno offert « sanguinem cædis. » Et in alio : « Insignis « et strenuus Gregorius in suo glorioso certa« mine supernas potestates lætificans, et nunc « unà cum ipsis exultans. »

In nonâ de magno Paulo, junii vigesimâ nonâ : « Nunc non in ænigmate, neque in « speculo Christus à te conspicitur, imò in « faciem facies aspicitur, integram tibi di« vinitatis gloriam detegens. » Et in aliis : « Pro Christo passi, ô decertatores martyres, « animas in cœlo habetis in manu Dei. » Et rursùs : « Tui, Christe, sacerdotes justitiâ « induti sancti à seculo gaudent, divinam « tuam pulchritudinem clariùs intuentes. « Et in aliis : « Nunc non in ænigmate, Pater, non « in speculo aspicis lucem Numinis omnium « principii, facie ad faciem, sapientissime, qui « et splendoris, et visionis divinæ dignus effe« ctus es. » Et rursùs : « Cum angelis tripu« dias, beate Onesime, martyrii coronâ ornatus « refulgenti, throno Salvatoris assistens. » Et alibi : « Sanctorum ordines eum qui inter « angelos requiescit magnâ voce laudantes, « divinis nunc fruuntur deliciis, et lætantes « tripudiant. » Et in alio : « Superintellectuali « splendore exornati sancti, et divinâ lætitiâ « splendidè repleti, dii vocamini, ut ei pro« ximi, inter divinos splendores versantes, et « gloriæ ineffabilis radiis illustrati. » Et rursùs : « Sacris melodiis celebrentur, quasi cœlestis « hæredes regni, quasi incolæ paradisi. » Et alibi : « Concives angelorum. » Et rursùs : « Sanguinis tui pretiosi intinctione, martyr, « purpuram tibi pretiosam comparâsti, quâ in« dutus cœlestem regiam verè inhabitas, Deo « supremo regi assistens. » Assistere verò supremo regi, quid aliud per Deum significat,

nisi quòd sancti quatenùs animæ beatitudine perfruuntur? In aliis verò : « Patribus hym« num offeremus, qui ante legem et in lege « refulserunt, et qui ex Virgine genito Domi« no, et hero rectâ mente inservierunt, et « inaccessibilem lucem hanc adepti sunt. » Et in alio : « Nunc, ô beate, intercede apud Deum « pro tuo grege. » Et rursùs : « Cœleste re« gnum concupisti, quo nunc, beatissime, verè « frueris. » Et in alio : « Super omnem virtu« tem positus, pater Antoni, cum angelis ver« saris in regno cœlorum. » Et rursùs : « Dei « præco, Athanasi, qui pericula et perpetuas « tentationes sustinuisti, nunc deliciarum pa« radisi dignus es factus, divinas mansiones « consecutus, incorruptibilis vitæ ligno pro« pinquus, ut justitiæ victor, coronâ et diade« mate cœlestis regni exornatus, decore con« spicuus et formâ præcellens. » Et rursùs : « Splendidissimo et fulgentissimo lumine lu« cidiùs nunc illustratus. » Et rursùs : « Non « in ænigmate nunc gloriam quam à puero « concupisti, vide, beate Eutychi, imò facie « ad faciem nunc solutis carnis speculis Pater « noster. » Et rursùs : « Ex difficilibus angu« stiis et corruptione in amplam et jucundam « paradisi latitudinem pervenisti, sanctorum « visurus splendidam lucem, et angelorum « choreas Deo assistentes et incessanter cla« mantes. » Et alibi : « Terra quidem nunc « operuit corpora vestra, cœlum verò, ô sancti « spiritus, semper fert, throno gloriæ assiden« tes, et cum angelis exultantes. » Et alibi : « Nunc cœlos incolis martyrum, pie, sancto« rum et justorum. » Et in alio : « Princeps « sacrorum, Eumeni, qui libertatem tibi apud « Christum comparâsti, juxta cujus thronum « sanctâ in gloriâ assistis nunc cum angelis « sanctis. » Et rursùs : « Ad tranquillum por« tum appulisti, à laboribus requiescens, et « coronatus tripudias in paradiso, unà cum « Christi martyribus. Niceta divine, omnes « meritò te glorificamus. » Et rursùs in alio : « Qui à dextrâ assistis Trinitati, et immediatè « versaris. »

Et in ode nonâ Canonis sancti Joan. Theologi : « Nunc non in ænigmate, sed facie ad « faciem, deliciarum torrentem inspicere me« ritus es, pacis flumen, et fontem immor« talitatis, quâ nunc irrigatus divinitate per« frueris. » Et augusti quartâ : « Non ampliùs « in speculo conspicis summum bonorum, ô « sancta martyr, ad faciem aspicis faciem, jam « solutis verè, ô Eudocia, imaginibus. » Ecce jam nihil apertius, ut mihi videtur, reperitur his quæ à nobis allata sunt, id est, *facie ad faciem,* et *nunc divinitate perfrueris,* etc. ; *in paradiso nunc coronati tripudiant*, etc. ; *nunc Dei throno cum sanctis angelis assistunt;* quid aliud possumus intelligere præterquàm quòd quatenùs animæ perfruuntur ut antea exposuimus, et jam evidenter ostendimus?

Quòd si his non acquiescitis, et alia ex ejusdem generis scripturis afferemus. In ode nonâ sanctorum Patrum antiphona ita dicit : « Magnum cultum meriti estis, cœlestes sancti, « quia Christi figuram studiosè imitati estis, et « nunc umbrâ et carnis operimento deposito, « cum facie ad faciem videtis, et maxima me« riti estis. » Et alibi : « Semper suffragaris iis « qui te laudant, et tuum celebrant festum « Domino assistens, Onesime, totus refulgens, « totus resplendens, totus cœlestibus fulgetris « coruscans. » Et alibi : « Inspicitis, martyres, « divinam pulchritudinem manifestiùs et cla« riùs. » Et rursùs : « Ubi ordines angelorum, « ubi justorum populi exultant. » Et in alio : « et regnum cœlorum apertè meriti Trinitatis « radiis illustrati, ô admiratione digni. » Et rursùs : « Sabba beatissime, angelorum æqua« lis, sanctorum contubernalis, prophetarum « socius, martyrum et Apostolorum cohæres, « lucem non occidentem nunc incolens, cujus « divinis facibus illustratus summo principio « assistens, et apertè coruscans. » Audisne? *lucem non occidentem* dicit; nam Deus est lux non occidens, habitat autem nunc cum Deo : præterea *summum principium* quid significat? Summum enim bonorum, summum principium, summam pulchritudinem, nil aliud est nisi Deus ipse; *hic et assistit, et habitat cum eo,* quid aliud per Deum denotat, præterquàm quòd sancti nunc quatenùs animæ perfruuntur? Si vis et alia audire, jam dicemus : « Et « inaccessibili luce nunc perfruuntur. » Et in alio : « Sanctorum chorus vitæ fontem, et « januam paradisi nactus est. » Et rursùs : « Et « justi veluti luminaria refulgent. » Et alibi : « Cùm terrena certamina perlustrâssent veri « martyres, coronas sunt consecuti. » Et rursùs : « Certatores martyres ac cœli cives in « terrâ decertantes multos cruciatus pertule« runt, et perfectam in cœlis coronam recepe« runt, ut pro nostris animabus intercede« rent. » Et rursùs : « Celeberrimi martyres, « vos non terra operuit, sed cœlum excepit; « apertæ sunt vobis portæ paradisi, et intrò « profecti lignum vitæ estis assecuti; apud

« Christum intercedite. » Ubi sunt qui dicunt sanctos non esse, sive sanctorum animas nunc in paradiso non esse? Nonne audiunt Damascenum dicentem : « Apertæ sunt vobis portæ « paradisi? » Nonne audiunt : *Introgressi?* et non agnoscunt : « Signum vitæ consecuti « sunt, et intercedunt pro nobis? » Si igitur neque receperunt, neque intercedunt, neque Christum vident, neque ipsi assistunt, neque divinâ luce perfruuntur, et, ut uno verbo dicam, nemo ex sanctis, ut ipsi putant, nunc cum Christo est, ubi sunt quæ psallimus? num falsa? Absit. Ubi « spiritus et animæ justorum « laudant te, Domine? » Et illud : « Diffractis « speculis, sancti, facie ad faciem Deum vide- « tis. » Si nunc cum Christo non sunt, non receperunt, neque intercedunt. Si verò non intercedunt, cur invocamus? si enim nunc non intercedunt, nunquàm intercedent, nam in futuro non est intercessio. Nonne audis illud? Non intercessione ibi opus est dimisso conventu. Etiam novi theologi dicunt, peculiariter recipiunt, et Deum in faciem vident, sed ineffabilia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; non receperunt adhuc : non enim omninò possumus diffiteri sanctos in præsentiâ non esse cum Christo. O insipientiam! id, ut ego existimo, risu magis, quàm responsione dignum est : nam paulò ante ostensum est, hæresim esse hanc absurdam argutiolam; nec de eâ opus est ampliùs disputare. Hactenùs Gennadius.

§ 3. *Idem rationibus ex Scripturâ sacrâ desumptis.*

Prima. Deus non est ad puniendum pronior, quàm ad remunerandum; sed impiorum animæ nunc in inferno torquentur : ergo et justorum sine maculâ et reatu statim à morte beantur. Probatur minor Lucæ cap. 16. Epulo damnatus rogat Abraham, ut mittat Lazarum ad fratres suos. Respondet Abraham : *Habent Moysem et prophetas.* At sive sit res gesta sive parabola, nec vera, nec verisimilis esset, si tantùm de tempore futuro post resurrectionem intelligenda veniret; tunc enim non erunt homines in terrâ : quomodò ergo audient Moysem et prophetas? Igitur saltem erit figura statûs damnatorum illicò post mortem.

Secunda. Ante Christi adventum sancti non invocabantur, postea verò invocantur à totâ Ecclesiâ catholicâ, et ita faciendum docent Patres Græci et Latini. Ergo non sunt in limbo, alioquin non differrent ab antiquo statu. At non potest dici ubi sint post limbum, nisi in paradiso; igitur in eo sunt. Tertia. Ante Christum mors deflebatur sanctorum, post eum lætitiâ celebratur : ad quid hoc, nisi quia tunc mori miseria erat, nunc verò felicitas! Quarta. Non est æquum mercedem retineri, cùm debetur et reddi potest, Lev. 19 : *Non morabitur apud te opus mercenarii tui usque mane.* At post mortem debetur sanctis vita æterna, et nihil est quod impediat reddi : sunt enim sine reatu et maculâ, ac janua cœlorum est aperta per Christum. Igitur cùm Deus sit maximè justus, eam statim reddit. Quinta. Non convenit ut affligantur, qui nullum habent reatum aut peccatum, cujusmodi sunt sancti. At spes, quæ differtur, affligit animam. Ergo non differtur satiari in sanctis.

ARTICULUS VII.

De unione Græcorum factâ in concilio Florentino.

Denique ad Græcorum errores convincendos, inter alia nullum forsan inveniemus efficacius argumentum, quàm si in medium producamus Bullam unionis inter ipsos et Latinos in concilio Florentino sub Eugenio papâ IV celebrato; ubi anno salutis 1438, Joannes Palæologus ipsorum imperator, patriarcha Constantinopolitanus, et cæteri ex omni Græciâ viri gravissimi, Latinis dexteram dedêre; ubi retractatis sive correctis sententiis et erroribus, primatum Romani pontificis inter alia in eo concilio agnoverunt; non vi coacti, non muneribus allecti, non numero suffragiorum à Latinis victi aut superati, sed suâ sponte et voluntate ducti, neque alio modo oppressi (erant enim ipsi sub protectione proprii imperatoris, nempe Palæologi, qui prædicto concilio adfuit) sequentes articulos in Bullâ unionis relatos simul cum Ecclesiâ catholicâ confessi sunt. Et ne quis suspicetur tantùm in Latinorum historiis aut libris id conscriptum haberi, legat historias Græcorum, præcipuè Georgium Pachimerium, l. 5 Historiarum, ubi refert capita pacis Græcorum cum Latinis. Videndus est etiam Leonicus Chalcondylas, rerum Turcicarum l. 1, et Jacobus Navarchus Ondischotanus in Epistolâ Asiaticâ; qui omnes unionis factæ in dicto concilio meminêre, ut latiùs refert P. Azorius 2 tomo Institut. Moral. l. 4, c. 15.

Insuper adde hanc Græcorum confessionem non subitò, non verbo tantùm factam esse, sed potiùs post diuturnam deliberationem et

singulorum subscriptionibus adjunctis, ut infra patebit, uno excepto episcopo Marco Ephesino, et sigillo imperatoris fuisse confirmatam : aderant quoque vicarii trium patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, ac denique legati patriarchæ Armenorum supervenerunt, et cum Ecclesiâ catholicâ sese conjunxerunt, et ab Eugenio IV fidei regulam acceperunt, quâ confessi sunt se tenere quicquid tenet et docet Romana Ecclesia. Litteræ autem unionis habentur in fine sess. ultimæ concilii Florentini, in hæc verba :

Sanctæ unionis factæ in concilio Florentino inter Patres Græcos et Latinos litteræ.

« Eugenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infra scripta charissimo filio nostro Joanne Palæologo Romanorum imperatore illustri, et loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, et cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus.

« Lætentur cœli et exultet terra : sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, et pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo charitatis et pacis, unumque jungente parietem, et perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, postquàm longam mœroris nebulam, et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat et mater Ecclesia, quòd filios suos hactenùs invicem dissidentes, jam videt in unitatem pacemque rediisse, et quòd antea in eorum separatione amarissimè flebat, ex ipsorum modò mirâ concordiâ, cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censentur nomine, matri Ecclesiæ catholicæ collætentur.

« Ecce enim Occidentales Orientalesque Patres, post longissimum dissensionis atque discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus ad hoc sacrum œcumenicum concilium desiderio sacratissimæ unionis, et antiquæ charitatis reintegrandæ gratiâ, læti alacresque convenerunt, et intentione suâ nequaquàm frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritûs sancti clementiâ, ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis autem divinæ miserationis divitias non obstupescat? cujusve ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsùs divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideò eximiâ cum veneratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantùm boni sponsæ tuæ catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostrâ tuæ pietatis miracula demonstrâsti, ut enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis Deus largitus est, oculisque nostris vidimus quod ante nos multi cùm valdè cupierint, aspicere nequiverint.

« Convenientes enim Latini et Græci in hâc sacrosanctâ œcumenicâ synodo, magno studio invicem usi sunt ut inter alia etiam articulus ille de divinâ Spiritûs sancti processione summâ cum diligentiâ et assiduâ inquisitione discuteretur. Prolatis verò testimoniis et divinis Scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum Orientalium et Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam verò ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, et ad eamdem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Græci quidem asseruerunt quòd id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hâc mente proferrent, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, tanquàm ex duobus principiis et duabus spirationibus; ideò abstinuerunt à dicendo quòd Spiritus sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini verò affirmaverunt, non se hâc mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, qui sit fons ac principium totius deitatis, Filii scilicet et Spiritûs sancti, aut quòd id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, sive quòd duo ponant esse principia, seu duas spirationes ; sed ut unum tantùm asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritûs sancti, prout hactenùs asseruerunt; et cùm ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam, Deo amabilem, eodem sensu, eâdemque mente unionem unanimiter omnes concordàrunt et consenserunt.

« In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio, definivimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christia-

nis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter, tanquàm ab uno principio et unicâ spiratione procedit; declarantes quòd id quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritûs sancti, sicut et Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandæ gratiâ, et imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

« Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta; illorumque animas quæ post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout superiùs dictum est) sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs. Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

« Item definimus sanctam Apostolicam sedem, et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus, cæterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et juribus eorum.—Datum Florentiæ, in sessione publicâ synodali solemniter in Ecclesiâ Majori celebratâ, anno incarnationis Dominicæ 1439, pridie nonas julii, pontificatûs nostri anno nono. »

Subscriptiones imperatoris ac Orientalium Patrum, qui in synodo aderant.

Ego *Joannes Palæologus*, fidelis in Christo, rex et imperator Romanorum, subscripsi. — Ego *Antonius*, humilis metropolita Heraclinensis, et consiliarius Edessenorum, totius Thraciæ et Macedoniæ *primas*, et *Philothei* sanctissimi patriarchæ, et sedis apostolicæ Alexandrinæ locum tenens, subscripsi. — Ego *Gregorius* Protosingelus, confessor spiritualis, ac sedis apostolicæ Alexandrinæ et ejus domini patriarchæ locum tenens, subscripsi. — Ego *Isidorus* metropolita Syriæ et totius *Russiæ*, ac domini *Dorothei* patriarchæ Antiocheni, et ejus sedis apostolicæ locum tenens, subscripsi. — Ego *Dositheus*, humilis metropolita Mopsuestiæ, et *Joachimi* sanctissimi patriarchæ Hierosolymitani, ac ejus apostolicæ sedis locum tenens, subscripsi. — Ego *Metrophanes*, humilis metropolita Cyzici, ac locum tenens Ancyrensis, subscripsi. — Ego *Dorotheus*, humilis metropolita Tropezundens., ac locum tenens Sæsariens. antistitis, subscripsi. — Ego *Bessarion*, divinâ miseratione archiepiscopus Nicænus, ac locum tenens Sardensis præsulis, subscripsi. — Ego *Macharius*, humilis metropolita Nicomediæ, subscripsi. — Ego *Ignatius*, humilis metropolita Doroniæ ac locum tenens Nicomediensis antistitis, me subscripsi. — Ego *Dorotheus*, humilis metropolita Mitylenensis, ac locum tenens Sidensis pontificis, me subscripsi. — Ego *Damianus*, humilis metropolita Muldoblachiensis, ac locum tenens Sebastiens. præsulis, subscripsi. — Ego *Joseph*, humilis metropolita Amasiensis, subscripsi. — Ego *Nathanael*, humilis metropolita Colossensis, ac

insularum Cycladum, subscripsi. — Ego *Gennadius,* humilis metropolita Gannensis, subscripsi. — Ego *Matthæus,* humilis metropolita Melitenensis, subscripsi. — Ego *Dositheus,* humilis metropolita Dramensis, subscripsi. — Ego *Sophronius,* humilis metropolita Anchialensis, subscripsi. — Ego *Bessarion,* archiepiscopus Nicænus, mandato ac nomine Emanuelis diaconi ac magni sacellarii Chrysouchi vulgò nuncupati, qui eadem nobiscum sensit, subscripsi. — Ego *Theodorus,* zanthopulus diaconus, et magnus sacrista, subscripsi. — Ego *Michael,* Balsamorum archidiaconus, et magnus bibliothecarius, subscripsi. — Ego *Sylvester,* syropulus diaconus ecclesiarches, ac juris servator, subscripsi. — Ego *Gregorius,* protecdicus diaconus Cappadocus, subscripsi. — Ego *Constantinus,* archiepiscopus, ac locum tenens Muldoblachiensis præsulis, subscripsi. — Ego *Ecclesiarches,* venerandæ mansionis, et sanctæ basilicæ magnæ Lauræ Montis Sancti, ac ipsius mansionis locum tenens, subscripsi. — Ego *Athanasius,* olim abbas, circumspectè subscripsi. — Ego *Gerontius,* abbas sanctæ Mansionis Omnipotentis, subscripsi. — Ego *Germanus,* abbas Sancti Blasii, subscripsi. — Ego *Pachumius,* confessor ac abbas sancti Pauli, subscripsi. »

Articulus VIII.

An propter supradictos errores Græci sint censendi hæretici, an tantùm schismatici.

Primò statuendum est schisma ab hæresi differre in hoc, quòd hæresis sit dogma fidei contrarium, schisma verò sit crimen quo quis ab unitate Ecclesiæ recedit; ac proinde hæresis est contraria fidei, non tamen schisma, sed tantùm Ecclesiæ unitati : ita docet B. Hieronymus, ut refertur q. 24, c. 3 in hæresim, et D. Augustinus l. 20 contra Faustum, et alii Patres; ut si quis confiteatur esse oportere in Ecclesiâ unum caput universale, sed fateatur hunc vel illum, videlicet Joannem aut Petrum non esse verum et legitimum caput Ecclesiæ, diceretur schismaticus, non tamen hæreticus.

Secundò supponendum est schismaticos, quamvis hæretici non sint, non esse membra Ecclesiæ, et extra illam esse : nam si Ecclesiam accipiamus, ut est fidelium congregatio sub uno capite, nempe Christo Domino, et ejus in terris vicario, Romano pontifice, viventium, schismatici sicut et hæretici extra Ecclesiam sunt; quia sicut hæresis separat et dividit hæreticos ab Ecclesiâ, ita schisma dividit et separat schismaticos à capite et unitate Ecclesiæ : ac ideò jure extra Ecclesiam esse dicitur, qui ab Ecclesiæ unitate et communione recedit.

Prima propositio : Græci ab Ecclesiâ Romanâ sunt separati et schismate divisi. Nam ut D. Antonin. tertiâ parte Historiarum, tit. 22, c. 13, § 1 et 2, scribit, præcipuas Orientis Ecclesias et maximè Constantinopolitanam duodecies ab Ecclesiæ Romanæ sede et potestate seipsas subtraxisse; et certè publicè et apertè ter Græci ad Ecclesiæ Romanæ unitatem rediêre; scilicet in concilio Lateranensi sub Innoc. III, Lugdunensi sub Gregorio X, Florentino sub Eugenio IV; postea verò ad schisma reversi ac proinde excommunicati permansêre, excommunicatione majori, quâ omnes schismatici in bullâ *Cœnæ Domini* feriuntur. Et ideò ab Ecclesiâ Latinâ et catholicâ divisi, in statu damnationis æternæ versantur. Nam, ut benè D. August., de Fide ad Petrum, c. 38 : « Firmissimè tene, et nullatenùs dubites, non solùm omnes paganos, sed etiam omnes Judæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in igne æternùm ituros. » Et c. 39, ubi supra, ait : « Firmissimè tene, et nullatenùs dubites, quemlibet hæreticum vel schismaticum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, etiamsi proximi nomine vitam fuderit, non posse salvari. »

Præcipua tamen difficultas est, an Græci non solùm schismatici, sed hæretici sint censendi. Nam D. Thom. in Opusc. 1, c. 32, asserit, « non minùs solvi Jesum ab his qui Spiritum sanctum asserunt à Patre et Filio non procedere, quàm solvi tentatum sit ab Ario et Macedonio, Nestorio et ejusmodi aliis; » sed qui solvit Jesum, non solùm est hæreticus, ut ipse D. Thomas ex Joan. Apostolo docet, sed et Antichristus : igitur Græci non solùm schismatici, sed hæretici judicandi sunt. His tamen non obstantibus alii opinantur Græcos tantùm esse schismaticos; ita ex junioribus docet Pater Azorius 1 primæ Instit. Moral. l. 8, c. 20, q. 10. Quare meritò ab Ecclesiâ catholicâ non hæretici, sed schismatici censentur et appellantur; ita apertè insinuat D. Bernardus in Epistolâ ad Eugenium, l. 3 : « Ego addo, inquit, de pertinaciâ Græcorum, qui nobiscum sunt, et non sunt : juncti fide, pace divisi, quanquàm et fide ipsâ claudicaverint à rectis semitis. » Idem apertè tenet D. Thom. Opusc. 2, ubi docet Patres Græcos in catholico sensu esse exponendos. Ratio hujus

opinionis est, quoniam, ut prædictus auctor docet, in prædictis fidei articulis, de quibus Græci accusantur ab aliquibus, ut hæretici, potiùs nomine, quàm re ab Ecclesiâ Romanâ dissident. Inprimis inficiantur illi Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, ut in bullâ Unionis Eugenii IV dicitur, existimantes Latinos sentire à Patre Filioque procedere tanquàm à duobus principiis, cùm tamen Latina doceat Ecclesia procedere à duabus personis tanquàm ab uno principio et spiratore; quare Græci ut unum principium significent, dicunt Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate. Nec diffitentur omninò Romanum pontificem Petri successorem in Ecclesiâ primatum à Christo Domino accepisse, sed nihilominùs dicunt totam Ecclesiam in generali synodo coactâ, majorem potestatem habere in rebus fidei, et cæteris quæ ad generalem Ecclesiæ statum pertinent, definiendis. Quæ fuit etiam sententia Gersonis et Parisiensium theologorum, nondùm ab Ecclesiâ tanquàm hæretica generali decreto damnata.

Præterea Græci purgatorium ignem non prorsùs de medio tollunt, ut ipsi clarè fatentur sess. ultimâ concilii Florentini, imò affirmant se perpetuò Purgatorium agnovisse (verè enim sacrificia et preces offerunt Deo pro mortuis, non beatis certè, neque damnatis ad inferos, quod planè esset absurdum et impium : ergo pro his qui cum fide et pietate hinc discesserunt, sed nondùm plenè pœnas peccatorum debitas persolverunt); sed solùm inficiari videntur certam ignis corporei pœnam, de quo nihil est de fide determinatum ab Ecclesiâ, ut optimè docet Bellarm., l. 2 de Purgat., cap. 10. Quicquid autem sit de his et aliis fidei articulis, in quibus multi Græci et alii Orientales malâ fide errant, et proinde hæretici sunt, Græcos tamen non hæreticos, sed schismaticos appellamus, quia morem loquendi pristinum retinemus.

CAPUT II.

DE JUVANDIS GRÆCIS, ET RATIONE AGENDI CUM EIS, UT AD FIDEM CATHOLICAM ALLICIANTUR.

ARTICULUS PRIMUS.

De causis præcipuis unionem Græcorum cum Ecclesiâ catholicâ impedientibus.

In primis scire necessarium est præcipuas causas, quæ unionem Græcorum cum Ecclesiâ catholicâ impediant, ut his cognitis et patentibus, facilior sit via ad eas removendas. Causæ igitur, cur inter Græcos et Latinos tanta sint in Religione dissidia, latissimè numerantur à Possevino tomo 1, l. 6, à cap. 2, per plura capita. Nos autem brevitati consulentes, ex eodem auctore præcipuas tantùm recensebimus.

Prima causa et veluti radix referri potest ad collapsas, quæ olim in Græciâ floruerunt, academias, et cum eis omnes litterarum disciplinas, quæ modò restitui vix sine magno periculo posse videntur, dùm alienam Græci in Oriente dominationem ac jugum patiuntur. Re tamen attentè consideratâ, haud tantum imminet à Turcis periculum, quantum fortassè primâ fronte apparet. Nam Turcæ, ut experientiâ constat, liberum cuique relinquunt, ut quam velit Religionem teneat, modò adversùs Mahometi sectam nihil dicatur. Unde cùm solidæ pietati nihil sit inaccessum neque difficile, dùm seriò nihil aliud quàm Christus et ejus gloria quæratur, prædictum impedimentum poterit superari.

Secunda causa referri potest ad remissiorem eorum curam, à quibus etiam inter populos Latini ritûs Græci juvari potuissent, atque ad pietatem accendi. In quâ etiam re fortè plurimùm à nostris peccatum fuit : nam sicut perfecta charitas magnos præ se fert stimulos ad pietatem, ita cùm hæc refrigescit, non solùm sibi, verùm etiam cæteris obest.

Tertia referri potest, quia aliquando à Latinis non omninò verè, vel saltem eâ quâ inter Christianos decet charitate, aliqua fuerunt Græcis objecta, quibus eorum animi commoti, erga Latinos malè fuerunt affecti. Nam, ut constat ex supradictis, multi errores illis ab auctoribus imponuntur, quibus non sunt maculati.

Quarta accedat, falsati codices Græci Patrum, quos aliqui ex ipsis etiam nunc versant. Nam, ut omittam nunc antiquiora (quæ historias legenti nequaquàm erunt abscondita), suppositosque generalibus synodis quaterniones falsos, exceptis veris (sicuti etiam Florentina synodus monstravit), versantur quotidiè inter Græcorum sacerdotum manus, ac publicè populis recitantur libri, in quibus pleraque falsa sunt; et hæc viri inter ipsos perdocti et graves ingenuè fatentur, hacque occasione Constantinopolitano patriarchæ scripserunt, ut emendati prelo darentur; sic enim aiebant futurum, ut plebs sensim desuesceret ab erroribus iis quibus ingenia quoque sacerdotum perveriuntur.

Accedunt etiam errores in Græcorum rituali sparsi, et à Nicephoro Xantopolo in Latinam Ecclesiam pessimè affecto, abhinc ducentis annis disseminati. Ex quo fit, ut populi prædictos errores videntes, odio contra Ecclesiam foveant, existimantes vera esse, quæ ibi referuntur : quæ maledicta, præterquàm quòd non decebat ut inter officia divina recitarentur, ad nihil aliud valent, quàm ad Græcorum odia contra Ecclesiam renovanda : quale est illud, in quo ad versiculum psalmi 96 alludens : *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, inquit : « Confundantur omnes qui adorant « azyma. »

Quinta causa dissidii Græcorum credi potest species austerioris vitæ, quæ in eorum hieromonachis, metropolitis, archiepiscopis atque episcopis frequenter cernitur. Hæc igitur austerioris vitæ ratio Latinos contemnendi præbuit occasionem, non considerando quamplurimos monachorum ordines etiam in Ecclesiâ Latinâ reperiri, qui in hâc palæstrâ se exerceant, quorum Græci monendi sunt, non in corporis maceratione, sed in charitate, fide et spe, humilitate et patientiâ, cæterisque interioribus virtutibus justitiam christianam potissimùm consistere.

Sexta, forsan et una ex præcipuis Græcorum cæcitatis et errorum causa referri potest ad nuptias quibus sacerdotes Græci gaudent, neque sine ipsis ad sacerdotium accedunt, nisi fuerint monachi. Nam quamvis Græcis à summis pontificibus id sit concessum, adhuc tamen re hàc optimè expensâ, credendum est, non minimam hanc fuisse causam, cur Deus Orientem christianæ fidei hostibus subjecerit. Nam cùm divina mysteria, et præsertim sanctissimæ Eucharistiæ tractatio, summam animi puritatem requirat, quæ ut plurimùm cum corporis continentiâ et castitate conjuncta est, non mirum si hæc defecerit in Græcis, quòd Deus eos non solùm corporalibus suppliciis, sed etiam spiritualibus puniat.

Septima causa est defectus doctrinæ ; doctrinæ autem defectum 1° intelligemus ipsius linguæ Græcæ ignorantiam : sunt enim paucissimi inter Græcos, qui grammaticam Græcam noverint. 2° Defectum doctrinæ appellamus, non intelligere intimas suorum errorum causas et fomenta, neque synodorum et Patrum, et quod caput est, divinæ Scripturæ exactam notitiam non habere. 3° Doctrinæ defectus etiam dicitur carentia optimorum auctorum, qui Græcis maximè prodesse poterant. Usus autem meliorum auctorum hic erit, ut primò antiquiores et emendatiores tractentur : ut Athanasius, Gregorius, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, et Alexandrinus, et alii fide et pietate celebres ; et secundo loco alii qui contra eorum errores scripserunt, de quibus supra mentionem fecimus. 4° Defectus doctrinæ reduci debet ad Latinorum studium, qui eos in defectu instruere et admonere deberent, et tamen id fecerunt ; vel ad illos qui aliquando ad juvandos Græcos missi, vitæ exemplo morumque pravitate, eorum unioni maximo impedimento fuerunt, cùm magis destruat unus, quàm plures ædificent. Utinam hæc esset una, vel saltem in hâc re principalis cura operarios efformandi, qui selecti ex religiosorum ordinibus, probatissimæ virtutis et vitæ, in vineam Domini mitterentur!

Ultima causa est, præmiorum tenuitas, quibus etiam Græci deberent invitari et foveri : nam si humana mens ita esset pura, ut cœlestibus tantùm præmiis inhiaret, illisque contenta esset, non opus foret, ut aliis calcaribus stimularentur ad bonum. At quando ipse Dominus in veteri lege terram promissionis, et in novâ centuplum pro uno promisit his qui illum sequerentur, optimè noverat imbecillioribus opus esse præmio invitari, ut ad virtutem amplectendam traherentur. His veluti Græciæ errorum parentibus radicibus jungi possunt aliæ etiam rationes occultæ et internæ, ut sunt Græcorum animi elatio, morum corruptio, otium, et affectata veritatis ignoratio.

Omnes igitur istæ causæ, sive impedimenta contrariis causis expellenda sunt, et oratione continuâ hæc maceria, quæ divisit Græcos à Latinis, tollenda est : nam cùm fides sit donum Dei, hoc inprimis enixè à Deo petendum, qui sapientiam dat abundanter petentibus, et non improperat ; adhibenda sunt etiam alia media, de quibus restat, ut breviter dicamus.

Articulus II.

De ratione agendi cum Græcis.

Ratio agendi cum Græcis ad tria capita referri potest, ut optimè advertit Possevinus, ubi supra, cap. 24, vel ad conciones populis, vel ad disputationes cum eis habendas, vel ad alumnos instituendos. Tres etiam sunt classes eorum qui Græcorum sectantur ritum et dogmata. Prima rudium, qualis est rusticorum et plebis. Secunda eorum qui, licet docti non sint, nec litterati, rerum tamen experientiâ,

et lectione fortè aliquorum librorum aliquid lucis sunt assecuti, ut hinc Romanæ Ecclesiæ splendorem et majestatem, illinc Græciæ ærumnas et calamitates, casumque Orientalis imperii sub Turcarum tyrannidem, hinc etiam Sacramentorum apud Latinos cultum, illinc apud ipsos rerum divinarum contemptum cernentes, in eam sententiam venerint, Deum Ecclesiæ catholicæ Romanæ, et non Orientali esse propitium. Tertia classis eorum est, qui licet usu et aliquâ rerum experientiâ sint præditi, odio tamen ducti in Latinos (quod ex pravâ consuetudine inveteratum facilè fovetur à dæmone), controversias (invitis eorum episcopis et prudentioribus) serunt, ac frequenter nescientes quid dicant, aut quid velint, Græcam cum Romanâ Ecclesiâ conferentes, suos ritus et sacerdotes nostris anteponunt, ac denique sua usque ad cœlum extollunt, nostra verò usque ad inferos deprimunt.

Cum his igitur, si de eâ parte quæ ad controversias attinet, agamus (ex consilio et experientiâ Græcorum catholicorum), præstare puto, ut à ministris, qui inter eos conversantur, de controversiis nihil publicè, imò nec in particulari saltem in initio dicatur, nisi ubi commodissima sese offerret occasio. Quare oportet, ut de amplectendis virtutibus, et fugiendis vitiis, cum eis agatur: nempe de peccatorum expiatione, virtute pœnitentiæ, de studio orationis mentalis, et aliis exercitiis, de mortificandis et extirpandis passionibus, de virtutum pulchritudine, de peccatorum fœditate, de charitate erga Deum et proximos, et de aliis de quibus nulla quæstio est nec differentia. Controversia verò de rebus fidei in alterum tempus reservanda erit, nimirùm cùm fervor contentionis videbitur resedisse, atque animis ad virtutem excitatis, via ad meliores progressus videbitur parari. Ac denique, ut uno verbo dicam, voluntatis arcem ante intellectum bonus Christi miles lucrari studeat.

In concionibus etiam populo habendis (ut viri etiam Græci catholici et pii sentiunt) nihil de controversiis publicè proponatur, nisi commodissimâ oblatâ occasione. Quare, qui ubi uterque ritus tam Græcus quàm Latinus viget, concionaretur, ita se gerat, quasi loca illa omnia essent tanquàm unius labii populi, sine factionibus aut sectis, verùm in peccatis jacentis ad instar reliquorum per orbem passim hominum, qui cùm sit ad pœnitentiam ex peccatorum somno excitandus, purgatoriâ, ut aiunt, viâ, potiùs quàm illuminativâ juvandus est: hoc est, incipiendum scilicet esse à peccatorum contritione, lacrymis et à detestatione vitiorum, à cognitione suî, à timore Dei, quibus cùm persuasum sit, ut vitam corrigant, faciliùs quàm per disputationes ad Ecclesiæ unitatem adducuntur.

Sed dices: Nunquàm ergo de controversiis erit agendum? Respondeo: Nonnunquàm erit, sed parcè et opportunè, et cùm ex eâ fructus speratur; et tunc, ut optimè Possevin. cap. 24, non de omnibus illis quinque, quæ olim præcipuæ fuerunt, dissidiæ causis. Nam de azymo quæstio vix in Cretâ et in aliis Orientis regionibus audietur, quare vel extincta penitùs, vel certè sopita videtur. Quocirca qui hâc de re loqueretur, rem jam oblivioni traditam cum scandalo in dubium revocaret. Processio Spiritûs sancti à Patre et Filio intelligitur à paucissimis; quare quæstionem hanc movere, nihil aliud erit, quàm dormientem ad pejus forsan excitare, et harum rerum ignorantem ad curiosa investiganda (et fortè sine spe fructûs, aut quod probabilius est, cum periculo ut partem veritati adversantem amplectantur) excitare.

Reliquæ verò quæstiones, ut sunt de visione beatorum, de igne Purgatorii, agitari possunt: nam de his facilè cum Latinis conveniunt. Primatus verò pontificis Romani difficulter eis persuadetur, de quo oblatâ occasione agendum est.

De prædictis igitur quæstionibus, si quando sermo habendus est, non in eâ re tota insumenda est concio, nec modo scholastico agendum, sed alliciendæ sunt ad veritatem fidei audientium mentes, tum exemplis, tum Scripturæ et Patrum auctoritate: qui docendi modus jucundè et cum laude docentis à Græcis excipitur. Frequens tamen harum rerum sermocinatio suspicionem eis injicere solet, quasi eos capere taliter quis vellet: quare cautè et purdenter agendum est.

Illud tamen inprimis animadvertendum est, maximè si cum Ruthenis, aliisque schismaticis rudioribus negotium habeatur, ut optimè etiam notavit Possevin. in suâ Moscoviâ, quòd cùm major populi pars ignoret quid schisma sit, nec habuerint, qui, propter dogmata, quæ credunt, eos à rectâ fide alienos esse ostenderit, si quis catholicus sacerdos ad eos accesserit, vereri fortassè poterit (maximè cùm veritatem fidei proponendi non pateat aditus, vel si pateat, non speratur fructus), an illis injicere de eorum schismate scrupulum debeat

rudioribus, forsan aliàs in suâ simplicitate salvandis : quare res periculi plena videtur, si quis hujusmodi aliquid tentaret, præsertim quia nisi hoc ex voto succederet, majores posset parere difficultates.

Quare ex superioribus id colligi oportet: nempe, cum tribus illis classibus Græcorum, videlicet cum simplicioribus sine disputationum strepitu de virtutibus sectandis, vitiisque fugiendis agendum; cum protervis nunquàm nisi magnâ et inevitabili ex causâ disputandum; oblatâ verò occasione, aliis mediis sunt alliciendi; cum mediocribus verò, qui res nostras meliùs considerant, oblatâ occasione, veritas fidei est ostendenda, tum in concionibus, tum particularibus disputationibus, ita tamen, ut omnia prudentiâ dictante opportunè fiant. In disputationibus autem cum doctioribus atque Græcorum melioribus, à primatu Romani pontificis initium sumendum est, et id potissimùm curandum, ut membra cum capite uniantur, in quæ deinceps defluat vigor ille qui faciat, ut omnes simus in animas viventes et unanimes in domo Domini, eodem pane pascamur, et eodem fonte potemur.

Inter alia verò media quæ ad schismaticorum unionem conducerent, illud esset non contemnendum, ut libri per totam illam provinciam disseminarentur, ad pietatem potiùs, quàm ad dogmata defendenda Græcorum linguâ conscripti; ex quibus sine dubio fructus sequeretur uberrimus : quales sunt Florentina et Tridentina synodus, quæ sunt Græcè editæ, quæ Græcis sacerdotibus et aliis dono essent concedendæ. Libri etiam alii, sicut Catechismi de doctrinâ christianâ, versio item Bibliorum à septuaginta Interpretibus, quæ proximis annis Romæ emendatissima prodiit, necnon et alii auctores pii et catholici, ut Ludovicus Granatensis, qui si Græcè ederetur, non dubium, quin maximè ad conversionem eorum conduceret.

Articulus III.

De aliis mediis juvandi Græcos et Ruthenos.

Placuit hìc media alia à viris gravibus, et illarum gentium conversionis maximum zelum habentibus, summo pontifici Clementi VIII proposita, in medium etiam producere, quæ forsan, cùm venerit Patris hora, quâ in vineam suam errantem operarios velit revocare, non parùm conducent.

Primum autem medium à viro quodam Rutheno gravissimo excogitatum sequentibus verbis continetur. Duo potissimùm inter alia necessaria sunt in omni conversione, præcipuè in conversione aut unione Græcorum et Ruthenorum Ecclesiæ catholicæ Romanæ.

Unum quòd illi qui hujusmodi provinciam suscipiunt, ac conversionem animarum tractant, debeant se accommodare naturæ et captui eorum quos convertere nituntur, illisque in omnibus quæ essentialiter non repugnant æternæ saluti, in principio secundare, ne propter accidentale aliquod amittant essentiale : qui enim *vehementer emungit, elicit sanguinem,* Prov. 23. Hoc pacto illorum captabunt benevolentiam et amorem, quo obtento, omnia facili negotio subsequentur. Cùm enim amor vincat omnia, Christique jugum suave et amoris sit plenum, nihil æquè requiritur tam in conversione peccatoris ad Deum, quàm unione hæreticorum ad sanctam Ecclesiam, sive infidelis ad fidem christianam, quàm amor erga instructorem ac patrem spiritualem. *Fili, præbe mihi cor tuum*, hoc est, ama me, ut amore tuo omnia ad me traham; quicquid enim à te desideravero, eo solo obtinebo. Sicque Jesus Christus Petrum Ecclesiæ suæ caput constituens, solum ab eo amorem postulat, idque triplici interrogatione, ut quàm necessarius amor iste sit ostenderet : *Simon Joannis, diligis me?* etc., Joan. 21; qui enim amat, vicissim amabitur: videlicet, si me amas, Petre, et proximum amabis, et ille te, sicque omnia ad me trahes, erisque bonus pastor. Hinc D. Paulus, verus Christi zelator, totis viribus amorem hunc fidelium cordibus imprimere conatus est; nec quidquam tantoperè ab iis expetiit, quàm ut ipsum, majoresque omnes suos, et se invicem sincerè diligerent, Cant. 8 : *Fortis enim est, ut mors, dilectio,* cui quemadmodùm nihil resistit, sic nec amori. Itaque primùm maximèque necessarium est, se hominum genio accommodare, omniumque servum præstare, quò quis omnes possit lucrifacere cum D. Paulo, qui dicebat, 1 Cor. 9 : *Factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem; iis qui sine lege erant, tanquàm sine lege essem, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant; factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Et Apostoli in primordiis Ecclesiæ secundàrunt Judæis, præcipientes fidelibus ex gentibus conversis in illorum gratiam, ut abstinerent à sanguine et suffocato, ut omnes lucriface-

rent, quæ postea successu temporis perierunt.

Alterum quod requiritur, est perseverantia; parùm enim aut nihil prodest semel et iterùm conari, si perseverantia deest. Vulgò dicitur : *Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo.* Dejicietis universos hostes vestros, si perseveraveritis in opere quod cœpistis.

Defectu horum, unio toties attentata Græcorum et Ruthenorum cum Ecclesiâ (ut de aliis taceam), non habuit optatum effectum. Primùm defuit, quia cùm illi qui eos juvare conabantur, viderent Græcos habere antipathiam cum Romanis, ac quodammodò naturalem alienationem, ut persisterent in unione, tentârunt ab ipsorum ritu eos deducere (si non verbis, saltem operibus) extollendo Romanum, in quo celebrabant, ac consequenter deprimendo Græcorum, ut sic ipsos et eorum filios ad Romanum ritum paulatim traherent; quod illi naturaliter inflati, et qui amore fortissimo tenentur erga suos ritus, ferre non potuerunt. Unde multùm odii inde conceperunt contra Ecclesiam et Romanum ritum, ipsumque tanquàm novum reputârunt et refutârunt. Neque nova est Græcorum ista superbia, cùm in ipsis Ecclesiæ primordiis, quando Jesu Christi Domini nostri sanguis fervebat, et omnes Christiani ad perfectionem anhelabant, illorumque erat cor unum et anima una, ita erant infirmi in hâc parte, ut pati non potuerint quòd spernerentur. « Factum est murmur Græco- « rum adversùs Hebræos, eò quòd despiceren- « tur in ministerio quotidiano viduæ eorum. »

Ex eodem superbiæ fonte ac naturali alienatione à Romanis, non solùm schisma evenit, sed etiam quòd nunquàm libenti ac pacato animo susceperunt Romanos sacerdotes à summis pontificibus ad ipsos multoties destinatos, ne viderentur ab ipsis edoceri, et consequenter fateri se inferiores illis cum quibus semper de gloriâ contenderunt, sed tanquàm alienigenæ, ne dicam æmuli, non ambabus à Græcis audiebantur auribus, imò potiùs eorum monita et salutarem doctrinam, omni gladio ancipiti penetrabiliorem, excludebant; aut certè si eam amplectebantur, non tamen in ipsâ erant constantes, sed tanquàm violentiam passi, ad pristinum redibant vomitum. Et hâc in parte Rutheni adeò sunt tenaces, ut potiùs cupiant suos filios rudes ac ignaros habere, quàm illos ad scholas Patrum Societatis Jesu, vel alias Catholicorum mittere (sicut omnibus manifestum est), timentes ne Patres aut alii Catholici à suo Ruthenico ritu illos divertant; hâc de causâ Romani sacerdotes parùm profecerunt cum Græcis.

Secundum quoque, nempe perseverantia, defuit in ipsorum conversione; nunquàm enim habuerunt homines ad illos destinatos, quibus ex officio incumberet ipsorum conversio; qui primò quotidianis precibus à Deo eorum salutem ac conversionem exposcerent, deinde studio, diligentiâ, speculatione in idem laborarent, summosque pontifices et reliquos prælatos ad id permoverent. Et si fortassè aliquando habuerunt tales homines, non semper tamen neque perseveranter, quod est simpliciter necessarium; parùm etenim prodest erigere infirmum, si non est qui sustentet et adjuvet eum, ne iterùm cadat; non est corona ubi deest perseverantia, et qui perseveraverit usque in finem, obtinebit victoriam et palmam.

Unico tantùm remedio, ni fallor, prædicta duo impedimenta tollentur, et Rutheni isti facilè convertentur ex concepto odio ad amorem Ecclesiæ Romanæ, non tantùm verbo, sed corde et opere, si haberent nimirùm unam vel alteram, vel plures religiones observantes, quæ ex indulto sedis Apostolicæ possent ritu Ruthenico celebrare, sublatis tamen omnibus erroribus et superstitionibus (si quæ sunt) quæ incuriâ et ignorantiâ ipsorum sacerdotum sunt usque modò introductæ, reducendo omnia ad suum principium et originem.

Primùm, quod desiderabatur in modo conversionis aut reductionis, tolleretur : tales enim Religiosi eorum cæremonias ac ritum non deprimerent, sed potiùs et verbo et opere tanquàm proprium extollerent, et cùm Romani tanquàm alienigenæ ac æmuli non pacato animo recipiuntur à Ruthenis, et consequenter non audiuntur, sed cum timore ac suspicione, timentes semper ne fraudem faciant, ex quâ suspicione arripit dæmon ansam et occasionem, suggerendo illis multa falsa de Ecclesiâ Romanâ : è contra tales religiosi reciperentur quasi proprii, auscultarentur absque suspicione, et cùm viderent eos doctos, ipsis crederent, et gloriarentur quòd haberent ex suis eruditos viros, qui essent illorum corona; propter quod etiam summoperè amarent illos : nam cùm non ament Romanos, quia quodammodò deprimunt illos, illorumque ritum, è contra amarent vehementer dictos religiosos, tanquàm illos qui augerent ipsorum gloriam, ac extollerent ritum Græcorum. Simili modo D. Paulus afflante Spiritu sancto incœpit adducere Græcos ad sanctum Evangelium; non

enim illis dixit : Prædico vobis novum Deum, sed : *Prœteriens et videns simulacra vestra, inveni et aram, in quâ scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis,* Act. 17. Sic possent dicere isti religiosi : Non removere vos conamur à verâ fide Græcâ et ritu, nec novam prædicamus, sed quæ ignorantes colitis, etc. Et idem D. Paulus, ut Judæis se accommodaret, circumcidit Timotheum, licet non esset necesse, cùm lex Moysis per Evangelium expirâsset.

Secundum etiam tolleretur, quia tunc haberent religiosos viros Deo gratos, qui pro illis preces Deo funderent, insudarent tum in studiis ad illorum conversionem accommodatis, tum in removendo impedimenta et obstacula eidem conversioni, illosque omnes ad eamdem impellerent ; tandem haberent speculatores et pastores non mercenarios, qui vigilarent super istum Jesu Christi gregem, et hoc non ad tempus, sed usque ad consummationem seculi : nunquàm enim religio moritur. Isti frangerent illis panem, scilicet Scripturarum, ac porrigerent verbum Dei omni gladio ancipiti penetrabilius, cujus penuriâ fame pereunt, cùm illorum popi et religiosi concionem non habeant, ac à dæmone tanquàm inermes debellantur.

Docerent illos necessaria christiano homini, quæ scilicet deberent credere, quomodò accedere ad sacramenta, quàm necessaria sit frequentia sacramenti Pœnitentiæ et Eucharistiæ, etc.; necnon etiam litteras humanas et sacras. Isti retinerent conversos in fide ac obedientiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et sic non toties reinciderent in schisma. Non difficili negotio obtineretur, quòd episcopi, archiepiscopi et metropolitæ, qui apud Ruthenos ex religiosis (licet ordinis sancti Basilii) semper debent assumi, possent ex prædictis religiosis eligi.

Hinc fieret primò, quòd omnes prælati semper essent catholici, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientes, quos tanquàm pastores sequerentur reliqui omnes. A patriarchis enim et episcopis ortum semper habuit schisma, conservationem etiam atque in illud reincidentiam. Sequeretur secundò, quòd omnes populi Rutheni vel sacerdotes, essent catholici, docti ac benè morigerati; episcopi enim non promoverent ad ordines, nisi tales, ac ordinatos in disciplinâ continerent. Multa alia bona sequerentur quæ brevitatis causâ omitto.

Religiones, quæ ad hanç provinciam destinantur, debent habere sequentes conditiones. Prima : Quòd sint ex reformatis, et quantùm fieri potest, similes in vitâ et regulari observantiâ Religiosis divi Basilii, qui apud Ruthenos nunquàm comedunt carnes, jejunant à festo Exaltationis sanctæ Crucis, usque ad Pascha resurrectionis Domini, etc., tum ne spernantur à Ruthenis, ut minùs perfecti, tum etiam, ut libentiùs quasi proprii recipiantur. Hoc facillimè posset ab unâquâque religione reformatâ obtineri; aliqui enim religiosi in ipsis invenirentur, qui vellent hoc obsequium præstare Deo quod promitterent ; deinde reliqui etiam observare, qui ad talem conversionem vocati à suis generalibus, ad conventus vel collegia ad hoc destinata segregarentur.

Secunda : Deberent habere licentiam celebrandi secundùm ritum Romanum (sub prætextu tamen quòd Rutheni et Græci non possunt celebrare in itinere, ubi non habent incensum, et alia quæ secundùm Ruthenicum ritum requiruntur ad sacrum), et sic paulatim introducerent Romanum ritum, vel saltem obtinerent, quòd Rutheni non ab illo abhorrerent sicut modò abhorrent.

Tertia : Religiones quæ hujusmodi munus conversionis susciperent, ex monasteriis, quæ modò habent, deberent signare aliquot, unum scilicet Romæ, reliqua verò in illis regionibus, ubi floret Religio et fides Romana, quorum curam haberent iidem generales religionum, in quibus nulla deberet fieri mutatio, et ad ipsa mitterent religiosos quos viderent à Deo esse vocatos, ad conversionem Græcorum et Ruthenorum, ut ibi darent operam linguæ Græcæ et Ruthenicæ, et studiis ad ipsorum conversionem accommodatis. Ex quibus possent fieri missiones ad diversa loca et provincias, et sic haberent semper religiosos Romanos, de quorum stabilitate non esset dubitandum ; ad prædicta monasteria possent quoque mitti Rutheni, qui susciperent habitum religiosorum studiorum causâ, qui enutriti doctrinâ et moribus Romanis, benè affecti essent erga Romanam Ecclesiam, tanquàm ipsorum matrem.

Quarta : Si ex prædictis religiosis eligerentur Ruthenorum metropolita, archiepiscopi, etc., deberet esse cautum, ne ullus illorum assumeretur ad hujusmodi dignitates, nisi qui post annum integrum novitiatûs, et professionem emissam aliquot annos peregisset in religione, ut jam perfectionem illam comparâsset,

quæ necessaria est perfectis prælatis. Non enim omnes possunt habere hujusmodi perfectionem, qui ex seculari vitâ eodem tempore, quo fit monachus, emittit professionem, et assumitur in episcopum, etc.

Quinta : Et ne id quod datur tanquàm salutaris medicina sit dæmonis malitia, prædictis religiosis, et consequenter Ruthenis venenum, præter tria solemnia vota obedientiæ, castitatis et paupertatis, quibus tales religiosi se Deo sacrabunt, quartum Domino acceptissimum et prædictorum religiosorum ac Ruthenorum bono maximè salutare nuncupabunt, quo Deo voveant se nunquàm directè vel indirectè, per se aut alium extra religionem ullam prælationem aut dignitatem prætensuros, nec eam oblatam accepturos, nisi summi pontificis præcepto ad id obstringerentur. Sic omnes episcopi, etc., Rutheni, semper dependerent à summo pontifice, et religiosi non perturbarentur ambitionibus, nec religio relaxaretur propter dignitates. Hæc ille.

Articulus IV.

De aliis mediis quæ videntur non minùs utilia quàm necessaria, ad Ecclesiam Græcorum, et omnium ferè Orientalium ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum brevi reducendam.

1° Viris conversionis Græcorum studiosissimis expedientissimum semper visum fuit, ut collegii Græci alumnis Romæ existentibus concedatur, ut in patriam reversi possint à suis episcopis Græcis, in quorum diœcesi degent, licet schismaticis, ordinari : quod et fieri posse à summo pontifice nullus Catholicorum negabit, præsertim cùm apud gravissimos auctores catholicos constans opinio sit à schismaticis, qui nominatim excommunicati non sunt, posse subditos sacramenta recipere, ut latiùs infra, lib. 7. Oportere autem tali indulgentiâ, sive dispensatione uti, manifestum est : nam hâc negatâ, nulla aut certè exigua spes de salute istius nationis expectanda est ; quod eorum judicio et auctoritate, quibus res hæc in particulari nota est, apertiùs poterit comprobari. Nam ex hâc dispensatione in eam spem erigi debemus, fore ut alumni ab iis ordinati (atque adeò minùs exosi illis qui à Latinis ordinantur), tum propter vitæ integritatem, tum propter bonarum litterarum scientiam, à patr archis suis nullo negotio in episcopos promoveantur, utpote cùm non parvâ laborent hominum penuriâ, qui verbum Dei promulgent ac disseminent, et gregem Domini regant ; cùm etiam à suis episcopis omnis ambitio ac invidia longè exulet, eò quòd Ottomanicæ tyrannidis jugo oppressi, difficilem ac laboriosam sine facultatibus vitam agant, statum pauperum potiùs monachorum quàm episcoporum æstimantes. Quis autem fructus ex unico episcopo catholico sperandus sit, qui scilicet cum prudentiâ parochos catholicos suo gregi præficiat, nemo non videt.

2° Deinde eò collimet sua Sanctitas, quæ omni curâ et diligentiâ saluti animarum invigilat, ut vacante Ecclesiâ patriarchali Constantinopolitanâ, inquirat in aliquos alumnos aut monachos, qui in Græciâ ecclesiasticarum dignitatum munia administrant, ex quibus maximè idoneum eligi curet ; cui nuntio, quàm fieri potest secretissimè (ne aliqua apud Græcos hujus rei nascatur suspicio) aperiat, se illi Ecclesiam Constantinopolitanam conferre, illumque ejusdem patriarcham eligere ac confirmare, ac proinde jubere ut eò se conferat, ubi tam reipublicæ Venetæ, quàm Christianissimi regis legatos reperiet, à suâ Sanctitate jam instructos, ut Turcam, à quo electio et confirmatio, licet cum injuriâ, dependet, largitionibus inflectentes, et solito tributo aliquid addentes, suaviter inducant, ut viro tali patriarchatum nationis Græcæ imperet assignari ; quod non difficulter exorabunt, tantùm dominatur illius tyranni animo inexplebilis auri cupiditas ; adeò ut sæpenumerò non dubitet ab aliis promotis dignitates abrogare, quod vel experientia satis testatur, et in aliis officiis assidua exempla demonstrant. In quâ re nullus apparet simoniæ scrupulus ; non enim pretio æstimatur patriarchatus, quippe qui electo illi à suâ sanctitate jam condonatus sit, sed obstacula tantùm pecuniarum falce resecantur. Ad redimendam enim vexationem, et tollenda impedimenta quæ possunt occurrere, hoc fieri posse communis et verissima est doctorum sententia. Porrò neque dicendum est metropolitanos suâ electione defraudari, cùm liquidò constet eam invalidam esse et nullius momenti, eò quòd ipsi sint schismatici et nullam habeant jurisdictionem : unde licet à se electum consecrent, non patriarcham, sed merum episcopum constituunt. Adde quòd hæc electio à Turcâ, qui iis imperat, ut pro ipsius arbitrio consecrent quemcumque ipse obtruserit, fieri videatur. Ex tali verò electione ille proveniet fructus, quòd episcopis schismaticis diem suum obeuntibus, alumni aut alii, de quorum fide constabit, possint substi-

tui. Secundò, quòd synodis particularibus egregia opera in schismaticis reformandis, aliisque erroribus amputandis possit navari. At verò hìc cavendum est, ne suæ Sanctitati tædium obrepat, et in hâc primi patriarchæ electione subsistatur; imò velis remisque contendendum est, ut primò sufficiatur alius atque illi alius, et illi rursùm alius, novos semper alumnos defunctis subrogando, quoad prælatis antiquis schismaticis extinctis, novi Catholici suffecti omnium vices suppleant.

3° Cùm Alexandrinæ et Antiochenæ Ecclesiarum electio earumque patriarcharum, qui semper Græci sunt, eò quòd earum gubernacula hactenùs penes Græcos fuerint, confirmatio ab aulâ Constantinopolitanâ dependeat, eâdem quâ dictum est diligentiâ legatorum operâ est attendendum. Quod negotium haud dubiè non minùs felicem exitum consecuturum est, quàm certum est ibi nihil auro non esse pervium ac eluctabile. Cùm itaque futurum sit, ut brevi patriarchæ sint catholici, quorum cura in hoc incumbere debebit, ut eâ cum prudentiâ, quam requirit ipsorum officium, episcopos et parochos suos catholicos constituant, quid vetat, quominùs speremus fore, ut prælatis schismaticis (cùm in iis totius schismatis radices inhæreant) extirpatis, novos qui in Ecclesiæ catholicæ sinu primis pueritiæ stipendiis merentes pietatem excoluerint, substituendo (quorum vitæ doctrinæque integritate ille regatur populus, qui ideò quorumdam errorum nebulis in præsentiarum involvitur, quòd natura facilis ac proclivis sit prælatorum suorum dictis acquiescere), brevi dici possit: *Unum ovile et unus pastor?*

4° Ut autem jam nunc fructificare incipiat seges aliqua spei nationis Græcæ in sanctæ Romanæ Ecclesiæ granarium reducendæ, pretium operæ fuerit viam obsequiis præsternere, ut videlicet sua Sanctitas litteris merè officio-

Constantinopolitanum, aliosque patriarchas salutet, nullum de flebili ipsorum statu verbum faciens; sed solùm temporalibus inhærens, ostendat quàm gratum illi foret sæpiùs de eorum rebus certior fieri, ut sciat, si quâ in re suâ operâ indigeant, et ut non æstiment loci intervallum posse eos suæ paternæ charitatis visceribus disjungere. His et aliis amoris etiam affectus adjiciat, polliceaturque se perspectis eorum rebus, nullâ in parte eorum desideriis defuturum, suumque paternum amorem magnamque versùs eos charitatem effectibus demonstraturum. Atque ita nemini dubium videri debet, quin talibus litteris et amicis pollicitationibus, omni sedato odio, animos eorum inflectendo beneficiis, quæ, licet apud omnes plurimùm valeant, ad illius tamen gentis animos alliciendos tantâ vi et efficaciâ præpollent, ut iis solis tota res perfici posse videatur.

Sicut videre est ex progressu quem fecit Gregorius papa XIII, felicissimæ memoriæ, qui, eò quòd eam nationem charam habuerit, et collegio Romæ fundato Græcam juventutem efformandam ac erudiendam curaverit, et hujusmodi litteris aliquam cum patriarchis amicitiam et familiaritatem inierit; incredibile penè est, quantùm et quàm brevi boni pontificis nomen, tanquàm veri et legitimi patris universalisque pastoris ac vicarii Christi per totum Orientem increbuerit. Quæ res infirmis profuit animabus, et certè si mors eum non præripuisset, aut saltem tam felix opus eo quo inceptum est pede ad colophonem perductum fuisset, amplissima hodie messis arrideret.

Neque etiam ambigendum est, quin illi benignum suæ Sanctitatis animum conspicientes, suas necessitates in rebus tam temporalibus, quàm spiritualibus litteris responsoriis sint explicaturi. Atque ita litteris cum illis agi poterit, de quibuscumque sint ad suam Sanctitatem relaturi, alumnique ad singulos tres aut quatuor transmitti, quibus in mandatis detur, ut cum illis rerum divinarum participent, et ab illis ordinentur, videantque si quo pacto queant illis suaviter de dubiis satisfacere, ac inducere ut synodo patriarchali aliquid de iisdem dubiis velint statuere, aliosque errores resecare, et sic eos in studio ac pietate versùs pontif. optimum maximum continentes, suam Sanctitatem de rerum ibi gestarum eventu commonefaciant, ac annuntient in quam segetem spes laboris hujus excrescat.

5° Cùm Roma longè ab Oriente dissita sit, parentesque ægerrimè patiantur sibi suos liberos divelli, tum propter imminentia pericula, tum quòd in remotissimas gentes mitti videantur: his accedit metus Turcæ, qui sæpenumerò, ratus eos exploratores Romam transfugere, post aliquod tempus eorum parentes ac necessarios severissimè castigat; convenientissimum foret, tum ad itineris longinquitatem tollendam, tum ad amorem novo benevoli animi monumento confirmandum, Messinæ alumnorum Græcorum seminarium fundari: quò, cùm sit civitas immunis ac libera, facilisque ad eam transitus; cùmque ei vicina admodùm sit

Constantinopolis et plurimæ in Archipelago insulæ, parentes liberos suos libentissimè transmissuri sunt, seque felices reputaturi, quibus tam grata sors obtigerit, ut civitate vicinâ, non suspectâ, erudiantur. Quanto autem emolumento futurum sit hoc collegium nationi tam longè latèque patenti, judicent illi quibus curæ aut cordi est ejus incolumitas, quosque collegii, quod Romæ est, imbecillitas non latet.

6° Sua Sanctitas præscribat episcopis Corfu, Zante, Cefaloniæ et Candiæ, edicatque ne parochias Græcas quæ in ipsorum diœcesibus vacaverint, aliis quàm alumnis collegii conferant; ideòque præmoniti sint ipsius collegii superiores, ut viros idoneos semper habeant paratos. Neque dubium est, quin Græcis satis grati futuri sint, hoc nimirùm concesso, ut ab episcopis Græcis possint ordinari.

ARTICULUS V.

Ecclesia Græca propter separationem ab Ecclesiâ Latinâ, quantis calamitatibus et afflictionibus exerceatur.

Denique pro Græcis, aliisque Orientis populis ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ unionem reducendis non parùm proderit (prudentiâ ac moderatione duce, ne exasperati obdurentur) eorum ruinam et interitum, postquàm ab Ecclesiâ catholicâ recessêre, ipsi ob oculos ponere. Inprimis enim, ut experientiâ constat, unione ruptâ, atque Ecclesiâ catholicâ derelictâ, Græci in profundissimam ignorantiæ caliginem incidêre; quod manifestiùs constabit, si oculos animumque ad præterita secula convertamus, in quibus omnium bonarum artium et disciplinarum nutrix ac magistra fuit Græcia, ut rectè prosequitur Bozius l. 12 de Sig. Ecclesiæ c. 12. Quos illa antiquitùs doctissimos homines tulit? Quæ lumina in omni doctrinarum genere produxit? Nunc autem ab anno millesimo ferè, ex quo magis à nobis cœpit abscedere, per annos sexcentos neminem prope possis laudare in ullo artium bonarum studio excellentem; mediocres tandem aliquos fortassè reperies. Andronico certè imperante, ante annos credo ducentos et quinquaginta, Gregoras tradit neminem fuisse in universâ Græciâ, qui posset cum nostris de rebus divinis disputare; et modò nullus in eâ vel mediocriter eruditus: si quis vult aliquid doctrinæ addiscere, è mediâ Constantinopoli Romam proficiscitur, ad collegium quod Græcis edocendis Gregorius XIII erexit. Cur non idem Græcis suis præstitit magnus ille dux Moscovitarum? Cur non rex Georgianorum, vel Iberorum, vel Mengrellorum, qui Græcanicos ritus sequuntur, neque imperio Turcarum sunt subjecti? Ne dicas ideò è Græcis neminem in litteris proficere posse, quòd à Turcis opprimantur; cur ex istis quos memoravimus populis nemo vel mediocriter eruditus extitit unquàm? Furente inter nos ac Græcos hâc sententiarum discordiâ, duo fuerunt è Græcis, quos summis comparare possis, Nicephorus Blemmida, et Joannes Bessarion. Illum Gregoras vocat divinum, peritissimum, multis virtutibus insignem, variâ eruditione tum sacrarum tum profanarum litterarum perpolitum. Gregorius Pachymerius ait eâ mente fuisse, ut corpore illa non alligaretur. Et certè talem fuisse ipsius scripta declarant. Quantus verò sit Bessarion quis ignorat? Lege illius libros. His duobus neminem ante annos octingentos in totâ Græciâ doctrinâ parem invenies. Atqui uterque nobiscum sensit. Quid verò illud? Episcopi omnes Græcorum deliguntur è grege monachorum, inter quos communi decreto est excommunicatus quicumque philosophiæ studet, quod scribit Petrus Bellonius Observ. l. 1, c. 40. Nihil autem magis facit ad assecutionem veritatis, quàm philosophia rectè percepta. Quocirca dæmon, ut Græcos altissimis ignorantiæ tenebris involveret, hoc egit, ut episcopi eligerentur è monachis, et monachi necessariò propè imperiti forent, aut carerent maximo ad perceptionem veritatis instrumento. Hæc Bozius.

Verùm longè istis absurdiores fuerunt Moscovitici. Nunc duces, sive principes Moscovitici, quædam subditis persuadent, et populos sibi subjectos ad illum mentis incredibilem stuporem redegerunt, ut miseri credant bona malaque omnia à suis ducibus in ipsos immitti, quin eis esse explorata ac sigillatim perspecta omnia studia et cogitata cuncta illis patere. Ut verò duces isti gentes in hâc stoliditate hærentes defixas teneant, nullas ab iis litteras addisci permittunt, nisi quibus ipsi fecerint potestatem, ut latè prosequitur Possevin. in Moscoviâ suâ. Eò igitur nunc res reducta est, ut Græci, si quid vel artium liberalium, vel etiam linguæ ipsius Græcæ præstantius volunt addiscere, ad nos commigrent. Atque ita Græcorum hæreticis negata illa ipsa, quorum maximè ipsi fuerunt architecti, et ad Ecclesiam catholicam delatæ, unà cum linguæ Græcæ eximiâ cognitione,

doctrinæ illæ, quæ Græcis sunt litteris commendatæ; utrum quæ Græcis ablatum,

Quid verò de Græcorum peccatis dicam? Etenim inprimis dolendum maximè est, quàm miserè in simoniæ labem ac crimen corruerit nunc illustrissima olim natio, cùm sciamus à Turcarum rege episcopos evehi, et dejici inter Græcos pretio, et quò plus è Græcis aliquid quis offert aut largitur Turcarum regi, eò magis ille extollitur ad dignitates, et amoventur qui sunt in eis, cùm plerùmque, majori datâ pecuniâ, in se transferri aliquem episcopatum cupit, ægrè ferentibus id aliis Græcis.

Præterea à Græcis multa contra christianæ castitatis leges usurpantur: cuilibet ex quâcumque causâ licet, approbantibus id episcopis, uxorem dimittere, quare passim repudium quàvis causâ admittunt; ex quo campus latissimus illis conceditur, in quo excurrat eorum libido, ruptis indissolubilis conjugii vinculis. Quid? quòd inter illos nonnulli fornicationem simplicem peccatum negant, ut ex Moscoviâ Possevini apparet.

Simili, imò et majori impuritate aspersæ sunt nationes aliæ, quæ ritum Græcorum sequuntur. Gregorius Interianus mores Zigorum describit, quippe qui versatus sit inter illos; ii vocantur vulgò Circassi. Apud eos in more positum refert ut frater occidat sæpiùs fratrem, et sequenti nocte cum ipsius uxore concumbat, conjugemque sibi adjungat. Nam plures habere illis est permissum. Atque hæc nobilium Zigorum consuetudo. Quales sint plebei, ex hoc uno quod de nobilibus recitavimus, colligere possumus. Magna scilicet inter istos castitas, et charitas inter fratres! Moscorum latissima regna, ex hæresi sunt Græcanica. Apud eos feminæ quidem nobiles inprimis pudicitiam colunt, cæteræ omnes nihili ducunt, et corpus venale habent, tantaque inter eos est alioqui impuritas, ut quam nos fornicationem simplicem vocamus, et maximum crimen, ut est, reputamus, illi neque ullum peccatum ducant, quod apparet è Moscoviâ optimi ac doctissimi viri Antonii Possevini è societate Jesu, qui nomine Gregorii XIII legatus diu fuit apud eos, et è Commentario Pauli Jovii de rebus Moscoviticis.

Nec minùs dolendum eorum Græcorum luxum ac intemperantiam eò devenisse, ut plurimi ex ipsis exultent, ubi filium speciosum formâ nanciscuntur, quem tradere possint Mahometanis ac Turcis, ut illo abutantur ad obscenos libidinis usus, gradumque sibi ex hoc faciant ad magistratus et opes. Nam qui vocantur à Turcis Bassæ, plerùmque sunt ex hujusmodi pueris, qui vel spadones sunt, vel à spadonibus aluntur, et ad impurissimas Turcici regis delicias conservantur: ut sic suis propinquis hâc impietatis viâ benefaciant, si quod hujusmodi benefactum potest esse. At sæpè justo Dei judicio factum cernimus, ut ab ipsis Græcis, hoc est, janizariis à Græco sanguine ut plurimùm natis, Græci vexentur ac interficiantur, ut sic sanguine proprio quasi mulso inebrientur, et cibentur hostes Ecclesiæ carnibus suis.

Denique tempore quo Græci ab Ecclesiâ catholicâ descivêre (cùm antea quamplurimos viros sanctitate præclaros habuissent) sanctorum copiam amiserunt. Testis est Zonaras è Græcis auctor nobilissimus, qui cùm Ignatium patriarcham sanctum appellet, et is fuerit qui nobiscum senserit, propter cujus defensionem Photius à nobis se abalienavit: postea verò neminem è patriarchis, cùm viginti recenseat, ornat hujusmodi titulo. Imò cùm plures ante ætatem Photii numeret sanctimoniâ præstantes viros in Annalibus suis, neque unum quidem post illud tempus invenit, et tamen ab anno 863, quo Photius, dejecto Ignatio, sedem Constantinopolitanam invasit, usque ad annum 1118, in quem desinunt scripta Zonaræ, intercedunt anni ducenti viginti quinque. Atque hoc mirandum magis. Nam Zonaras monachus erat, et ecclesiasticam se scribere historiam profitetur. At si quis plura de hâc successione sanctorum interruptâ desiderat, legat Th. Bozium, l. 7, c. 1.

Captivitatem deinde Græcorum, quâ sub Turcarum durissimo imperio jacent, ac supplicia alia divinitùs illis immissa, ferè eo tempore quo ab Ecclesiâ catholicâ sunt avulsi, aut summis pontificibus detrahebant, prosequitur eleganter idem Bozius, l. 5 de Signis Eccles. c. 11, in hæc verba: Leo regnare cœpit anno 716, cognomento Iconomachus, et Theomachus; eo tempore Sarraceni per triennium Constantinopolim obsederunt, famesque trecenta hominum millia in eâ civitate absumpsit. Mahumes, Sarracenorum princeps, ingenti exercitu Paphlagoniam vastavit. Arabum nonaginta millia diris incursionibus Asiam fœdârunt, ut Paulus Diaconus refert. Copronymo deinde imperante, Turcæ è Caspiis portis irruptione factâ Armeniam Minorem ceperunt. Michael Balbus fuit ex hæresi Tinganorum et Judæorum; eoque imperante Sarraceni Cre-

tam Siciliamque occupârunt, ac per annos ferè ducentos tenuerunt.

Monomachi ætate, quo tempore est ausus Michael patriarcha, omnium primus, papam sub annum 1053 excommunicare, Turcæ Asiam ceperunt, quam deinde, Andronico Palæologo regnante, qui sepulturam Michaeli patri, quòd cum nobis sensisset, negavit, sunt inter se partiti, primumque ex Otthomanâ familiâ, regem ad extremam imperii Constantinopolitani ruinam creârunt, Thraciamque invaserunt, donec tandem Calojoannis tempore ita pedem fixerunt in Europâ, ut multas in Græciâ urbes ceperint. Ultimo denique Constantino imperante Constantinopoli expugnatâ, Orientali imperio finis est datus, et Christi cultus in iis locis ad nihilum ferè adductus.

En hæresum finis, en conatus eorum qui dissident à nobis, qui Romani pontificis sacra jussa contemnunt, interitus christianæ Religionis. Irrideant nunc Latinos Græci dissentientes, despiciant episcopum Romanum, ducant nos hæreticorum loco, crimina congerant, confingant, amplificent adversùs nos et præsules nostros. Quid est quòd tanta per vos ac vestros imperatores, ex quo discessistis à nobis jactura christiani cultûs est facta? Omittamus Occidentis regiones, à variis ac barbaris gentibus, à Christi cultu vel prorsùs alienis vel aberrantibus, occupatas eo tempore, quo repletæ sunt hæresibus; ab Hunnis et Avaribus Germanias et Pannonias; à Francis Gallias; ab Anglis Britannias; ab Alanis, Suevis et Visigothis Hispanias; à Vandalis Africam: quid, quæso, esse causæ dicemus, quòd imperante Zenone Ostrogothi et Heruli Italiam ceperunt; et Catholici meliori apud eos conditione fuerunt, quàm apud imperatores Orientis, et quamdiu se ita gesserunt, feliciter illis res processêre, ubi consilium mutârunt, deleti sunt? Quid est in causâ quòd Longobardi Venetiam Liguriamque, quam nunc Lombardiam vocamus, in potestatem suam redegerunt, ubi loca illa ab auctoritate pontificis Romani desciverunt?

An putatis à Deo temerè provisum permissumque, ut imperante Mauritio, quo tempore vestri patriarchæ sibi universalis nomen cum Romani pontificis contemptu arrogare cœperunt, Slavi Illyriam Dalmatiamque subigêre, Turcæ adversùs vos militare simul cœperint? Heraclio imperante Mahometus emersit, Sarracenis data est Judæa et Ægyptus; Constante et Justiniano, Africa iisdem tradita; Philippico, Leone Copronymo, Michaele Balbo, et Michaele IV Iconomachis, Dacia, Mysia, Thracia et Illyrium Bulgaris; Asia, Sicilia, Sardinia, Creta, Cyclades, Cyprus, Sarracenis. Quâ præterea tempestate Turcæ è Caspiis portis copias educentes, Armeniam subegerunt? Qui postea cùm patriarchæ vestri papam sunt ausi excommunicare, armis Asiam sibi comparantes, inter se sunt partiti. Mox Andronico regnante, cùm scilicet vos apertissimè à nostrâ communione recessistis, communioribus decretis, primùm sibi ex Otthomanorum gente regem creârunt, sub annum 1300. Ex eo paulatim cuncta vestra vobis per illos erepta. Supererat postremò Constantinopolis; supererant multa Græciæ loca, multa aliarum regionum subjecta imperatori vestro, supererat imperatoria dignitas.

Quid est autem, quòd ubi in concilio universali Florentino, cui vestri episcopi, vester patriarcha, et imperator interfuit et assensus est, definita sunt quæcumque inter vos ac nos erant controversa, defuncto imperatore illo et patriarchâ, qui nobiscum sentiebant, cùm vos et qui successit imperator, concilii Florentini scita respueritis, capta est Constantinopolis, omnia vestra in Turcarum manus venerunt? et nunc nihil vestrum: loco namque servorum vos habent Turcæ. Liberos suscipitis non Christo, sed quod maximè dolemus, spurcissimo Mahometo. Nam qui sunt è filiis vestris generosiores, et liberali specie, eripiuntur vobis à Turcis, Mahometo nomen dare coguntur, ad nefandissimos, proh scelus! proh dolor! præposteræ libidinis usus includuntur. Hem qui hæresum finis! Quis à fletu se contineat? At si, ô quicumque è Græcis à nobis discessistis, vestra esset Ecclesia Dei, necesse erat hæc vobis haud evenire, quin longè alium sortiri eventum, ut ex oraculis divinis supra à nobis est conclusum; necesse erat quò majoribus angustiis opprimebamini, eò resurgere illustriores; sic enim contigit semper Ecclesiæ Dei, ut abundè ostendimus alio loco.

Sed hìc non omittamus illud, Græcos aliquos adeò à catholicâ Ecclesiâ alienos, ut quamvis pareant subsintque Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Cephalæ insulæ, sunt adeò tenaces hæresum Græcanicarum, ut vitam potiùs hominibus illis eripias, quàm conceptam sententiam deponere velint. Cùmque superioribus annis archiepiscopus Cypri Philippus Mocenicus, vir magnæ doctrinæ et

integritatis, vellet hæreses ex insulâ illâ extirpare, opposuère se illi Græci, adeò ut necesse habuerit ipse Venetus patricius illinc emigrare. Testatur hoc ipse in Epistolâ quam præfixit operi suo de philosophicis Rebus. Paulò post insula à Turcis est occupata. Marcus Antonius Caucus archiepiscopus Corcyræ testatur idem in Epistolâ quam præposuit Gennadii libris. Hæc Bozius.

Sed ne casu id accidisse Græci sibi persuadeant, videant antea hujusmodi eventus divinitùs tam à summis pontificibus, quàm ab aliis Ecclesiæ Romanæ filiis prævisos, prænuntiatosque fuisse. Inprimis cùm patriarcha Anatholius in synodo Chalcedonensi procurâsset sedem Constantinopolitanam præferri Alexandrinæ et Antiochenæ : quinimò ordinationem sibi tunc Antiocheni arrogâssent inconsulto pontifice Romano, Leo Magnus exclamans adversùs hujusmodi superbiam, clarissimè litteris suis prædicit futurum, ut sedes illa ob hanc elationem divinitùs deprimeretur, incurreretque in apertas ruinas. Idem prænuntiavit litteris suis Gregorius Magnus, cùm patriarcha Joannes sibi nomen *universalis* assumpsisset. At Nicolaus Magnus, cùm Photius ausus esset illi cum Græcis obsistere in causâ Ignatii, et ob id à communione eos repulisset, in Epistolâ ad imperatorem Michaelem prædixit fore, ut Græci fierent captivi in omnes gentes tanquàm Judæi. Adnotavit hoc etiam Gennadius patriarcha Constantinopolitanus, qui adjicit adhuc aliud multò magis mirum. Verba illius, quibus alloquitur Græcos, apponam.

Sed quod evenit, inquit Gennadius, nostrâ memoriâ, nunc sub Nicolao V, pontifice maximo, cùm legati à Constantino imperatore, qui vocabatur Dragates, ad eum missi adhuc supersint, quibus litteras dedit plenas timoris et horroris, ubi apertè cum execratione vaticinatur excidium et internecionem extremam infelicium Græcorum. In quibus post alia multa (cùm convicia et probra rescîsset, quæ à Græcis quotidie impudentissimè jactabantur) et hoc dicit : « Omnes gentes decretum quod sancitum est, receperunt ; Græci neque receperunt, neque spes est eos unquàm recepturos, quæ super concordiâ et conjunctione decreta sunt. Procrastinationes enim procrastinationibus semper ab eis prætexuntur, excusationes, et responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, ut non intelligant quæ in singulis dilatationibus respondendo nugantur. Optimè cuncta novimus. Sed toleramus, in Jesum respicientes sempiternum sacerdotem et Dominum, qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium jussit asservari, agricolâ jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam ! » Anno 1451 hanc conscripsit Epistolam, et 1453 capta est Constantinopolis. Num potestis dicere hæc vera non esse? minimè gentium, cùm id sit manifestum, et res ipsa apertè loquatur. « Tres, inquit, annos expectabimus, si vos forsan à schismate et separatione converteritis, et vos verè decreto adjunxeritis, secundùm Salvatoris de ficu præceptum. Sin minùs exscindemini, ne terram otiosam et inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod, ut in Epistolâ ipsâ scribit Nicolaus papa, Græcorum gens illa magna et formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob divinam ultionem in barbarorum servitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari et deplorare excidium gentis nostræ. » Hucusque Gennadius patriarcha Constantinopolitanus, adversùs suos gentiles Græcos, recitans oraculum apertissimum à Nicolao V prolatum, et eventu comprobatum, ipso temporis spatio, quod prænuntiavit.

Id etiam accidit Græcis, ut quando dissidebant à nobis in processione Spiritûs sancti, an esset à Filio et Patre, ipso die secundo Pentecostes, qui Filio est sacer, Constantinopolis caperetur : divino scilicet Spiritu ipsorum obstinatos animos puniente, et eos omninò derelinquente. Quarto namque kalen. junii anno 1453, feriâ secundâ, Constantinopolis est expugnata. Rursùs aliud longè mirabilius observandum. Græci nos excommunicârunt, et pro hæreticis omninò duxerunt, Michaele sedente circiter annum 1053, ut ostendimus supra ; et post annos quadringentos Constantinopolis capta, anno scilicet ut supra. At hic numerus criminum expiationi remissionique datur, ut sciamus ideò Græcos in servitutem divinitùs Turcis datos, quòd crimen adversùs Ecclesiam catholicam patratum non expiârint, intra definitum à divinis Scripturis tempus.

Brigitta femina sanctissima, et Suecica, fuit iis temporibus quibus episcopi Romani Avenione morabantur. Ea cùm Religionis causâ Jerusalem petiisset, et in Cypro mora-

retur, sic audiit Christum loquentem, et ut audiit monumentis mandavit : «Græci qui sciunt, quòd omnes Christianos tenere oportet unam tantùm fidem christianam catholicam, et uni tantummodò subesse Ecclesiæ, scilicet Romanæ; unumque solum vicarium generalem meum in mundo, videlicet Romanum summum pontificem, supra se spiritualem habere pastorem; et tamen nolunt se eidem Ecclesiæ Romanæ, et vicario meo spiritualiter subjicere, et humiliter subjugare, propter eorum pertinacem superbiam et propter cupiditatem, vel carnis petulantiam, sive propter aliquid aliud quod ad mundum pertinet, indigni sunt post mortem veniam à me et misericordiam obtinere. Alii verò Græci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt fidem catholicam Romanam, et tamen si scirent et possent, eam devotè reciperent, et Romanæ Ecclesiæ humiliter se subjugarent, et nihilominùs secundùm ipsorum conscientiam, in statu et fide suâ, quâ sunt, abstinent à peccando, et piè vivunt, istis talibus post ipsorum mortem in suppliciis misericordia mea debetur, quando ipsi ad judicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Græci, quòd eorum imperium, et regna, sive dominia, nunquàm stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subjecti erunt, à quibus sustinebunt gravissima damna, et miserias diuturnas, donec ipsi cum verâ humilitate et charitate, Ecclesiæ et fidei Romanæ se subjecerint.» Hæc Brigitta de Græcis : quibus, an evenerint quæ prædixit, utinam Græci maximo suo malo non experirentur!

Advertant ergo Græci miserabilem calamitatem, in quâ à tot seculis afflicti contritique sunt à Mahometanorum ducibus, transactisque jam tot annis, eodem nunc in statu, et fortassis pejori ac miserabiliori permanent, quasi à Deo reprobati et abjecti, non secùs ac Judæorum populus. Quare nisi ad matris ubera, Ecclesiæ nimirùm Romanæ, revertantur, meritò timendum, nullum suarum calamitatum, sicut neque et Judæorum, sperandum terminum; et quemadmodùm calamitates temporaneæ justis, virtutis explorandæ causâ, ac ob emendationem vitæ, à Deo immitti solent, ita spirituales miseriæ, quales sunt à nobis relatæ, magnam spiritualium bonorum jacturam præ se ferunt, nec tam ad probandam virtutem, quàm ad punienda præterita præsentiaque scelera Deus illas infligit.

Ac denique his Græcorum calamitatibus finem imponam, adducens verba Leonardi Echiensis, theologi Græci ac episcopi Mityleni, qui in libro de Captivitate Constantinopolis, ubi ipse cum aliis captus fuit, Græcorum cæcitatem dolens, ita eos alloquitur : «Heu! quæ spes in populo duro, gravi iniquitate, qui tot annis sine vitâ spirituali abscissus à capite permanebat? Quomodò non desperati, quomodò non abjecti à Deo, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantis scissuris ab Ecclesiâ elongati Romanâ, in cordis duritiâ permanserunt? Etenim jam captivati urbe, templis, auro, laribusque propulsi, in Latinos retorquent offensam, asseverantes : «Quoniam unionem, inquiunt, fecimus, «summoque pontifici communicationem de«dimus, meritò indignatum Deum.» O pertinaces homines! inquio. Si malum est hoc, prisci Basilius, Athanasius, Cyrillus, cæterique Patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quòd sanctam, unam, eamdemque fidem cum Romanâ Ecclesiâ omnium Christianorum magistrâ coluerunt? Non hæc causa est, quòd unionem, sed quoniam unionem non veram, sed fictam fecistis : hâc de re meritò indignatum Deum, hâc de re justâ animadversione in hostium manibus vos esse deductos. An non sponsionem de unione sancto juramento apud Florentinam synodum conscriptam violâstis? obedientiam declinâstis? sententiam decreti occultâstis? an non summi Dei nuntii, ô Græci, vestram perditionem jugiter prædixerunt? quî aures, ut aspis, impiè obdurâstis, et sanctam Ecclesiam catholicam, matrem Fidelium obaudîstis? Flete miserias vestras, arguite vosmetipsos, et non alios condemnetis. Mos obstinatorum hic est, sanctos aspernari Dei nuntios, uti Sedecias, cæterique Judæi in Babyloniam traducti, Jeremiam direptionem captivitatemque Hierosolymorum prædicentem contempserunt.»

ARTICULUS VI.

De communicatione Latinorum cum Græcis, ex bullâ INNOCENTII IV, *pontificis maximi.*

Innocentii papæ IV bulla, seu litteræ ad episcopum Tusculanum, Apostolicæ sedis legatum in regno Cypri, quæ extant in ejus Registro bullarum, pontificatûs sui anno 11, apud bibliothecam Vaticanam, super ritibus Græcorum, qui tolerari vel non tolerari possunt.

« INNOCENTIUS IV, *episcopo Tusculano Apostolicæ sedis legato.* — Sub catholicâ professione fidei, atque cultu consistere ac proficere universos, cæteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquàm acceptabilius pleniori desiderio cupimus, et ad hoc velut operativum salutis præcipuum intimis affectibus anxiùs aspiramus. Hæc, inquam, unio, sive connexio, cordi nostro inæstimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes ejusdem observantiâ fidei in unum acceptabilem in Christo populum adunaret. Id utique anxiæ nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Domini, cùm multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium, et custodiâ communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, et sui luminis illustratione ipsos ad catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris Ecclesiæ ubere fluenta doctrinæ salutaris haurirent; tunc ipsi Ecclesiæ proveniret magnum et desiderabile salutare; tunc ejus uterus sobole geminatâ concresceret; tunc Orientalibus oriretur superna illuminationis aurora; tunc eis claresceret lucifer veritatis; tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo; tunc exultatione nimiâ claresceret totus orbis, quia valdè bonum et jucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare; tunc eadem Ecclesia multiplicatâ lætitiâ novæ jucunditatis canticum personaret.

« Verùm, quia nonnulli Græcorum jamdudùm ad devotionem sedis Apostolicæ redeuntes ei reverenter obediunt et intendunt, licet expediat ut mores ac ritus eorum, quantùm cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientiâ præservemus : quanquàm in iis quæ animarum periculum, parerent, vel honestati ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenùs, nec velimus.

« Sanè inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Nicosiensem, et ejus suffraganeos Latinos ex parte unâ, et episcopos Græcos regni Cypri ex alterâ, de quibusdam certis articulis discordiam et turbationem fore subortam, et eorumdem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, ut meliùs possemus instrui super eis, plenè ac providè per tuas litteras intimâsti, sollicitè requirendo, ut providere super hoc apostolicâ diligentiâ curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuosè receptis, earum seriem, et ipsos articulos ac responsiones easdem et cætera quæ continebantur in illis, unà cum fratribus nostris perlegimus, intelleximus prudentiam tuam, multipliciter in Domino commendantes, et meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

« Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit; 1° ut Græci ejusdem regni in unctionibus, quæ circa baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, et observent. 2° Ritus verò, seu consuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cùm sive fiat, sive non, quantùm ad Baptismi efficaciam, vel effectum non multùm referat, toleretur. 3° Nec refert etiam utrùm in frigidâ, vel calidâ aquâ baptizent, cùm parem vim et effectum in utrâque Baptismum habere, asseverare dicantur. 4° Soli autem episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.

« 5° Singuli quoque episcopi in suis Ecclesiis in die Cœnæ Domini possunt secundùm formam Ecclesiæ chrisma conficere ex balsamo quidem et oleo olivarum. Nam Spiritûs sancti donum in chrismatis unctione confertur, et columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potiùs servare voluerint, videlicet quòd patriarcha unà cum archiepiscopis et episcopis ejus suffraganeis, et archiepiscopi cum suffraganeis suis simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. 6° Nullis autem per sacerdotes, vel confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodò injungatur. Infirmis verò, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

« 7° Porrò in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, vel tepidæ, in altaris sacrificio, suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur, dummodò credant et asserant quòd servatâ canonis formâ, conficiatur pariter de utrâque. Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam usque ad annum, prætextu infir-

morum, ut de illâ videlicet ipsos communicent, non reservent, liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, et non longiori temporis spatio, conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minùs habile ad sumendum, licet veritas et efficacia semper eadem omninò remaneat, nec ulla unquàm diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

« 8° In celebratione verò solemnium, et aliarum missarum, et de horâ celebrandi eas, dummodò in confectione, vel consecratione formam verborum à Domino expressam et traditam observent, et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur. 9° Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, priusquàm officium matutinale compleverint, non præsumant.

« 10° Promovendi verò ad sacerdotium et presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipuè de horis canonicis, et Missarum officiis secundùm distinctionem temporum exsequendis, sint sufficienter instructi, ut ad hæc non nisi digni et idonei admittantur. 11° Cæterùm unusquisque sacerdos in aureo, vel argenteo solùm, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. 12° Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omninò.

« 13° De jejunio verò diei sabbati quadragesimali tempore, quanquàm honestiùs et salubriùs Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent ut nec unico die institutum jejunium violarent, teneant et servent pro libito morem suum. 14° Sacerdotes quoque conjugati, et alii quibus parochiarum cura, vel Ecclesiarum parochialium regimen per episcopos suos committitur, licitè ac liberè possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis, quia cui licet vel conceditur quod est majus, competit nimirùm nec negari convenit, quod est minus; liberum tamen sit ipsis episcopis viros alios idoneos coadjutores et cooperatores habere in audiendis confessionibus, et pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. 15° Ipsisque in his per eorum diœceses absque sacerdotum ipsorum præjudicio, et gravamine committere vices suas, cùm propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, quòd nequeant per easdem diœceses officium suum exsequi per seipsos.

« 16° De fornicatione autem, quam solutus cum solutâ committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenùs ambigendum, cùm tam fornicarios quàm adulteros à regno Dei Apostolus asserat alienos.

« 17° Ad hæc volumus et expressè præcipimus, quòd episcopi Græci septem ordines, secundùm morem Ecclesiæ Romanæ, de cætero conferant : cùm hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.

« 18° Quia verò secundùm Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas et tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenùs, nec condemnent, sed potiùs illas approbent inter personas quæ aliàs licitè ad invicem matrimonio jungi possunt. 19° Secundò tamen nubentes presbyteri nullatenùs benedicant. 20° Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundùm computationem et distinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus, distinctè præcipientes, ut cùm in ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulteriùs non præsumant, statutum in hoc generalis concilii observantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensativè permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

« 21° Denique cùm veritas in Evangelio asserat, quòd si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsenti, quasdam verò in futuro posse seculo relaxari ; et Apostolus dicat, quòd uniuscujusque opus quale sit ignis probabit, et cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, et ipsi Græci verè ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum qui, susceptâ pœnitentiâ, ea

non peractâ, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen et minutis decedunt, purgari post mortem, et posse suffragiis Ecclesiæ adjuvari. Nos, quia locum purgationis hujusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo et proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones et auctoritates sanctorum Patrum *Purgatorium* nominantes, volumus, quòd de cætero apud istos isto nomine appelletur ; illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quæ priùs per pœnitentiam non fuêre remissa, sed parva et minuta purgantur, quæ post mortem etiam gravant, si in vitâ non fuerint relaxata. 22° Si quis autem absque pœnitentiâ in peccato mortali decedit, hic procul dubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuò cruciatur. 23° Animæ verò parvulorum post baptismi lavacrum, et adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinùs transvolant sempiternam.

« 24° Ordinationes demùm, et instituta regularia sanctorum Patrum de vitâ et statu monachorum præcipimus ab abbatibus et monachis Græcis inviolabiliter observari. Fraternitatem itaque tuam hortamur attentè per apostolica tibi scripta mandantes, quatenùs præmissa omnia episcopis Græcis præfati regni seriatim et diligenter exponi facias, districtè ipsis injungens, ut ea sollicitè attendere, studiosè tenere ac efficaciter procurent, et à suis faciant subditis observari. Memoratis autem archiepiscopo Nicosiensi et ejus suffraganeis Latinis firmiter auctoritate nostrâ præcipias, ut eosdem Græcos super præmissis contra hujusmodi provisionem et deliberationem nostram non inquietent aliquatenùs nec molestent. Contradictores eâdem auctoritate appellatione postpositâ compescendo, non obstantibus, si præfatis archiepiscopo et suffraganeis, vel quibuscumque aliis à sede Apostolicâ sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas, plenam et expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem. Datum Lateran. 2 nonas martii anno 11. »

Articulus VII.

De communicatione Latinorum cum Græcis, ex bullâ Clementis P. VIII.

« Clemens VIII, pontifex maximus, quo studio erga universam Ecclesiam, et præcipuè erga Græcos ferebatur, ne qua Deo in administrandis sacramentis injuria fieret, ipsi autem Græci salutem inde consequerentur, per brevem Bullam ad Latinos episcopos, in quorum diœcesibus Græco ritu viventes degant, evulgari jussit, cujus summam affert Possevinus, tomo 1 Appar. Sacr. in addit. verb. *Græci*.

« Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent, et ideò ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba : Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν, etc., usque ibi : Εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου, hoc est : *Et post orationem,* etc. (ubi habetur forma hujus consignationis) usque ad verba : *Postea facit sacerdos figuram circuli,* etc.

« Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos à presbyteris Græcis de facto chrismate in fronte consignatos confirment, et tutiùs videtur, ut cum cautelâ, et sub conditione id faciant (videlicet : N., *si es confirmatus, ego te non confirmo ; sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti*), præsertim verò cum verisimiliter dubitari potest quòd ab episcopis Græcis fuerint baptizati.

« Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, vel saltem quindecim renovetur. Non asservetur idem sacramentum toto anno ; si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

« Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterùm coquendi, vel alias exsiccandi species sacramenti sacræ Eucharistiæ, feriâ quintâ Cœnæ Domini, ut deinde illud asservent. Si Græci velint accipere altaria portatilia ab episcopis Latinis consecrata, benè erit; sin minùs, tolerentur eorum thioni, sive throni, super altaria lapidea ponendi cùm celebrent. Corporalia uti Latini habeant, nisi thionis etiam pro corporalibus utantur.

« In casu necessitatis presbyteri Græci catholici possint Latinos absolvere. Utantur formâ absolutionis in generali concilio Florentino præscriptâ, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro formâ hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt. Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

« Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesiâ, ut illâ fideles aspergantur. Non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab episcopis Latinis diœcesanis accipere, cùm hujusmodi olea ab eis in ipsâ oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab episcopis Græcis externis, schismaticis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

« Ordinati ab episcopis schismaticis, aliàs ritè ordinatis, servatâ debitâ formâ, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem. Proinde ipsi ordinati ab episcopis schismaticis, correcti vel emendati, reconciliandi sunt et absolvendi cum pœnitentiis salutaribus, dummodò errores, vel saltem schisma ordinatoris abjurent in judicio, vel publicè, vel secretò, pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos aliàs ritè susceptis, ministrare non permittuntur, nisi cum ipsis super irregularitate hujusmodi occasione contractâ, auctoritate S. Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum. Non sunt admittendi episcopi schismatici, sive pro ordinibus, sive pro aliis sacramentis conferendis, sed detinendi, quoad sancta sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur. Græci sine litteris dimissoriis episcopi Latini diœcesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt, et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut et Latini. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem à sanctâ sede Apostolicâ obtineri oportet. Si episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à presbytero Græco in baptismo chrismate in fronte facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet : N., *si es confirmatus*, etc., ut supra. Presbyteri vidui, seu uxoribus orbati, habitum ferant diversum ab aliis. Curent ordinarii locorum, ut decretum sacri generalis concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, et in locis et parochiis Græcorum et Albanensium evulgetur et publicetur.

« Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur, et si qua de facto processerunt, nulla et irrita declarent. Maritus Latinus uxoris Græcæ ritum non sequatur. Latina uxor non sequatur ritum mariti Græci. Græci verò uxor sequatur ritum mariti Latini. Quòd si id fieri non possit, quisque conjugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur. Proles sequatur patris ritum, nisi prævaluerit mater Latina.

« Presbyter Græcus conjugatus ante sacrum sacrificium, seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam et per triduum abstineat ab uxore.

Circa alia dogmata Græcorum.

« Græci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronuntiare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oportet etiam pronuntiare.

« Nunquàm monachis Græcis, seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel aliâ justâ causâ. Presbyteri seculares Græci, abjuratis schismate et erroribus, atque in fide catholicâ benè instructi, in parochialibus seu curatis Ecclesiis Græcorum institui possunt.

« Tolerandus est apud Græcos usus carnium die sabbati, ubi sine scandalo fieri potest : in locis tamen ipsorum, et inter eos tantùm. Item tolerandus est, ut ad jejunium eodem die sabbati in Quadragesimâ, excepto uno sabbato sancto, ex antiquâ traditione non teneantur, sed duntaxat ad abstinentiam. In jejuniis biduanis, vel triduanis, vel aliàs à diœcesanis vel Jubilæis à summo Romano pontifice indicatis, dies sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro plebibus Græcis, ab ipsis diœcesanis apostolicâ auctoritate sanctissimi domini nostri Clementis divinâ providentiâ papæ VIII, permittitur commutari. Si ipsi Græci ad observationem jejuniorum et vigiliarum Latinæ Ecclesiæ induci possent, optimum esset ; sed non cogantur, cùm ipsi quâlibet hebdomadâ, et feriâ quartâ, et feriâ sextâ jejunent. Græci existentes inter Latinos, dies festos de præcepto ejusdem Ecclesiæ Latinæ servare tenentur.

« Insuper idem sanctissimus dominus noster constituit Romæ habendum esse episcopum Græcum catholicum, qui Græcos episcopis Latinis Italiæ et insularum adjacentium subjectos, ab episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis, ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinet. Item mandavit ut ad majorem instructionem dominorum

episcoporum Latinorum, imprimantur cum hâc ipsâ Decretales, seu litteræ quædam apostolicæ ad Græcorum ritus pertinentes, ac etiam professio orthodoxæ fidei à Græcis, qui ad unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ veniunt, facienda.

« Ita Sanctitas sua ex sententiâ Congregationis super reformatione Græcorum, decrevit et declaravit, ac fieri mandavit Romæ in palatio montis Quirinalis apud Sanctum Marcum, die 31 mensis augusti, anno Dom. 1595, pontific. sui anno quarto. »

Articulus VIII.

In quibus prœterea aliis casibus liceat Latinis communicare cum Grœcis.

Constat ex supradictis, omnes schismaticos adstrictos esse majoris excommunicationis vinculo : hæc autem excommunicatio lata non erat contra schismaticos aliquo jure antiquo, ut optimè observat abbas in Rub. de Schismaticis, n. 2. Alii verò contendunt schismaticos etiam olim fuisse jure communi excommunicatos; nam c. 1 et 2 de Schismaticis, præcipiuntur vitari schismatici. Cæterùm quidquid sit hâc de re, hodiè omnes schismatici constitutione pontificiâ, quæ in Cœnâ Domini promulgatur, sunt majoris excommunicationis pœnâ ligati.

Quare primum dubium est, an schismaticus sit in universum vitandus à nobis præsertim in divinis, scilicet in sacramentis recipiendis et aliis ministeriis divinis exercendis.—Respondeo schismaticos, eo ipso quo excommunicati sunt, non esse nobis vitandos, quia ob constitutionem in concilio Constantiensi à Martino V editam, usu jam receptum est, duo tantùm excommunicatorum genera esse vitanda, nempe nominatim excommunicatum, et notorium clerici percussorem; quare cum schismaticis, qui non sunt publicè et nominatim excommunicati, licet communicare, non secùs ac si non essent excommunicati, tam in humanis, quàm divinis rebus, ut latiùs infra dicemus, cùm de communicatione cum hæreticis agemus : quæ omnia procedunt etiam à fortiori in schismaticis. Ex quo infertur, Catholicum posse interesse Missæ sacrificiis, quæ faciunt et offerunt Græci, Armeni, Rutheni et alii schismatici, et præceptum divinum de audiendâ Missâ adimplere prædictorum Missam audientem. Ita apertè colligitur ex dictis, et docet Azorius tomo 1, l. 1 Instit. Moral., cap. 3. Et ratio, quia ritus etiam Græcanici in re divinâ et sacrificiis faciendis sunt catholici, à sanctis Patribus traditi, Basilio nempe, Chrysostomo, et aliis, et proinde qui Græcanica sacra audiunt, suo officio et Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. Nam Græci legitimo suo more et instituto sacris operantur, et Ecclesiæ præceptum non est, ut rem divinam audiamus hoc vel illo ritu, sed simpliciter, ut diebus dominicis et festis rem sacram audiamus ; et cùm ex alterâ parte non teneamur vitare schismaticos, nisi nominatim sint excommunicati, aut aliàs scandalum oriatur, fit, virum Latinum posse interesse sacrificiis Græcorum et schismaticorum.

Sed major difficultas est, an à sacerdote vel episcopo schismatico possit quis Sacramenta recipere. Pro parte affirmativâ facit extravagans Martini V, *Ad evitanda,* quæ sine ullo discrimine excommunicatos non denuntiatos docet non esse vitandos, ac si excommunicati non essent; idque plures auctores infra adducendi, ubi de hæreticorum communicatione agemus, tradunt. Pro contrariâ verò parte facit, quòd isti schismatici, in quantum excommunicati nominatim, non sint vitandi, in quantum schismatici sunt separati à communicatione, à jure canonico, et privati jurisdictione, ut constat ex c. 1 et 2 de Schismaticis, et c. Ordin. 9, q. 1. Secundò, quia apertè Clemens papa VIII, in bullâ citatâ oppositam docet sententiam : Ordinati, inquit, ab episcopis schismaticis, aliàs ritè ordinatis, servatâ debitâ formâ, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem; et insuper prohibentur in prædictis ordinibus ministrare, sine dispensatione sedis Apostolicæ. Nec erit sufficiens solutio, si quis dicat loqui hìc de ordinato, qui non sit subditus episcopi : nam illa verba (aliàs ritè ordinatis) hoc etiam includunt. Et confirmatur, quia in eâdem bullâ de sacramento pœnitentiæ dicitur, in casu necessitatis presbyteros Græcos catholicos posse Latinos absolvere, ubi per particulam illam, *catholici,* schismatici videntur excludi, etiam in casu necessitatis, quia eo ipso quòd schismatici sunt, carent jurisdictione, ut infra latiùs dicemus de hæreticis. Quæ sunt notanda pro hâc difficultate, quia quantùm ad hoc, schismatici et hæretici eadem ferè est ratio; unde ex illo loco petenda est hujus dubii solutio.

Secundum dubium, an sacerdos Græcus agens inter Latinos, teneatur se tam Latinorum ritui, quàm propriæ consuetudini conformare, et è contra, de Latino inter Græcos.

—Respondeo : Si loquamur de ritu tam in celebratione Missarum, quàm in aliis divinis officiis, Pius V prohibuit, ne sacerdos Græcus Latino ritu, neque è contra Latinus ritu Græco celebrarent : imò et concilium Florentinum in litteris unionis simpliciter dicit unumquemque sacerdotem debere conficere in fermentato vel azymo juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. Hoc tamen existimo accipiendum de sacerdotibus Latinis et Græcis, quando in eodem territorio sunt conjuncti, vel de sacerdotibus Græcis per Latinam Ecclesiam peregrinantibus, vel de Latinis per Græciam iter facientibus. Si tamen domicilium habeant, vel Latini inter Græcos, vel Græci inter Latinos, tunc meritò potest esse quæstio an teneantur se conformare ritui Ecclesiæ illius in quâ habent domicilium, quia qui habet domicilium in Ecclesiâ Græcâ, censetur jam Græcus, et è contra Græcus in Ecclesiâ Latinâ. Præterea in c. *Ille*, d. 12, dicitur teneri unumquemque se conformare consuetudini Ecclesiæ in quâ actu existit. His rationibus motus pater Suarez, 3 tomo, disp. 44, sect. 3, tenet partem affirmativam; sed contraria sententia probabilior videtur. Nam concilium Florent. et bulla Pii V absolutè præcipit unicuique sacerdotum Græcorum et Latinorum, servare propriæ Ecclesiæ ritum sine ullâ limitatione, et ob id non tenetur se conformare, quantùm ad ritum Ecclesiæ illius, in quâ actu habitat; in aliis verò tenebitur consuetudines et præcepta Ecclesiæ observare.

Ex quibus primò collige, sacerdotem Latinum degentem inter Armenos, Abyssinos vel alios schismaticos, quorum ritus in celebrando sit approbatus ab Ecclesiâ, posse se illorum ritui conformare, maximè quando habet domicilium, quia concil. Florent. et bulla Pii V solùm loquuntur de sacerdote Græco inter Latinos, et de Latino inter Græcos. Et ita non debent extendi ad alias nationes. — Secundò infertur, seculares domicilium habentes in Ecclesiâ Græcâ, vel aliâ schismaticorum, quales sunt nunc Lusitani multi in interiori Æthiopiâ, posse se consuetudinibus accommodare, et debere, maximè si sit scandalum, nisi aliàs vellent ipsi in omnibus Latino more vivere, habeantque ministros Ecclesiæ Latinæ; nam tunc certum est nullatenùs teneri. Pro his tamen et similibus dubiis degentes inter alios schismaticos à Græcis (cum quibus jam ex praxi constat qualiter quis se gerere debeat) ut sciant quid ab ipsis præstandum sit, tam in jejuniorum, quàm dierum festivorum observatione, quàm in eorum ritibus approbandis vel reprobandis, oporteret, ut sedem Apostolicam consulerent.

Articulus IX.

De pœnis schismaticorum, et de eorum absolutione et reconciliatione.

De schismaticorum pœnis, quas Deus justissimè ab eis interdùm solet repetere, non est necesse in præsenti dicere. Exstant in Scripturis aliquot eorum exempla, ut Num. 16, ubi legimus Dathan et Abiron propter illud peccatum fuisse absorptos à dehiscente terrâ. Et constat ex libris Reg., quantis cladibus affectæ fuerint undecim tribus Israel, eò quòd à domo David discessionem fecerunt. De aliis autem pœnis, quibus vel ipso facto, vel per sententiam judicis, possunt affici schismatici, quædam sunt certa apud doctores, et aliquid est controversum. Primò certum est, eos non ita puniri, ut vel amittant ipso facto, vel possint amittere spiritualem aliquam potestatem, consistentem in spirituali charactere Baptismi, vel Confirmationis, vel Ordinis. Nam hæc indelebilis, ut docet 2-2, q. 39, art. 3, D. Thom. et confirmat Turrecremata, l. 4 Sum. part. 1, c. 7, et Sylvester, verbo *Schismatici;* et patet ex Urbano papâ, canone *Ordinationes*, 9, q. 1, qui ordinatos ab episcopis schismaticis censet verè fuisse ordinatos. Et ex August., l. 6 de Baptismo contra Donatistas, c. 5, ubi ait : « Potest sacramentum tradere separatus, sicut « habere. »

Secundò, certum est privari tamen ipso facto schismaticos facultate utendi rectè et legitimè ejusmodi potestate characteris, seu privari ejusmodi potestate, quoad ejus essentiam, quoad usum, nimirùm legitimum, ait D. Th., art. 3. Non enim possunt schismatici rectè et absque peccato uti ejusmodi potestate. Quo sensu asserit D. Thom. et Turrecrem., ubi supra, debere intelligi quædam Patrum, seu pontificum testimonia, quibus indicari videtur amitti per schisma potestatem etiam ordinis sive consecrationis. Oportet enim id intelligi quoad usum legitimum : ut quando Patres concilii Lateranensis sub Innocentio III, cap. 1, extravag. de Schismat. aiunt : « Ordinationes ab Octaviano et Guidone hæresiarchis factas, irritas esse censemus. » Quod etiam dicit Urbanus in can. *Ordinationes*, 9, q. 1. Debet enim intelligi quoad executionem

carum legitimam, ut ibi etiam exponit Glos., addens, nisi cum eis fuerit dispensatum, vel nisi ordinatus probare posset, nescivisse se fuisse schismaticum eum episcopum, à quo accepit Ordinem, aut habuisse legitimam dispensationem accipiendi Ordines à schismatico, ut ait Innocentius III, in cap. *Paternitate*, extrav. de Schismaticis.

Tertiò, certum est præter excommunicationem, quam supra schismaticos diximus incurrere, si ab eâ non resipiscant, posse ulteriùs puniri, nimirùm per censuram depositionis, ut patet ex can. *In nomine Domini,* d. 23, et notat, ubi supra, Turrecrem. Et si nec per depositionem emendentur, pœnis etiam corporalibus, auxilio brachii secularis, ut fieri jubet Pelagius pontifex in can. *de Liguribus*, 23, q. 5, et docet D. Th. 2-2, q. 39, art. 4, ad 3. Atque etiam possunt privari à pontifice potestate et dignitate temporali.

Quartò, schismaticus præter pœnas prædictas, alias etiam incurrit. Est enim irregularis, ita ut etiamsi Ecclesiæ per absolutionem et veram pœnitentiam fuerit reconciliatus, ad beneficia et Ordines promoveri non potest, sine pontificis dispensatione, ut colligi videtur ex c. *Quâ diligentiâ*, de elusione, ubi Hostiensis abbas, et Joannes Andræas idem censent. Hanc verò irregularitatem non contrahi à schismatico occulto, sed tantùm manifesto, quidam affirmant. Alii verò in contrarium docent etiam ab occulto contrahi. Sed probabilior videtur prima sententia, ut optimè ostendit Gregor. de Valentiâ, 2-2, disp. 3, q. 15, puncto 3.

Sed petes an schismatici presbyteri et episcopi careant Ordinis potestate, an tantùm Jurisdictione. Respondet S. Th. 2-2, q. 39, art. 3, schismaticos jurisdictione carere: « Non « possunt, inquit, absolvere, nec excommu- « nicare, nec indulgentias concedere. » Sic ille; et ita nequeunt eâdem ratione eligere, beneficia conferre, leges sive constitutiones dare, vel ponere. Unde si quos absolvant vel eligant, absolutio seu electio rata non est, et proinde iteranda: habere tamen, ait S. Th. potestatem sacram Ordinis: quare episcopus schismaticus verè conficit et consecrat Eucharistiam, verè confirmat, verè ordinat; cùm aliquos ad ecclesiasticos Ordines eligit ac promovet, ab eo verè Ordinis characterem recipiunt, non tamen Ordinis usum et functionem; quoniam sunt ipso jure suspensi, si scienter à schismatico episcopo ordinentur. Pari aut simili ratione, si episcopus schismaticus altaria, vasa, aut templa consecrat, ratum est quod facit, quia hæc sunt Ordinis, non jurisdictionis, quamvis episcopo ex Ecclesiæ auctoritate conveniant.

Si quæras utrùm hæc pœna, quâ schismatici jurisdictione privantur, locum habeat generatim in omnibus schismaticis, quidam aiunt hanc schismaticorum pœnam, quâ jurisdictione privantur, locum habuisse ante concilium Constantiense, in omnibus manifestis et notoriis schismaticis, non occultis; modò verò post illud, solum locum habere in iis qui sunt expressim et nominatim denuntiati aut manifesti percussores clericorum. Aliis probabilius videtur, universè schismaticos, quatenùs tales sunt, jurisdictione ecclesiasticâ privatos esse, eò quòd sunt extra Ecclesiam, quia ipsi se ab Ecclesiâ diviserunt.—Respondeo: Si schismaticus sit toleratus, et communi errore populi habitus pro legitimo, non videtur dubium, quin omnes actus jurisd. aliàs requirentes, sint validi, ut infra dicemus etiam de hæreticis. Si verò presbyter vel episcopus sit manifestus schismaticus, tunc aliqui dicunt, non valere gesta per ipsum, illa, inquam, quæ requirunt jurisdictionem. Aliis verò placet, valere omnia in casu quo schismaticus non sit nominatim excommunicatus, vel manifestus clerici percussor; sed verior et securior prima est sententia.

Sed quæres, quam juris pœnam incurrat, qui ad Ordines vel alia ecclesiastica beneficia à schismaticis promovetur. — Respondetur: Si sciens esse schismaticum et excommunicatum, spontè suscepit ab eo sacramentum Ordinis, manet irregularis et suspensus ab executione illius Ordinis, quem suscepit, et indiget dispensatione sedis Apostolicæ; si verò beneficia ecclesiastica, privatur illis; ita colligitur ex c. 1 de Schismaticis, et ex bullâ Clem. VIII supra adductâ. Si tamen cum ignorantiâ quis fuerit ordinatus, dispensat episcopus in irregularitate: ita post Navar. docet Greg. de Valentiâ, 2-2, in 3 p. disp. 7, q. 19 de Irregul., puncto 3.

Ultimò dubitatur an ab excommunicatione et aliis pœnis liberi sint schismatici, qui ignorantiâ invincibili schismati Græcorum inhærent. — Breviter dico, certum esse pœnas prædictas non incurrere, nec in interiori, neque exteriori foro; ut clariùs patebit ex his quæ infra dicemus, tractantes de hæreticorum pœnis.

Quâ verò ratione schismatici sint absolvendi et reconciliandi cum Ecclesiâ, dicemus infra, cùm de absolutione hæreticorum disseremus, tum quia schismatici majori ex parte hæretici sunt; tum etiam quia etsi schismatici tantùm inveniantur, eorum absolutio reservata est etiam sedi Apostolicæ, ut patet ex bullâ Cœnæ Domini.

Illud tamen est advertendum, quòd quamvis schismaticorum absolutio sit reservata, sicut et hæreticorum, in eorum tamen absolutione non sunt tot tantæque circumstantiæ observandæ, sicut in absolutione hæreticorum. Oportebit tamen primò, ut antequàm absolutionis beneficium accipiant, publicè vel privatè fidei professionem juxta sequentem formulam à sede Apostolicâ exhibitam, faciant.

Articulus X.

Professio orthodoxæ fidei à Græcis facienda, Gregorii XIII pontificis maximi jussu edita.

Ego (N.) firmâ fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: « Credo in unum Deum Patrem « omnipotentem factorem cœli et terræ, visi« bilium omnium et invisibilium. Et in unum « Dominum Jesum Christum Filium Dei unige« nitum; et ex Patre natum ante omnia secula. « Deum de Deo, lumen de lumine, Deum « verum de Deo vero. Genitum, non factum, « consubstantialem Patri, per quem omnia « facta sunt. Qui propter nos homines et « propter nostram salutem descendit de cœlis. « Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ « Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam « pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepul« tus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm « Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad « dexteram Patris. Et iterùm venturus est cum « gloriâ judicare vivos et mortuos; cujus re« gni non erit finis. Et in Spiritum sanctum « Dominum et vivificantem, qui ex Patre Fi« lioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul « adoratur et conglorificatur; qui locutus est « per prophetas. Et unam sanctam catholicam « et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum « baptisma in remissionem peccatorum. Et « expecto resurrectionem mortuorum. Et vi« tam venturi seculi. Amen. »

« Credo etiam, profiteor, atque suscipio ea omnia quæ sacra œcumenica synodus Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ definivit et declaravit: videlicet quòd Spiritus sanctus à Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio; et ex utroque æternaliter, tanquàm ab unico principio et unicâ spiratione procedit. Cùm id quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundùm Græcos quidem, causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritûs sancti, sicut et Patrem. Cùmque omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem; hoc ipsum quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, *Filioque,* explicationem, veritatis declarandæ gratiâ, et imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

« Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari; et ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item sanctam Apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere;

et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in Actis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

« Insuper profiteor ac recipio alia omnia quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis synodi Tridentinæ sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit, atque præscripsit, ut sequitur. — Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissimè admitto et amplector. — Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquàm, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. — Profiteor quoque septem esse verè et propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre : et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. — Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. — Omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosanctâ Tridentinâ synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

« Profiteor pariter in Missâ offerri Deo verum et proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter et substantialiter corpus et sanguinem unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. — Fateor etiam sub alterâ tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. — Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

« Firmissimè assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. — Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

« Sanctam catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

« Cætera item omnia à sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipuè à sacrosanctâ Tridentinâ synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesiâ damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

« Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantùm in me erit, curaturum. — Ego idem (N), spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

CAPUT III.

DE RUTHENORUM RELIGIONE ET UNIONE CUM SEDE APOSTOLICA.

ARTICULUS UNICUS.

De Ruthenis tempore Clementis papæ VIII ad sedis Apostolicæ communionem admissis, et de formâ quâ fuère recepti.

Ruthenorum populi (quos antiquo vocabulo Russos appellant scriptores) ad unionem Apostolicæ sedis recepti fuerunt à Clem. VIII, pontifice maximo, ut latiùs cardinalis Baronius ad calcem 7 tomi Annalium præcipuâ appendice adjecit. Ejus etiam unionis meminit Anton. Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Rutheni*. At quoniam ille decretum duntaxat deliberationis archiepiscopi et episcoporum Ruthenorum in suâ synodo factâ de susci-

piendâ communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et eorumdem ad summum pontificem litteras; hìc verò tantùm alias synodi circumstantias enumerant, nos aliquid pleniùs hùc inferemus. Quare primò de synodo à Ruthenis celebratâ et decreto in eâ edito; secundò de litteris ad summum pontificem ac de articulis sive conditionibus à Ruthenis propositis; tertiò de communione ipsâ à sede Apostolicâ concessâ dicemus.

Primò igitur, anno Domini 1594, die 2 mensis decembris, Brestensis synodus celebrata est Brestæ, quæ civitas est sita in magno ducatu Lituaniæ, qui ad regnum Poloniæ pertinet. Ea indicta est jussu Clementis VIII, pontificis maximi, felicis recordationis, cui quæ decernenda erant, proposita fuerant ab episcopis, qui illùc convenire debebant. Tria fuerunt ob quæ hæc synodus fuit coacta. Primum, ut Rutheni episcopi convenientes in unum cum Latinis episcopis legitimè id facerent, quandoquidem sciebant illegitima esse concilia, quæ sine vicarii Christi auctoritate indicerentur aut haberentur : ea verò, de quibus erat agendum, ad sanctæ catholicæ fidei professionem edendam spectarent, rejecto omni schismate ac novis hæresibus quæ passim succreverant, dùm ab Ecclesiæ unitate secesserant. Secundum, ut decernerentur legati Ruthenorum, qui nomine omnium ad pontificem maximum ad urbem proficiscerentur, ipsi ac successoribus ejus omnem delaturi obedientiam, tanquàm supremo omnium in Ecclesiâ pastori. Tertium, ut ab eodem pontifice maximo absolutionem à schismate consequerentur. Neque ampliùs communionem cum patriarchâ Constantinopolitano haberent, donec ille quemadmodùm antiqui olim episcopi Constantinopolitani, S. Joannes Chrysostomus, et alii orthodoxi atque catholici faciebant, primatum Apostolicæ sedis, qualis à Christo Domino fuit institutus, agnosceret ac profiteretur.

Accessit auctoritas nomine pontificis maximi à Stanislao Karncovio Gnesnensi archiepiscopo, primate totius regni, et legato nato collata. Interfuêre nomine ejusdem summi pontificis et aliorum Latinorum episcoporum, Demetrius Solicovius archiepiscopus Leopoliensis, Bernardus Macieovius tunc Luceoriensis, nunc archiepiscopus Gnesnensis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, Stanislaus Gomoslincius episcopus Chelmensis. Pro Ruthenis autem metropolitanus Kioviensis et Haliciensis, totiusque Russiæ, Michael Rabiosa; Hypatius primas Ulodimiriensis et Brestensis, Cyrillus Terlecius exarcha Luceoriensis et Ostroviensis, Hermogenes archiepiscopus Polocensis et Vitepcensis, Joannes Hohol Pinscensis, Turoniensis, Dionysius Sbievoius, et Belscensis Uladicæ, sive episcopi ritûs Græci. Præterea plures Latini sacerdotes, et Rutheni, qui dicuntur poppi, sed qui extra episcoporum ordinem starent. Affuêre pro serenissimo rege Poloniæ Sigismundo hujus nominis tertio, legati Nicolaus Radivilius, dux in Olicâ, et Niessuvii, palatinus Trocensis, Leo Sapihea Lituaniæ cancellarius, Demetrius Halecius ejusdem magni ducatûs Lituaniæ thesaurarius, idemque capitaneus (ut vocant) Brestensis, ut regiæ majestatis auctoritate curarent, ne fortè vis et tumultus ab hæreticis et aliis factiosis hominibus synodo intentaretur; sed sua synodo et ecclesiasticis libertas integra constaret, in dicendo ac in decernendo. Porrò nobilitas frequens catholica cum eisdem legatis regiis haud defuit.

Atque Satanas, omnis pacis et unitatis acerrimus osor, incitaverat Arianorum et aliorum hæreticorum animos, ut tantæ rei obsisterent. Quamobrem contra mandatum regium, nullâque fulti auctoritate, plurimi convenêre armati, qui palatino Kioviensi hæretico adhærebant, et quo conscio, abnuente, pertractis etiam in suas partes duobus schismaticis Uladicis Luceoriensi et Premisliensi, et aliquibus poppis, conventicula habebant, ut legitimam synodum interturbarent ac scinderent; quod tamen efficere nequiverunt. Gravissimâ enim legati regii ad eos oratione, non tam persuasi, quàm absterriti, licet in suâ pervicaciâ obfirmati hæretici, quæ à rege petierant, obtinere non potuerant, perstitêre tamen in nectendis dolis, falsisque calumniis objiciendis, quibus synodi auctoritatem statutamque unionem impedirent ac deprimerent.

At ea quæ à regiâ majestate ante aliquot hebdomadas petierant palatinus Kioviensis, et nobilitas Voliniensis, per Matthiam Malinum et Laurentium Britinium nobiles ad regem allegatos, hæc fuerant : In primis, ut nemo armatus, neque cum militari manu ad eam synodum veniret, paxque et securitas ob libertatem mutuorum colloquiorum integra foret. Deinde, ut cuivis eò accedere liberum esset, quamvis à Græcæ et Romanæ Religionis hominibus essent in fide alieni. Præterea, ut synodo interesse posset Nicephorus Græcus,

qui cùm Stephano palatino in Moldaviâ captus, ex carcere arcis Chocimienum aufugerat. Denique, ut nisi in synodo convenirent, possent cum eâ controversiâ ad generalia comitia regni confugere. Sed ad hæc postulata in scripto, quod sigillis regiis authenticè munitum legati regii ostenderunt, ejusmodi datum est responsum.

Primum postulatum non modò concedit rex, verùm etiam ita fieri omninò mandat, ideòque legatos suos ad synodum mittit, ut omnia pacificè et cum magnâ ecclesiasticorum libertate synodus possit absolvi. Alterum verò, de hæreticis ad synodum admittendis, ejus majestas recusavit, quandoquidem synodus indicta erat ad Ruthenos græcosque cum Catholicis uniendos, ut in publicis regiis litteris habetur. Tertium item postulatum nullo modo regia majestas concedere voluit, designans quis et qualis esset iste Nicephorus, quippe qui Stephanum palatinum adduxisset in Moldaviam, secretosque cum Turcis tractatus habuisse, in regni totius ac reipublicæ detrimentum : proinde nemini fas esse cum homine adeò suspectæ fidei quidquam agere. Quartum denique postulatum eâdem ratione detrectavit, inquiens, aliud esse synodum Ecclesiasticorum, aliud regni comitia, in quibus ecclesiastica negotia neque judicium ullum, nec locum habent, nisi quatenùs libertati ecclesiasticæ patrocinium omne procuretur et detur.

Hæc cùm legati regii objecissent, ac hæreticos et schismaticos acriter reprehendissent, quòd synodum impedire satagerent, conventicula verò sine illâ regiâ auctoritate cogerent, et sub specie impiæ confœderationis id sibi licere dictitarent, de patriarchatu Constantinopolitano, qui simoniacè à Turcis emeretur, pluribus argumentis indicârunt maledictionem, quam sedes illa habet, ut unus alterum majore pecuniâ persolutâ de sede dejiciat : unde nonnunquàm contingat duos, sive tres simul esse patriarchas, sponsamque illam tres interdùm simul habere maritos, sicque adulteram cum adulteris manere. Sacerdotes autem, et monachos, atque igumenos passim Christi Domini fide abjuratâ Turcicam sectam amplecti, atque per exteras regiones vagantes Christianos, eorum consilia per summam perfidiam prodere : hùc item ad Russiæ partes passim venire cum fictis à patriarchâ litteris, falsisque sigillis appensis. Denique, ut alia interim omittam, in præfatis comitiis quid fuerit circa illa tria quæ fuerunt proposita sancitum, sequenti scripturâ significârunt.

Decretum deliberationis et conclusionis reverendissimorum dominorum archiepiscopi, et episcoporum Ruthenorum, de recipiendâ et suscipiendâ communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum die secundâ mensis decembris, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto.

« In nomine sanctæ vivificantis et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Nos infra nominatæ personæ, qui huic scripto nostro subscripsimus, notum facimus, quòd introspicientes diligenter vocationem et officium nostrum, quod est hujusmodi, ut nosmetipsos et hominum christianorum gregem ovium Christi nobis à Christo commissum, ad concordiam et unionem promoveremus, prout nos Salvator noster Christus Jesus edocuit, eamque doctrinam sanguine suo obsignavit : ac potissimùm his infelicissimis temporibus nostris, quibus multæ ac variæ hæreses inter homines grassantur, ob quas plurimi recedentes à verâ et orthodoxâ fide christianâ, legem nostram deserunt, et ab Ecclesiâ Dei, veroque in Trinitate illius cultu se ipsos separant. Quod non aliâ de causâ accidit, quàm ob dissensionem nostram cum dominis Romanis, cum quibus cùm simus unius Dei homines, et tanquàm unius matris sanctæ Ecclesiæ catholicæ filii, ab iis divisi sumus, unde mutuo auxilio præsidioque invicem nobis prodesse nequimus. Et quamvis assiduè Deum pro unione in fide orationibus nostris precemur, nihilominùs quonam pacto hæc unio inter nos stabiliatur aliquando, nunquàm nobis seriò curæ fuit, spectando semper superiores nostros, et expectando si de hâc ipsâ unione inciperent esse solliciti.

« Verùm cùm nostra spes hâc in re, ut hoc eorum curâ et studio perfici possit, in dies minuatur, non ob aliam rem quàm quòd isti servitute paganorum oppressi, etiamsi fortassè vellent, non possunt, igitur ex inspiratione Spiritûs sancti, cujus hæc sunt opera, et non hominum, considerantes cum ingenti dolore nostro, quanta impedimenta homines habeant ad salutem, absque hâc unione Ecclesiarum Dei, in quâ incipiendo à Christo Salvatore nostro, et à sanctis illius Apostolis prædecessores nostri perstiterunt, ac unum summum pastorem primumque antistitem in Ecclesiâ Dei hic in terris (prout eâ de re concilia et canones manifestos habemus) et non quempiam alium præter sanctissimum papam Ro-

manum profitebantur, illique parebant in omnibus : ac quamdiu id uniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesiâ Dei ordo, cultûsque divini incrementum fuit ; inde consecutum est, ut difficillimum foret hæreticis sua disseminare prava dogmata. Postquàm autem multi superiores esse cœperunt, eam sibi auctoritatem potestatemque arrogantes, nunc clarè cernimus ad quantas discordias et schismata ob pluralitatem superiorum Ecclesia Dei devenit : ex quo fit, ut hæretici tantas sumant vires.

« Itaque nolentes, ut conscientiæ nostræ tanto pondere aggravarentur, si animarum salus multarum ob eas in Religione discordias diutiùs periclitaretur (licet hâc ipsâ de re nos prædecessoresque nostri meditati fuerint, idque tentaverint) videntes institutum concilium intermissum esse, proposuimus, auxiliante Deo, mutuo ipso vinculo nos ipsos ad prosequendum hoc negotium excitare et confirmare, ut, quemadmodùm antea, eodem labio, et eodem corde possemus laudare et glorificare venerandum et magnificum nomen Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, cum fratribus nostris charissimis dominis Romanis, permanentes sub eodem pastore visibilis Ecclesiæ Dei, cui hæc præminentia semper debebatur. Quocirca id nobis mutuò promittentes coram Deo, quantùm in nobis fuerit, corde sincero et candido, ac diligentiâ in hujusmodi negotio necessariâ ac debitâ nos omnem daturos operam spondemus in communi, et quilibet per se, adhibitis mediis convenientibus, ut fratribus nostris ecclesiasticis communique plebi ad ineundam unionem et concordiam simus auctores, idque divinâ adjuvante gratiâ perficiamus. Ut autem majus incitamentum ad finiendum habeamus, quòque major à nobis cura et sollicitudo impendatur, scriptum præsens conficimus, quo sinceram promptamque voluntatem nostram, ad amplectendam cum Ecclesiâ Romanâ unionem et consensum testamur. Et Deus omnipotens largitor omnium bonorum auctorque, ad concordiam sit dux et protector tam sancti negotii hujus, cui uti corda nostra, ita et eam voluntatem præsenti scripto testantes, manu propriâ subscribimus : salvis tamen et in integrum observatis cæremoniis et ritibus cultûs divini peragendi, et sanctorum Sacramentorum, juxta consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, correctis tantummodò iis articulis, qui ipsam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt. Datum anno Domini millesimo quingentesimo, nonagesimo quarto, die secundâ decembris. »

(*Locus sigillorum.*)

Deinde sequuntur subscriptiones, videlicet : « Michael metropolita Kioviensis Haliciensis, et totius Russiæ, manu propriâ. — Ipaiton Dei gratiâ protothronius episcopus Vulodimiriensis, Brestensisque, manu propriâ. — Cyrillus Terlezcki exarcha metropolita Kioviensis, episcopus Luceoriensis Ostrosiensisque, manu propriâ. — Gregorius nominatus archiepisc. Uladika Polocensis, Vitelscensisque, manu propriâ. — Dionysius Zhruiski episcopus Chelmensis Belsensisque, manu propriâ. — Leontius Pelezizki episcopus Pinscensis Turoviensisque, manu propriâ. — Jonas Hohol archimandrita Kobrinensis Ecclesiæ S. Salvatoris, manu propriâ. — Idem Jonas nominatus episcopus Pinscensis Turoviensisque, manu propriâ hanc concordiam fratrum meorum subscripsi. »

Cùm hæc statuissent in sequentem annum, ubi primùm per temporis opportunitatem licuit, honorificam ad Romanum pontificem decernunt legationem, duobus ad id muneris obeundum electis legatis episcopis, quibus ad eumdem ejusmodi litteras dederunt :

Litteræ dominorum archiepiscopi Kioviensis et aliorum episcoporum Ruthenorum ad S. D. N. Clementem papam VIII, super eorum unione cum sanctâ Ecclesiâ Romanâ, datæ die 12 junii, anno Domini 1595, Latinè versæ.

« Sanctissime pater, domine et pastor supreme Ecclesiæ Christi, D. clementissime. Repetentes memoriâ consensum in omnibus atque unionem Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ, quam majores nostri sub obedientiâ et regimine sanctæ sedis Apostolicæ Romanæ coluerunt; ex alterâ verò perpendentes animi dissensiones et schismata quæ hodie invaluerunt, non potuimus propterea non maximo dolore affici, deprecabamurque assiduè Dominum, ut nos aliquando in unitatem fidei aggregaret, expectantes si fortè superiores et pastores nostri Orientalis Ecclesiæ, sub quorum obedientiâ hucusque fuimus, de ineundâ unitate et concordiâ quam in liturgiis quotidie à Deo efflagitant, cogitare seriò atque diligenter in eam rem et curam incumbere vellent. Sed cùm videremus frustra tale quidpiam sperari ab illis, non tam malevolentiâ et temeritate fortassè eorum, quàm quòd sub gravissimâ

servitutis jugo crudelissimi tyranni et à Religione christianâ alieni gemant, tentare id quod maximè vellent, nullo modo possunt; nos nihilominùs qui in his partibus sub dominio serenissimi Poloniæ et Succiæ regis et magni ducis Lituaniæ constituti sumus, liberisque nobis esse propterea licet, attendentes officium nostrum, neque nobis ipsis et ovibus gregis Christi, quarum cura ad nos spectat, obesse, conscientiasque hâc in parte nostras, tot animarum interitu, qui ex dissensionibus his provenit, gravare nolentes, adjuvante Domino, ad unionem, quæ antea inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam viguit, inque Florentinâ synodo ab antecessoribus nostris constituta est, accedere decrevimus : ut vinculo hujus unionis adstricti sub obedientiâ atque regimine sanctitatis vestræ, uno ore et corde glorificemus et laudemus omnes divinissimum et sanctissimum nomen Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.

« Ac proinde sciente volenteque domino nostro Sigismundo III Dei gratiâ Poloniæ et Sueciæ rege, magnoque duce Lithuaniæ, cujus etiam singulare ac sapientissimum studium in hâc re enituit, mittimus ad sanctitatem vestram charissimos fratres nostros reverendos in Christo Hypatium Pociei protothronium atque episcopum Vulodimiriensem, Brestensemque, et Cyrillum Terlezcki exarcham atque episcopum Luceoriensem, Ostrosiensemque; quibus mandavimus, ut sanctitatem vestram adeant, ac (si quidem sanctitas vestra administrationem Sacramentorum, ritusque et cæremonias Orientalis Ecclesiæ integrè, inviolabiliter, atque eo modo quo tempore unionis illis utebamur, nobis conservare confirmareque pro se et successoribus suis nihil in hâc parte innovaturis, unquàm dignetur) suo et omnium nostrûm, archiepiscopi et episcoporum, totiusque ecclesiastici nostri statûs, et ovium commissarum nobis divinitùs nomine, sedi sancti Petri, et sanctitati vestræ, uti summo pastori Ecclesiæ Christi, debitam obedientiam deferant. Quæ omnia petita à nobis si obtinuerimus, sanctitati vestræ cum omnibus successoribus suis, nos et successores nostri dicto audientes, subque regimine sanctitatis vestræ semper esse volumus, in quorum majorem fidem litteras præsentes manibus nostris subscripsimus atque munivimus sigillis. Datum ex regno Poloniæ et magno ducatu Lithuaniæ die 12 junii, anno Dom. 1595, juxta kalendarium vetus, sanctitatis vestræ

« Humillimi apud Deum oratores et servi. »

Subscriptiones cum sigillis.

Qui igitur missi sunt episcopi legati, postquàm Romam pervenêre, honorificè excepti à summo pontifice legationem publicè exposuerunt. Inter alia verò ante fidei professionem ab ipsis suæ gentis nomine emittendam sequentes articulos pro unione perficiendâ proposuerunt, quos priùs apostolico nuntio Russiæ obtulerunt.

Articuli sive conditiones, quas nos Adamus Wlachimensis et Cyrillus Luceoriensis Wladicæ, nostro ac confratrum nostrorum nomine, à catholicâ Romanâ Ecclesiâ, priusquàm ad ipsius unionem accedamus, requirimus :

« Cùm inter Romanæ et Græcæ Religionis atque fidei homines de processu Spiritûs sancti contentio sit, quæ unionem et consentionem plurimùm impediat, et non aliam penè ob causam, quàm quòd mutuò inter se intelligi nolimus. Postulamus itaque ne ad aliam confessionem stringamur, sed sequamur, quam in Evangelii et doctorum sanctorum religionis Græcæ scriptis traditam habemus; nimirùm Spiritum sanctum non ex duobus principiis nec duplici processu, sed ex uno principio veluti ex fonte, ex Patre per Filium procedere, secundùm illud prout in concilio Florentino Patres religionis Græcæ suffragiis suis comprobârunt et attestati sunt in hæc verba : Occidentalium et Orientalium sanctorum scripta diligenter auscultavimus, quorum alia Spiritum sanctum *ex Patre Filioque,* alia verò *ex Patre per Filium* procedere testantur. Quæ quidem omnia tametsi significent idem, nos tamen illud, *ex Filio,* postponentes Spiritum sanctum *ex Patre per Filium* ab æterno substantialiterque, ut ab unico principio, vel ab unicâ causâ procedere profitemur : quandoquidem præpositio, *per,* in Spiritûs sancti processione causam significat.

« Cultus divinus omnesque orationes matutinæ, vesperæ et nocturnæ, ut nobis integræ constent secundùm morem et consuetudinem receptam Orientalis Ecclesiæ, nominatim verò liturgiæ tres, Basilii, Chrysostomi, Epiphanii, quod fit tempore quadragesimali cum præsanctificatis donis. Similiter et aliæ omnes cæremoniæ Ecclesiæ nostræ, quibus hucusque usi sumus, siquidem et Romæ sub obedientiâ summi pontificis idem observatur.

« Sacramenta sanctissimi corporis et sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, ut nobis

ita, quemadmodùm hucusque usi fuimus, sub utrâque specie panis et vini, temporibus perpetuis integrè inviolabiliterque conserventur. —Sacramentum Baptismi et forma ipsius, ut nobis integrè, prout in hunc usque diem durat, sine omni additamento constet. — De purgatorio nullam litem movemus, sed volumus doceri ab Ecclesiâ sanctâ Romanâ.

« Calendarium novum, si secundùm morem antiquum fieri possit, suscipiemus, verùm eâ conditione, ut festa Paschæ et aliorum sanctorum ritùs nostri, quemadmodùm durante concordiâ fuerunt, integra ac inviolata nobis constent et maneant: habemus enim nonnulla festa peculiaria, quibus Romana Ecclesia caret, utpote pro die sextâ januarii, quâ anniversariâ celebritate repræsentamus baptismum Jesu Christi ad primam revelationem Dei in Trinitate unius, quod nostri vulgò *Thohozia vulznie,* ac si dicas, *divina revelatio*, vocant: ad cujus diei adventum solemnes cæremonias habemus circa benedictionem aquæ. — Ad processionem pro festo Corporis Christi faciendam ne adigamur: hoc est, ne simili ratione processionis cum Sacramento faciendæ nobis necessitas imponatur, quandoquidem apud nos alius est modus et usus Sacramentorum. — Tum et ante festum Paschæ, ad consecrationem ignis, ac etiam pulsationem asseribus compactis loco campanæ, et alias cæremonias, quibus hucusque caruimus, ne compellamur; quin potiùs secundùm ritum et consuetudinem Ecclesiæ nostræ integrè conserventur. — Matrimonia sacerdotalia, ut integra constent exceptis bigamis.

« Propter litteras confirmationis Romam ut episcopi ritùs Græci non mittant, sed cùm aliquem sacra regia majestas in episcopatum nominaverit, metropolita sive archiepiscopus more antiquo unumquemque ejusmodi consecrare debet. Nihilominùs tamen ipsemet metropolita, qui huic ipsi officio metropolitæ successurus, propter litteras confirmationis ad pontificem maximum mittere debet, quemadmodùm allatis confirmationis Româ litteris, episcopi ritùs Græci duo aut ad summum tres suo jure consecrent et benedicant: si verò aliquem episcopum in metropolitam succedere contigerit, is propter sacræ litteras mittere non debet, quandoquidem jam habeat litteras sacræ per dignitatem episcopalem, saltem obedientiam summo pontifici coram reverendissimo archiepiscopo Gnesnensi, non tanquàm coram archiepiscopo, sed tanquàm coram regni primate præstare potest. Et ut major penes nos esset auctoritas, et ovibus nostris majori venerationi et observantiæ essemus, contendimus à summo pontifice, velit benignè ad sacram regiam majestatem dominum nostrum clementissimum et ordines regni, tam spirituales quàm seculares intercedere, ut in ordine senatorio locum habere possemus, idque ob multas justasque causas: siquidem æqualem dignitatem et officium cum ritùs Romanæ Ecclesiæ episcopis gerimus. Eam potissimùm ob causam, cùm aliquis nostrûm super dignitatem senatoriam juramentum præstiterit, procul dubio et super obedientiam summo pontifici juramentum præstare potest, ne etiam dissidium tale fiat, quale post obitum Isidori cujusdam metropolitæ Kioviensis quondam factum fuit. Idque eam ob causam cùm episcopi ritùs Græci nullâ jurisjurandi religione tenerentur, atque locorum intervallo disjuncti facilè ab unione in synodo Florentinâ factâ defecerunt; sed cùm juramento senatorio obligatus fuerit, difficile, ut quispiam de dissidio et dissensione quidquam moliri audeat.

« Litteræ ad comitia regni generalia et particulares conventus, ut ad nos mittantur. — Ad cæremonias et religionem Romanæ Ecclesiæ profitendam nemo adigatur et astringatur: siquidem omnes unum erimus sub obedientiâ unius pastoris Ecclesiæ Dei. — Matrimonia inter Romanæ et Græcæ religionis homines libera sint, nec personæ matrimonio junctæ invicem ad capessendam religionem sese compellant. — Archimandritæ Humiani monachi vulgò *Chernoii*, et cœnobia illorum ut secundùm morem et consuetudinem antiquam sub obedientiâ et potestate episcoporum in cujuslibet diœcesi sint. — Pulsationes campanarum in templis nostris pro die veneris S. prohibeantur et vetentur. — Cum sacratissimo Sacramento ægrotos secundùm morem et consuetudinem nostram ut liberum sit nobis publicè visitare, tum et cum processionibus diebus festis atque solemnibus sine omni impedimento progredi. — Monasteria et templa nostra quæ ad hanc præsentem unionem in nostro ritu et religione perseverârunt, ne ad templa religionis Romanæ convertantur. — Si quis etiam pro perpetrato aliquo facinore ab episcopis suis fuerit excommunicatus, is ne ad Romanæ Ecclesiæ religionem suscipiatur, imò ut excommunicetur; eodem modo nos etiam contra eos qu ab Ecclesiâ Romanâ excom-

municati fuerint, processuros et facturos pollicemur.

« Quòd si ita Deo favente aliquando reliqua etiam pars hominum Orientalis Ecclesiæ ritûs Græci ad eam unionem cum Occidentali Ecclesiâ accederet; ac subsequenti tempore communi consensu totius universalis Ecclesiæ aliquid, quod ad Ordinem vel reformationem ejusdem Ecclesiæ Græcæ attineret, sanciretur et constitueretur, in eo ut communis esset omnium participatio, tanquàm unius religionis ovicularum, sub uno pastore existentium. »

« *Articuli, sive conditiones, quas à sacrâ regiâ majestate confirmari petimus.*

« Metropolitarum et episcoporum reliquarumque spiritualium dignitatum ritûs nostri Græci, ne alterius nationis vel religionis, præterquàm Ruthenicæ, hominibus conferantur: cùm verò canonibus nostris id cautum habeamus, ut tam metropolitæ quàm episcopi aliique ejusmodi officiales priùs à spiritualibus, quàm à secularibus ordinibus eligantur, petimus itaque à sacrâ regiâ majestate, ut libera penes nos maneat eligendi potestas, salvâ tamen sacræ regiæ majestatis pro libitu cuivis ex electis conferendi auctoritate; post obitum enim alicujus ex supradictis officialibus quatuor nobis eligendos petimus, ex quibus uni qui idoneus ad officium illud obeundum videbitur, sacra regia majestas conferet; ac vel peculiari adjectâ conditione, ut obedientiam summo pontifici præstare teneatur, sitque adstrictus. Quòd si verò alicui ejusmodi dignitas conferretur, is infra unum mensium decursum ordines suscipere tenebitur, privatione ejusdem beneficii, ut legibus à serenissimo olim piæ memoriæ Sigismundo Augusto de suscipiendis ordinibus nobis gratiosè collatis, et per sacram regiam majestatem dominum nostrum clementissimum modernum confirmatis satisfiat.

« Postulamus etiam, ut locum in senatu regio habeamus, non aliquâ commodorum ratione et ambitione ducti; verùm ut oves nostræ, quarum curam gerimus, majori nos observantiâ colant et observent, cùm eâ dignitate episcopatûs quâ et cæteri Romanæ religionis homines fungamur; cùm verò juramentum senatui præstiterimus, simile etiam summo pontifici super obedientiam juramentum præstare tenebimur. — Ex Græciâ si quas fortè factiones vel excommunicationes per litteras illius nationis homines moliantur, eas omninò prohiberi petimus, ne hinc ista unio divelli ob diversa in vulgo excitata studia possit, cùm adhuc multi pertinaciter huic rei resistant. Hoc verò perquàm diligenter cavendum est, ne extranei episcopi vel presbyteri, qui sacræ Romanæ Ecclesiæ obedientiam recusaverint, in quâlibet diœcesi nostrâ aliquid negotii habeant, et commorentur; similiter quoque nationis nostræ homines qui rebelles et contradicentes huic unioni, nostræque obedientiæ fuerint, ne quicquam spiritualium negotiorum agere audeant; alioquin pœnâ aliquâ mulctentur.

« Quoniam verò multorum ecclesiasticorum bonorum per antecessores nostros, nescitur quo jure amissorum, possessione exclusi sumus, quibus non nisi eò usque quoad antecessores nostri vixissent, carere debuerimus, petimus, ut bona hæc Ecclesiis restituantur, siquidem tantâ inopiâ et egestate sumus constricti, ut non solùm necessitatibus Ecclesiarum non providere, sed etiam sufficientem victum nobis suppeditare non possimus. In posterum autem ne bona Ecclesiæ sine consensu episcoporum totiusque capituli conferantur à sacrâ regiâ majestate contendimus. — Privilegia nostra super bonis Ecclesiis cathedralibus attributa, in quorum possessione pacificâ hucusque existunt, ut vires et robur suum perpetuæ firmitatis obtineant.

« Post mortem metropolitæ et episcoporum, ne capitulum atque thesaurarii se in bona ecclesiastica ingerant, sed more et ordine Romanæ Ecclesiæ, capitulum, quoad alter electus non fuerit, ea bona administret. In bonis autem et facultatibus episcopi defuncti proprii consanguinei ipsius, ne ullam injuriam patiantur, pro more et consuetudine Romanæ Ecclesiæ: quod quidem etsi privilegio jam cautum habeamus, id tamen constitutionibus regni publicis confirmari nobis petimus. — Archimandritæ Humiani monachi, vulgò *Chernoii*, et monasteria eorum, obedientiæ episcoporum, qui in diœcesi cujuslibet fuerint, pristino more subsint. — Ad judicia tribunalis regni, more et consuetudine regni, duos quoque ex spiritualibus religionis nostræ deputandos esse petimus, qui tanquàm defensores jurium et libertatum nostrarum sint. — Archimandritæ Humiani, presbyteri, diaconi, aliique spirituales eodem honore ac reverentiâ ab hominibus quo cæteri religionis Romanæ homines prosequantur, iisdemque libertatibus ac prærogativis fruantur et gaudeant, secundùm privilegium serenissimi olim

domini Wladislai regis. — Præterea à contributionibus regni publicis, quas hucusque unusquisque nostrûm officialium spiritualium pendebamus, ut temporibus perpetuis (exceptis his qui bonis hæreditariis utantur) liberi et immunes simus, idque constitutionibus regni publicis sanciri et describi petimus. — Monasteria et templa ritûs Græci, ne ad templa Romani ritûs convertantur. — Collegia sive confraternitates speciales non ita pridem à patriarchis constitutæ, et à sacrâ regiâ majestate confirmatæ, quemadmodùm Vilnæ, Leopoli, Brestæ, et alibi, ut integræ et illæsæ maneant, ita tamen ut obedientiam summo pontifici, nobisque episcopis religionis Græcæ præstare teneantur, sintque astricti. — Scholas, seminaria Græcæ Slavicæ linguæ extruere, ubi commodius videbitur, ut liberum nobis sit, sic et officinas imprimendorum librorum, quæ quidem omnia sub obedientiâ episcoporum sint. — Porrò quoniam presbyteri religioni nostræ dediti nobis debitam obedientiam præstare recusant, petimus ut libera penes nos maneat eos puniendi potestas, in eoque à capitaneis sacræ regiæ majestatis ne impediamur. — Homines seculares ne se in curam Ecclesiarum ritûs nostri ingerant, sed hæ potestati et jurisdictioni spiritualium subjaceant, præcipuè verò cathedrales Ecclesiæ. »

Responsum datum à nuntio Apostolico supradictis articulis.

« Quæ reverendissimi Domini Wladicæ, suo ac suorum confratrum nomine pro Ecclesiæ Græcæ in totâ Russiâ serenissimo regi subjectâ, cum sacrosanctâ Ecclesiâ catholicâ Romanâ unione petunt, nonnulla à summo pontifice, nonnulla verò à regiâ majestate Poloniæ dependent. Ex illis quæ à summo pontifice petuntur, quædam pertinent ad divina dogmata, quædam verò ad jus humanum spectant. Quantùm ad ea igitur, quæ divini dogmatis sunt, cùm omnia quæ petuntur, sint sacrosanctæ fidei catholicæ consona, non humanâ voluntate, sed ex divinâ revelatione deprompta, et ut talia ab œcumenico concilio Florentino toti Ecclesiæ credenda proponantur; certum absque ullâ dubitatione est, summum pontificem illa approbaturum et acceptaturum. Quantùm ad ea verò, quæ ad jus humanum spectant, licet non ita simpliciter asserere possimus, summum pontificem (cujus legatione fungimur) eis consensurum, eò quòd ipsius expressus animus nobis non constet, ex ejusdem tamen præsumptâ voluntate intrepidè affirmamus, beatitudinem suam libenti animo consensum præbituram. Cùm enim ea quæ in hoc genere proponuntur, à rectæ fidei normâ non discrepent, quin potiùs rationi consentanea sint, et ex ejus voluntate dependeant, dubium nullum est quin pius ac clemens pater (cui nihil in hâc vitâ charius esse potest, quàm salus animarum sibi à Christo Domino commissarum) charissimis filiis ad se suppliciter accedentibus illa benignè concessurus sit. Postremò circa ea quæ à regiâ majestate petuntur, id quod nos præstare possumus, bonâ fide promittimus, nimirùm totis viribus curaturos nos apud serenissimum regem, tum apud inclytam regni Poloniæ magnique ducatûs Lituaniæ rempublicam, ut ea quæ à dictis reverendissimis DD. proponuntur, pro tanto unionis bono christianè ac liberaliter, sicut dignum et justum est, concedantur. Ut autem id faciliùs impetrari possit, serenissimo D. nostro obnixè supplicabimus, ut litteris commendatitiis suam etiam hâc in parte auctoritatem interponat. Quod beatitudinem suam libenter et ex animo facturam non dubitamus. In quorum igitur omnium fidem has litteras nostrâ propriâ manu subscriptas, nostroque sigillo munitas dedimus. Datum Cracoviæ die primâ augusti 1595. »

Fuerunt Romæ aliqui ex articulis his à congregatione illustrissimorum cardinalium examinati ac attentè discussi, ac gravissimi theologi de eis consulti; permissusque est eis, ut omnibus cæremoniis et ritibus antiquis, quorum ipsi tenacissimi sunt, uterentur, dummodò fidei catholicæ non contradicerent. Admissi denique ad sanctæ Ecclesiæ communionem, fidei professionem, juxta consuetam formam pro Græcis superiùs præscriptam, fecerunt; ac ritè Evangeliis tactis, juramento ac subscriptione firmârunt. — Ruthenorum cum Ecclesiâ catholicâ communionis formam breviter præscripsi, ut si aliquando Moscovitæ ejusdem linguæ et religionis homines ad se redierint, velintque sanctæ matri Ecclesiæ catholicæ reconciliari, horum exemplo facilè alliciantur, præsertim cùm ritus et cæremonias omnes Orientalis Ecclesiæ, quæ fidei non adversantur, illis esse à sanctâ sede permissas cognoverint.

Sequitur censura sive judicium cujusdam viri docti de Ruthenorum religione.

Articuli propositi à Ruthenis magnâ ex parte

pertinent ad ritus ac cæremonias externas, adeòque civilem ac politicam administrationem; atque idcircò non tam operam aut studium theologicum, quàm civilem prudentiam requirunt. Seligam tamen ex omnibus nonnulla capita, de quibus dicam quid ego sentiam; cætera, quæ à me intacta relinquentur, ejusmodi mihi videntur esse, ut salvâ fide ac religione liberè possint vel rejici vel approbari, ut illustrissimis DD. meis videbitur expedire.

Igitur primo loco dicunt velle se confiteri Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, et agnosco verba patriarchæ Constantinopolitani in ultimâ sessione concilii Florentini. Cæterùm hæc fidei concessio triplici ex capite magnoperè probanda et commendanda videtur: 1° quòd admittit Spiritum sanctum substantialiter ab æterno procedere à Patre per Filium unicâ spiratione, tanquàm ab unico principio, et unicâ causâ, quod aliàs Græci atque omnes Orientales pernegabant. — 2° Quia disertè fatentur particulam, *per*, in processione Spiritûs sancti significare causam, quo refelluntur schismaticorum effugia, quibus particulam illam interdùm dicebant idem significare, quod, *cum*, aliàs ad designandam relationem Patris ad Filium, aut consubstantialitatem Patris ac Filii referebant. — 3° Quia planè concedunt idem esse Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, et procedere ex Patre et Filio. Itaque videri posset admittenda, nisi constaret, ipsam non modò in concilio Florentino non fuisse confirmatam, sed ne ipsis quidem Orientalibus omni ex parte placuisse, adeòque ipsam nonnihil continere, unde castigatione egere videatur. Ac non fuisse quidem à concilio approbatam ex decreto unionis cui Græci subscripserunt, apertè constat. Siquidem definitum est in hæc verba, « ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre et Filio, et ex utroque æternaliter tanquàm ab uno principio, et unicâ spiratione procedit, declarantes quòd id quod sancti doctores et Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit. » Si ergo Rutheni profitentur se velle admittere confessionem fidei, quam concilio Florentino Patres religionis Græcæ suis suffragiis comprobârunt, quâ ratione possunt excludere eam formam, quæ asserit Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, si hanc suis illi chirographis obsignârunt? an non vident, si Christiani esse volunt, et œcumenico concilio acquiescere, sibi necessariò hanc fidei confessionem corde complectendam atque ore profitendam esse?

Jam verò ne fuisse quidem ab omnibus Orientalibus receptam, ex eâdem ultimâ sessione conciliis facilè ostendi potest. Cùm enim patriarcha Constantinopolitanus post luculentam atque eruditam Georgii Scholarii orationem in Græcorum conventu hanc fidei formam edidisset, quam nunc Rutheni proponunt; hæsitante ac tergiversante Græcorum imperatore, Ruthenus in hanc sententiam locutus est: « Sanctorum Occidentalium scripta nobis suscipienda; censet sanctum Spiritum ex Filio habere esse, necnon Patrem et Filium unicam Spiritûs causam esse, credo et profiteor. » Post hunc Bessarion cardinalis doctè ac disertè peroravit, ac multis Græcorum theologorum et SS. Patrum testimoniis ostendit, nemini aditum patere ad salutem, qui Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere non profiteretur. Deinde episcopus Mytilenus, Latinorum et Occidentalium sententiam magnificentiùs extollens, inter cætera concludit: « Quorum (de Occidentalibus loquitur) volens sequi vestigia, Spiritum sanctum à Patre Filioque, ut ab unico principio, non autem à duabus causis procedere profiteor. » In eam tum sententiam Græci frequentissimi abierunt, ipseque adeò patriarcha suam illam priorem confessionem ad aliam formam revocavit. Sunt autem hæc ipsa illius verba: « Ego nostrum paternum dogma non derelinquam, sed in eo quousque vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temerè nec ex sententiâ propriâ, verùm sanctorum auctoritatibus adducti, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere credunt, idcircò iis assentior, et cum iis conjungor, ac præpositionem, *per*, Filium Spiritûs sancti causam significare concedo. » Quin etiam cùm in conventu Orientalium certum jam ac definitum esset, ut cum Occidentalibus conjungerentur, ipse patriarcha paulò antequàm subitâ morte è vivis eriperetur, suam sententiam hoc chirographo declaravit: « Quæ (inquit) Domini Jesu Christi catholica et apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimùm acquiesco. » Si igitur Orientales tam apertè fatentur, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, quid est quod Rutheni reformident? Cur se dicunt Patres sequi reli-

gionis Græcæ, si quod illi apertè asserunt, ipsi postponunt et aspernantur? At quærat fortassè quispiam, cur dixerit patriarcha, *nolle se paternum dogma deserere?* Cui ego paucis respondeo, patriarcham appellare suum dogma illum dicendi modum, quo paulò ante usus erat, cùm dixit Spiritum sanctum à Patre per Filium, à quo sanè dogmate, ut Rutheni concedunt, et ex dictis facilè intelligi potest, non recedit is qui admittit Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: accedit quòd de processione Spiritûs sancti in concilio Florentino bipartita quæstio fuit.

Nam primùm de re ipsâ multis ultrò citròque disputatum est, deinde de additione quæ facta est symbolo Nicæno nonnihil actum. Cùm verò Orientales concessissent Occidentalibus, rectè eos sentire, cùm procedere dicerent Spiritum sanctum à Patre et Filio, sive à Patre per Filium, admisissent etiam, ipsis justis de causis licuisse verba illa Symbolo addere, constanter negârunt se hujusmodi additionem admissuros, id quod eis per concilium licuit. Ab hoc igitur dogmate potuit patriarcha negare se recessurum; alioqui se Romanæ Ecclesiæ fidem omni ex parte complecti, paulò ante mortem, ut dixi, declaravit apertè. Desinant ergo Rutheni Orientalium fidem et Græcorum confessionem nobis obtendere, cùm constet eos suis suffragiis admisisse Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio. Quòd si (ut Rutheni ultrò concedunt) idem est Spiritum sanctum procedere *à Patre ac Filio,* et procedere *à Patre per Filium,* cur hoc admittunt, illud recusant? An quia, ut ipsi insinuare videntur, hoc habetur in Evangelio, illud non item? Atqui Evangelium neutrum apertè dicit; priorem locutionem quam Latini sequuntur, interdùm insinuat, posteriorem quam ipsi proferunt, nunquàm. Joan. 16: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet;* quo testimonio Andræas Colossensis utitur contra Græcos in concilio Florentino, sessione 7, et ante illum Didymus, l. 2 de Spiritu sancto, probat Spiritum sanctum procedere à Filio, eodemque modo colligit Gregor. Nazianz. orat. de Fide. Nam cùm dixisset Spiritum sanctum esse de propriâ filii substantiâ: «Ipse, inquit, Dominus «Salvatorque noster de meo, inquit, accipiet, «ex eo utique quod est Filius, quia et Filius «de eo quod Pater est.» An fortè malunt dicere, Spiritum sanctum procedere *per Filium,* quia Græci sæpiùs ita locuti sunt, nolunt dicere, *ex Filio,* quia licet Occidentales sic loquantur, eam formam Græci non admittent? At ego contendo Latinos etiam dicere, *per Filium,* et quamvis Græci frequenter eodem modo loquantur, sæpiùs tamen dicere, *ex Filio.*

Inter Latinos Tertullianus lib. adversùs Praxeam, «Spiritum sanctum, inquit, à Patre «per Filium deduco.» S. Hilar. l. 12 de Trin., sub finem: «Spiritus est, inquit, ex te per «Unigenitum tuum.» S. Thomas 1 parte, q. 36, artic. 3, doctè ac subtiliter explicat, quomodò ea forma dicendi intelligenda sit, quem deinde scholastici magnâ ex parte sequuntur. Porrò inter Græcos Athanasius in redargutione Meletii, «impossibile, ait, esse in Trini«tatis gloriâ Spiritum sanctum numerari, si «non emanaret ex Deo per Filium.» Gregorius Thaumaturgus in suâ fidei revelatione apud Gregorium Nyssenum in ipsius Vitâ: «Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum et exis«tentiam habens, qui per Filium apparuit «imago Filii perfecta.» Basilius lib. 5 contra Eunom., cap. 12, ait «Spiritum sanctum non «ideò non dici Filium Filii, quia non sit ex «Deo per Filium, sed ne suspicemur Trinita«tem multiplicari in infinitum.» Greg. Nyssenus l. 1 adversùs Eunom., apud Bessarionem, in suâ oratione dogmaticâ, quæ habetur in concilio Florentino, c. 6, ait, «Spiritum sanc«tum per Filium ipsum esse manifestatum,» lib. ad Ablabium, esse per id quod immediatè et ex continenti est. Cyrillus Alexandrinus, l. 11 in Joan., c. 1: «Spiritus sanctus est con«substantialis Filio, et procedit per eum;» l. 12, c. 56: «Ex Patre per Filium procedit.» Tharasius in 7 synodo, act. 3: «Credimus in «Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium «procedit.» Maximus, Zachariæ 4, apud Bessarionem: «A Patre essentialiter per Filium «ineffabiliter natum procedens.» Damasc. l. 1 de Fide c. 18: «Per Filium Patri conjunc«tus;» c. 11: «Spiritum per Filium esse di«cimus.

Non dubito plura testimonia posse apud Græcos reperiri; sed hæc tantùm placuit indicare. At multò plures sunt Græci, qui dicant Spiritum sanctum procedere *ex Filio.* Athanasius in Symbolo: «Spiritus sanctus à Patre et «Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed «procedens.» Hoc Symbolum esse Athanasii ne Græci quidem inficiari audent; nam, ut scribit Gennadius Scholarius in defensione concilii Florentini, cap. 1, sess. 5, Græci sui temporis dicere solebant, Athanasium, quando hæc scripsit, fuisse ebrium, ut maluisse videantur

blasphemare, quàm negare hæc fuisse ab Athanasio conscripta. Deinde hoc Symbolum esse Athanasii indicare videtur Gregorius Nazianzenus, oratione de laudibus ipsius Athanasii, in quâ dicit eum scripsisse plenissimam fidei declarationem, quam Oriens Occidensque venerantur. Idem planiùs significat S. Augustinus, qui in Ps. 120, citans integrum versiculum ex hoc Symbolo, auctorem nominat Athanasium episcopum Alexandrinum, et sine nomine Athanasii utitur frequenter versiculis hujus Symboli, ut l. 5 de Trinit. 8, Epist. 478, ad Passent., Enchir. cap. 36, serm. 295 de Tempore. Denique in concilio Toletano 4, c. 1, circa annum Domini 633, recitatur ex hoc Symbolo confessio fidei. Idem Athanasius, Epist. ad Serapionem, probat Spiritum sanctum non esse Filii creaturam, quia neque Filius est creatura Patris, cùm sit idem ordo Spiritûs sancti ad Filium, qui Filii ad Patrem : ubi supponit, Spiritum sanctum ita procedere à Filio, sicut Filium à Patre. In eâdem Epistolâ : « Si Filius, ait, quia ex Deo Patre est, proprius ipsius substantiæ est, necesse est Spiritum, qui ex Deo esse dicitur, proprium esse Filii secundùm substantiam. » Intelligit autem necessariò ex Deo Filio ; alioquin nihil concluderet ; simile habet in duabus aliis Epistolis brevioribus ad eumdem.

Basilius l. 3 contra Eunom., in initio, de Spiritu sancto sic loquitur : « Dignitate secundum à Filio, cùm ab ipso *esse* habeat, et omninò ab illâ causâ dependeat, pietatis ratio tradit. » Hunc locum mendosum et corruptum esse contendebat Marcus Ephesius in concilio Florentino, sess. 20. Sed ostenderunt Latini codices, in quibus hæc verba leguntur; et ex iis quæ sequuntur, apparet in aliquibus codicibus fuisse sublata; pergit enim : « Quemadmodùm Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est, et dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipsi est ; naturâ verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est deitas: ita Spiritus sanctus etsi dignitate et ordine secundus à Filio est, non tamen alienæ ipsum esse naturæ inde consequens est. » Ex quibus apparet necessariò intelligendum esse Spiritum sanctum habere *esse* à Filio, alioquin similitudo Filii et Patris non esset ad rem. Idem l. 5 adversùs Eunom., vocat Spiritum sanctum naturalem imaginem Filii, cap. 11 : « Ut se habet Filius ad Patrem, sic Spiritus sanctus ad Filium ; quapropter Verbum Dei est Filius, Verbum autem Filii est Spiritus sanctus. » Quæ nullo modo vera esse possunt, nisi Spiritus sanctus procedat à Filio. Eadem penè repetit lib. de Spiritu sancto, c. 17.

Gregorius Nyssen., hom. 4 in orationem Dominicam, ut ex ipso citat Gennadius in defensione concilii Florentini, cap. 1, habet hæc verba : « Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio præterea esse ostenditur; » ait tamen hunc locum sublatum esse à Græcis. Bessarion loco notato citat alium locum ex libro ad Ablabium, ubi ait Spiritum sanctum distingui, eò quòd credimus aliud quidem *causam esse*, aliud verò ex *causâ*, et *ex eo quod ex causâ est*. Ubi causam vocat Patrem, Filium id quod ex causâ, Spiritum sanctum ex eo quod ex causâ est, id est, ex Filio. Gregor. Nazianz. oratione 5, de Theologiâ, comparat processionem Spiritûs generationi Seth, qui ab utroque parente fuit, significans Spiritum sanctum esse à Patre ac Filio. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 17, de Spiritu sancto sic loquitur : « Qui Patri ac Filio semper adest, non qui ab ore et labiis Patris et Filii loquendo formetur ; » quod profectò inane esset, nisi putaret procedere ab utroque. Chrysost. homil. 1 de Symb. : « Iste est Spiritus sanctus de Patre ac Filio procedens. » Hom. 2 : « Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio æqualem, et procedentem de Patre et Filio. » Alia testimonia ex hoc auctore citantur ab aliis. Epiphan. hæresi 69 : « Unus est Spiritus, Dei Spiritus ex Patre procedens, et de Filio accipiens. » Hoc autem accipere de Filio, opponit creationi; negat enim Spiritum sanctum esse à Filio creatum ; sic sæpiùs in totâ illâ disputatione, in Anchorato dicit Spiritum sanctum esse Spiritum Patris et Filii, et ex Patre et Filio tertium ; ibidem ait esse ex Christo, ab utrisque à Patre et Filio. Didymus, l. 2 de Spiritu sancto, inducit Christum de Spiritu sancto loquentem : « Non est, inquit, ex se, sed ex Patre et me est, hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, à Patre et me illi est. » Paulò infra : « Non potest à Filio loquente audire quæ nescit, cùm hoc ipsum sit quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, consolator manans de consolatore. » Paulò post : « Non alia est substantia Spiritûs sancti, præter id quod datur ei à Filio. »

Cyrillus Alexandrin. l. 11 in Joan. de Spiritu sancto ait : « A Verbo est secundùm emis-

« sionem ad esse atque subsistere ; » lib. 13 Thesaur. 2, Spiritum sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso Filio et in ipso naturaliter existentem. Paulò post : « Ex Filio « autem naturaliter ac substantialiter Spiritum « sanctum sicut ex Patre provenire credimus. » Sic ferè de Rest. fid. ad Theodos., ultra med.; et l. 5, 6, 7, de Trinit. Extat præterea Epist. concilii Alexand. ad Nestorium, quæ est ipsius Cyrilli, in quâ leguntur hæc verba : « Spi« ritus appellatus est Veritatis, et Veritas « Christus est, unde ab isto similiter sicut ex « Patre procedit. » Hæc autem epistola approbatur in concilio Ephesino, tom. 1, c. 14, in quartâ synodo, act. 5, in quintâ synodo actione ultimâ, in sextâ synodo, act. 7, ut appareat hunc dicendi modum à quinque conciliis œcumenicis, iisdemque in Oriente celebratis fuisse confirmatum. Plura alii, sed hæc videntur satis apertè ostendere, non ita probari à Græcis illum loquendi modum, *per Filium*, ut non frequentissimè dixerint, *ex Filio*.

Non negârim Græcos, dùm maximè disputarent contra Macedonium et Eunomium ac reliquos πνευματομάχους, non dixisse solitariè atque absolutè Spiritum sanctum esse à Filio, et negâsse Filium esse causam, sed id propterea factum est, ne viderentur cum Eunomio sentire, qui, ut intelligitur ex Basilio, l. 2 adversùs Eunomium in fine, Spiritum sanctum dicebat esse Filii creaturam; hæc enim sunt verba Eunomii, Filium ingeniti esse facturam, Unigeniti verò Paracletum; idemque cum Eunomio sensisse Macedonium docet Theodoretus l. 4 de Hær. fab. Cùm ergo Eunomius absolutè diceret Spiritum sanctum esse à Filio, Catholici absolutè negant, et ob id etiam interdùm negant Filium esse causam, et solum Patrem dicunt causam. Nomen enim *causæ* apud Græcos, præsertim Basilium et Gregorium Nazianz., significat principalitatem quamdam et primatum in origine, et hoc modo nomen causæ soli Patri propriè convenit. Sic Basilius de Spiritu sancto ad Amphil., c. 16 : « In horum, inquit, « creatione cogita mihi principalem causam « eorum quæ fiunt Patrem, dein conditricem « Filium, perfectricem Spiritum sanctum. » Et Gregor. Nazianz. oratione ad episcopos ex Ægypto navigantes tres divinas personas ita describit : « Creatrix dominatio in tribus con« sistit, in causâ, in opifice, in perfectore, » hoc est, in Patre, in Filio et Spiritu sancto. Ibidem : « Quicquid Pater habet, idem, ex« ceptâ causâ, Filii est ; » quasi dicat : Pater communicat omnia Filio, præter paternitatem et illam eminentiam ac prioritatem originis, quæ ipsius est propria.

Hoc ergo modo negant Filium esse causam, et Spiritum procedere ex Filio, quod sæpe inculcant Græci in concilio Florentino, n[illegible] procedere Spiritum sanctum à Filio ἀρχικῶς, vel ἀρχαιδῶς, quia reverà Filius non est prima et principalis causa modo explicato, cùm id conveniat Patri. Faciliùs dicunt esse per Filium, quàm ex Filio, quia, ut docet Basilius de Spiritu sancto, c. 2 et 3, hæretici philosophicis rationibus ducti, putabant modum illum dicendi, *à quo*, convenire tantùm causæ principali, *per quem* verò secundariæ ; quod quanquàm non est perpetuò verum, ut ibi ostendit Basilius, et planiùs t. 5, Ambrosius l. 4 de Fide, c. 6, et Augustin. de Trin. c. 6, tamen nonnunquàm hanc distinctionem Græci Patres admittunt, ut patet ex Greg. Nazianz. oratione in sancta lumina, Damas. l. 1, c. 10, qui dicunt his vocibus personarum proprietates significari, atque idcircò ne viderentur admittere Filium esse causam principalem Spiritûs sancti, maluerunt dicere, procedere à Patre per Filium, quasi suam cuique personæ proprietatem adscriberent. Nam quia pater est ingenitus, et à nullo procedit, est verò quasi radix et origo divinarum personarum, dicitur, *à quo ;* Filius, quia procedit, spirat tamen et cum Patre operatur, dicitur *per quem ;* et quia in Spiritu sancto omnis divina emanatio clauditur, dicitur, *in quo*. Itaque ne viderentur tribuere Filio principalem vim spirandi, quæ à Patre non penderet, negârunt esse à Filio, per Filium tamen propter rationem allatam concesserunt. Non ergo dicunt Rutheni Orientales maluisse dicere, *per Filium*, cùm tamen multi ex Orientalibus dixerint, *à Filio*. An credimus Ruthenos hunc Occidentalium loquendi modum postponere, quòd alter tutior sit, aptior et accommodatior? Verùm, nisi ego vehementer fallar, omnia contra habent. Nam primùm ex oratione dogmaticâ Bessarionis satis constat, quòd multis calumniis expositus esset ille dicendi modus, quibus fidei catholicæ veritas quibusdam quasi tenebris involvebatur. Deinde D. Thomas, qui ad theologicam normam omnia revocavit, 1 p., q. 36, art. 3, cùm disputaret de hoc dicendi modo quo Spiritus sanctus dicitur procedere *per Filium*, non dixit ita dicendum, sed posse cum dicendi

modum admitti, atque ad bonum sensum adduci, cùm, art. primo, probâsset, Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio, esse necessariò certâ et catholicâ fide credendum.

Sed ut res tota meliùs intelligatur, ponenda sint nonnulla : 1° Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio tanquàm ab unico principio : quod definitur in concilio Florentino, et antea fuerat decretum in concilio Lugdunensi, cap. unico de sum. Trinitate et fide catholicâ, in 6, et multò antea traditum fuerat ab Augustino, l. 3 contra Maximum Arrianum, cap. 17. « Pater, inquit, principium non de principio, Filius principium de « principio, sed utrumque simul, non duo, sed « unum principium. » Quæ quanquàm dicantur ab Augustino de divinis personis in ordine ad creata, atque ideò tertium addit Spiritum sanctum, quæ tria sicut unum Deum, ita unum dicit esse principium, ratione unius naturæ communis; tamen idem eâdem ratione diceret de origine personarum inter sese, quod absolutè et in universum asserit idem August., l. 10 de Civit., c. 23, et l. 5 de Trinit., c. 23, art. 14 ejusdem libri, apertè dicit Patrem et Filium principium esse Spiritûs sancti, non duo principia, sed unum principium, eodemque modo loquitur Anselm., Menolog. 52, et epist. de process. Spiritûs sancti. 2° Credendum est procedere Spiritum sanctum à Patre ac Filio unicâ spiratione et unicâ virtute, quod in iisdem conciliis definitum est, et ex iis quæ de divinis processionibus certâ fide credenda proponuntur, necessariò deducitur. 3° Rationem seu formam in quam conveniunt Pater et Filius ad producendum Spiritum sanctum, esse divinam essentiam, ut includit communicabilitatem per actum voluntatis, quæ quia est una, ut apertè constat, quamvis conveniat duobus suppositis jam constitutis, tribuit eis rationem unius principii. Quo fit, ut principium spirativum Spiritûs sancti non dicat in recto quippiam unum unitate suppositi, sed unitate formæ; dicit enim immediatè Patrem ac Filium, ut conveniunt in eamdem numero essentiam communicabilem Spiritui sancto.

Quibus ita positis, ac probè constitutis, si qua dicendi ratio excogitari posset, quæ aut ex vi verborum, aut ratione terminorum, aut ex accommodatione usûs, hæc omnia vel apertè indicaret, vel utrumque innueret, ea loquendi forma in processione Spiritûs sancti optima videretur; sed quia hactenùs excogitata non est, ea censeri debet cæteris præstare, quæ ab illâ præstantissimâ propiùs absit, et pluraidque aptiùs atque apertiùs significet. Jam 1° cùm dicimus Spiritum sanctum procedere *à Patre per Filium,* indicamus quidem utrumque unicum primarium principium, id est, Patrem, sed unicam spirationem et unicam Patris ac Filii vim spirandi ex vi verborum non significamus. Tametsi enim præpositio, *per,* solitariè posita, potest significare causam principalem, non modò apud Latinos, sed etiam apud Græcos, ut affirmat Basilius, lib. de Spiritu sancto, c. 8, quomodò legimus Genes. 4 : *Possedi hominem per Deum;* Proverb. 8 : *Per me reges regnant;* 1 Corinth. 1 : *Per quem vocati estis in societatem dilecti Filii sui;* tamen cùm conjungitur cum altero agente, non unam aut simplicem significationem continet, siquidem, ut rectè ait D. Thomas primâ parte, q. 36, art. 3, particula, *per,* omne genus causæ, exceptâ materiali, significare potest; quòd si contineat rationem causæ producentis actionem, ut manat ab agente, triplex genus causæ complectitur : *formalem,* cùm dicimus artificem per ideam seu artem aliquid efficere; *finalem,* cùm per lucri cupiditatem, id est, lucri gratiâ, quempiam dicimus agere; *efficientem,* seu *motivam,* ut si dicamus, per principis imperium ducem moveri. Certum est autem nihil horum posse significari, cùm agimus de Spiritûs sancti processione, quia divinæ emanationes ad intra causam finalem, formalem, aut extrinsecùs agentem nullam habent, et ut intelligatur aliquod principium ad modum formæ, certum est, cùm dicimus Spiritum spirari à Patre per Filium, non significari formam, quæ ut supra diximus, est ipsa essentia et virtus spirativa; sic enim dicendum esset Patrem ac Filium spirare per virtutem spirativam, seu per essentiam, etc.

Si verò præpositio, *per,* contineat vim agendi, ut actio terminatur ad opus, et significat causam non ob quam agens agit, sed cur quippiam ab agente fiat, tunc apertè significat efficientiam causæ agentis, ut cùm dicimus artificem manu vel instrumento quippiam moliri, et hoc modo præpositio, *per,* ut ibi observat Cajetanus, impropriè usurpatur in processione Spiritûs sancti. Ideòque divus Thomas non tam probat quàm excusat illum dicendi modum, cùm alioquin contineat aliquas imperfectiones; nam supponit inter Spiritum sanctum et Patrem intercedere Filium, quod in rigore falsum est, quia Pater et Filius æquè primo et immediatè eâdem virtute spirant. Deinde

nisi prohiberetur ex terminis adjunctis, significaret diversam rationem agendi in Patre ac Filio : nam si significaret mediationem suppositi, videretur facere Filium instrumentum, ut dicimus regem jus dicere per prætorem; si mediationem virtutis, indicaret Patrem accipere vim spirandi à Filio, quomodò dicere solemus prætorem per regem exercere suam potestatem, id est, auctoritate acceptâ à rege.

Ex quibus constat significari unum principium Spiritûs sancti, sed cum multis imperfectionibus, et admodùm confusè et cum periculo errorum, præsertim cùm ex simili dicendi modo decepti sint olim Ariani; qui propterea quòd legerant omnia facta esse per Filium, colligebant Filium fuisse ministrum in creatione, atque idcircò esse inferiorem Patre, in quo tametsi errabant ratione terminorum, tamen habitâ ratione ipsius formæ loquendi, non malè concludebant, cùm sæpè in Scripturis præpositio, *per*, ministerium atque instrumentum significet.

2° Si respiciamus ipsam spirationem ac virtutem spirandi, non dubium est ratione terminorum (quia in divina omnia sunt unum, ubi non intercedit oppositio) significari unicam virtutem ac spirationem; modus tamen dicendi hoc ex se non significat : nam etsi Filius acciperet à Patre distinctam facultatem spirandi, et distinctâ spiratione spiraret, possemus dicere Patrem spirare per Filium, quomodò rex per prætorem jus dicit, ubi apertè cernuntur diversæ facultates et actiones.

3° Inde etiam apparet ex vi verborum, non significari unicam formam, in quâ conveniant Pater et Filius: nam alioquin ex vi verborum sicut rex et prætor non habent eamdem formam seu auctoritatem, ita etiam non repugnaret vi locutionis, intelligi diversam Patris ac Filii naturam; sic dicimus cœlum agere per causas secundas, cùm sint tum naturæ, tum facultates admodùm diversæ. Ex quo sequitur, sicuti si non reperiretur in Scripturis hic modus dicendi : *Omnia per ipsum facta sunt*, et alii ejusmodi, potiùs viderentur negandi quàm concedendi, quia non possunt sine errore defendi nisi propter terminos, cùm alioquin ex vi sermonis possint trahi ad sensus peregrinos atque erroneos : ita nisi reperiretur hæc propositio apud sanctos, quos necesse est excusare ac defendere, eam videri potiùs ex naturâ sermonis negandam, quàm affirmandam, tantùm abest, ut sit alteri propositioni, de quâ mox, ullâ ratione præferenda.

At cùm dicimus Spiritum sanctum procedere à *Patre ac Filio*, 1° quidem significamus originem substantialem à Filio quo refellitur eorum error, qui solam processionem temporalem admittebant esse *à Filio;* cùm enim de utroque supposito æquè affirmetur, non potest afferri discrimen, nisi evidens ratio persuadeat; ut cùm dicunt philosophi : Sol et homo generant hominem, quia intelligunt conjungi in causam primam et universalem cum secundâ et particulari, necessariò concludendum est dissimiles esse utriusque causæ actiones : sic dicimus ex mare et feminâ animal gigni. At cùm non appareat in hâc propositione ulla diversitas, et ex vi terminorum omnis planè distinctio rejiciatur, eâ exceptâ, quæ pertinet ad constitutionem personalem suppositorum, consequens actionem ex æquo utrique convenire : quo fit, ut 2° optimè significetur unitas tum spirationis tum facultatis spirativæ : cùm enim aliquid unum à duobus distinctis emanat, neque cernitur ex terminis, aut ratione probatur distinctio in actione, unitas potiùs tum facultatis, tum actionis concluditur, ut allatis exemplis ostendi potest. 3° Significatur æqualitas in producendo; æquè enim dicitur Pater ac Filius producere, cùm præsertim id postulet natura terminorum. 4° Satis apertè indicatur unitas formæ; quorum enim actio formalis una est, eorum necesse est unam esse formam ac naturam, ut docet Basilius in Psal. « Quorum, inquit, una natura est, eorum actiones eædem sunt. » Postremò ipsa spirationis natura cernitur, quæ ut refertur ad personam productam, necessariò postulat duo supposita jam personaliter constituta, quæ ut in unam naturam, sic in eamdem facultatem spirativam conveniunt : atque idcircò significatur unum principium spirativum Spiritûs sancti, quale reverà est, non unitate suppositi, sed unitate formæ ac naturæ, ut supra dictum est.

Quæ cùm ita sint, non video cur Rutheni malint hunc dicendi modum postponere, qui multis nominibus præferendus videtur. Neque satis intelligo, cur negent velle se ad aliam confessionem compelli, cùm fateantur eumdem esse sensum utriusque formæ, cur item recusent eam Confessionem quam Orientales in synodo Florentinâ suis chirographis obsignârunt : si negant velle se eam additionem Symbolo suo facere, aut volunt suum illum

loquendi modum in suis hymnis et antiphonis retinere ; si rem admittant, quod illis est à concilio Florentino permissum , in præsentiâ non videtur revocandum. Sic autem rem totam paucis concludo. Aut putant idem significari utrâque dicendi formâ , aut aliquod in illis discrimen agnoscunt; si non existimant idem significari, concilio Florentino apertè contradicunt, si contra ipsius decretum unam formam admittunt, alteram rejiciunt, præsertim eam quam concilium non modò magis probavit, sed omnibus necessariò credendam ac profitendam proposuit : si putant inter eos modos dicendi aliquod esse discrimen, planiùs loquantur, suamque sententiam explicent ; interim intelligant se à concilio Florentino apertè dissentire, atque ideò contra fidem haud leviter peccare. Quòd si , ut ego quidem existimo, rem ac sententiam probant, sed nolunt compelli ad admittendam additionem factam Symbolo, vel passim usurpandam hanc locutionem, non videtur ea conditio penitùs aspernanda, modò apud populum tollatur scandalum, qui putant Occidentales malè sentire.

Quod spectat ad psalmodiam, preces ac liturgias, usum denique Sacramentorum, quod Orientalibus jamdiù permissum est , non videtur ullo modo negandum, quanquàm ipsorum libri diligenter examinandi videntur, ne errores atque abusus irrepserint , habendaque videtur præcipua ratio eorum quorum mentionem facit Eugenius in concilio Florentino, præsertim eorum quæ pertinent ad usum Sacramentorum, ubi non solùm in multis discrepant à Latinis, sed egere videntur castigatione. De Purgatorio si parati sint admittere sanam et catholicam doctrinam, nihil est dubitandum , curandum verò, ut de statu animarum et felicitate justorum rectè et cum catholicâ Ecclesiâ sentiant. De calendario non potest sine scandalo dissimulari, quia necesse est eos in celebratione Paschatis plurimùm à catholicâ Ecclesiâ discrepare, nisi novi calendarii ratio suscipiatur. Quamobrem ineunda erit aliqua ratio, ut salvis eorum solemnitatibus , quæ permittendæ videbuntur, series festorum mobilium illis cum Occidentalibus constet. De processione in festo Corporis Christi non laborarem; multa tamen circa hoc Sacramentum examinanda sunt; cæremonias circa festum Paschatis diligenter expendendas atque excutiendas puto. De sacerdotum matrimoniis, atque in universum de ipsorum matrimoniis , multa consideranda sunt , quia certum est apud Orientales multos esse abusus; nam alicubi non nisi uxorati initiantur, alibi etiam initiati contrahunt matrimonium, nec desunt qui propter adulterium matrimonium solvant, et aliud ineant ; erunt etiam fortassè qui secundas nuptias damnent. Quod dicitur de cæremoniis Ecclesiæ Romanæ , videtur æquissimum, juxta decretum Eugenii in concilio Florentino ; de pulsu campanarum citra scandalum non magnoperè essem sollicitus. Ut matrimonia Græcos inter et Latinos ineantur optandum est, cessante periculo et scandalo. De visitatione infirmorum cum sacramento Eucharistiæ , cupio planiùs doceri, suspicor enim nonnullos esse abusus. De monasteriis ac templis facilè annuerem , idipsum de excommunicatis, salvâ atque integrâ Romani pontificis auctoritate.

Hæc habui, quæ breviter dicerem; cætera quæ hìc non attigi, ut initio dixi, ad civilem prudentiam spectant, non ad theologum. Itaque illa omnia prudentiæ illustrissimorum DD. meorum integra atque intacta relinquo, sicut et eorum judicio atque censuræ superiora, quæ scripsi, libens subjicio, etc.

CAPUT IV.

DE UNIONE TOTIUS ORIENTALIS ECCLESIÆ CUM ECCLESIA CATHOLICA PROCURANDA.

Ordo servandus.

Hactenùs in primâ hujus operis parte , de his quæ agenda sunt pro juvandis Græcis, aliisque schismaticis tractavimus ; proximè sequuntur schismatici Orientales, qui abhinc mille annis in hodiernum usque diem in maximâ versantur infelicitate , perpetuisque vexantur infortuniis et calamitatibus : et licet olim ingens fuerit tam Alexandrinæ quàm aliarum Ecclesiarum Orientis gloria et splendor; at ubi concilium Chalcedonense, sanctumque Leonem pontificem , ac Romanam sedem omnium matricem Ecclesiarum spreverunt, innumeræ secutæ sunt clades, quæ abhinc tot seculis usque ad nostra tempora communi cum dolore piorum omnium cernuntur. His igitur tanquàm nationibus olim florentissimis, quarum prisci Patres Ecclesiam catholicam insigniter illustrârunt , meritò post Græcos debetur hic locus, in quo tam de erroribus et ritibus, quàm de aliis pro juvandis his nationibus, et ad rectam fidem , mutuamque charitatem inter nos statuendam Deo inspirante dicemus, observato tamen hoc ordine, ut de origine schismatum totius Orien-

tis primâ statim fronte agamus, et post, ad Nestorianorum, Cophtorum, Abyssinorum (quos non immeritò Orientalibus nationibus annumeramus; parent enim Alexandrino patriarchæ) Jacobitarum, Armenorum, Georgianorum et Maronitarum (qui nunc Ecclesiæ Romanæ obediunt) errores, ritus et alia quæ pro harum nationum exactiori notitiâ, utilitate et salute conducere possunt, descendamus. Demùm de omnibus erroribus, qui hujuscemodi populis communes sunt, eorumque confutatione, atque etiam in genere de agendi modo cum illis, ut fidei veritatem agnoscant, disseremus, additis quibusdam instructionibus ad hunc finem utilissimis. Et quia omnes propemodùm nationes istæ Græcorum erroribus scatent, lectorem ad supradicta, quæ contra Græcos allata sunt remittimus; insuper pro majori ministrorum informatione, decisiones aliquot, sive responsa à Gregorio XIII pro Maronitarum natione edita, quæ maximam lucem in juvandis schismaticis conferre possunt, in hujus libri calcem rejecimus.

In referendis aliquibus præfatarum nationum erroribus ac ritibus, sequemur virum non minùs pietate quàm doctrinâ insignem, Leonardum episcopum Sidoniensem, quem Gregorius XIII, summus pontifex, nuntium et visitatorem apostolicum simul cum patre Joanne Baptistâ Romano Societatis Jesu ad Orientales nationes destinavit. Hic autem ferè totum lustravit Orientem, ac diversarum nationum ac rituum patriarchas, episcopos, virosque alios doctos allocutus, eorumque religionem et fidem, simulque errores attentè scrutatus, postea omnium ferè illarum Ecclesiarum statum obtulit Sixto V, pontifici maximo, cùm quadriennium in eâ legatione insumpsisset; est autem apud me manuscripta narratio accuratè conscripta, ubi Armenorum, Nestorianorum, Jacobitarum et Maronitarum errores, qui nunc inter has nationes grassantur, recenset.

ARTICULUS PRIMUS.

De origine schismatum Orientalium.

Acturi igitur de Orientalis Ecclesiæ erroribus, maximè de illis qui hodie apud Jacobitas, Cophtos, Abyssinos, Armenos, Georgianos ac demùm Nestorianos magis vigent, operæ pretium duximus omnium errorum originem ac progressum priùs, etsi levi, ut aiunt, manu attingere.

Nestorius episcopus Constantinopolitanus, floruit Theodosii Junioris imperatoris, et Cœlestini summi pontificis temporibus, circa annum Domini 427. Hic, auctore Gennadio et Socrate, l. 7, c. 32, in id summo studio laboravit, ut Christum Dei Filium ex Virgine Mariâ natum, hominem duntaxat, non etiam Deum esse doceret, atque ideò Mariam *Christotocon*, id est, Christi matrem, non autem *Theotocon*, id est, Dei matrem esse diceret; postea verò sanctæ et inculpatæ vitæ merito Christum obtinuisse, ut dignus haberetur, cui se divinitas conjungeret. Duas itaque in Christo ponebat naturas, duas itidem in eo dicebat esse personas, unam divinitatis, alteram verò humanitatis: nec unum Christum in deitate et humanitate sentiebat, sed separatim atque sejunctim, alterum docebat esse Filium Dei, sed hominis tantùm matrem appellabat. Denique Christum esse tantùm hominem dicebat, cui nativitatem, passionem et resurrectionem attribuebat. Addebat autem Filium Dei postea unitum fuisse filio hominis multis modis, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed tantùm accidentaliter. 1° Secundùm habitationem, sicut in templo suo. 2° Per unionem affectûs, voluntatis et dilectionis. 3° Per operationem, quia filius hominis erat instrumentum, quo utebatur Verbum in operibus miraculosis. 4° Secundùm participationem, quia Verbum illi homini impertivit nomen et dignitatem suam, eo modo quo imagines sanctorum nominibus eorum interdùm appellantur, et propter eos etiam honorantur et adorantur. Hæc fuit Nestorii hæresis.

Vincentius Lirinensis in libro quem adversùs profanas hæresum novitates scripsit, censet Nestorium, ut Apollinaris hæresim declinaret, in foveam hanc incidisse. Apollinaris, inquit, hæreticus, nolebat in Christo duas esse substantias, unam divinam, alteram humanam; unam ex Patre, alteram ex Matre, sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem, et cùm veritas dicat ex duabus substantiis unum esse Christum, ille contrarius veritati ex unâ Christi divinitate duas asserebat factas esse substantias.

Nestorius autem, contrarius Apollinari, dùm se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repentè personas, et inaudito scelere duos vult esse Filios Dei, duos Christos, unum qui Deus sit, alterum qui sit generatus ex matre, atque ideò asserit sanctam Mariam, non *Theotocon*, sed *Christotocon*

esse dicendam, quia scilicet ex eâ non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, sit natus. Hæc Vincentius. Nestorius volens suam hæresim Constantinopoli jam evulgatam per totum orbem dilatari, sua scripta misit ad diversas orbis provincias, et inter alias ad Ægypti monachos, quorum nonnulli ab eo seducti, suis erroribus consenserunt, quorum causâ magni inter eos excitati sunt tumultus et dissidia. Demùm ne Orientis episcopi Nestorii hæresi inficerentur, coacta fuit anno Domini 431, octavo autem Cœlestini papæ, synodus Ephesina, in quâ, post multa, damnata est Nestoriana blasphemia, ut rem totam latiùs card. Baronius Annal. tomo 5, sub eumdem annum.

Deinde Eutyches monachorum pater Constantinopoli, eorum qui tempore Ephesini concilii adversùs Nestorianos præstantiùs cæteris dimicârunt, antesignanus, cùm in Nestorii hæresim summo odio ferretur, eò prosiliit, ut non duas tantùm esse in Christo personas ex christianæ fidei præscripto negaret, sed nec duas in Christo naturas vellet asserere, et eos putaret Nestoriano laborare morbo, qui duas confiterentur in Christo distinctas et inconfusè conjunctas esse naturas.

Præterea impiè docebat (ut accuratè inter alios explicat card. Bellarm. tomo 2, lib. 3, de Christo Domino, cap. 2), in Christo post incarnationem unam tantùm fuisse et esse naturam, factam per conversionem divinitatis in carnem, quia Verbum caro factum est : at unum fieri, alterum est verti in illud. Unde asserebat divinitatem Verbi natam, passam, mortuam et sepultam fuisse: ita tamen ut Christi caro non sit ejusdem naturæ cum nostrâ, sed tantùm apparens et phantastica, ut potiùs Verbum simulaverit se hominem, et natum, passum, etc., quàm reverà fuit, quia videtur indignum Deo, quòd vera fuerit caro, verè natus, passus, etc.

Accusatus Eutyches apud Flavianum, et apud concilium quoddam provinciale Constantinopolitanum tunc fortè congregatum, ac nolens resipiscere, condemnatur à concilio, ac postea agente imperatore Theodosio apud Leonem pontificem, Ephesi concilium anno Domini 449, seu potiùs synodus prædatoria seu latrocinium Ephesinum 128 episcoporum congregatur, in quâ præside Dioscoro Alexandrino patriarchâ, reclamantibus Apostolicæ sedis legatis (nempe Juliano episcopo, Renato presbytero, Hilario diacono, quos S. Leo miserat), ob summam Dioscori iniquitatem et potentiam, impius Eutyches absolvitur, et ejus hæresis approbatur. S. Flavianus, et alii plurimi episcopi catholici condemnantur, plerisque episcopis (ut Baronius notat tomo 6 Annal. circa annum Christi 449, ex quo brevem hanc historiæ seriem desumpsimus) per minas et vim, intentatis exiliis, catenis, fustibus et gladiis, ad suscribendum adactis, repugnantibus verò et reclamantibus sedis Apostolicæ legatis, et contestantibus, quæ per vim et metum extorquerentur, nullius roboris esse. Quæ contestatio licet non sit in actis illius pseudosynodi, utpote à Dioscori notariis confectis, est tamen de illâ expressa mentio in pluribus litteris S. Leonis, tum ad Theodosium imperatorem, tum ad alias personas; tandem legati pontificis fugâ elapsi, post multa pericula et insidias Romam redierunt. At certior factus summus pontifex Leo eorum quæ in illâ synodo gesta sunt, Romæ concilium coegit, in quo pseudosynodus Ephesina damnatur, ac omnia ejus acta rescinduntur.

Impius Dioscorus Alexandriam reversus, anathema ausus est intorquere in Romanum pontificem, coactis decem episcopis, lacrymantibus et gementibus ad subscribendum facinus hactenùs inauditum; at post multa episcoporum dissidia, à S. Leone urgente et instante Marciano imperatore anno Domini 451, in Oriente, nempe in civitate Chalcedonensi, concilium œcumenicum indicitur, in quo sexcenti et triginta episcopi convenerunt, præsidentibus legatis Romanæ sedis, in quo concilio damnata est hæresis Eutychis et Dioscori episcopi Alexandrini, qui et ab episcopatu, et ab omni ecclesiasticâ fuit dejectus ac depositus functione; similiter sancitum est, ut Ephesinum sub Dioscoro concilium celebratum concilii nomen non obtineret. Præter episcoporum sententiam, præter sedis Apostolicæ confirmationem, accesserunt etiam ad corroborandam synodum Chalcedonensem sanctissimi viri, qui his temporibus illustrabant orientalem Ecclesiam, et miraculorum virtute nitebant, qui tandem se fidem tenere et verbis testati sunt et crebrâ miraculorum editione confirmârunt, quales fuerunt Euthymius, Auxentius, et alii sanctissimi monachi. Dioscorus verò, à suo episcopatu depositus, ac simul cum aliis hæreticis relegatus, vitâ functus est, ac Alexandriæ loco ejus ordinatus episcopus Proterius; ingens tamen seditio et tumultus Alexandriæ excitatur propter Dioscori relega-

tionem, ac teste Evagrio lib. 2, c. 5, eò usque invaluit vulgi studium in improbissimum et nequissimum Dioscorum, ut post ejus mortem divinos etiam honores ei Ægyptii detulerint, qui et usque in hæc tempora, tam in Alexandrinâ, quàm in plurimis Ecclesiis ab Eutychianis hæreticis deferuntur.

Ægyptii hæretici exilio propter Eutychianam hæresim mulctati, mortuo imperatore Martiano, veniunt Alexandriam, ac irruentes in sanctum episcopum Proterium eum occidunt, et ejus loco Timotheum quemdam Eutychianum subrogârunt, legatosque mittunt ad Leonem pontificem, profitentes Alexandrinam Ecclesiam non admittere synodum Chalcedonensem; quare anno Domini 459, synodus Constantinopolitana 73 episcoporum, admittente Gennadio episcopo Constantinopolitano, præsentibus Apostolicæ sedis legatis à S. Leone missis congregatur, in quâ de confirmando fidei decreto in concilio Chalcedonensi, et abolendâ penitùs Eutychianâ hæresi sancitum est, ac demùm Timotheus invasor Ecclesiæ Alexandrinæ longè in exilium ab imperatore Leone relegatur, suffecto in ejus locum Timotheo alio viro catholico. Tandem postquàm Eutycheti et Dioscoro à sanctâ quartâ synodo Chalcedonensi dignitas abrogata est; qui illorum dogma defenderunt, ut testatur Nicephor. lib. 18, cap. 14 Eccles. Hist., factâ ab Ecclesiâ catholicâ defectione segregatos sive ambigentes seipsos appellârunt, neque ullo modo, ut quæ rectè in concilio sancto statuta essent comprobarent, adduci potuêre. Ii in duodecim sectas dissecti sunt, ex quibus per universum Orientem multa millia hæresum pullulârunt. Ex quarum sectatoribus quidam, (ut notavit Prateolus, verbo *Acephali*) Eutychianistæ vocati sunt, alii Acephali, alii Monophysitæ, alii Theodosiani, alii Julianistæ, alii Tritheitæ alii Agnœtæ, alii Theopaschitæ, alii Armenii, alii Severitæ, alii Aphthartodocitæ, alii Phantasiastæ, alii Manichæi, alii Pthartolatræ, alii denique Scenolatræ sunt appellati.

Antesignani verò præcipui post Eutychetem et Dioscorum fuêre Severus monachus, qui fex, lues atque perditio fuit totius Orientalis Ecclesiæ; Petrus Damaphæus, Theodosius, Julianus, Alicornasius, Guinus, et alius ejusmodi infelicium mortalium chorus, omnes isti professione Severiani, hostesque concilii Chalcedonensis, ut Baronius refert tomo 7, anno Christi 535, inter seipsos more hæreticorum pugnârunt, ut planè acciderit, hoc veluti portento quodam, ut bellua sine capite (ita Acephalorum hæresis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter se pugnantibus: nam ex eis primùm eminuit caput Severus, ex quo denominati sunt Severiani; ex hoc verò plura alia capita pullulârunt, nempe Gaianus, ex quo Gaianitæ, Theodosius, ex quo Theodosiani, Jacobus, ex quo Jacobitæ, Themistius, ex quo Themistiani; numerat adhuc aliud caput Joannes Damascenus, nempe Barsanium, ex quo Barsaniani, sive Semidalitæ, de quibus ait: « Hi cùm omnia Graianorum et « Theodosianorum decreta defendant, aliquid « tamen præterea addiderunt de suo, symbolis « Dioscori relictis, ut à reliquis Dioscori secta« toribus noscerentur. » Quorum impiorum dogmatum, teste Nicephoro, lib. 18, cap. 54, Eccles. Hist., sectator atque restaurator fuit Jacobus quidam Syrus, genere obscurus prorsùs, et nullâ gloriâ vir, à quo maximâ ex parte Syrorum gens usque in hodiernum diem Jacobita est denominata.

Hâc etiam morbi contagione Sergius archiepiscopus Constantinopolitanus maximè infectus est, per quem Monothelitarum sive monophytarum hæresis, teste Nicephoro, ut supra, admodùm est propagata. Fuerunt enim Monothelitæ inter Acephalos præcipui, et à quibus, post Dioscorum et Eutychetem, tanquàm ab infecto fonte maxima Orientis pars fuerit infecta: hi enim subtiliùs hæresim suam velantes, prædicto Jacobo apud Syros prædicante, magnam Orientis partem infecerunt. De Monothelitarum hæresi Nicephorus, ut supra, cap. 46, ita scribit: Quod verò, inquit, fuerit Monophytarum dogma à quibus tanquàm à radice pessimâ plurimæ aliæ hæreses pullulârunt, seu circulus aut catena ex sese dependentes, modò dicam: cùm etenim convenientes in Christo naturas, quamlibet per seipsam discernunt, duas eas esse necessitate adducti confitentur; cùm verò utramque in Verbi incarnatione uniunt, non duas illi inconfusibili modo convenientes naturas, sed unam compositam naturam statuunt.

Nobis enim unam subsistentiam compositam dicentibus, illi unam potiùs naturam compositam inferunt, et rationem sententiæ suæ exemplo confirmantes dicunt, hominem animam obtinere et corpus, et aliam animæ naturam esse, aliamque item corporis, si quis quamlibet per seipsam contempletur; cùm verò illæ coierint, hominem efficere, unam naturam compositam obtinentem. Non enim,

inquiunt, duas naturas hominem dici oportet, sed unam compositam. Atque ad eumdem modum de Servatore Christo opinantur: illum videlicet ex duabus quidem constitisse naturis, post unionem autem duas illas naturas in unam evasisse compositam, quod sanè Ecclesia tanquàm piaculum prorsùs aversatur.

« En, inquit card. Baron. tomo 7, ubi supra, « in quos vepres atque dumeta, invia loca, « scabra abditosque recessus per rupes et « præcipitia, præruptaque scopula immanium « ferarum latibula incurrerint, à recto fidei « tramite aberrantes humanæ mentes; en « quomodò monstrum monstro junctum con- « cipiat, pariatque horrenda spectra, atque « deformia simulacra! ut ex his prudens quis- « que intelligere valeat, secundùm illud Job. « cap. 38: *Ubi lux habitet, et tenebrarum quis « locus sit, ut quisque ducat unumquodque ad « terminum suum, et intelligat semitas domûs « ejus*; cognoscat scilicet, ubi sit fides catho- « lica, ubi verò hæreses habitent. At non hic « finis portentorum; alia adhuc prodierunt ex « cornutâ bestiâ, capita, ut longè ista superet « tricipita conficta à gentilibus monstra, vel « septem capitum hydram; præter enim eas « superiùs recensitas ex Severo progenitas « hæreses, ad eumdem pertinere tradit Nice- « phorus, lib. 18, cap. 49, Caucobabditas, à « loco quodam ita denominatos hæreticos; An- « gelitas etiam, et Damianistas, ita dictos ab « episcopis et locis, iisdem nominibus appel- « latis. Nam Angelitas ab Alexandriæ loco, cui « nomen erat Angelii, dictos tradit: quibus præterea addit et Tetraditas, Petritas atque Paulitas, quorum alii Petrum, alii Paulum « Severianos, sed ab invicem dissidentes con- « sectabantur. Gignebantur hæc monstra po- « tissimùm in Ægypto, quæ mox post ortum « in seipsa ungulas convertebant, et dentes, « ut planè acciderit Ægyptiis secundùm illud « propheticum Isaiæ 19: *Concurrere faciam Ægy- « ptios adversùs Ægyptios, et pugnabit vir contra « fratrem suum, et vir contra amicum suum; civitas « adversùs civitatem, et regnum adversùs regnum; « et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus « ejus, et consilium ejus præcipitabo; et interro- « gabunt simulacra sua, et divinos suos, et pytho- « nes, et ariolos*, donec tot scelera consecuta « est quæ subditur ultio: *Et tradam Ægyptum « in manus dominorum crudelium, et rex fortis « dominabitur eorum, ait Dominus Deus exerci- « tuum*. Ad hæc planè hæreses deducunt po- « pulos, ut post abominationes secum vehant « servitutem atque desolationem, quam cunctis « manifestam ob oculos positam, tam in Ægy- « pto quàm aliis orbis regionibus à catholicâ « fide refugis, nemo non videt. » Hactenùs Baronius.

His igitur hæresibus Orientalis Ecclesia ad miserrimum perducta erat statum; ubique luctus, ubique dissidia, non solùm adversùs orthodoxos confligtantibus hæreticis, sed et ipsis inter se pugnantibus, adeò ut omnes Ecclesiæ in separatas factiones dividerentur, et eorum præsides inter seipsos minimè vellent communicare, unde plurimæ in Oriente dissensiones ortæ sunt, qui rerum infelicissimus status usque in hodiernum diem Ecclesiam illam ipso Pharaonis jugo durior opprimit; nec tamen tot à Deo inflictis suppliciis, tot Turcarum flagellis ac calamitatibus oppressa, resipiscit. Nationes verò præcipuæ, quæ hodiè in Oriente prædictis scatent erroribus, aliisque hæresibus, quæ ex illis veluti ex impurissimo fonte emanârunt, sunt Nestoriani, Jacobitæ, Cophti, Abyssini, Armeni, quibus adjungemus etiam Georgianos, de quibus sigillatim acturi, hunc ordinem servabimus. Primò harum nationum errores, ritus moresque recensebimus, ac obiter quicquid in unâquâque natione fuerit dignum proferemus. Deinde breviter præcipuos et veluti capitales errores enarrabimus; tandem pro juvandis his nationibus Deo favente aliqua adducemus.

Articulus II.

De Nestorianorum natione, et eorum erroribus.

De Nestorii impiâ blasphemiâ diximus præcedenti capite, qui duas in Christo non solùm naturas, sed et personas agnoscebat, unam divinam, alteram humanam; nunc de Nestorianorum Orientalium, qui in Babyloniâ, Persiâ, atque in aliis Asiæ regionibus versantur, erroribus disseramus. Errores verò in quibus hodiè Nestoriani versantur, teste episcopo Leonardo, et ut accepimus etiam ex relatione Abdelmessiæ procuratoris Eliæ, Chaldæorum in Babyloniâ primatis sive patriarchæ, hi præcipui sunt. Nestorium et Theodorum Mopsuestenum vespertinis horis in aliquibus Ecclesiis cum Patribus adhuc invocant Chaldæi. Sanctum verò Cyrillum damnant et anathematizant. Humanam in Christo naturam absque personâ humanâ non esse perfectam existimant; ideò duas in Christo asserunt esse personas. Fatentur tamen Christum à primo instante conceptionis esse perfectum Deum et

perfectum hominem. Beatissimam Virginem non vocant Dei genitricem, ne videantur, ut aiunt, asserere cum Jacobitis Virginem genuisse ipsam divinam naturam trium personarum divinarum, cùm dictio Dei contineat Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, et de iisdem prædicetur. Ideò vocant sanctissimam Virginem Dei Verbi genitricem. Universali sacro concilio Ephesino primo, et aliis carere videntur. Clerici omnes apud Chaldæos, et etiam illi laici qui alios devotione excedunt, sacram Dominici corporis communionem è manibus propriis recipientes, sub utrâque specie communicant; cæteri verò laici corpus Domini sanguine intinctum ore assumunt. Nuptias in gradibus prohibitis, sine superioris licentiâ, etiam in secundo gradu contrahunt. Sacerdotes mortuâ primâ uxore, secundas et ulteriores faciunt nuptias. Monachi sæpiùs in monasteria maadronitas, id est, monachas, sive diaconissas, ingredi et pernoctare permittunt. Patriarcham non per electionem, sicut et aliæ nationes creant, sed potiùs per renuntiationem de uno in alterum, quasi jure hæreditario. Asserunt in fide ab Apostolis traditâ nullum Chaldæorum fuisse hæreticum.

Hæc de erroribus Nestorianorum Orientalium, qui in aliquibus Asiæ regionibus versantur; sunt etiam Nestoriani in Indiâ orientali in civitate S. Thomæ, aliis et oppidis, de quibus Antonius Possevinus, tomo 2 Apparatûs, verbo *Nestorianorum*, alios refert errores : Porrò, inquit, cùm anno 1599, Goensis archiepiscopus in orientali Indiâ Christianos, qui dicuntur S. Thomæ, unà cum Patribus Jesuitis diligentissimè visitâsset, synodumque fidei catholicæ atque disciplinæ ecclesiasticæ restituendæ habuisset, factum est, ut blasphemiæ omnes Nestorianorum non solùm interiùs, quàm unquàm antea factum fuisset, innotescerent, verùm etiam plurima eorum volumina sive purgarentur, sive abolerentur. Cùm autem, etsi eâ labe Europæi non ita sint inquinati, quemadmodùm est magna pars eorum, qui degunt in Asiâ, expedit tamen, ut qui à sede Apostolicâ eò mittentur, eosdem errores ita nôrint, ut præmuniti solidis Ecclesiæ argumentis, eorum populorum salutem faciliùs curent, librosque erroribus scatentes, aut comburant, aut faciliùs expurgent. Sanè in eâ visitatione à Patribus Societatis partim combusti, partim expurgati sunt libri sequentes : Hudra et Gaza, hoc est, Breviarium et Thesaurus; liber qui prænotatur : Expositio abbatis Esaiæ; liber qui dicitur Memra; alter qui inscribitur, Margarita fidei; alius prænotatus liber Patrum; alius dictus, Liber synodi; alius cui titulus : Liber Historiæ Beatæ Virginis, ac de infantiâ Salvatoris; liber Ordinum, liber Homiliarum, liber expositionis evangelicæ; liber Joannis Bar. Caldon.

Qui omnes libri, ut diximus, variis erroribus et hæresibus aspersi (Nestorianorum præcipuè) præterquàm quòd Nestorium, Dioscorum et alias ejusmodi pestes, tanquàm sanctos et Ecclesiæ universalis capita venerabantur, pluraque fidei dogmata negantes, ea invertebant, sive ad sanctissimam Trinitatem, sive ad Christi Domini resurrectionem, sive ad personam Filii spectantia; primatum autem Ecclesiæ sibi arrogantes, eum in B. Petri legitimo successore haud agnoscebant. D. etiam Cyrillum Alexandrinum, qui eorum hæresum fuit strenuus expugnator, detestabantur, et pleraque alia tenebrarum plena docebant. Quin et integrum volumen passim ignis consumpsit, quod inscriptum erat : *Spar Sammane,* id est, *liber Medicamentorum;* plenum erat enim nominum dæmoniorum, veneficiorum, superstitionum, quo utebantur ferè omnes Cassanares, et ipse potissimùm defunctus pseudoarchiepiscopus duo volumina apud se habebat Thesauri loco, ubi et cor ejus. Libellus alius qui dicebatur, *Spar Pesa,* id est, *liber sortitum,* tanquàm superstitiosus ubique traditus est igni : fuit enim semper præcedenti Medicamentorum libro conjunctus. Volumen aliud, in quo vita multorum Nestorianorum continebatur (relicta tamen apud illos D. Thomæ Apostoli, et Georgii martyris historia) expurgatum est, detruncatis nominibus illorum hæreticorum, sicuti et plures aliæ blasphemiæ aliis in libris repertæ, inter quas reprobabant concilium provinciale.

Quædam item in novo Testamento ab hæreticis depravata restituta sunt. Nam quod D. Lucas habet, c. 6, ubi Christus Dominus dixit : *Mutuum date, nihil inde sperantes,* codices Syriaci habebant : *Mutuum date, et ne amputetis spem hominis;* putabant autem modicam usuram non esse peccatum. Lucæ 10 : *Secrevit Jesus è discipulis suis alios septuaginta,* deerat dictio, *duos,* sicut et inferiùs, in eodem capite. In Actis Apostolorum, cap. 20, ubi dicitur : *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo,* positum erat nomen Christi loco Dei. Nolunt enim posse dici Ecclesiam Dei sanguine redemptam esse, quippe qui negent

communicationem idiomatum in Christo. Epistolâ primâ Joannis, cap. 3, ubi dicitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei,* ablatum erat nomen *Dei,* ob eamdem rationem supra allatam; sequitur enim statim: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, quod contra Nestorianos erat. Item ibidem, c. 4, loco versiculi: *Omnis spiritus qui solvit Jesum*, in Syriaco habebatur: *Omnis spiritus qui non confitetur Jesum venisse in carne, non est ex Deo.* Vera enim lectio molesta erat Nestorianis solventibus Jesum in duas personas, unionemque hypostaticam cum humanitate scindentibus.

Item ibidem, c. 5, deerat integer iste versus: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater,* etc. Ad Hebræos, c. 2, ubi dicitur: *Ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem,* in Syriacis habebatur: *Ipse enim præter Deum pro omnibus gustavit mortem.* In Evangelio Joannis deerat integra historia Adulteræ. Apocalypsis etiam B. Joannis, et alia desiderabantur, quæ etiam in Bibliorum regiorum Syriacâ editione desiderantur.

Articulus III.

De Nestorianis qui in Ecclesiæ catholicæ unione persistunt.

Inter Nestorianos tamen Asiaticos quamplures sunt, qui Apostolicæ sedi parent; hi obedientiam præstiterunt sanctæ Romanæ Ecclesiæ tempore pontificatûs felicis memoriæ papæ Julii III, et juxta vetus nomen Chaldæos, sive Assyrios Orientales sese appellantes, rejecto Nestorianorum cognomine, et pro capite superiore suo habuerunt fratrem Simonem Sulacam ordinis S. Basilii, qui Romæ ferebat distinctam obedientiam, fuitque confirmatus patriarcha à sanctâ sede Apostolicâ ejusdem nationis, cum eodem titulo Ecclesiæ Mozal, quam adversarius ipsius possidebat. Postea reversus præfatus patriarcha in Caramit, quosdam archiepiscopos et episcopos ibi ordinabat, omnesque subditos suos in eâdem obedientiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmabat, rejicique jussit invocationem Nestorianam, quæ tunc temporis à diacono in Ecclesiâ fieri solebat. Publicabat etiam processionem sanctæ fidei catholicæ Româ portatam, aliosque Nestorianos in suam devotionem, sedisque Apostolicæ obedientiam inducere incipiebat, sed subornatione et fraude patriarchæ Dry adversarii sui captus, tandem à ministris Turcarum occisus fuit.

In visitationem et confirmationem hujus nationis et patriarchæ, missus fuit à sede Apostolicâ episcopus Ariensis, ordinis S. Dominici, qui propter persecutionem antedicto patriarchæ factam, Sulacæ videlicet post reformationem quarumdam rerum, coactus fuit cum Assyriis quibusdam, in Indiam ad regna Armuziæ et Goæ, ubi animam Deo reddidit, migrare. Socius autem ipsius frater Antonius ejusdem ordinis, cum archiepiscopo Ermete Eliâ, discipulo præfati patriarchæ, Sulaca permultos Chaldæos, qui sunt in Coccin et Indiâ sancti Thomæ visitavit, Romamque revertens episcopus Vici à papâ Pio V fel. mem. creatus est.

Eidem patriarchæ Sulaca successit pater Abdiesu ejusdem ordinis S. Basilii, qui venit ad concilium Tridentinum, Romæque obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub pontificatu papæ Pii IV fel. mem. præstitit, confirmationem apostolicam, cum eodem titulo Ecclesiæ Musal reportavit; revertensque in Catemet et Seert quamplurimos sacerdotes episcopos et archiepiscopos ordinavit, ejusque devotioni multæ civitates Chaldæorum Nestorianorum sese submiserunt, sed pauxillos post annos ex hâc ad meliorem vitam in monasterio civitatis Seert migravit; eique successit frater *Ahathalla* ejusdem ordinis, qui non habuit confirmationem apostolicam, quia eamdem Romæ non postulârat; regebat tamen patriarchatum, nationesque suas assistentiâ et consilio præfati archiepiscopi *Ermetis Eliæ,* reversi ex Indiâ.

Post mortem verò hujus patriarchæ Ahathallæ, cùm archiepiscopus de Gelu et Salamas, obedientiæ patriarchæ adversarii, cum omnibus suis subditis qui sunt in confiniis Persiæ, sub Sanguaccato de Zeinalbach renuntiâsset operâ et studio archiepiscopi Ermetis Eliæ, eidem nationi Assyriæ sese adjungebat, fuitque electus patriarcha à prælatis ejusdem nationis, ac sub pontificatu Gregorii papæ XIII fel. memoriæ, Romam procuratorem suum, præfatum archiepiscopum Ermetem Eliam misit, qui nomine patriarchæ sui debitam sedi Apostolicæ obedientiam præstitit, et professionem sanctæ fidei emisit. Exinde apostolicam confirmationem et pallium nomine præfati Donhæ Simonis patriarchæ sui, in publico consistorio obtinuit; atque ita complu-ribus mensibus in sanctæ fidei dogmatibus eruditus, et de obedientiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ præstandâ certior factus, Româ discessit anno 1582. Bullas Apostolicas, pallium pa-

triarchale, multa insuper ornamenta à sede Apostolicâ patriarchæ suo collata deferens, admonitus etiam de omni eo quod sibi penes eumdem patriarcham, nationesque illas exequendum foret.

Articulus IV.

De natione Chaldæâ Assyriâ.

Chaldæi Assyrii Caramitani, prædicto patriarchæ subjacent, devoti et morigeri sedi Apostolicæ, et magistros, qui liberos suos præcepta et constitutiones fidei edoceant, summoperè desiderantes. Hæc natio et Assyria, quatuor habuit patriarchas, quorum tres à sede Apostolicâ confirmati fuerunt, qui tanquàm titulum Ecclesiæ Musal in Babyloniâ habuerint, hactenùs tamen propter alium patriarcham sibi adversantem, eamque occupantem illâ potiri nequiverunt, prorsùs ut prædicti patriarchæ variis in locis modò in Charemet, modò in Serit, residere coacti fuerint, simulque hic postremus patriarcha Zeinalbach in confinibus Persiæ agere compulsus fuerit; estque hæc natio in hodiernum usque diem sub duobus patriarchis divisa, quorum hi Chaldæi Assyrii Orientales à nobis nuncupati, alii verò Nestoriani dicti sunt. Horum Orientalium Chaldæorum ditissimi ac potentissimi in civitate Charemet, sive Amet resident, qui cum prælatis suis, obedientiam sedi Apostolicæ conservare impendio adlaborant, necnon augmentare, indeque quàmplurimos Nestorianos in suam sententiam allectos sibi associârunt. Potentiores autem et ditiores nationis Nestorianæ subditi patriarchæ adversario, illi sunt qui incolunt civitatem Mozal et Gesire in Babyloniâ, sub quo patriarchatu magnus est gentium numerus, modernusque patriarcha Elias vocatur, in monasterio patriarchali sancti Ermetis juxta eamdem civitatem Musal degens. Hic etiam patriarcha quondam obedientiam sedi Apostolicæ præstitit: attamen cum professione suâ misit religiosum quemdam, litterisque ad suam Sanctitatem directis, et ad dominationem vestram illustrissimam, quibus etiam sese sanctæ Romanæ Ecclesiæ renuntiat atque conciliat, quem Romam appulsurum unà cum præfatis Assyriis hìc opperior; illum quippe navi Venetæ commisi, eò quòd mecum adducere illum nequirem. Hactenùs episcopus Sydonensis.

Habet autem in præsenti hic patriarcha (ut ex fide dignis Chaldæis Romæ agentibus accepi) sub se viginti duos episcopos, territoria sexcenta et ampliùs, quorum ad minus viginti duæ urbes sunt florentes et opulentæ, et in quâvis earum Nestorianæ familiæ quingentæ domicilium habent; at in Musal mille, constantque singulæ domus quadraginta circiter personis. Alia autem territoria minuscula, ducentas, vel trecentas familias Nestorianas complectuntur. Extant ibidem ad minimum triginta ordinis S. Antonii monasteria, in quibus 15 vel 20 vivunt monachi: in eo autem in quo patriarcha fixam habet sedem, septuaginta circiter religiosi monasticam vitæ normam profitentur. Porrò patriarcham et episcopos monachos fuisse necessum est. Degunt hi Nestoriani in Mesopotamiâ, seseque in Baldach usque extendunt; in Indiâ etiam orientali crebræ sunt Nestorianorum familiæ huic patriarchæ subditæ, qui eis episcopos præficere solet.

De reductione Nestorianorum et Machariorum in concilio Florentino factâ, vide bullam Eugenii IV, quæ incipit: *Eugenius ad perpetuam rei memoriam: benedictus sit Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* etc. In quo Nestorii pravitas damnatur, qui purum hominem Christum esse, et beatissimam Virginem Mariam, non Dei, sed Christi genitricem esse asserebat. Macharii Antiocheni impietas similiter rejicitur, qui quanquàm Christum verum Deum et hominem esse profiteretur, divinam tamen tantummodò in eo voluntatem et operationem, humanitati ejus parùm tribuens, esse asserebat. Timotheus archiepiscopus Tarsensis nomine Chaldæorum in Cypro existentium, supradictam detestationem ac dogma suscepit. Isaac nuntius Eliæ episcopi Maronitarum hæresim Macharii reprobat. Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1445, septimo idus augusti, anno quinto decimo. Fuit autem hæc unio facta post reductionem Armenorum, Jacobitarum, et Mesopotamiæ populorum, eorumque inter se unionem; verùm quia non fuit universalis omnium Nestorianorum, sed tantùm eorum qui sub patriarchatu insulæ Cypri agebant, idcircò litteræ apostolicæ consultò à nobis hìc prætermittuntur.

Articulus V.

Ritus et errores Ecclesiæ Alexandrinæ, et nationis Cophtæ, qui hàc ætate grassantur.

Patriarchæ Alexandrino, ut refert Guillelmus Tyrus, lib. 14 de Bello Sacro c. 22, suo tempore obediebant Ægyptus, Lydia, Pentapolis, et omnes aliæ provinciæ, quæ sub Præ-

tejanis, seu *Presbyteri Joannis* imperio vivunt; inter has omnes nationes degunt Ægophti, hoc est, Ægyptii, quos nos Cophtos, appellamus, alii Cophtitos nuncupant, quia Græcè idem, quod circumcisi sonat, qui nomine ac ritibus christianis ex parte utuntur, qui et Christiani Præcincturæ vulgò vocantur: hi autem quamvis per lavacrum regenerationis renati sint, Judæorum tamen ritu præputia putant, et veteri quodam errore circumcisionem usurpant; numerat verò Ægyptus quinquaginta circiter Cophtorum millia, sed ferè innumeros Æthiopia; hi omnes parent prædicto patriarchæ, qui vulgariter etiam nominatur patriarcha nationis Cophtorum; hi quamvis christiano nomine gaudeant, re tamen ipsâ hæretici ac planè schismatici sunt, variisque scatent erroribus, ritibusque diversis ab his qui in Ecclesiâ Latinâ florent. In primis enim patriarcha Alexandrinus disjunctus ac separatus est à capite omnium Ecclesiarum pontifice Romano, à tempore concilii Chalcedonensis. Deinde inter celebrandum Missam Cophti invocant Severum, Dioscorum, et Jacobum ejus primum discipulum; eosque patres et sanctos vocant, ostenduntque tam externis actionibus, quàm verbis, se nos Latinos habere excommunicatos et hæreticos, ac proinde Latinorum praxim ac conversationem ad instar Judæorum fugiunt. Unam tantùm in Christo Domino profitentur naturam, voluntatem et operationem; duas verò naturas, voluntates et operationes confiteri recusant, ne Christus, prout ipsi asserunt, in duas etiam divideretur personas. Licet Spiritum sanctum à Patre et Filio procedere credant, verba tamen illa, *Filioque*, in Symbolo non recitant.

In hymno trisagio addunt illa verba, *qui crucifixus est*, dicentes: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Sanctissimum dominum nostrum papam in iis quæ sunt fidei posse errare, et christianæ religioni contraria docere, si iniquus fuerit et voluerit, opinantur. Præter concilium Nicænum, Constantinopolitanum et Ephesinum, universales synodos, nulla alia concilia universalia hactenùs susceperunt. Concilium Chalcedonense et S. Leonem papam expressè damnant. Vana vel falsa per Deum jurare non reputatur ab eis peccatum, et illi, qui in partibus Ægypti aliena furantur, peccare minimè existimantur.

Circa Sacramentorum verò administrationem pariter errant, nam à Baptismo exordientes, inprimis ratum non habent hoc Sacramentum, ne quidem in summâ necessitate, si ab alio quàm à sacerdote conferatur, idque precisè in Ecclesiâ, etiamsi baptizandus de vitâ periclitaretur, nec etiam ante quadragesimum vitæ diem, quod extra Cayrum maximè in Scythiâ adeò strictè observatur, ut ne quidem imminente præsentissimâ morte, ante hunc ætatis diem parvulis Baptismus conferatur. Modus autem baptizandi talis est. Defertur nimirùm infans ad templum, ibidemque ad instar Missæ cum diacono et subdiacono officium celebratur, sine tamen consecratione vel communione, et deinde baptizandus ritu Græco aquæ immergitur, verba autem Latinorum modo adhibentur. Statim etiam à Baptismo parvuli chrismantur, unguntur que Oleo sanctó in fronte, in pectore, in juncturis, in renibus, alapa autem non infligitur. Dein vestiuntur cinguntur-que, et hæc quidem mediâ nocte fieri solent. Postremò autem Missa more solito celebratur cum consecratione, communicatusque sacerdos et ministri sub utrâque specie sanctum Eucharistiæ sacramentum sub eisdem speciebus noviter baptizato conferunt. Eucharistiæ sacramentum omnibus sub utrâque specie confertur, fitque in fermentato. Diaconi et subdiaconi (sine quibus nunquàm celebratur) semper cum sacerdote quoties celebrant, communicant: plebei autem laici rarissimè extra festa paschalia. Ministri autem hi solùm sunt viginti annorum, aut circiter, qui nunquàm confessionem suorum peccatorum faciunt, etiamsi singulis diebus communicent; proinde moris est ante vigesimum aut circiter annum nunquàm sacramentum Pœnitentiæ recipere. Infirmis autem neque Oleum sanctum, neque Eucharistia administratur. Conferuntur quoque ordines, excepto presbyteratu, omni ætati, etiam immediatè post Baptismum parvulis, simulque dantur tonsura, et quatuor gradus, et diaconatus et subdiaconatus, nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Ubi sacros ordines recipiunt, castitatem et abstinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurii et Veneris, et tempore adventûs, et quadragesimæ: hisce enim temporibus ad occasum usque solis, quando etiam Missam celebrare moris est, jejunant, insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri ordines conferuntur, pro eis spondent, et hæc vota observant ipsorum parentes, donec decimum sex-

tum ætatis annum, aut circiter attigerint. Matrimonium contrahitur in præsentiâ sacerdotis et in facie Ecclesiæ, idque ad formam Romanam, quanquàm plures cæremoniæ et solemnitates adhibeantur. Idipsum autem quamvis jam consummatum dissolvitur quandoque (quanquàm raró) assumente sibi marito aliam conjugem, conjugeque alium maritum. Utuntur autem hi, ut refert Prateolus verbo *Cophti*, in suis Ecclesiis libro quodam fabuloso, quem Secreta Petri appellant, et in Missis legunt Evangelium Nicodemi. Hæc ille. Olim omnes Cophti circumcidebantur; sed hodie, ut ipsi asserunt, Alexandriæ et Memphi, seu Cayri, non ampliùs circumciduntur, forsan post synodum Memphiticam, de quâ infra, et si qui alibi circumcisi reperiuntur, Mahumetanorum vi circumciduntur. Verùm à parentibus statim crucis signo in fronte, vel manu signantur, ut ab omnibus tanquàm Christiani dignosci possint

Articulus VI.

Pro adjuvandis Cophtis, sive natione Alexandrinâ.

Inter pontifices alios qui Cophtorum conversionis studio flagrârunt, præcipuus extitit Gregorius XIII, qui multis legationibus pacis et unionis ad illam gentem missis, eos ad Ecclesiæ sanctæ gremium magnâ cum sollicitudine adduci curavit. Re igitur à legato summi pontificis feliciter incœptâ, post aliquas de fide cum Cophtis disceptationes, concilium Memphis congregatur; fuit autem Memphitica synodus auctoritate Gregorii pontificis maximi anno 1582, in mensem decembris indicta, quæ tres habuit sessiones, in quibus de ablegandis antiquis Nestorii atque Dioscori hæresibus, jungendisque animis Cophtorum, qui et Christiani Præcincturæ dicuntur, cum catholicâ Romanâ est actum.

Interfuêre consessui 1° episcopi et principes viri; 2° autem patriarcha Alexandriæ, qui in eos atque Æthiopiam habet antiquitùs jurisdictionem, abbates cœnobiorum, et primarii viri triginta; 3° item iidem cum Patribus Societatis Jesu Joanne Baptistâ Romano in primis, quos pietas ejusdem pontificis maximi eo suo nomine, ut præessent synodo, cum pontificio diplomate allegaverat.

In primo autem consessu de occasione disjunctionis ejus gentis à Romanâ Ecclesiâ locuti sunt, ita ut nostri in pseudosynodum Ephesinam conjicerent culpam, quam Dioscorus episcopus hæreticus coegerat haud legitimam, neque synodi nomine dignam. In eâ enim monstrârunt receptam fuisse Eutychetis insaniam, duas negantis in Christo naturas, quam hæresim Chalcedonense legitimum concilium e sexcentis ac triginta Patribus Leone I pontifice maximo summâ consensione damnâsset. Quo facto eorum Cophtorum majores, homines minimè malos, certè non doctissimos, idem fuisse ratos, duas naturas in unam Verbi conjunctam hypostasim, ac duas cum Nestorio hypostases copulare. Id quod antea vera Ephesina synodus exploserat. Inde igitur consequentium errorum fontem ac seminarium extitisse. Cùm autem demùm indagandæ è suis scriptis (quæ vix habebant, et ea quidem exesa vetustate) tempus petiissent, dimissa tunc est synodus.

In secundo igitur consessu, cùm Cophti mordicùs suas hæreses se retenturos assererent, contraque nostri antiquissimas synodos, fidemque quam illi à B. Marco accepissent, objicerent, urgerent quoque duas in Christo naturas denegare nil esse aliud, quàm miscere ac perturbare universa: et eodem simul negare mendacio, divinum Verbum humanam induisse naturam, id quod christianæ aures non ferunt, in alterum mensem rejecta est synodus.

At in tertio consessu, Deo aspirante circumcisionis lex primùm fuit abrogata. Deinde post sex horarum disputationem de duabus Christi naturis, tandem synodus universa divino afflatu concordissimè sanxit, quod ad rem attinet, unà cum Catholicis sentiendum, anathematis pœnâ propositâ, si quis Christum alterâ naturâ spoliaret. Qui cùm idem Deus, idem sit verus homo, et divinam habet à Patre jam inde ab omni æternitate naturam, et humanam sumpsit ex matre definitis temporum spatiis; Cophtes autem quanquàm à duarum abstineant naturarum appellatione, non tamen ab iis Deum et hominem Christum esse negant. Sed ab eâ loquendi ratione idcircò refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere videatur hypostases. Sic peracta quidem res est, calend. Februar. anno 1583.

Sed etsi manus dedêre veritati, Satanas tamen omni conatu prohibuit, quin chirographo, quod confessi fuerant, confirmarent, tum patriarchæ vicario id procurante, homine pessimo, quique eâ ratione consequi se posse patriarchatum speraverat, tum morte ipsius patriarchæ; Turcis quoque, nostris in teterrimum carcerem conjectis, quasi Orientalem illum tractum, sive pontifici maximo, sive regi catholico subjicere vellent. Quæ calumnia licet

paulò post innotuisset Turcis, tamen proregi accepta fuit occasio, ut quinque aureorum millia nostri persolverent, si vellent liberari, quam summam Cophtis et mercatoribus numerantibus, charitas Gregorii pontificis maximi liberaliter restituit. Tum redire coacti sunt Romam, ubi et deinceps Maronitarum, qui degunt in monte Libano, seminarium auctum est, ac fides subinde in eas oras propagatur. Ex his perspicuum erit, quò collineandum sit ab his qui posthàc à sede Apostolicâ missi, tantum negotium in Oriente sunt tractaturi.

In domo Cayri bibliotheca est, in quâ plurimi sanctorum doctorum et Patrum libri Arabico idiomate conservantur, quales sunt S. Hieronymi, S. Gregorii Nazianz., S. Basilii, Traditiones Patrum, multaque alia scripta, suntque homines quamplurimi felicis satis ingenii et memoriæ, ubi per otium, licet summam ex horum librorum lectione jucunditatem et frugem haurientes, docti quandoque evadunt. Tempore papæ Clementis VIII, legatio ficta Alexandrinæ Ecclesiæ ad Romanum pontificem delata est, quâ Marcus patriarcha, et cum eo omnes Ægypti provinciæ, aliæque sibi conjunctæ ipsum, ut par est, summum Ecclesiæ caput, universalemque pastorem agnoscebant, ut latè in fine 6 tomi cardinalis Baronius scripsit : re tamen postea diligentiùs examinatâ, cujusdam Bartonis impostoris fuisse mendacium ac figmentum apparuit.

Quantâ verò his temporibus angustiâ laboret Alexandrina Ecclesia, sub immani Turcarum dominio, quæ his subditur, tibi facilè indicabunt, ut planè terribilem Dei vindictam adversùs eam, et omnes Orientales, ubi defecerunt à communione Apostolicæ sedis immissam nemo prudens absque mentis horrore animique pavore, valeat contemplari. Ut de eâ lugubre illud Hieremiæ carmen sit occinendum : *Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Quæ enim omnium orientalium Ecclesiarum florentissima et opulentissima erat, eò nunc paupertatis et angustiæ redacta, ipsis etiam sacerdotibus, indumentis necessariisque subsidiis caret, variisque aliis modis inopiâ premitur. Dei namque diram hanc esse vindictam, ut sacerdotes laborent inopiâ, quisque intelliget qui Domini sententiam in Eli filios, et eorum posteros promulgatam attendit, cùm fore dicit, ut rogaturi essent, ut admitterentur ad unam partem sacerdotalem, ut comederent buccellam panis. Et quod ait ipse Dominus per Malachiam, cap. 2 : *Ad vos mandatum hoc, sacerdotes, si nolueritis audire, mittam in vos egestatem*, etc. Iteratumque planè quod per Isaiam, cap. 19, de Ægypto prædixerat : *Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* Tale judicium et reliquos subituros, qui ab Apostolicâ sede rebellant : ut cladibus pressi cogantur tandem cognoscere et invocare matrem, cujus se filios esse negârant. Sed non desperandum post tot secula, quibus Ecclesia Alexandrina angustiis et miseriis oppressa est, quòd tandem è tenebris emergens ad lucis radium apertis oculis salutem impetrabit, secundùm illud ejusdem prophetæ : *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos, et agnoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illâ, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino et reddent.*

Articulus VII.

De natione ritibusque Abyssinorum, ac methodo illos juvandi.

Sub imperio regis potentissimi, quem Europæi *Presbyterum Joannem* vocant, inter magnos ætatis nostræ monarchas meritò recensendi, ut qui inter utrumque tropicum à mari Rubro ad Æthiopicum ferè Oceanum pertingit, degunt Abyssini ; his autem Alexandrinus patriarcha præest, cui in suis ritibus omnis subjicitur Æthiopia, quam et per Memphiticos administrat episcopos. De Æthiopum moribus, fide et religione, aliisque illius regionis proprietatibus consulat lector Franciscum Alvaresium, qui diligenter admodùm, quæ in suâ legatione observaverat, descripsit, et Joannem Bermunœsium, qui suam quoque legationem ad hos Abyssinos linguâ Lusitanicâ edidit, ac Damianum à Goes in libello de rebus Æthiopicis ad Clementem VII, qui insertus in historiâ Lusitanicâ, vel simul cum libello de moribus gentium circumfertur, ac denique patrem Ludovicum Guzman provincialem Societatis Jesu tomo primo de Missionibus suæ religionis.

Est in his regionibus magnus utriusque sexûs monasteriorum numerus. Monachi quadragesimale jejunium, quod apud ipsos quinquaginta diebus continetur, aquâ ut plurimùm et pane observant, etsi plures eo tempore etiam à pane abstineant, herbis duntaxat contenti : sacerdotes presbyterique sunt conjugati, Missam celebrant, processiones crucibus tribulisque peragunt ; plura apud Alvaresium de eorum

vivendi more et religione. Illud unum subjiciam, Abyssinos majori ex parte rectè sentire de primatu Romani pontificis : in primis id constat ex litteris ipsorum imperatoris Davidis (quæ apud Damianum Goes) ubi David Æthiopiæ rex potentissimus et ipse prorsùs agnoscit Romanum pontificem caput omnium, atque adeò etiam patrem suum, in epistolâ ad Clementem VII, pontificem maximum, appellat; hæc ejus sunt verba :

« In nomine Dei Patris omnipotentis creato« ris cœli et terræ, visibilium et invisibilium. « In nomine Dei Filii Jesu Christi, qui est idem « cum ipso à principio mundi, et est lumen « de lumine, et Deus verus de Deo vero. In « nomine Dei Spiritûs sancti, Dei vivi qui pro« cessit ex Deo Patre. Has litteras ego rex mitto, « cujus nomen Leones venerantur, et Dei gra« tiâ vocor Arani Tinghil, id est, Christus Vir« ginis, filius regis David, filius Salomonis, « filius regis per manum Mariæ, filius Nau per « carnem, Filius sanctorum Petri et Pauli per « gratiam. Pax sit tibi, juste Domine, Pater « sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput « pontificum omnium; et neminem metuis, « cùm nemo possit tibi malè dicere, qui es vi« gilantissimus supra animas curator, et amicus « peregrinantium, consecratus magister, et « prædicator fidei, et earum rerum hostis, « quæ conscientiam offendunt, amator optimo« rum morum, vir sanctus, quem omnes lau« dant et benedicunt. O felix sancte pater, ego « tibi reverenter obedio, cùm sis pax omnium, « et cuncta bona merearis; et ita æquum est, « ut omnes tibi obedientiam præstent sicut « sancti Apostoli præcipiunt, et apud Deum « hoc verè justum est. Ita etiam præcipiunt, « ut veneremur episcopos, archiepiscopos et « prælatos. Similiter ut te loco patris amemus, « et loco regis vereamur, et tibi uti Deo fidem « habeamus. Propterea dico ego humiliter ad « terram genibus flexis, tibi, pater sancte, sin« cero admodùm corde, quòd tu pater meus « es, et ego filius tuus, » etc.

Deinde Nicodemus abbas, Æthiops et Hierosolymitanus, vicarius patriarchæ apud Sanderum de visibili Monarchiâ Ecclesiæ, anno 1432, Palam est, inquit, eos qui à Romanâ Ecclesiâ defecère, corruisse, et dùm quisque suam fidem veriorem prædicat, quod à dæmone est, relictâ Apostolorum sententiâ, in vias sui sensûs abiisse omnes; Æthiopiam tamen integram, liberam perdurâsse; quia nequaquàm perfidiâ et voluntariâ defectione, ut aliæ Ecclesiæ peccâsset; ac propterea in servitutem et exterminia non incidisse, sed locorum distantiâ, et itinerum periculis sejunctam fuisse, necnon pontificum negligentiâ accidisse, ut nulla visitationis memoria, aut litterarum ratio apud eos à quingentis annis extaret; nihilominùs Æthiopes tantâ veneratione sedem Romanam colere, ut pedes eorum osculentur, qui Româ veniunt in Æthiopiam, vestiumque eorum partes rapere, et reliquiarum loco servare,

Nec mirum : si enim regina Saba abiit Jerusalem, ut audiret sapientiam Salomonis, plus quàm Salomon summus pontifex est; regem item Æthiopum tanti facere Romanum pontificem et Latinorum fidem, ut nihil æquè in votis habeat, atque ut cum Romanis jungat Æthiopes, et à se pontificis subdat pedibus, avidissimèque amplexurum esse, quæ de concordiâ ineundâ statuentur in synodo; pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fatetur, suoque splendore orbem illustrare; cui omnes patriarchæ, episcopi, imperatores et reges inclinantur : nec se legatos disputandi gratiâ mittere, sed ut summi pontificis sententiam de fidei rebus sequantur. « Quis enim, « ait, soli lumen auferat? Ingens est, inquit, « et vetusta Latinorum scientia, et orbi nota, « nec oportet discipulum esse supra magi« strum. » Hæc ille in suis litteris, anno 1441, die 18 octobris, ad Eugenium IV missis; addit his omnibus, se affuturum pontifici, insciis Jacobitarum patriarchâ et Saracenis, ne vi, vel ambitione aliquâ impediatur.

Sed quicquid de hoc sit, multa sunt, in quibus à nobis Abyssini dissident, quorum aliqua, ut veræ fidei catholicæ contraria, emendari et corrigi oportet, utpote quæ vel manifestam hæresim, aut crassam, vel fortè invincibilem continent ignorantiam; alia verò ad diversitatem cultûs, sive sacrorum rituum referenda sunt : brevissimè igitur de harum gentium erroribus ritibusque dicemus.

Articulus VIII.

Errores qui Abyssinis attribuuntur.

De erroribus Abyssinorum certò aliquid definiri sanè difficile videtur. Primò quia scriptores non pauci, qui de naturâ harum gentium, moribus et fide commentarios ediderunt, eos ut veræ religionis cultores commendârunt, etsi auctores alii, Orientalis Ecclesiæ rituum ignari, consuetudines etiam in illâ gente laudabiles, censeant imò et in aliis etiam rebus Abyssinorum errores accusantibus aliis, plures

etiam eos ab hàc notâ excusent. Quare ægrè ferrem, ante exactum examen, recitatis tot illis imponere errores, nisi in unoquoque breviter aliorum opiniones referrem.

Primus error. Cùm Alexandrinæ Ecclesiæ patriarchæ (à quo Abyssini simul cum religione errores ebiberunt) à fide catholicâ in multis defecerint, sectantes ejus vestigia in eamdem foveam lapsi sunt: nam ut nunc omittam Dioscori errorem, quem Abyssini sicut et alii Orientales sequuntur et colunt, in aliis tamen rebus, tum ad fidem, tum ad ritus spectantibus, Æthiopes ab Alexandrinâ Ecclesiâ non rectam neque integram fidei christianæ regulam sequuntur. Et inprimis licet reverentiam aliquam Romano pontifici exhibeant, non firmiter sentiunt de primatu Romanæ Ecclesiæ, ut videre est apud Franciscum Alvaresium in Historiâ Æthiopiæ, c. 72, quamvis Zagazabus illius gentis quasi episcopus, in declaratione religionis et rituum Abyssinorum, summi pontificis primatum apud ipsos ex constitutionibus apostolicis teneri fateatur, qui in hâc re subscribere videtur sententiæ Nicodemi abbatis superiùs relatæ.

2° Errant præterea et consequenter Abyssini tria tantùm concilia generalia recipientes, nempe Nicænum, Constantinopolitanum primum et Ephesinum, ut videre est apud Damianum Goes in confessione Zagazabi. Quare cùm sanctam synodum Chalcedonensem non admittant, inter hæsitantes hæreticos meritò sunt annumerandi: hi enim teste Nicephoro, l. 18, c. 45 Historiæ Ecclesiasticæ, et Leontio de Sectis hæreticorum, postquàm Eutycheti et Dioscoro à catholicâ synodo dignitas abrogata est, qui illorum dogma amplectebantur ab Ecclesiâ recedentes, ambigentes sive hæsitantes seipsos appellârunt; hunc tamen errorem simul cum aliis Orientalibus attributis suo loco convincimus.

3° Cùm matrimonium ex Christo, sanctâque universali Ecclesiâ indissolubile sit, quamdiu alter conjugum vixerit, Abyssini divortium ex levi etiam causâ permittunt, ita ut superstite altero conjugum, ut affirmat Alvaresius in Historiâ Æthiopicâ, c. 18, alter uxorem ducere possit; nec mirum est, ut ii qui divortium ab Ecclesiâ catholicâ fecerunt, cujus conjunctio indissolubilis cum Christo capite per matrimonium designatur, in divortium matrimonii carnalis contra expressam Christi sententiam facilè ruant.

4° De sacramento Confirmationis, neque Extremæ Unctionis, non invenio apud Æthiopum scriptores expressam aliquam mentionem; proinde mirandum non est, si infirmati in fide in dies inveniantur. Fortè sacramentum Confirmationis simul cum Baptismo conferunt, ut affirmat Zagazabus, quod et ex veteribus aliquos fecisse constat: sed tunc errant existimantes Confirmationem à simplici sacerdote posse ministrari, quod est contra concilium Florentinum.

5° Errant præterea graviter Abyssini circa sacramentum Baptismi, dùm in die Epiphaniæ, teste Alvaresio, benedicto priùs aquarum stagno trinâ immersione tam mares quàm feminæ, præmissâ formâ Baptismi, quotannis rebaptizantur; qui ritus in usu est (ut Possevinus docet in Commentario de rebus Moscoviticis ad Religionem spectantibus) apud Græcos Orientales. Error tamen hic quantùm conjicere possum, à Novatianorum hæresi ortum habuit, qui falsò existimantes non esse in Ecclesiâ potestatem reconciliandi lapsos, ut illi sine spe non remanerent, alterum Baptisma Abyssini admisêre (ut ex eodem Alvaresio non obscurè colligitur), obliti Constitutionum apostolicarum, in quibus, l. 2, c. 41, et l. 6, c. 15, Apostoli pœnitentes non per secundum Baptisma, sed per manuum impositionem, hoc est, per pœnitentiam recipiendos expressè docent, et non recolentes, quod in symbolo Nicæno dicitur: *Confiteor unum Baptisma.*

6° Præterea simul cum Baptismo Abyssini circumcisionem colunt, non quia existiment, ut ipsi fatentur, circumcisionem nunc esse ad salutem necessariam, sed ut in omnibus Christo Domino, ut ipsi dicunt, assimilentur. Ita Zagazabus apud Goes, et alii quamplures auctores; quamvis non deficiant historiographi, qui ritum circumcisionis apud illos in usu versari eâ solùm de causâ æstiment, ut simili signo se originem à prosapiâ Davidicâ ducere profiteantur: ita tenet Genebrardus, l. 1 Chronograph. et alii historiographi quàmplures. Tamen si velimus hujus ritûs altiores radices quærere, fortè aliam non contemnendam inveniemus rationem, si præmittamus circumcisionis usum non solùm ad Hebræos, sed et ad alias nationes extraneas, ut Ægyptios, et Æthiopes, et Colchos permanâsse; sic Herodotus l. 2, testatur, qui apud Ægyptios et Æthiopes antiquissimum hujus cæremoniæ usum agnovit, quem sequuntur divus Cyprianus sermone de ratione Circumcisionis, et

divus Hieronymus in Jeremiâ, c. 9. Prædicti autem populi non utebantur eo signo, ut re sacrâ, sacramentum aliquod continente, neque ad profitendam legem, ut Hebræi, sed solùm ex humanâ quâdam consuetudine, præsertim cùm hoc facerent ad imitationem quamdam, ut Cyprianus docuit, suorum parentum. Quare cùm Æthiopes circumcisionis antiquæ observatores ritum hunc, non ut legem Mosaicam, sed ut morem majorum observarent, tempore prædicationis evangelicæ, vel non fuerunt à paternâ traditione prohibiti, vel ab eâ impediti iterùm ad vomitum redierunt, sicque in hunc usque diem permansêre : quare in hoc forsan materialiter tantùm errant, ut latiùs prosequar in cap. de juvandis Abyssinis.

7° Alius etiam error Abyssinis consequenter attribui solet, nempe legem veterem simul cum novâ censere observandam, quod tam ex circumcisione, quàm aliis ritibus, et observationibus Judaicis aliqui voluerunt colligere : id tamen manifestò non constat; nam si legem veterem nunc ab ipsis observandam tenerent, nullâ ratione affirmarent circumcisionem, quæ in lege veteri fuit in præcepto, non esse necessariam ad salutem. Et licet sabbatum observent, et à sanguine et suffocato abstineant, id non ut observatoribus legis, sed ut antiquæ traditionis Ecclesiæ Orientalis cultoribus tribuendum est. Quid verò censendum sit de circumcisione et aliis ritibus veteris legis, infra dicemus.

8° Errant insuper Abyssini existimantes animas rationales non creari, sed per seminalem propagationem non aliter ac brutorum traduci; qui fuit antiquus Tertulliani et Appollinaris error, ut refert Augustinus, hæresi 86, et D. Th. 2 contra gentes, c.86, de quo errore infra.

9° Detestanda etiam est Æthiopum hæresis credentium animas infantium decedentium ante Baptismum eò solùm salvari, quia orti sunt à parentibus fidelibus. Existimant enim Eucharistiæ virtutem à matre tempore prægnationis susceptæ prodesse infanti in utero existenti; ita affirmat episcopus ille Zagazabus, et Alvaresius, c. 19. Quare cum Pelagianis peccatum originale de medio tollere videntur; hi enim (ut auctor est D. Augustinus, l. 2 contra Julian., c. 2 et 3) non esse in hominibus, maximè verò in filiis fidelium, peccatum originale temerè affirmârunt. Et nostrâ ætate Bucerus et Calvinus in filiis fidelium negant peccatum originale, quos dicunt sanctos nasci, et salvari sine Baptismo.

10° Præterea traditiones sanctas non admittunt, solùmque verbo Dei scripto fidem dicunt se habere (ut Alvaresius, c. 78), numerantque inter Scripturas sacras Apostolorum canones, quorum doctrinâ, ut catholicâ et de fide, in omnibus gubernantur.

11° Nullas pro defunctis oblationes habent, nec sacra faciunt pro vivis, fortè, vel quia existimant illi non prodesse, aut quia Purgatorium Græci non agnoscunt; quamvis Zagazabus in confessione suæ fidei Purgatorii meminerit : imò et ipse Alvaresius parùm constans contrarium affirmat in fine cap. 105. Et hoc verius existimo, nam in canone Missæ Æthiopicæ, quam ex linguâ Chaldaicâ transtulit Genebrardus, orant pro Patribus concilii Constantinopolitani et Ephesini ; et in orationibus quæ in catechizandis sacrum baptisma suscepturis apud eumdem Genebrardum, tomo 6 Bibliothecæ sanctæ circumferuntur, similiter orant sæpiùs pro defunctis.

Articulus IX.

De variis Abyssinorum ritibus.

Cùm in Ecclesiâ varii sint ritus, quos prudenter ratione diversarum gentium Apostoli instituerunt, Abyssinorum gens, si quæ maximè, antiquorum rituum est tenacissima. Exponam igitur eorum præcipuas observantias, ut sic constet quid inter catholicam Romanamque Ecclesiam, atque Æthiopicam inveniatur discriminis.

Primus ritus : In primis sacerdotes, Græcorum more, ante sacerdotium uxores ducunt, et in sacerdotio eis utuntur. Secundus : Cum Græcis non solùm tenent Sabbato ac Dominico die non esse jejunandum, idque ex Apostolorum Canonibus præceptum existimant : sed etiam antiquam Orientalis Ecclesiæ de observatione sabbati simul cum die Dominicâ consuetudinem sequuntur : quare in quadragesimâ Sabbato et Dominicâ die vescuntur carnibus. Tertius : Abstinent præterea (ut ipsi arbitrantur) ex Apostolorum decreto à sanguine et suffocato, nescientes præceptum illud adversùs idolorum cultores latum fuisse, habentque præterea in aliis ciborum delectum. Quartus : Pueri ante quadraginta dies Baptismo non abluuntur, statim verò ut baptizantur, Eucharistia illis confertur, retinentes in hoc antiquum Ecclesiæ usum approbatum à sanctâ synodo Tridentinâ, sess. 21, cap. 4, de quâ optimè Paulinus Nolæ episcopus in Epistolâ ad Severum fratrem hoc carmine scripsit :

Inde parens sacro ducet de fonte sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu:
Circumdansque rudes festis altaribus agnos
Pura salutiferis imbuit ora cibis.

Quintus: Quotidiè secundùm antiquos Apostolorum canones, vel saltem diebus festis omnes communicant, ministraturque Eucharistia etiam laicis sub utrâque specie. In matrimonio saltem affinitatis gradus non verentur. Nam, ut olim in lege, frater fratris defuncti uxori sine ullâ dispensatione matrimonio copulatur, ut tradit Alvar. c. 76. Sextus: Sancto quadragesimæ jejunio integram addunt hebdomadam, et totius anni spatio, quartâ et sextâ feriâ ex Apostolorum traditione jejunium observant, eò quòd his feriis ablatus fuerit Sponsus; nam quartâ Domini traditionem pactus est Judas, sextâ verò crucifixus est pro nobis benignissimus Jesus. Septimus: In sacrâ altaris oblatione azymo pane (teste Alvaresio, cap. 9) utuntur, quamvis alii affirment fermentato, musto verò ex uvis passis confecto loco vini. Octavus: Supremum tam in temporalibus quàm spiritualibus judicium tenet imperator, ad eumque omnes causæ tam clericorum, quàm monachorum devolvuntur; quamvis patriarcha suam etiam spiritualem exerceat potestatem.

Articulus X.

Pro juvandis Abyssinis.

Non videtur res ulla vehementiori desiderio aut sollicitudine majori à sede Apostolicâ procurandâ, quàm peramplæ Ecclesiæ Æthiopicæ unio; quippe præter animarum multitudinem, quæ à rectâ veritatis semitâ in eâ aberrant, hoc magis dolendum accedit, quòd errores quibus involvuntur quodammodò involuntarii existant: etenim in eos non ex superbiâ aut pervicaciâ aliquâ adversùs S. Ecclesiam lapsi sunt, sed propter aditus per quos ad eos vera Ecclesiæ illuminatio et auxiliatio dimanare poterat, sibi præclusos; accedit hùc, quòd promptissimos semper ad fidelitatem et obedientiam sanctæ Ecclesiæ præstandam sese exhibuerint. In hoc solo difficultas omnis sita est, ut via et modus cum Æthiopibus communicandi detegatur, qui veluti propositam sibi fidem jam inde à temporibus Salomonis in hodiernum usque diem firmiter amplexi sunt, ita pariter à præsentibus erroribus extricati (quos salubrium institutionum penuriâ, et simul eò quòd patriarchæ Alexandrino subsint, imbiberunt), facili negotio ad Evangelii sinceritatem revocari poterunt, multisque animabus quæ (proh dolor!) tot ærumnas, vigilias, jejunia, aliasque rigorosas observantias, ex solâ ignorantiâ, perperam et absque merito sibi imponi patiuntur, veridica salus adducetur.

Gemini ad communicandum cum Æthiopibus patent accessus: Prior per Cayrum, ductu carabanæ, quæ in Æthiopiam transfretat, qui tamen ob assiduas et strictissimas Turcarum vigilias perarduus ac periculosus admodùm erit, siquidem Christianorum nemo, cum detectione confœderationis Christianorum Europæorum cum Æthiopibus, in Æthiopiam citra præsentissimum vitæ discrimen concedere potest. Accedit hùc, quòd patriarcha Alexandrinus, et cæteri Cophti idem maximoperè vereantur, ne scilicet Abyssini, rejectâ unione cum Ecclesiâ suâ, Romano pontifici adhæreant, ideòque vehementer advigilant, ne Europæi ad interiorem penetrent Æthiopiam. Quocirca nisi Arabs quis foret, vel talem sese fingere posset, assumpto mercatoris habitu, supra dictâ viâ, nullo modo pateret adeundi copia, nisi id fiat per navigationem Portugaliæ, mare Rubrum transfretando per statum Barganensium, quà aliàs ad communicationem transitus patuit; verùm modò Turca terras omnes Presbyteri Joannis mari Rubro confines invasisse dicitur, atque ideò ad patefaciendum aditum hunc, Lusitanorum classem aliquem illorum portum expedientissimum necesse foret invadere, armorumque vi manutenere, quemadmodùm alii plures in Indiâ orientali occupantur; res procul dubio summi momenti. Ac primùm Presbytero Joanni res patefacienda foret, quo terrestri expeditione, nostrisque navali urgentibus certæ victoriæ reportarentur, præcipuè cùm loca ista tam remota sint ab iis in quibus Turca suas copias habet, ac præterea Persiano aliisque principibus undique Turcam prementibus. Atque eo pacto Æthiopes nostris conjuncti Ægyptum et Terram sanctam possent forsan recuperare: habent enim illi certas prophetias, firmamque spem, quòd Latinis uniti Terram sanctam sint occupaturi.

Alia insuper via est facilior forsan magisque expediens, scilicet per regnum Congi, cui adjacet regnum Damut, quod subest jurisdictioni Presbyteri Joannis, quanquàm inter regnum Congi et Damut, regnum quoddam gentilium interjacere dicatur, quo non obstante, si primùm Presbyter Joannes certior factus foret per litteras Sanctitatis suæ per Abyssinum

aliquem translatas ex iis qui Romæ degunt, vel etiam qui Jerusalem proficiscuntur, quibus sua Sanctitas indicaret se legatos suos mittere ad regnum Congi, ac proinde rogaret, ab eo vice regem Damut interpellari ac moneri, ut viam illam ad vicinum regem patefaceret, periculaque et impedimenta quoad fieri posset maximè removeret, ac salvos securosque in Damut perduceret, atque inde ad præfati regis curiam. Aliæ præterea ad regem Congi scribendæ forent litteræ, quibus legatorum prædictorum liber per regna ista transitus peteretur, ac sic vel per unam vel per aliam viam, vel per Congum vel Damut securus aditus inveniretur, ac quæ à gentilibus objici possent impedimenta evitarentur.

Abyssini proximi sunt unioni cum Ecclesiâ Romanâ, tum quia non obscurè percipiunt Ecclesiam Alexandrinam variis esse erroribus affectam, ac proinde ab impurissimo fonte non posse fidei puram emanare doctrinam, quam ob causam teste Alvaresio, c. 98, imperator Cyriacus decreverat non ultra acceptare in regnis Æthiopiæ patriarcham ab Alexandrinâ Ecclesiâ missum; aiebat enim se potiùs velle regna perire, quàm patriarchis hæreticis obedire, et ob eam causam quàm maximo desiderio ferebatur, ut Romanus pontifex sibi de patriarchâ provideret, fuitque in hâc opinione et sententiâ usque ad mortem. At post ipsum imperator Alexander ejus filius tredecim annis in patris opinione permansit; sed tandem coactus necessitate ministrorum mutavit sententiam; tum etiam, quia apud illas gentes prædictio quædam à Patribus derivata circumfertur, patriarcharum numerum ultra centesimum non extendendum, qui numerus jam est impletus. Habent etiam alias prophetias, quibus per adventum Europææ gentis in regiones illas, magnum ipsis promittitur emolumentum. Ac demùm cùm ipsi sint à Turcis inclusi, nec portu aliquo gaudeant, sperant Europæorum auxilio et armis liberari, portumque obtinere, ut sic ab Ecclesiâ Alexandrinâ, quæ origo et occasio est illorum damnationis, discedere valeant.

Articulus XI.

De Æthiopicâ linguâ, et de aliis pro unione Abyssinorum.

Marianus Victorius Reatinus usus in hoc Petri cujusdam Æthiopis linguæ Æthiopicæ eruditissimi ope, institutiones sive regulas quasdam, quibus hæc lingua commodè perdisci posset composuit, nunquàm antea à Latinis visas, Romæque edidit anno Domini 1550, opus sanè utile ac eruditum, cujus hæc est inscriptio : *Chaldaicæ sive Æthiopicæ linguæ institutiones.* Nam ut ipse Victorius affirmat, sicut Chaldæa lingua pendet ab Hebræâ, ita à Chaldæâ pendent Syriaca, Arabica et Æthiopica; quamobrem Chaldææ ipsæ quoque sunt appellatæ : quæ quinque linguæ tantâ invicem convenientiâ ac similitudine conjunctæ copulatæque sunt, ut qui unam optimè calleat, aliam quoque haud parvâ ex parte intelligere possit. Docet etiam linguam Æthiopicam omnium celeberrimam esse, atque earum quæ ab ipsâ Chaldæâ seu Babyloniâ exoriuntur emendatissimam, ut quæ ab omni bellorum externorum incursione expers, immunis, incorruptaque semper permanserit.

Deinde de hujus linguæ origine in proœmio prædictarum Institutionum agens, sic ait : « Æthiopicam linguam, quam Chaldæam vocant « Æthiopes, veluti quæ à Chaldæâ Babylonicâ « exoriatur, Hebraicæ quàm maximè similem « esse haud dubium est : quod evenit, quia ab « Hebræâ non secùs quàm Syriaca, Arabica ac « etiam Babylonica, quam Assyriacam etiam « appellamus, originem ducit. Scimus tamen « Æthiopes contrarium asseverare, velleque Hebraicam posteriorem, et à suâ progenitam po« tiùs esse. Utcumque sit, satis ex hoc constat « facillimè perdiscere hanc posse, qui Hebrai« cam ipsam calleat, siquidem major nominum « pars utriusque linguæ communis est, sunt« que eædem ferè in grammaticâ regulæ, idem « dictionis genus, iidemque in describendis « signandisque vocabulis litteris ritus : nam « ubi Hebræi punctis lineisque exteriùs litteræ « appositis vocales explicant, Æthiopes quoque « idem faciunt, differuntque in hoc uno, quòd « lineam ipsam punctumque exteriùs haud « ascribunt, sed ipsismet litteris conjungunt. « Est et alia differentia, quòd interdùm Æthio« pes non solùm lineam non adjungunt, sed « etiam partem ipsiusmet litteræ detruncant « atque rescindunt. »

Præterea linguâ Æthiopicâ fuerunt olim Romæ Biblia conscripta, typisque mandata; ego autem epistolas tantùm D. Pauli vidi. Genebrardus Missam, quam Æthiopes celebrant, simulque alias cæremonias circa puerorum Baptismum in linguam Latinam transtulit, quæ hodie inserta est tomo 6 Bibliothecæ sanctorum Patrum. Pro juvandis Abyssinis maximè proderit constitutiones, sive canones

Apostolorum cum doctissimi Turriani Commentario præ manibus semper habere. His enim Abyssini in fide et moribus, tanquàm uni ex libris canonicis fidem adhibent, illisque gubernantur : utuntur versione 70 Interpretum ; quare oportebit, dùm cum illis agitur, uti hâc etiam versione. Qui Abyssinorum res omnes nôsse desiderat, attentissimè legat Alburesii Historiam, quam priùs ipse Lusitanicâ linguâ edidit, postea verò in Hispanam, ac tandem Italicam traducta circumfertur. Pro erroribus verò ac ritibus certò discutiendis, illius Zagazabi Æthiopum quasi episcopi apud Damianum Goes de Abyssinorum fide et Religione declaratio attentè erit perlegenda, quia nullibi apertiùs hujus gentis fides, mores, religio, ritusque conspiciuntur.

. Inter alia media unioni Abyssinorum cum Ecclesiâ Latinâ maximè conducentia, ac quæ maximè expedire videntur, ut illi ab Ecclesiâ Alexandrinâ, quæ origo est illorum damnationis, discedant, illud potissimùm se offert, ut Sanctissimus provideat, et, ut clariùs loquar, dispenset, ut ex Abyssinis ipsis ad patriarchatûs, episcopatûs aliarumve dignitatum administrationem possint personæ digniores assumi. Nam ex decreto concilii Nicæni tam patriarcha quàm episcopi debent esse alterius nationis, ut constat ex canone 36 de Patriarchâ et Episcopis, l. 3 concil. Nicæn., cujus verba sunt : « Ut non possint Æthiopes creare « neque eligere patriarcham. Quin potiùs eo« rum prælatus sub potestate ejus sit qui tenet « sedem Alexandriæ ; sit tamen apud eos loco « patriarchæ, et appelletur Catholicus : non « tamen jus habeat constituendi archiepisco« pos, ut habet patriarcha : siquidem non « habet talem potestatem. Et si acciderit, ut « concilium in Græciâ habeatur, fueritque « præsens hic talis patriarcha Æthiopum, ha« beat septimum locum post prælatum Seleu« ciæ, quæ est in provinciâ Babyloniæ in regno « Zabur ; et quando facta fuerit ei potestas « constituendi archiepiscopos in provinciâ « suâ, non licebit ei constituere aliquem ex « illis. Et quicumque non paruerit, synodus « eum excommunicat. »

Circa hoc decretum notandum, eam praxin hodie pro electione patriarchæ servari, ut refert Zagazabus, quòd religiosi ex Abyssinis, qui Hierosolymis degunt, eligunt sive nominant patriarcham ex natione Cophtorum, quem confirmat patriarcha Alexandrinus ; hic electus et constitutus totius Æthiopiæ patriarcha, postea ex ipsis Æthiopibus maximè aptis et idoneis creat archiepiscopos, quibus universa Æthiopia regitur et gubernatur : illi autem sunt, qui majori ex parte unionem cum Ecclesiâ Romanâ conantur impedire. Igitur ut Abyssinorum imperator aliique proceres illius nationis allicerentur ad unionem cum Ecclesiâ Romanâ procurandam, hoc unum inter alia juvaret maximè, ut summus pontifex de plenitude potestatis, utpote superior conciliorum decretis, in rebus ad regimen spectantibus dispensaret in prædicto canone, ut tam patriarcha quàm episcopi deinceps sumerentur ex ipsis Abyssinis. Denique, ut Abyssini faciliùs reducantur, oportebit sanè illos ritus et cæremonias illis permittere, quæ salvâ fide catholicâ tolerari possunt, maximè in principio, quoadusque firmentur in fide. Sed quia magna est apud auctores aliquos de circumcisionis ritu apud illas gentes usitato mentio, præter ea quæ superiùs annotavimus, placuit hìc breviter aliqua pertractare.

ARTICULUS XII.

An Abyssinis ab Ecclesiâ catholicâ permitti possit ritus circumcisionis, non tam Religionis quàm honoris gratiâ introductus ?

In hâc re inprimis de fide statuendum est, circumcisionem, sicut et alia legalia, post Evangelii promulgationem omninò extinctam esse, et non solùm mortuam, sed observantibus mortiferam : ita definitum est in concilio Florentino sub Eugenio IV. Cerinthus enim et alii hæretici existimârunt legem veterem non cessâsse, sed nunc simul cum novâ observandam esse, teste Epiphanio, hæresi 28, et August. hæres. 8. Idem tenuit Ebion, ut docuit Irenæus l. 1, c. 26. Secundò certum est, observantiam aliquorum legalium non ut legalia sunt, posse adhuc licitè observari, et de facto observantur à Catholicis. Et ut clariùs constet de hâc propositione, prænotare oportet quatuor modis posse cæremonialia observari :

Primo, ut legalia sunt, id est, ad servandam legem, ex cujus institutione erant introducta, quâ ratione præcisè ea servavit Christus Dominus, ut patet de circumcisione. Secundo, non ut legalia solùm, sed etiam ut figuralia ; erant enim cæremoniæ istæ per se primò institutæ in lege veteri, ut figuræ Christi venturi, ut optimè docet D. Th. 1-2, q. 104, art. 3, in corp., et hâc ratione servârunt cæremonias illius legis Patres antiqui. Tertio modo, possunt servari cæremoniæ istæ, neque ut

legalia, neque ut figuralia, sed tantùm ad protestandam excellentiam divinam, ut ostendatur cæremonialia legis mala non fuisse, sed bona, et à bono auctore, atque ut ita Synagoga cum honore sepeliretur. Quarto modo possunt cæremonialia observari prorsùs materialiter; materialiter, inquam, sine ullâ formalitate, neque respectu ad legem veterem, sed ob alios fines licitos, et ab Ecclesiâ approbatos, sicut hodiè celebratur festum Pentecostes aliis rationibus, quàm in veteri Testamento : olim enim solemnis erat festivitas, quia illâ die data fuit lex vetus, hodie tamen, quia illâ die data est lex spiritûs et vitæ, ut docet D. Thom. 1-2, q. 103, art. 3, ad quartum. Et in Ecclesiâ Latinâ fit in pane azymo consecratio, nec ob id censetur judaïzare, quia Judæis panis azymus fuerit in usu. Imò et sancti Patres Ecclesiæ Orientalis ritum de observantiâ Sabbati laudant, nec ob id Ecclesia illa cum Synagogâ consentit, cùm sint utriusque diversissimi illius observantiæ fines et causæ.

Quare tria sunt in cæremoniis istis necessariò distinguenda : Primum est, vis ipsa obligandi quam habebant à lege, ob quam rationem dicuntur legalia. Secundum: considerare oportet finem sive rationem formalem illarum, quâ ratione erant figuralia. Tertium, ipsam exteriorem cæremoniam materialiter sumptam, quam nunc appello ipsam substantiam actûs. Hoc posito, non est dubium quin nunc servare legalia ut figuralia, vel ut legalia, neque etiam ad demonstrandum à Deo eorum observationem emanâsse, illicitum impiumque esse. Servare tamen legalia materialiter tantùm, hoc est, nullo respectu ad prædictos tres modos, certum est licere, sicut qui circumcideretur ob medicinam, vel abstineret à carnibus porcinis ob salutem, vel Sabbatum servaret in B. Mariæ Virginis honorem, quo etiam sensu circumciduntur multæ ex gentibus nationes, ut supra ex D. Hier. et Strabone retulimus.

Duo restant examinanda. Primum, an Abyssini servent circumcisionem ut legalem, vel ut figuralem, quia neutro modo sine manifestâ hæresi licet; an verò tantùm materialiter hoc utantur ritu. Secundum, an supposito, quòd excusentur à culpâ, an ratione circumstantiæ scandali aliarum Eclesiarum sit ab Ecclesiâ Romanâ tolerandus hujusmodi abusus. Prima quæstio partim pendet à facto, nempe quo fine circumcidantur; nam in hoc non est una sententia illorum auctorum, qui Abyssinæ gentis ritus moresque referunt : alii namque more Hebræorum affirmant circumcidi, alii ob Christi imitationem, alii denique, ut profiteantur se à Judaicâ prosapiâ originem ducere : tamen quidquid sit de opinionum diversitate circa finem, primùm constituo, si Abyssini circumcisionem observent ut legalem vel figuralem, eos errare cum hæreticis Ebionitis, qui temerè legem veterem cum novâ observandam existimabant. Secundò deinde assero: Circumcisio si ab Abyssinis non religionis, sed honoris causâ observetur, nempe ut profiteantur se à Davidicâ prosapiâ ducere originem, non ob id erunt damnandi, quia circumcisione tantùm materialiter utuntur. Unde optimè Guillelmus Reginaldus in suo Calvino-Turcismo, l. 2, c. 9 : « Abyssini, inquit, christianè quidem, et cum verâ Christianorum fide infantes baptizant et circumcidunt, nobilitatis antiquissimæ, nullo meriti aut Judaicæ fiduciæ respectu; quo posito, nollem eos propter circumcisionem magis damnare, quàm si propter medicinæ causam abstinerent à carne porcinâ, quam tamen lex Mosaica prohibebat. »

Solùm ergo est difficultas, an si circumcidantur ad imitationem Christi Domini sit licita hujusmodi circumcisio. Cajet. 3 parte, q. 37, art. 1, tenet partem affirmativam, cujus sententiæ adhæret Bartholomæus de Medinâ, 1-2, quæst. 103. Contrariam sententiam tenet Sotus, l. 2 de Just. et Jur., q. 5, art. 4, qui expressè hujus gentis de circumcisione ritum damnat, et Sotum sequuntur juniores aliqui. Suar. 3 p. dictâ quæst. 37, art. 1, et Gregorius de Valent. 12, d. 7, q. 7, punct. 7, eâ potissimùm ducti ratione, quia Christus servavit circumcisionem ut legalem; sed Abyssini servant circumcisionem ad imitationem Christi; igitur videntur servare ut legalem, quod fieri non potest sine errore, quæ sententia probabilior et certior apparet, quam eruditè confirmat Valentia supra cit. loco. Secunda difficultas est, an dato, quòd circumcisio in sensu præfato in illis gentibus excusetur à culpâ, an ob scandalum aliarum Ecclesiarum sit permittenda. Cajet. in affirmativam partem manifestè inclinat, quamvis tandem, utpote in re gravissimâ, Ecclesiæ judicium desideret his verbis : « Ego verò in hâc difficultate, an oporteat Ecclesiam Romanam in illis gentibus circumcisionem approbare vel saltem permittere, libentiùs ipsam Ecclesiam, quàm alios audirem auctores. »

Articulus XIII.

De erroribus Abyssinorum hâc nostrâ ætate grassantibus.

Postquàm ex variis auctoribus præfatos Abyssinorum errores collegeram, evenit, ut dùm casu illustrissimi cardinalis sanctæ Severinæ bibliothecam perscrutarer, in examen quoddam ab illustrissimis cardinalibus jussu sanctissimi domini papæ Sixti V, de quodam monacho Abyssino factum inciderim, qui requisitus specialim de Abyssinorum fide ac religione, apertum omnium illorum rituum ac errorum testimonium reddidit, quod nullâ ratione transeundum existimavi, ut major ac certior ipsorum cognitio haberetur, licet si quis attentè Zagazabi episcopi Abyssinorum (cujus sæpiùs mentionem fecimus) Confessionem perlegerit, multùm hos testes discrepare inter sese reperiat : neque id miror, cùm rerum divinarum adeò ignari sint, ut quid credendum sit, etiam monachos fugiat.

Fratris Teclæ Mariæ, presbyteri Abyssini, legati pro Lusitanis existentibus in Abyssinorum ditione, religionis Abyssinorum, coram illustrissimis cardinalibus Romæ facta declaratio, die primâ mensis julii et sequentibus, anno 1594.

Reverendus frater Tecla Maria, Teclæ Nebiat filius, de civitate Henza Mariani, provinciæ Xeva regni Æthiopiæ, sacerdos et monachus ordinis sancti Antonii, et monasterii Libani ejusdem provinciæ, ætatis suæ annorum 45, de mandato illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis sanctæ Severinæ nationis Æthiopicæ protectoris, à me infraposito examinatus ad opportunas interrogationes eidem Arabicè propositas respondit, ut infra :

Interrogatus primò quid sentiant et credant Æthiopes de Deo et sanctissimâ Trinitate, respondit : Nos Æthiopes credimus in Deum unum et trinum in personis, Patrem scilicet et Filium, et Spiritum sanctum : Pater est ingenitus, Filius est genitus à Patre tantùm, et Spiritus sanctus est procedens à Patre et Filio. Interrogatus, an Spiritus sanctus procedat à Patre et Filio tanquàm à duobus principiis et duabus spirationibus, vel tanquàm ab uno principio, et unicâ spiratione, respondit : Tanquàm ab uno principio et unicâ spiratione. Interrogatus, quæ persona sanctissimæ Trinitatis est incarnata, respondit : Persona Filii, id est, Verbum Dei Patris. Interrogatus de incarnatione Christi Domini nostri, respondit : Incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine. Interrogatus, quot naturas, voluntates et operationes profitentur Æthiopes in Christo Domino nostro, respondit : Post unionem in Christo Æthiopes profitentur unam naturam, unam voluntatem et unam operationem , sine tamen mixtione et sine confusione; in quâ quidem opinione scio Æthiopes et Cophtos , et alios Orientales maximè aberrare à veritate. Interrogatus, an Æthiopes profiteantur in Christo unam naturam ex duabus resultantem, respondit hoc non dicere Æthiopes, sed profitentur simpliciter unam naturam, sine mixtione, et sine confusione, et illam asserunt esse divinam.

Item interrogatus de veneratione imaginum, respondit : Imagines apud Æthiopes sunt tantùm depictæ, et non sculptæ, quas Æthiopes maximè venerantur, ratione repræsentationis et relationis, et ab eis thurificantur.

Interrogatus de libris canonicis utriusque Testamenti, respondit : Apud nos Æthiopes utrumque Testamentum est divisum in libros 81 , quos omnes dixit haberi in Ægypto, et absque libro nomina omnium librorum non recordari.

Item interrogatus quot concilia universalia tenent Æthiopes, et quid confiteatur in eis, respondit : Apud Æthiopes sunt tantùm tria concilia universalia : Nicænum, Constantinopolitanum et Ephesinum ; quid verò contineat quodque eorum legi, sed nescio modò omnia recitare. Interrogatus an Æthiopes acceptent concilium Chalcedonense, et quid in eo contineatur, respondit : Hoc concilium Æthiopes damnant, quia in eo decretum est, duas esse naturas in Christo, duas voluntates, et duas operationes , et damnatus est Dioscorus patriarcha Alexandrinus. Interrogatus an Æthiopes damnent sanctissimum papam Leonem, respondit : In libris et historiis Æthiopum extat papam Leonem damnâsse Dioscorum , et Dioscorum damnâsse papam Leonem , quia concilium Chalcedonense confirmaverat, et duas in Christo posuerat naturas , voluntates et operationes. Interrogatus verò , quod ipse sentiat, respondit : Ego ab annis circiter quindecim semper professus sum in Christo Domino duas naturas, duas voluntates , et omnia concilia habita auctoritate summi pontificis Romani , ligare omnes Christianos, quia est pontifex totius christianitatis. An sciat quot concilia habita sunt universalia post concilium Chalcedonense, respondit nescire.

Item interrogatus quot sunt sacramenta Ecclesiæ, respondit esse septem, S. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, et à Christo Domino esse instituta. Interrogatus, quibus verbis formalibus baptizant Æthiopes, respondit, quòd post plurimas orationes dicunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Interrogatus, quæ est materia hujus sacramenti, respondit: Est aqua naturalis. Interrogatus, quis est minister Baptismi, respondit: Apud Æthiopes baptizat sacerdos, et in absentiâ sacerdotis diaconus, præter quos nullum alium vidi baptizare. Interrogatus, quam intentionem debet habere baptizans in baptizando, respondit: Illam, quam habet Ecclesia catholica, faciendi scilicet Christianum.

Interrogatus quoto die baptizantur infantes in Æthiopiâ, respondit: Mares baptizantur post quadraginta dies, et feminæ baptizantur post octuaginta dies, nisi fuerit mortis periculum, quia tunc statim baptizantur.

Interrogatus, quis est effectus Baptismi, respondit: Effectus est, ut homo efficiatur Christianus, et de Ecclesiâ ac de membris Christi.

Interrogatus an Æthiopes circumcidant filios, respondit: Æthiopes ab antiquissimo tempore, usque ad hodiernum diem, in totâ Æthiopiâ filios circumcidunt in propriis domibus absque ullâ cæremoniâ, sed propter quamdam antiquam consuetudinem in maribus præputium, in feminis verò nympham circumcidentes. Interrogatus, an credant circumcisionem esse adhuc necessariam ad salutem, respondit: Sciunt jam ipsam cessare, et non esse ampliùs necessariam. Interrogatus, quare dicantur baptizari Æthiopes igne, et signare in fronte, respondit: Nullus est in Æthiopiâ, qui baptizatur igne, sed in quibusdam provinciis tantùm signant se in fronte novaculâ, vel ad oculorum et visûs sanitatem, vel, ut aliqui referunt, ex mandato cujusdam regis Æthiopiæ, ut differant à Mahumetanis. Interrogatus, quare dicantur Æthiopes se ipsos singulis annis baptizare, respondit: Æthiopes singulis annis propter solemnitatem Epiphaniæ exeunt ad flumen, et ibi multæ dicuntur orationes à presbyteris, et omnes lavantur in flumine, et multi ibi pernoctant maximâ cum festivitate ob devotionem Baptismi Domini nostri Jesu Christi; sed nemo se baptizat, prout dicunt.

Item interrogatus de sacramento Confirmationis, de materiâ, formâ et ministro, respondit: Confirmatio apud nos confertur à sacerdote, unà cum Baptismo, et ungitur infans chrismate in fronte: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Interrogatus de effectu ipsius Confirmationis, respondit nescire, sed credit dari, ut confirmetur Christianus in fide. Interrogatus, an singulis annis conficiatur apud eos chrisma, respondit: Chrisma mittitur eis à patriarchâ Alexandrino, à quo solo conficitur, et non ab episcopo, et mittitur septimo quoque anno, et rariùs cum peregrinis, qui redeunt à peregrinatione terræ sanctæ, et in omnibus Ecclesiis antiquum chrisma conservatur. Interrogatus, ex quibus rebus fit chrisma, respondit: Ex balsamo et oleo, et ex pluribus floribus et rebus odoriferis.

Item interrogatus de sacramento Eucharistiæ, et ejus materiâ, respondit, materiam esse panem ex frumento, et vinum ex uvâ; sed in pluribus provinciis Æthiopiæ in vino expresso ex uvâ passâ, aquâ lotâ, et infusâ per aliquas horas eâdem aquâ. Interrogatus, quæ sunt illa verba, quibus transubstantiatur panis in corpus, et vinum in sanguinem, respondit: Sunt illa verba, quando sacerdos dicit: *Et accepit panem in manibus suis, et elevatis oculis in cœlum ad Deum Patrem suum, benedixit, dicens: Accipite et comedite; hoc est Corpus meum. Et similiter accipiens calicem, benedixit et sanctificavit, dicens: Accipite et bibite; hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Interrogatus, quis est minister, respondit: Solus sacerdos, et effectus est remissio peccatorum. Interrogatus, an omnes Æthiopes communicent sub utrâque specie, respondit: Omnes Æthiopes laici et clerici communicant sub utrâque specie; sacerdos ministrat corpus, diaconus verò sanguinem cochleari. Interrogatus, an infantes communicent, respondit: Infantes in die baptismi communicant in hunc modum: sacerdos ponit indicem in calice, et sanguine perfusum imponit in ore infantis. Et post Baptismum in ore puerorum, qui carent usu rationis, usque ad decennium imponitur digitus auricularis sacerdotis sine sanguine, devotionis causâ. Interrogatus, an Æthiopes celebrent in pane fermentato vel in azymo, et quid sentiant de celebrante in azymo, respondit: Æthiopes in fermentato celebrant, et illi qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in totâ Æthiopiâ feriâ

quintâ in cœnâ Domini singulis annis, in hujus rei memoriam, in azymis celebramus.

Item interrogatus, quid sentiant Æthiopes de Purgatorio, respondit : Æthiopes credunt animas post mortem detineri in quodam loco, qui linguâ Æthiopicâ vocatur *mecan aaraft*, id est, *locus alleviationis*, in quo detinentur animæ pœnitentium, quæ decesserunt ab hoc seculo, non perfectâ peccatorum eorum satisfactione. Interrogatus, an animæ bonorum post mortem statim fruantur beatitudine, et malorum puniantur in inferno, respondit : Sunt nonnulli in Æthiopiâ, qui opinantur quòd animæ bonorum requiescant in Paradiso terrestri, in quo fuit creatus Adam, usque ad diem judicii. Sunt alii qui credunt, animas justorum statim post mortem frui earum Creatore in Paradiso.

Item interrogatus, quæ sunt peccata mortalia, et quot sunt, respondit, illa esse peccata mortalia, quæ fiunt contra præcepta Domini, quæ, cùm sint quamplurima, nescio numerare. Interrogatus, an peccata voluntatis, quæ non transeunt in actum exteriorem sunt mortalia, respondit, mortalia esse, si desiderio et concupiscentiæ consensum præstitit homo.

Interrogatus, an quis possit salvari extra fidem Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, respondit, neminem salvari posse. Interrogatus de iis, qui sunt modò in lege naturæ, ad quos nondùm pervenit notitia Evangelii, respondit : Credo Deum etiam ipsis providisse, ut aliquo modo possint salvari, cùm præcepta naturæ servaverint.

Interrogatus, quid sentiant Æthiopes de indulgentiis, respondit : Credo acceptas esse apud omnes, ipsasque vocant *benedictiones;* usum verò earum cupio intelligere. Interrogatus de invocatione sanctorum, respondit, sanctorum invocationem apud Æthiopes esse maximè acceptam, et eorum intercessionem apud Deum omnes profitentur.

Interrogatus de simoniâ, et de iis qui favore aut conventione ordinantur in sacerdotem, in episcopos et in patriarcham, respondit, prohibitum esse sacris canonibus.

Interrogatus, quæ differentia sit inter Æthiopes et Cophtos in rebus fidei, respondit, nullam esse differentiam inter eos, et in omnibus rebus concordare; sunt enim sub ejusdem patriarchæ obedientiâ ; in aliquibus tamen vidi eos differre : videlicet, in gradibus prohibitis Æthiopes non contrahunt, Cophti verò in secundo et sequentibus gradibus contrahunt passim cum licentiâ, et sine licentiâ eorum episcopi, vel patriarchæ. Similiter Cophti extra civitates in villis et ruri nullas observant festivitates, neque dies Dominicos; Æthiopes verò ubique maximè observant. Item Æthiopes observant sabbatum, quod non faciunt Copthi. Similiter Æthiopes ubique in totâ Æthiopiâ filios et filias circumcidunt; Cophti verò Memphi, sive Cayri, tantùm ab aliquibus annis quidam non circumcidunt. Item in cæremoniis Missæ Cophti multùm differunt ab Æthiopibus, nam Cophtorum sacerdotes sine planetis, et diaconi sine dalmaticis celebrant, et capite cooperto quâdam tobaleâ laneâ, et corpus Dominicum et calicem nunquàm elevant in Missis, quæ cæremoniæ non sunt apud Æthiopes.

Interrogatus an sciat in quibus rebus differant Æthiopes et Cophti à fide catholicâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, respondit, differre præcipuè in sequentibus : Dioscorum Alexandrinum, et Jacobum primum ejus discipulum, et Severum Antiochenum invocant in Ecclesiis cum sanctis Patribus ; concilium Chalcedonense et sanctum Leonem papam non recipiunt; in Christo Domino nostro unam tantùm naturam, unam voluntatem, et unam operationem profitentur; hymnum *Ter sanctum* recitant cum additione illorum verborum : *Qui crucifixus es pro nobis*; cum hâc tamen expositione, ut terna sanctificatio applicetur sanctissimæ Trinitati; illa verò verba : *Qui crucifixus es pro nobis*, applicentur tantùm Christo Domino nostro ; circumcisione utuntur Cophti et Æthiopes, et sabbatum observant Æthiopes tantùm.

Item interrogatus, ubi, quando, à quo, et quibus ordinibus fuerit initiatus, respondit : Anno ætatis meæ quinto decimo in ecclesiâ sanctæ Mariæ monasterii Denobi provinciæ Xeva in Æthiopiâ, fui ordinibus initiatus à Josepho Cophto Æthiopiæ archiepiscopo in hunc modum : « Archiepiscopus ante Missæ « celebrationem totondit caput meum in quin« que locis, in modum crucis, et chrismate « me unxit in fronte, orationes recitando lin« guâ Ægyptiâ, et in faciem meam insufflavit, « et in eâdem horâ, inter celebrandum fecit « me ostiarium et lectorem, sive psalmistam et « acolythum, et nefcadiaconum, sive subdiaco« num, et diaconum Evangelii, et sacrosanctam « communionem mihi dedit, et longo tempore « post, anno ætatis meæ trigesimo in civitate « Bed, in Dembiâ Æthiopiæ, in ecclesiâ sancti « Georgii ab archiepiscopo Marco supradicti

« Josephi successore initiatus sum sacerdotio. » Interrogatus, an verba formalia singulorum ordinum audivit archiepiscopum prodesse in collatione ordinum, respondit, ipsum archiepiscopum protulisse; « sed ego non audivi, « neque significationem intellexi, quia celebra« bat linguâ Ægyptiâ, quam prorsùs ignora« bam. » Interrogatus, an in collatione singulorum ordinum tradita fuerit ei materia ab archiepiscopo, et an ipse manibus suis illam tetigisset, videlicet in ostiariatu claves ecclesiæ, et ostium aperuerit, et campanulam pulsaverit; in lectoratu librum Lectionum vel Psalmorum tetigerit; in exorcistatu librum Exorcismi vel Missale; in acolythatu candelabrum cum candelâ extinctâ et urceolum vacuum; in subdiaconatu calicem vacuum, cum patenâ vacuâ superpositâ, et urceolos cum vino et aquâ, et bacile cum manutergio, et librum Epistolarum, et an capiti ejus fuerit ab eodem archiepiscopo impositus amictus, et manipulus brachio ejus sinistro, et indutus fuerit tunicellâ; et in diaconatu, an librum Evangeliorum tetigerit, et stola super humerum ejus fuerit imposita, et dalmaticâ vestitus; et in sacerdotio, an tetigerit calicem cum vino et aquâ, et patenam cum hostiâ, et an archiepiscopus et sacerdotes capiti ejus manus imposuerint, et an sibi aptata fuerit stola ante pectus in modum crucis, et an indutus fuerit casulâ sive planetâ, et manus ejus tactæ fuerint oleo Catechumenorum, respondit: « Certò « scio in omnibus supradictis ordinibus nul« lam materiam in collatione ordinum mihi ab « archiepiscopo traditam esse, neque illam me « tetigisse, neque me vestitum aliquâ veste « singulis ordinibus competente, neque capiti « meo manus archiepiscopi fuisse impositas, « neque oleo sancto manus meas unctas fuisse. « Scio prætereà archiepiscopum nostrum in « Æthiopiâ simul ordinare duo millia, et plu« res clericos, eodem die, et singulis sex ordi« nes simul conferre, absque prævio examine, « et absque aliquo scrutinio, delectu, appro« batione, scripturâ vel notatione, et propter « ordinandorum multitudinem non posse sin« gulis materiam tangendam tradere : et vidi « eumdem modum observari in omnibus ordi« nationibus à nostris archiepiscopis succes« sivè, licet secùs observetur in Ægypto, ubi « non tanta clericorum multitudo simul et tur« matim ordinatur, et materia singulis ordi« nibus competens tangenda ordinando tra« ditur. »

Interrogatus, an sciverit supradictos archiepiscopos, Josephum et Marcum, à quibus initiatus est, tempore suæ ordinationis fuisse schismaticos, et extra communionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, respondit, nescivisse; imò potiùs certò credebat, tunc temporis ipsos esse catholicos, unà cum omnibus Æthiopibus et Cophtis, et sedi Apostolicæ in omnibus obedire, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem habere, et credebat Christianos omnes in rebus fidei convenire; sed ea quæ superiùs dixit, scivit postea dùm esset Hierosolymis et in Ægypto.

Articulus XIV.

De natione Jacobiticâ, ac de eorum erroribus.

De Jacobitis ita scripsit Nicephorus lib. 18, c. 45, Historiæ ecclesiasticæ : « Quis verò, « inquit, Jacobus fuerit, unde Jacobitæ nomen « acceperunt, æquum esse puto, ut hìc refe« ram. Altiùs autem narrationem petam : Post« quàm Eutycheti et Dioscoro à sanctâ quartâ « Chalcedonensi synodo dignitas abrogata est, « qui illorum dogmata defenderunt, factâ ab « Ecclesiâ catholicâ defectione, διακρινομένους, « hoc est, *segregatos,* sive *ambigentes,* seipsos « appellârunt; neque ullo modo, ut quæ rectè « in concilio sancto statuta essent comproba« rent, adduci potuêre. Ii in duodecim sectas « dissecti sunt, ex quibus multa millia hære« sum pullulârunt. Ex quarum sectatoribus « quidam Eutychianistæ vocati sunt, alii Ace« phali, alii Monophysitæ, alii Theodosiani, « alii Julianistæ, alii Tritheitæ, alii Agnoetæ, « alii Theopaschitæ, alii Armenii, alii Severitæ, « alii Aphthartodocitæ, alii Phantasiastæ, alii « Manichæi, alii Phthartolatræ, alii denique « Scenolatræ sunt appellati. » Hactenùs Nicephorus, qui cap. 52, historiam Jacobitarum prosequens : « Jacobus porrò, ait, à quo nunc « quoque, ut jam diximus, Jacobitarum hæ« resis denominata celebratur, Syrus genere « fuit, obscurus prorsùs et nullâ gloriâ vir, « qui etiam Zauzalus propter summam tenui« tatem est cognominatus. Hic Eutychetis et « Dioscori, Gnaphæique, ac prætereà Petri « atque Severi dogmate recepto, magnoperè « id apud Syros propagare studuit. » Idem quoque ubi supra Nicephorus : « Enimverò eo, « inquit, quem diximus, Jacobo, Monophysita« rum opinionem apud Syros prædicante, « magnum exortum est dissidium. Nam qui « rectæ opinioni adhæserunt, Melchitæ appel« lati sunt, quòd sanctam quartam synodum

« et imperatorem ipsum (Melchi enim Syris « rex est) consectarentur. Qui autem diversum « senserunt, multa variaque habuère nomina ; « Jacobitæ tamen maximè sunt nominati , « propterea quòd ei, quem dixi, Monophysita- « rum hæresis studioso Jacobo adhærerent. « Qui etiam anathemati traditi sunt, ut Mono- « physitæ scilicet et Theopaschitæ. Postea verò « aliud etiam hæresum examen ad se pertra- « xère, quâ Trinitatem consubstantialem cre- « dentes , unam naturam post unionem in « Christo esse docuerunt , sacram quartam « synodum repudiantes, ac deinceps omnes « sanctos Patres rejicientes. Et quod maximum « est, divinitati ipsius Unigeniti perpessionem « tribuerunt, *Tersancto* illi hymno appendicem « hanc : *Qui crucifixus est pro nobis,* appen- « dentes. Talis Jacobitarum hæresis radix « extitit. Jacobus quoque Armeniorum sectæ « dux fuit. » Hæc Nicephorus.

De natione Jacobiticâ Leonardus episcopus Sidoniæ, nuntius atque visitator apostolicus, per sanctissimum D. papam Gregorium XIII, in legatione suâ ad partes orientales, quam manuscriptam vulgari linguâ reliquit, inter alia disserens, inquit : « Natio Jacobitica dis- « persa est per civitates, terras, et oppida Sy- « riæ, Mesopotamiæ et Babyloniæ, mixta aliis « nationibus, numerum quinquaginta millium « domuum obtinens, cujus præcipua pars pau- « percula est, quotidianoque labore victum « quæritat. In Aleppo et Caramit multæ sunt « divites et honestarum facultatum familiæ, « aliæque in commercio et mercaturâ vitam « ducentes. » Ecclesia patriarchalis hujus nationis est in Mesopotamiâ, extra civitatem Moradim, in monasterio Zafram; sed patriarcha residet in civitate Caramit ad majorem suî commoditatem et quietem. Hæc natio subdita est patriarchæ David, sed ab episcopo Thomâ, vicario generali fratreque majori ipsius patriarchæ gubernatur ; sub cujus obedientiâ modernè vivunt inferiores prælati , Joannes metropolitanus Hierosolymitanus, à Jacobitis dictus quintus patriarcha : Michael archiepiscopus Damascenus; Jacobus archiepiscopus Edessæ dictæ Orfa, vel Raha; Minas archiepiscopus Saur, Effrem archiepiscopus in eâdem provinciâ; Jacobus archiepiscopus Bisuairiæ; Abraham episcopus Aatafræ ; Melchez episcopus sancti Melchi in Tur; Jesu episcopus monasterii Deiriloomor; Abelmedich in provinciâ Tur; Elias episcopus in Salach; Elias episcopus in monasterio sanctæ Crucis in Zaz; Gazel episcopus in Tarach; David episcopus in Maaden; Pilatus metropolitanus in Musal et Oriente; Gazel archiepiscopus de Miaferichin, archiepiscopus monasterii de Mar Abihai; Ananias episcopus sancti Bertoniæ; Joannes episcopus de Hartbert; Isaac archiepiscopus Cypri; Simeon archiepiscopus Camaritanus; Habib episcopus. In supradictis provinciis multa sunt monasteria ejusdem nationis, Ecclesiæ quoque, religiosi et diaconi, ac clerici innumeri, quos non potui visitare propter repulsam, quam passus fui ab episcopo præfato Thoma vicario generali ; visitabam tamen templum Jacobitarum in Tripoli, in Aamanin, Damasco, in Neph, in Jerusalem, in Aleppo, in Orfâ, et in Orbis, et in monasterio de Mar Abihai, in Gargar, inter quarum partium Ecclesias Hierosolymitanam et Aleppi benè instructam et excultam inveni, cæteras autem sine imaginibus et malè gubernatas; asservabatur siquidem sacramentum in pyxidibus ligneis, sine lumine aut lampade, fontesque baptismales aquâ carentes, quia quoties baptizant, aquam fontemque de novo benedicunt, altarium quoque ornamenta vilissima, Missæque officium sordidè satis ac stupidè peragebatur. Ex oleis sanctis solum chrisma in ecclesiis asservabatur, quod *Miron* vocatur, benediciturque à patriarchâ omni septennio, cum multis floribus, rebusque odoriferis. Oleum Catechumenorum non habent; oleumque extremæ Unctionis sacerdos in lucernis à quatuor partibus in modum crucis accensis benedicit, eoque ægrum multis priùs evangeliis et orationibus recitatis inungit. Sacramentum autem Confessionis rarissimè apud nationes illas frequentatur , multique communicant sine auriculari confessione.

Refert idem Leonardus Sidoniæ episcopus, se Jacobitarum patriarchæ unionem cum Ecclesiâ catholicâ proposuisse, eamdemmet aliàs desideranti, cùmque ad præcipuos catholicæ fidei professionis articulos ventum esset, ubi de Chalcedonensis concilii acceptatione mentio fieri cœpit , nonnihil subsistere visus , inquit, haudquaquàm fas esse rem hanc unâ in populum vice, idque continuo tractu evulgari, sed paulatim ipsoque temporis progressu, datâ nimirùm priùs Apostolicæ sedi obedientiâ, eidemque justâ exhibitâ benevolentiâ. Tandem ad Dioscori condemnationem procurrimus, ubi summo cum fervore : « Absit, absit, « inquit, excommunicatum esse Dioscorum ; « damnatus non est, imò verò sanctitate fulge

« Dioscorus, velut primarius Jacobiticæ nostræ « nationis parens; hoc recipi nullâ ratione « potest, quippe si casu Jacobitica natio resci- « ret nos in damnatum consentire Dioscorum, « absque morâ et nostro privaremur patriar- « chatu, et ab universo populo ingenti cum « fervore saxis obrueremur. » Cùmque lectione procedente in secundum tertiumque Constantinopolitanum concilium incideremus, licet Jacobitæ adjungant in Trisagio : *Qui crucifixus est pro nobis,* dicantque in Christo Domino nostro unam esse naturam, unam voluntatem, unamque operationem resultantem ex duobus, dixit tamen vicarius se isisagium et crucifixionem soli Christo Domino nostro applicare, non autem sanctissimæ Trinitati, cæterisque absque contradictione applausit, præsertim verò sanctæ Apostolicæ sedis primatum pro superiori capite agnovit, ac supremam SS. D. N. papæ auctoritatem in singulis suorum Ecclesiis, obedientiæ promissione, admisit.

Percunctabatur deinde, quamobrem Chalcedonense concilium in Dioscorum excommunicationem fulminâsset, cùm et eruditione et religiosæ ac sanctæ vitæ præstantiâ polleret. Cui ego, fuisse à Chalcedonensi concilio excommunicatum, quia acta Eutychetis approbaret, et in suâmet hæresi, aliisque innumeris in dicto concilio enumeratis contumaciter et superbè persisteret. Sed ipse contra aiebat, Dioscorum nunquàm Eutychetis opinionem approbâsse, cùm ipsi Jacobitæ Dioscoriani sint, ac semper Eutychetis errores unà cum auctore suo condemnârint, et etiam nunc condemnent, qui duas naturas in unam confundebat; at ipsi contra hanc opinionem asserant duas in Christo naturas esse unitas, unamque factam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione tamen aut confusione, referebatque corruptam in ipsorum libris Dioscori historiam, quâ eum iniquè et immeritò in præfato Chalcedonensi concilio damnationis et excommunicationis sententiam perpessum nitebatur probare. Adversùs hunc ipsius discursum, multis illi rationibus palam faciebam, Dioscorum justo excommunicationis telo fuisse confossum et reprobatum, historiamque de eo confictam omninò falsam esse; verùm is pertinaciter rejiciebat omnia, negabatque quæ de Dioscoro objiciebantur. Frequentiùs igitur affirmabam, si Catholici dici, sanctæque Romanæ Ecclesiæ obedientiam præstare decrevissent, ipsos obligari, perfectè in omnibus Chalcedonense concilium unà cum sanctâ Romanâ Ecclesiâ à divino Spiritu gubernatâ, sequi et amplecti. Quare Dioscorum damnarent, adinventionesque ac inanem verborum superfluitatem contra dicti concilii determinationes, rejicerent, omissoque illo dicendi modo, nempe unam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione et confusione, sed liberè unam personam, et duas naturas, duas voluntates, et duas operationes in Christo, juxta idem concilium à sanctâ Romanâ Ecclesiâ probatum confiterentur. Tunc autem respondit, Latinos nec Græcos potuisse excogitare et invenire hoc temperamentum vocum et terminorum in propositione istâ, quemadmodùm doctè Jacobitæ invenerunt, et quidem in significatione eamdem esse cum eâ quam Ecclesia Latina obtinet, et verbis solùm differre affirmabat. Hæc Leonardus episcopus.

Articulus XV.

Hæreses et errores nationis Jacobitarum ex eorum Catechismo collecti.

Breviter verò referam errores omnes, quos ex Catechismo Jacobitarum, qui Romæ in bibliothecâ cardinalis S. Severinæ, tam in Arabicâ, quàm in Latinâ linguâ conscriptus habetur, colligere potui; tum ut errores illius gentis clariùs cognoscantur, tum ut si quando ipsam ad Ecclesiæ gremium (ut in Domino speramus) redire contingat, faciliùs Catechismi errores emendentur, et ad fidei regulam componantur.

In primis frustra Jacobitæ in suo Catechismo probare conantur, Christum Dominum nostrum unam habere naturam, et unam voluntatem, ac unam operationem, plurimas allegantes auctoritates, cùm ex iisdem auctoritatibus oppositum potiùs colligatur.

Sanctum Leonem summum Romanum pontificem, quia duarum meminit naturarum, cum Ario et Nestorio, et aliis hæresiarchis malignè annumerant, ut hâc viâ magno afficiantur erga Ecclesiam catholicam odio, utque à duarum naturarum mentione omnes abhorreant. Seipsos Syros vocant, et falsò se jactant Cophtos, Abyssinos, et Armenos, et Nubianos ipsos sequi in fide, cùm ipsi cæteris sint multò minores ac pauciores, et rege destituti.

Profitentur Christum ante et post adunationem esse unam naturam, unitam et compositam ex divinitate et humanitate, et unam personam compositam ex divinitate et huma-

nitate, et unam voluntatem compositam ex divinitate et humanitate, et unam operationem productam ex divinitate, et apparentem ex corpore. Contradicunt sibi ipsis asserentes, operationem voluntatis apparere ex divinitate personæ Verbi creatoris æterni, et operationem apparere ex humanitate unitâ eidem Verbo; non intelligentes communicationem idiomatum, asserunt Græcos et Latinos errare, dùm vocant Christum modò Deum, modò hominem; deinde falsò præsupponunt, eosdem credere quaternitatem in divinis, duas credendo in Christo naturas. Falsò etiam vocant eosdem Arianos, quia duas in Christo naturas, voluntates et operationes credant. Falsò præterea asserunt Latinos credere in unam Christi voluntatem, et eosdem esse sub trium conciliorum anathemate, quia quartum Chalcedonense acceptârunt concilium.

Existimant se esse in communione catholicæ et orthodoxæ Ecclesiæ, alios verò extra eamdem existere.

Sanctum Leonem summum Romanum pontificem bis cum hæresiarchis annumerantes, falsò et malignè asserunt, eum addidisse in sanctissimâ Trinitate unam naturam, unam voluntatem, et unam operationem, et in quaternitatem credidisse. Falsò etiam et malignè asserunt Nicæni concilii Patres prohibuisse mentionem duarum naturarum in Christo, et duarum operationum et duarum voluntatum. Licet fateantur in Christo duas esse naturas personali unione unitas, dicunt tamen illam unionem esse non secundùm Græcorum communicationem, neque secundùm congruentiam Nestorianorum, sed per compositionem unionis apparentis in professione Jacobitarum, duarum scilicet naturarum unitarum, sicut est unio ignis cum ferro. Nullam videntur facere differentiam inter unionem et compositionem, neque inter personam et naturam. Asserunt in Christo unam esse naturam, et unam personam, et Verbum humanatum coæquale esse Deo Patri divinitate et humanitate, et esse constrictum corpore, et inconstrictum animâ. Falsò etiam præsupponunt Christum dividi in duas personas, si duæ in eo connumerentur naturæ, et voluntates, et operationes.

Errant dicentes, tertium universale concilium, Ephesinum scilicet, fuisse coactum contra Macedonium, cùm fuerit contra Nestorium; particulam, *Filioque*, non exprimunt in Symbolo; hæreticorum more ad confirmanda sua dogmata aspidum ova aliis fovenda supponentes, quæ Jacobitarum sunt, S. Joanni Chrysostomo attribuunt, ut sua ipsorum scripta insignibus titulis illustrata divulgentur. Asserunt Dei Verbum gigni ab æternâ essentiâ. Asserere videntur divinam tantùm in Christo esse naturam. Damnant, qui prædicant Christi indumentum, id est, humanitatem, permansisse creatam. Vocant Dei Verbum Creatorem, compositum, et damnant, qui Christo refert servitutem, et qui post unionem duas in Christo ponit naturas, et duas voluntates.

Asserunt omnes Christi operationes esse cœlestes, et si quam operationem Christus fecit humanam, illam fecisse provisione quâdam. Asserunt Christum esse creantem et non creatum, et in multis sibi ipsis contradicunt indistinctè loquentes.

Plurima referunt apocrypha. Sibi ipsis contradicunt asserentes, licuisse per humani oculi applicationem divinam videre et perspicere essentiam, prædicentibus prophetis Christum appariturum in figurâ humanâ, asserentes paulò inferiùs divinam essentiam in hoc mundo esse invisibilem. Errant, et sibi ipsis in eodem catechismo contradicunt, asserentes formationem corporis Christi non in instanti, sed quadraginta dierum spatio fuisse factam. Beatissimæ Virginis Mariæ sanctificationem à peccato in Christi conceptione factam esse asserunt. Asserunt corpoream Christi figuram esse æternam, et de eâ Deum dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Negant angelum Gabrielem dixisse beatissimæ Virgini ipsam parituram filium duas naturas et voluntates habentem, quod Arium dixisse asserunt. Asserunt Christum sepelîsse Adami imaginem in sepulcro, et illam resurgere fecisse divinam et æternam; unde asserere videntur, naturam humanam fuisse conversam in divinam. Asserunt æternam imaginem et humanam figuram factas esse unione unam imaginem, sive figuram, et æternam per humanam subsistere, et per eam factam esse Dominum et Christum, et Deum, et seculorum Judicem. Asserunt omnes justos manere in terrâ usque in diem judicii, secundum Christi adventum è cœlo expectantes. Asserunt angelos esse ex duabus substantiis, scilicet ex igne et lumine. Asserunt Spiritum sanctum procedere à Patre, quoniam est prima causa, et capere à Filio secundam causam, cùm sit ipse tertia causa in proprietatibus et una in essentiâ. Asserunt

non concedi perfectionem nominis Dei, nisi in his gloriosis nominibus, trinis in personis, et unitis in substantiâ. Asserunt animam justificari ex opere suo bono.

Hi sunt errores, qui potissimùm hodiè apud nationem Jacobitarum vigent, ut ex eorum Catechismo clarissimè constat. Contra præcipuos Jacobitarum errores infra latiùs acturi, nunc pro adjuvandâ eorum natione non erit abs re unionem ab eis cum Ecclesiâ catholicâ olim in concilio Florentino strictissimo obedientiæ vinculo celebratam, in memoriam revocare, quia juvat etiam maximè ad fidem catholicam stabiliendam contra præcipuas eorum hæreses quædam commemorare.

Articulus XVI.

Constitutio concilii Florentini sub sanctissimo Patre et D. N. Eugenio IV, super unione Jacobitarum, sive Jacobinorum.

« Eugenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam : *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit; annuntiate hoc in universâ terrâ. Exulta et lauda, habitatio Sion, quoniam magnus in medio tuî sanctus Israel.* Cantare profectò, et exultare in Domino decet Ecclesiam Dei, pro hâc grandi magnificentiâ, et gloriâ nominis sui, quam hodiè clementissimus Deus operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare et benedicere Salvatorem nostrum nos convenit, quia sanctam Ecclesiam suam novis quotidiè accumulat incrementis; quanquàm autem in populum christianum sua beneficia omni tempore multa et magna sint, quæ luce clariùs erga nos suam immensam charitatem ostendunt, si tamen accuratè inspicimus, quæ et quanta his diebus novissimis divina clementia facere dignata est, judicare certè poterimus, hoc nostro tempore plura ac majora, quàm à multis retroactis temporibus sua charitatis munera extitisse. — Ecce enim nondùm exacto triennio in hâc sanctâ œcumenicâ synodo saluberrimam trium magnarum nationum unionem, Dominus noster Jesus Christus, pro suâ ineffabili pietate ad commune perenneque totius christianitatis gaudium, tam copiosè effecit; unde factum est, ut totus ferè Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva septentrionis portio, post longa dissidia, cum sanctâ Romanâ Ecclesiâ in eodem fidei ac charitatis vinculo jam convenerint. Primò etenim Græci, et hi, qui subsunt quatuor patriarchalibus sedibus, multas gentes, nationesque, et idiomata continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens; hodiè verò Jacobini magni etiam per Ægyptum populi, sanctæ sedi Apostolicæ sunt uniti. — Et cùm nihil Salvatori nostro Domino Jesu Christo gratius sit, quàm mutua inter homines charitas, nihilque nomini suo gloriosius, atque Ecclesiæ utilius esse possit, quàm ut Christiani, omni inter se sublato dissidio, in eâdem simul fidei puritate conveniant; meritò nos omnes, et cantare præ gaudio, et jubilare in Domino debemus : quos ut tantam christianæ fidei magnificentiam diebus nostris videremus, divina miseratio dignos effecit. Summâ igitur cum alacritate annuntiamus magnalia hæc in universâ Christianorum terrâ, ut sicut nos à gloriâ Dei et exaltatione Ecclesiæ, gaudio inenarrabili repleti sumus, ita et alios tantæ lætitiæ participes faciamus, ut omnes uno ore magnificemus et glorificemus Deum, et suæ majestati prout dignum est, magnas quotidianasque gratias agamus, pro tot tantisque beneficiis innumerabilibus, hâc ætate Ecclesiæ suæ sanctæ collatis. — Et quoniam, qui opus Dei diligenter exercet, non modò meritum ac retributionem in cœlis expectat, sed etiam apud homines amplam gloriam laudemque meretur, venerabilem fratrem nostrum Joannem Jacobinorum patriarcham hujus sanctæ unionis cupidissimum, à nobis et totâ Ecclesiâ meritò laudandum et extollendum, ac communi omnium Christianorum favore, cum totâ suâ gente dignum judicamus. Is enim à nobis per nostrum oratorem ac litteras excitatus, ut ad nos, et hanc sanctam synodum legationem mitteret, et se ac suam gentem in eâdem cum Ecclesiâ Romanâ fide uniret, dilectum filium Andream natione Ægyptium, abbatem monasterii S. Antonii apud Ægyptum, in quo et habitâsse, et mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, religione et moribus non mediocriter institutum, ad nos et ipsam synodum destinavit. Cui devotionis zelo accensus imposuit atque commisit, ut fidei doctrinam, quam sancta Romana Ecclesia tenet et prædicat, nomine ipsius patriarchæ et suorum Jacobinorum reverenter susciperet, deferendam postea per eum ad ipsum patriarcham, et Jacobinos, ut et ipsi eamdem agnoscerent, ratamque haberent, et in suis regionibus prædicarent.

« Nos igitur, quibus voce Domini commissum est, pascere oves Christi, ipsum Andream abbatem per nonnullos hujus sacri con-

cilii insignes viros super articulis fidei, et sacramentis Ecclesiæ, et quibuscumque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, et tandem, quantùm visum est, necessarium fore, expositâ eidem abbati sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide catholicâ, et per ipsum humiliter acceptatâ, hanc quæ sequitur necessariam et veram doctrinam hodiè in hâc solemni sessione, sacro approbante œcumenico concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus. »

In primis igitur sacrosanctum concilium proponit et confitetur fidem sanctissimæ Trinitatis, reprobans omnes hæreticos contra illam tenentes, et libros tam veteris quàm novi Testamenti enumerat, omnia ferè, ut in professione fidei catholicæ ab Orientalibus emittendâ, de quâ infra; et ideò consultò omittimus, maximè quia Jacobitarum errores potiùs circa Incarnationis, quàm Trinitatis mysterium versantur; prosequitur postmodùm concilium :

« Firmissimè credit, profitetur, et prædicat, unam ex Trinitate personam verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem, et coæternum in plenitudine temporis, quam divini concilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariæ Virginis assumpsisse, et sibi in unitatem personæ copulâsse, tantâ unitate, ut quicquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quicquid est hominis non sit à deitate divisum; sitque unus et idem indivisus, utrâque naturâ in suis proprietatibus permanente, Deus et homo Dei Filius, et hominis Filius, æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem; immortalis et æternus ex naturâ divinitatis; passibilis et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis. — Firmiter credit et profitetur et prædicat Dei Filium in assumptâ humanitate ex Virgine verè natum, verè passum, verè mortuum et sepultum; verè ex mortuis resurrexisse, in cœlum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine seculorum ad vivos mortuosque judicandos. — Anathematizat autem, execratur et damnat omnem hæresim contraria sapientem. »

Et damnatis hæreticis omnibus contrarium sentientibus addit : « Anathematizat etiam, execratur, et damnat Eutychem Archimandritam, qui cùm intelligeret, juxta Nestorii blasphemiam veritatem Incarnationis excludi, et propterea oportere, quòd ita Dei Verbo unita esset humanitas, et deitatis et humanitatis una esset eademque persona; ac etiam capere non posset stante pluralitate naturarum unitatem personæ; sicut deitatis et humanitatis in Christo posuit unam esse personam, ita unam asseruit esse naturam; volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transîsse, maximâ blasphemiâ et impietate concedens, aut humanitatem in deitatem, aut deitatem in humanitatem esse conversam. — Anathematizat etiam, execratur et damnat Macharium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui licet verè de naturarum dualitate et personæ unitate sentiret, circa tamen Christi operationes enormiter aberravit, dicens in Christo utriusque naturæ unam fuisse operationem, unamque voluntatem. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates, duasque operationes.

« Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquàm ex viro feminâque conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per meritum Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi Domini nostri; qui sine peccato conceptus, natus et mortuus humani generis hostem peccata nostra delendo solus suâ morte prostravit, et regni cœlestis introitum, quem primus homo peccato proprio, cum omni successione perdiderat, reseravit, quem aliquando venturum omnia veteris Testamenti sacra sacrificia, sacramenta, cæremoniæ præsignârunt. — Firmiter credit, profitetur et docet legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis, quæ dividuntur in cæremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicujus futuri gratiâ fuerant instituta; licet divino cultui illâ ætate congruerent, significato per illa Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessâsse, et novi Testamenti sacra cœpisse. Quemcumque etiam post passionem in legalibus spem ponentem, et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccâsse mortaliter. Non tamen negat, à Christi passione usque ad promulgatum Evangelium, illa potuisse servari; dùm tamen minimè ad salutem necessaria crederentur. Sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis æternæ, asserit non posse servari.

« Omnes ergo post illud tempus circumci-

sionis et sabbati, reliquorumque legalium observatores alienos à Christi fide denuntiat, et salutis æternæ minimè posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, præcipit omninò quocumque tempore, vel ante, vel post baptismum, à circumcisione cessandum, quoniam sive quis in eâ spem ponat, sive non, sine interitu salutis æternæ observari omninò non potest. Circa pueros verò propter periculum mortis, quod potest sæpè contingere, cùm ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, et in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta, aut octuaginta dies, seu aliud tempus, juxta quorumdam observantiam, sacrum baptisma differendum; sed quamprimùm fieri potest, debet conferri : ita tamen, quòd mortis imminente periculo, mox sine ullâ dilatione, baptizentur etiam per laicum, vel mulierem, in formâ Ecclesiæ, si desit sacerdos, quemadmodùm in Decreto Armenorum pleniùs continetur. — Firmiter credit, profitetur et prædicat omnem creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, quia juxta verbum Domini, *non quod intrat in os coinquinat hominem*, illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum et immundorum differentiam, ad cæremonialia asserit pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt, et efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, dicit illi tempori congruisse, quo ex Judæis atque gentilibus, qui antea diversis cæremoniis, moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia : ut cum Judæis etiam gentiles aliquid communiter observarent, et in unum Dei cultum fidemque conveniendi præberetur occasio, et dissensionis materia tolleretur : cùm Judæis, propter antiquam consuetudinem, sanguis et suffocatum abominabilia viderentur, et esu immolatitii poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem eousque propagata christiana Religio, ut nullus in eâ Judæus carnalis appareat, sed omnes in Ecclesiam transeuntes, in eosdem ritus Evangelii cæremoniasque conveniant, credentes omnia munda mundis, illius apostolicæ prohibitionis causâ cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiet, quam societas admittit humana, nec inter animalia discernendum, per quemcumque sive virum, sive mulierem, et quocumque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiasticâ disciplinâ, possint et debeant multa non negata dimitti, quia, juxta Apostolum, *omnia licent, sed non omnia expediunt.* — Firmiter credit, profitetur et prædicat, nullos extra Ecclesiam catholicam existentes, non solùm paganos, sed nec Judæos, aut hæreticos, atque schismaticos, æternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. Tantùmque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solis in eâ manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant, et jejunia, eleemosynæ, ac cætera pietatis officia et exercitia militiæ christianæ præmia æterna parturiant, neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicæ Ecclesiæ gremio et unitate permanserit. »

Exprimit deinde et refert synodos œcumenicas, nempe Nicænam, Constantinopolitanam, et primam Ephesinam, easque amplectitur et approbat ; de Chalcedonensi verò et de aliis, quas Jacobitæ non admittunt, addit : « Amplectitur etiam, approbat et suscipit sanctam Chalcedonensem synodum, quartam in ordine universalium synodorum, sexcentorum et triginta Patrum, temporibus præfati beatissimi Leonis prædecessoris nostri, et Martiani principis celebratam, in quâ hæresis Eutychiana, cum suo auctore Eutyche et Dioscoro defensore damnata est : et definitum est, Dominum nostrum Jesum Christum esse verum Deum et verum hominem, et in unâ eâdemque personâ divinam humanamque naturas integras, inviolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasque mansisse, humanitate agente quæ hominis sunt, et Deitate quæ Dei. Quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos. — Amplectitur etiam, approbat, et suscipit sanctam quintam synodum secundò apud Constantinopolim, tempore beatissimi Vigilii prædecessoris nostri, et Justiniani principis celebratam; in quâ sacri Chalcedonensis concilii definitio de duabus naturis et unâ personâ Christi renovata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de dæmonum, aliorumque damnatorum pœnitentiâ et liberatione, reprobati atque damnati sunt. — Am-

plectitur etiam, approbat et suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam synodum, centum et quinquaginta Patrum, quæ sexta est in ordine universalium synodorum, temporibus beatissimi Agathonis prædecessoris nostri et Constantini quarti, hujus nominis principis, congregatam, in quâ Macharii Antiocheni episcopi, et sectatorum hæresis condemnata est; et definitum est, in Domino nostro Jesu Christo duas esse perfectas integrasque naturas, et duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset una eademque persona, cui utriusque naturæ competerent actiones, deitate agente quæ Dei sunt, et humanitate quæ hominis sunt. — Amplectitur etiam, et veneratur, et suscipit omnes alias universales synodos, auctoritate Romani pontificis legitimè congregatas, ac celebratas et confirmatas, et præsertim hanc sanctam Florentinam; in quâ inter alia Græcorum atque Armenorum sanctissima unio consummata est, et multæ circa utramque unionem saluberrimæ definitiones editæ sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenè continetur, quorum tenor in hunc modum sequitur. »

Positis deinde aliis decretis sacrosanctæ synodi circa unionem tam Græcorum quàm Armenorum, in quibus fidei nostræ fundamenta stabiliuntur ac declarantur, in fine Bullæ sive Decreti unionis cum Græcanicâ natione, addit : « His omnibus explicatis præfatus Andreas abbas, nomine dicti patriarchæ, ac proprio et omnium Jacobinorum, hoc saluberrimum synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet et docet sancta sedes Apostolica et Romana Ecclesia, cum omni devotione et reverentiâ suscipit et acceptat. Illos quoque doctores et sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reverenter suscipit, quascumque verò personas et quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat et damnat, ipse pro damnatis et reprobatis habet, profitens tanquàm veræ obedientiæ filius, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus et jussionibus fideliter et semper obtemperare. »

Lecto solemniter in præsenti synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico præfatus Andreas abbas ipsum Jacobinorum decretum publicè ibidem prælegit, atque infra scripta verba in scriptu Arabicè subjunxit, quæ in continenti Latinè recitata sunt : « Beatissime pater, domine Eugeni, « sanctæ Romanæ Ecclesiæque universalis « summe pontifex, vereque Christi vicarie, « ac beati Petri successor, et sanctissima universalis Florentinensis synode, totum hoc « sanctum decretum, cum insertis et sanctis « decretis Unionis Græcorum et Armenorum, « quod nunc in vestrâ præsentiâ publicè lectum « est, ego Andreas humilis abbas S. Antonii, « orator reverendi patris domini Joannis pa- « triarchæ Jacobinorum, habens ipsius decreti « per plures dies plenam notitiam et instru- « ctionem, cognosco confiteorque omnia in ipso « decreto contenta, divinæ ac catholicæ veritati « consona existere. Nomine igitur præfati do- « mini patriarchæ, omniumque Jacobinorum, « ac meo, quemadmodùm vestra sanctitas at- « testatur, præfatum saluberrimum synodale « decretum, cum dictis insertis decretis, om- « nibusque suis capitulis, declarationibus, de- « finitionibus, traditionibus, præceptis et statu- « tis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, « necnon quicquid tenet et docet sancta sedes « Apostolica, et Romana Ecclesia, cum omni « devotione et reverentiâ suscipio et accepto. « Illos quoque doctores et sanctos Patres, « quos Ecclesia Romana approbat, reverenter « suscipio : quascumque verò personas et quic- « quid ipsa Romana Ecclesia reprobat et dam- « nat, pro reprobatis et damnatis habeo, pol- « licens nomine quo supra ipsum patriarcham, « Jacobinosque, et me ipsum tanquàm veræ « obedientiæ filios, vestris et sedis Apostolicæ « ordinationibus et jussionibus fideliter et « semper obtemperaturos. » Datum Florentiæ in publicâ sessione synodali, solemniter in ecclesiâ domûs sanctæ Mariæ novellæ, apud quam nunc residemus, celebratâ, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, pridie nonas februarii, pontificatûs nostri anno 11.

Articulus XVII.

De natione Armenâ eorumque erroribus.

De Armenis et eorum erroribus scripserunt inter alios Vincentius Beluacensis in Speculo historiali l. 30, c. 98, et ex eo ad verbum S. Antoninus, 3 p. tit. 19, c. 8, § 10, et de novitatibus apud eos; idem Anton. tit. 21, c. 5, in princ.; Guido Perpinianus, episcopus Majoricensis et Eluensis, ex ordine Carmelitarum assumptum; Rodulphus Armacanus, et novissimè Prateolus lib. de Sect. hæretic. verbo *Armeni.*

Hæreses et errores præcipui nationis Armeniæ iidem ferè sunt cum erroribus Jacobitarum et Græcorum : dicunt enim in Christo Domino nostro unam naturam esse, unam voluntatem, unamque operationem. Dioscorum colunt. Tria solùm habent concilia universalia. Adjungunt Trisagio : *Qui crucifixus est pro nobis.* Cum Græcis Spiritum sanctum, non à Filio, sed à solo Patre, procedere; sacramentum Eucharistiæ non in azymo, sed solùm in fermentato confici ; nullam animam ante diem universalis judicii fore beatam; nullum denique esse Purgatorium, in quo animæ ex hâc luce migrantes purgentur, affirmant, ac proinde neque orandum esse pro defunctis.

Præter hos etiam errores, aliis quàm plurimis scatent, de quibus latissimè noster Guido in libro quem de Hæresibus edidit. 1° asserunt, Adamum et Evam nunquàm carnali copulâ conjungendos, si in eo statu quo illos Deus condiderat, permansissent, humanam speciem aliter propagandam asserentes; 2° ab omnibus etiam sacramentis virtutem conferendi gratiam tollunt; 3° baptizant eos qui jam semel baptisma susceperunt in Ecclesiâ Romanâ, in eâ dicentes non esse verum baptisma, propterea quòd apud Latinos non esse veram et catholicam Ecclesiam affirment, sed solùm penes ipsos; 4° dicebant etiam baptismum alicui conferri non posse, nisi eidem conferatur et Eucharistiæ sacramentum ; 5° chrisma quoque adeò necessarium ad verum baptisma perficiendum, ut nisi baptizandus ipso chrismate ungatur, non baptizatum censerent; 6° asserebant rursùs pueros non indigere baptismo ad deletionem peccati originalis, utpote qui pueros negarent ante baptismum ullum peccatum originale habere; 7° item beatos essentiam Dei non videre, sed claritatem quamdam illius essentiæ, in quâ visione asserunt supremam consistere beatitudinem ; 8° fatentur Deum esse mendacem, propterea quòd cùm Deus dixisset, Caïn futurum ut à nullo homine occideretur, seipsum tamen occiderit, quâ ex re convincunt Deum protulisse falsum, cùm Caïn fuerit ab homine occisus; 9° item negant illi verum Christi corpus realiter in sacramento Eucharistiæ sub panis, et sanguinem sub vini speciebus contineri; 10° rursùs sic vinum in calice apponunt, ut nullam penitùs misceant aquam, eam asserentes minimè miscendam esse ; 11° asserunt etiam hunc sacratissimum cibum nec prodesse quicquam, nec etiam obesse; 12° item inferni pœnam non esse perpetuam, dicentes Christum, cùm ad inferos descendit, omnes animas inde eduxisse; 13° negant in nuptiis contrahendis aliquod esse sacramentum, asseverantes illam maris et feminæ indissolubilem conjunctionem non esse sacramentum, neque per illam gratiam conferri conjunctis; 14° et quamvis dicant originale peccatum nullum esse, fatentur tamen baptisma esse necessarium ad vitam æternam consequenda Parvulos verò, qui absque baptismo decedunt, negant vitam beatam possidere, sed eos dicunt in paradisum terrestrem migrare, si filii sint fidelium; si verò infidelium filii extiterint, illos dicunt descendere in infernum cum suis parentibus; 15° docent rursùs omnes homines ante passionem Christi fuisse damnatos ob primorum parentum peccatum atque transgressionem. Dicunt enim eorumdem primorum parentum peccatum adeò fuisse exitiale et noxium, ut toti posteritati usque ad Christi passionem nocuerit, eamque posteritatem ad infernum abduxerit : non quidem propter originale vitium, quod à primis parentibus contraxerunt nascentes (quia, uti jam diximus, nullum esse astruunt), sed ob proprium primorum parentum peccatum omnes damnatos esse affirmant, etiamsi ipsi in se nullum habuerint peccatum ; 16° dicunt item, nullum fuisse futurum peccatum, si dæmones non fuissent, qui homines ad tentationem impellerent : ex quo inferebant, peccatum esse simpliciter à dæmone, et nullo pacto à libero arbitio; 17° dicunt etiam esse aliqua peccata ita prorsùs irremissibilia, ut à nullo sacerdote remitti possint, contra illud quod Christus dixit Petro, Matth. 16 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, ubi qui totum dicit, nihil excludit; 18° docent quoque Christum surrexisse à mortuis die sabbati, post Parasceven, horâ sextâ, cùm tamen eum surrexisse tertiâ die omnes Scripturæ testentur, juxta quod ipse Salvator promiserat, Luc. 19 et Matth. 12; 19° item omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque post resurrectionem futurum esse femineum sexum; 20° negant denique ullum sacramentum gratiam conferre posse suscipienti, quantùmlibet ad illius susceptionem animam suam præparet.

Articulus XVIII.

De quibusdam Armenorum ritibus.

Recensitis his et similibus Armenorum erroribus, addit Niceph. l. 18 Hist. Eccles. c. 53 : « Dicuntur, ait, habere constitutiones multifarias divinorum ministeriorum, præter Ecclesiæ traditionem et consuetudinem. Atque ut Monophysitas se esse satis ostendant, digito uno à lævâ dexteram versùs, seipsos cruce consignant. Et crucem sanctam, magno Parasceves die, sub terrâ abscondunt, usque ad magnum Dominicum diem. Tum verò cum lumine per plateas et angulos circumeuntes, hinc et inde eam quærunt, et inventam proferunt. Tempore autem procedente alios ritus et cæremonias, quæ pietate salvâ vel observari vel omitti possunt, complexi sunt, peculiaria jejunia instituentes, et sabbatis atque diebus Dominicis magnæ sanctæ Quadragesimæ, lac, caseum, et ova comedentes, et per panem azymum sacrificium peragentes, atque id quod Arziburi dicitur jejunium, paulò ante eum diem, quo carnium esus interdicitur, servantes. » Hactenùs Nicephorus. Hæ autem constitutiones, de quibus idem auctor paulò ante, sunt de quibusdam Armenorum ritibus, qui majori ex parte à consuetudine omnium Ecclesiarum, et à pietate alienissimi videntur, de quibus, aliisque Armenorum consuetudinibus, S. Antonin ubi supra, sic ait : « Armeni siquidem in sabbato Paschæ comedunt ova et caseum in vespere; dicunt enim quòd Christus resurrexit in vespere sabbati. Item post Pascha comedunt carnes per omnes sextas ferias, quæ sunt septem usque ad Pentecosten. Diem Natalis Domini nesciunt, nullaque festa, vel vigilias custodiunt, nec quatuor tempora noverunt. Per totam Quadragesimam non celebrant, nisi die sabbati vel Dominicæ, quia dicunt hominem jejunium frangere quoties celebrat. Propter hanc etiam causam in sextis feriis non celebrant, ne jejunium frangant. Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non jejunant. Multa verò jejunia faciunt. In septimanâ ante Septuagesimam, quia dicitur jejunium S. Sergii, à secundâ feriâ usque ab sabbatum jejunare incipiunt. Et in sabbato, et in Dominicâ carnes comedunt. Idem in hebdomadâ sequenti faciunt. In quartâ et sextâ feriis oleum et pisces non comedunt, nec vinum bibunt, nec etiam per totam Quadragesimam. Plusque peccare, qui in Quadragesimâ comedit pisces, vel oleum, aut vinum bibit, quàm illum qui ad lupanar vadit. Porrò in septimanâ ante Quadragesimam ita strictè jejunant, quòd in secundâ feriâ penitùs abstinent. In die Martis aliquid, sine tamen oleo et vino manducant. Et in die Mercurii omninò nihil, et in sabbato comedunt carnes. Et hoc quidem jejunium faciunt majores. Infantes autem duorum mensium sacramento communicant, et quoslibet indifferenter. Tandem odium inter Georgianos et Armenos existit, quod Georgianus dicit : *Si quis vestrûm habeat spinam in pede fixam, transiens ante Armenorum ecclesiam, debet spinam sustinere, nec se ad pedem suum evellendi causâ inclinare, ne per hoc videatur ante Armenorum ecclesiam, ab omnibus Christianis vilipendendam, se inclinare.* »

Omnes hi, aliique plures Armenorum nationi adscribuntur errores, non quòd omnes Armeni illis inhæreant, sed quia eorum aliqui aliquibus ex his, alii verùm aliis teneantur hæresibus.

Armenorum errores aperuerunt atque confutârunt præcipui Patres Chalcedonensis synodi; Græci item atque Latini, qui de Christi Domini Incarnatione scripserunt, quod et strenuè fecerunt etiam scholastici theologi; quin et Richardus Radulphus hoc præstitit, undeviginti libris, quos adversùs Armenorum errores conscripsit; sed cautè legendus est : interdùm enim, dùm alios corrigit, ipse in errores lapsus est, quos noster Thomas Waldensis et alii confutârunt. Et ex antiquioribus contra Armenorum errores scripserunt Proclus, patriarcha Constantinopolitanus, in Epistolâ ad Armenos; S. Nicon in tractatu de pessimâ Armenorum Religione; S. Thom. in opusc. de Armenorum Erroribus; et præcipuè concilium Florentinum in Bullâ unionis Armenorum.

Articulus XIX.

Pro juvandis Armenis.

Armeni Asiam incolunt, in eâ parte quæ est inter Taurum et Caucasum montes constituta, quorum patria Armenia dicitur à Cappadociâ usque ad Caspium mare protensa; cùm autem illi catholicam fidem fuerint edocti, tempore Constantini imperatoris, sedem Romanam et Apostolicam venerati sunt, ut ex eorum libris, maximè ex Actis B. Gregorii,

magni præsulis Armeniæ virique sanctissimi constat. Referunt enim Armeni inter imperatorem Constantinum et Tiridatem regem Armenorum, sanctumque Gregorium (quem *Illuminatorem* vocant, quia per illum ad fidem et baptismum fuerunt adducti), et B. Silvestrum papam unionem olim fuisse initam; ac deinde inter orientales nationes nulla est, quæ ita firmiter Petri sedi adhæserit, ut Armeni: quam verò ob causam ab Ecclesiâ defecerint, conjicere licet ex historicorum scriptis: nimirùm propter decreta concilii Chalcedonensis sub Leone primo et Martiano imperatore celebrati, quòd videlicet in eo ipso concilio Eutyches abbas Constantinopolitanus, et Dioscorus Alexandrinus episcopus, quorum opinionem Armeni sequebantur, damnati fuissent. Nam quòd tempore Philastrii Brixiensis episcopi, et B. Augustini nondùm ab Ecclesiâ sejuncti essent, ex eo constat quòd neuter eorum Armenorum hæresis mentionem faciat. Armeni itaque his hæreticis faventes, decreta concilii Chalcedonensis admittere contempserunt.

At postea in concilio Florentino, tempore Eugenii IV celebrata est Armenorum unio cum Ecclesiâ catholicâ, quamvis nunc apud Armenos ipsos, sicut nec apud Græcos, unionis in illo celeberrimo concilio, præsente imperatore Palæologo factæ, nullum ferè existat vestigium; et quamvis hodiè aliqua illorum pars à Romanâ dissentiat Ecciesiâ, major tamen eorum numerus, ac præcipue patriarchæ et episcopi, paratissimi sunt ad redintegrandam et confirmandam eamdem unionem, præstandamque obedientiam Apostolicæ sedi, quemadmodùm nuper à religiosis nostri ordinis, jussu Clementis VIII sanctæ memoriæ papæ, in Persarum regis ditionem, salutis animarum causâ penetrantibus, relatione fide dignâ accepimus.

Natio Armena, quæ copiosissima est, teste Leonardo episcopo Sidoniensi, (qui à Gregorio XIII missus, omnes ferè Orientis provincias perlustravit) duobus patriarchis principalibus subjecta, quorum unus est Armeniæ majoris, residens in monasterio et Ecclesiâ Ecmeazin, propè civitatem Eruan in Persiâ, alius autem Armeniæ minoris, residens in civitate Sis in Ciliciâ, hodiè dictâ Caramaniâ. Alii insuper patriarchæ inter eamdem nationem favore Turcarum creati reperiuntur, suntque exactores tributorum, quæ familiæ Armeniæ Turcis reddere tenentur. Alii etiam sunt coadjutores electi eorumdem patriarcharum, cum consensu episcoporum et populi. Alii insuper sunt primates, aut potiùs patriarchæ ejusdem nationis, in ultimis partibus Persiæ, et in Constantinopoli, qui quanquàm vi juris subditi sint huic patriarchæ Armeniæ majoris, quandoque tamen eum non recognoscunt.

Familiæ quæ huic patriarchatui majoris Armeniæ subsunt, excedunt numerum centum et quinquaginta millium, præter monasteria quamplurima, episcopos, sacerdotes, religiosos et diaconos permultos.

Hujus patriarchatûs magistri et concionatores Armenicâ linguâ *Mortabiti* dicuntur, quibus natio ipsa non minorem obedientiam quàm ipsismet patriarchis præstat.

In provinciâ Nevuam, in ipsâ quoque Persiâ, in duabus civitatibus degunt Armeni catholici, qui archiepiscopo Dominicani ordinis aliisque fratribus ejusdem familiæ subduntur, qui Latino ritu ac sub obedientiâ Romanæ sedis vivunt.

Patriarcha verò Armeniæ minoris habet sub ditione suâ viginti quatuor prælatos episcopos et archiepiscopos, et ad duodecim episcopos superiores viciniores que Ecclesiæ patriarchali, spectat electio patriarchæ; quandoque tamen à populo Armeno, favore et jussu officialium Turcarum, patriarchæ creantur, postmodùmque ab episcopis et archiepiscopis consensum obtinent, præcipuique populi favore coadjutor cum futurâ successione ei deputatur, qui è magistro et prædicatore post mortem præfati sui prædecessoris, à populo in patriarcham recipitur et confirmatur.

Familiæ huic patriarchatui subditæ numero circiter viginti millium recensentur, aguntque in civitatibus, villis et castellis Syriæ et Ciliciæ, suntque viginti monasteria centum religiosorum, sacerdotes trecenti, diaconi et clerici quàm plurimi, qui eleemosynis propriâque industriâ vivunt. Hæc ex prædicto viro piissimo Leonardo Sidoniensi episcopo, qui veritati consentanea pro ejus temporis ac rerum statu referebat. Verùm rex Persarum hâc tempestate armorum vi et potentiâ tam majorem quàm minorem Armeniam à Turcarum tyrannide vindicavit, ac suo subegit imperio. Pro juvandis Armenis legendus est præfatus Guido Carmelita; extat quoque Romæ Professio fidei Armenâ linguâ edita: cætera quæ disserimus infra pro juvandis schismaticis Orientalibus, consideranda sunt in

Armenorum ad fidem reductione : nunc verò sufficiat pauca ex unione ab Armenis cum Ecclesiâ catholicâ in concilio Florentino factâ referre.

Articulus XX.

De unione Armenorum decretum à sanctâ synodo Florentinâ sub Eugenio IV pontifice maximo editum.

« Eugenius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam : *Exultate Deo adjutori nostro; jubilate Deo Jacob*, omnes ubique, qui nomine censemini christiano. Ecce enim iterùm Dominus recordatus misericordiæ suæ alium dissidii lapidem nongentis et ampliùs inveteratum annis, de Ecclesiâ suâ auferre dignatus est; et qui facit concordiam in sublimibus, et per quam in terrâ pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum unitionem suâ ineffabili miseratione concessit. — *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* Intuens namque piissimus Dominus Ecclesiam suam, modo ab his qui foris sunt, modò ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus; ut inter ipsas respirare angustias, et ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidiè modis consolari et roborare dignatur. Nam et pridem magnam illam Græcorum unionem, multas longè latèque continentium nationes et linguas; hodiè verò hanc ipsam Armenici populi, qui per septentrionem et orientem in magnâ copiâ diffusus est, in eodem fidei et charitatis vinculo cum sede Apostolicâ stabilivit. Hæc profectò tam magna et mira sunt divinæ pietatis beneficia, ut non solùm pro utroque, sed ne quidem pro altero, satis dignas suæ majestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur uno eodemque tam brevi tempore, duo sic præclara, et tot seculis desiderata opera, in hoc sacro concilio fuisse tam feliciter consummata? *Verè à Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris.* Quæ enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei et cœpisset et perfecisset, has tales ac tantas res explere potuisset?

« Laudemus igitur et toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus et mente, oreque et opere, quantùm sinit humana fragilitas, pro tot tantisque muneribus gratias agamus, orantes et obsecrantes, ut quemadmodùm ipsi Græci atque Armeni unum cum Ecclesiâ Romanâ effecti sunt, ita fiant et cæteræ nationes, præsertim Christi charactere insignitæ; et totus denique populus christianus, omnibus odiis, bellisque extinctis, mutuâ invicem pace ac fraternâ charitate quiescat et gaudeat. Ipsos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos esse meritò censemus. Ut primùm enim à nobis ad synodum accersiti sunt, tanquàm ecclesiasticæ avidi unitatis, spectabiles, devotos et doctos oratores suos, cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quicquid Spiritus sanctus hanc sanctam synodum illustraverit, ex remotissimis regionibus per multos labores marisque pericula, ad nos et hoc sacrum concilium destinârunt.

« Nos verò totâ mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, sæpè cum ipsis oratoribus de hâc sanctâ unione contulimus. Et ne vel parva huic sanctæ rei dilatio fieret, deputavimus de omni statu hujus sacri concilii viros, juris divini et humani doctissimos, qui cum omni curâ, studioque et diligentiâ, rem istam cum ipsis pertractarent oratoribus, ab eis accuratè inquirentes eorum fidem, tam circa divinæ unitatem essentiæ, et divinarum personarum Trinitatem, quàm Domini nostri Jesu Christi humanitatem, et septem Ecclesiæ sacramenta, et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis Ecclesiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus et tractationibus, postquàm non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus et doctoribus deducta sunt, et earum de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolicâ, unioque ipsa stabilis ac perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum sacro hoc approbante Florentino concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus. »

Deinde sancta synodus exponens Armenis fidei nostræ arcana, tradit Symbolum Constantinopolitanum, asseritque in Christo duas naturas et unam personam, et quòd Jesus Christus consubstantialis Patri sit secundùm divinitatem, et nobis secundùm humanitatem, et in eo sint duæ voluntates et duæ operatio-

nes. Deinde explicat septem sacramentorum formam, materiam et effectum eorum, ac novissimè refert et amplectitur sancti Athanasii Symbolum, quæ à nobis consultò omittuntur, quia nimis longa, et ferè omnia (exceptis his quæ ad sacramenta pertinent) repetuntur in professione fidei infra à nobis, in fine hujus tractatûs adducendâ. Demùm lectâ Bullâ unionis Græcorum cum Latinâ Ecclesiâ, prosequitur concilium dicens :

« His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores nomine suo, ac sui patriarchæ, et omnium Armenorum, hoc saluberrimum synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet et docet sancta sedes Apostolica et Romana Ecclesia, cum omni devotione et obedientiâ acceptant, suscipiunt et amplectuntur. Illos quoque doctores et sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt : quascumque verò personas, et quicquid Romana ipsa Ecclesia reprobat et damnat, ipsi pro reprobatis et damnatis habent, profitentes tanquàm veri obedientiæ filii, nomine, quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus et jussionibus fideliter obtemperare. Lecto autem solemniter in nostrâ et hujus sanctæ synodi præsentiâ, memorato decreto, mox dilectus filius Narses Armenus, nomine ipsorum oratorum, in idiomate Armenico publicè hæc, quæ sequuntur legit, quæ incontinenti dilectus filius Basilius, ordinis fratrum Minorum, noster et ipsorum Armenorum communis interpres, publicè sermone Latino in hunc modum ex scripto legit : « Beatissime pater, et sanctissima synode, totum hoc sanctum decretum, « quod nunc Latinè coram vestrâ publicè « lectum est præsentiâ, fuit nobis pridie de « verbo ad verbum in nostro idiomate clarè « expositum et interpretatum, quod quidem « nobis optimè placuit et placet. Ad majorem « autem nostræ mentis expressionem, ejus « effectum summatim repetimus. In ipso con« tinetur 1° qualiter populo nostro Armeno« rum traditis sanctum Symbolum Constanti« nopolitanum, cum illâ additione, *Filioque*, « ut in Ecclesiis nostris, diebus saltem Domi« nicis, majoribusque festivitatibus, intra « Missarum solemnia, decantari seu legi de« beat. 2° Definitionem quarti universalis con« cilii Chalcedonensis de duabus naturis in « unâ Christi personâ. 3° Definitionem de « duabus Christi voluntatibus et operationibus, « in sexto universali concilio promulgatam. « 4° Declaratis, quòd ipsa Chalcedonensis sy« nodus, et beatissimus Leo papa, rectè de « duabus in unâ personâ Christi naturis veri« tatem definierunt contra impia Nestorii et « Eutychis dogmata, jubetisque ut ipsum « beatissimum Leonem tanquàm sanctum, et « fidei columnam veneremur. Atque non so« lùm has tres synodos, Nicænam, Constanti« nopolitanam et Ephesinam primam, sed et « omnes alias universales auctoritate Romani « pontificis legitimè celebratas, reverenter « suscipiamus. 5° Brevem formulam sacra« mentorum septem Ecclesiæ, videlicet Ba« ptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœni« tentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis et Ma« trimonii; declarando quæ sit cujusque sa« cramenti materia, forma et minister, quòd« que in sacrificio Altaris, dùm calix offertur, « vino paululùm aquæ admisceri debet. « 6° Quamdam compendiosam beatissimi Atha« nasii fidei regulam, quæ incipit : *Quicumque « vult salvus*, etc. 7° Decretum unionis con« clusæ cum Græcis in hoc sacro concilio « pridem promulgatum, continens qualiter « Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter « procedit, et quòd illa additio, *Filioque*, « licitè ac rationabiliter ipsi Symbolo Constan« tinopolitano fuit apposita : quòdque in pane « triticeo, azymo vel fermentato, corpus Do« mini conficitur; quid etiam credendum sit « de pœnis Purgatorii et Inferni, ac vitâ beatâ, « et de suffragiis quæ pro defunctis fiunt; item « de plenitudine potestatis sedi Apostolicæ « traditâ à Christo, beato Petro et suis suc« cessoribus, atque de ordine patriarchalium « sedium. 8° Definitionem, ut de cætero Ar« meni has festivitates infrascriptis diebus, « more universalis Ecclesiæ, celebrare de« beant, videlicet Annuntiationis beatæ Mariæ « Virginis, vicesimâ quintâ martii, Nativitatis « B. Joannis Baptistæ, vicesimâ quartâ junii; « Nativitatis Salvatoris nostri, secundùm car« nem, vigesimâ quintâ decembris; Circum« cisionis ejusdem, primâ januarii; Epipha« niæ, sextâ ejusdem januarii; Præsentationis « Domini in templo, seu Purificationis B. Ma« riæ, secundâ februarii. Nos igitur oratores, « nomine nostro, nostrique reverendi patriar« chæ, et omnium Armenorum, sicut et vestra « Sanctitas in ipso decreto attestatur, hoc « saluberrimum synodale decretum, cum

« omnibus suis capitulis, declarationibus, « definitionibus, traditionibus, præceptis et « statutis, omnemque doctrinam in ipso de- « scriptam, necnon quicquid tenet et docet « sancta sedes Apostolica et Romana Ecclesia, « cum omni devotione et obedientiâ, accepta- « mus, suscipimus, et amplectimur. Illosque « doctores et sanctos Patres, quos Ecclesia « Romana approbat, reverenter suscipimus. « Quascumque verò personas, et quicquid « ipsa Romana Ecclesia reprobat et damnat, « nos pro damnatis et reprobatis habemus. « Profitentes tanquàm veri obedientiæ filii, « nomine, quo supra, ipsius sedis Apostolicæ « ordinationibus et jussionibus fideliter obtem- « perare. » Datum Florentiæ in publicâ sessione synodali solemniter in Ecclesiâ majori celebratâ, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo decimo kal. decembris, pontificatûs nostri anno 9. »

De Armenis, qui post reductionem Græcorum etiam ipsi instructionem fidei, secundùm Romanam Ecclesiam, susceperunt ab Eugenio papâ IV, in concilio Florentino, scribit idem S. Antonin. in eâdem 3 parte, tit. 12, c. 11, § in fine, quòd insuper Armeni et aliqui ex Indiâ, miserunt oratores suos Florentiam ad dominum Eugenium, postulantes et supplicantes instrui et erudiri in iis, quæ sunt fidei, à Romanâ Ecclesiâ, et uniri cum eâ in charitate Christi, qui examinati, in paucis reperti sunt dissentire à catholicâ fide, et in illis subjecerunt se correctioni Apostolicæ sedis, quæ de concilio prælatorum decrevit, eos in ritibus suis, qui non sunt contra veritatem fidei, tolerari; sicut Græci, licet dissimiles sint à moribus Latinæ Ecclesiæ. In aliquibus verò, qui à fide verâ discrepabant, prohiberi, ut qui sacramentum Confirmationis non habebant in usu conferendi illi nationi, docentes eos, illud, sicut et cætera Sacramenta, debere accipere, credere, et conferre, et aliqua alia; quibus determinationibus acquieverunt. Ex quibus collige tolerandos esse ritus aliarum nationum, etiamsi ab Ecclesiâ Romanâ dissentiant, dummodò in aliis catholicè sapiant. Et hæc de Armenis.

Articulus XXI.

De Georgianis (*alio nomine* Iberis), *et eorum erroribus.*

Inter cæteras schismaticorum nationes, qui Orientalem regionem inhabitant, non sunt minoris notæ Georgiani, quorum Patreolus in libro de vitis et sectis hæreticorum, verbo *Georgiani*, ritus, mores ac simul errores breviter refert.

Georgiani, inquit, sunt ii quos *Iberos* appellant cosmographi, gens barbara et bellicosa, et quæ (auctore Pio II hujus nominis, Romanorum pontifice, in suâ Cosmographiâ) Armenico et Medico cultu utitur, Scytharumque more vivit, quorum cognati sunt et contermini. Habitat enim hæc natio in interiori Armeniæ parte ad septentrionem, et Euxinum versùs : quam magnus Pompeius Romano imperio subjecit; sed sub Constantino Cæsare, Helenæ filio, et Sylvestro papâ, verbi Dei fœdera et fidem futuri regni suscepit, circa annum Domini 325.

Qui licet hodie Christum colant, procul tamen ab Apostolicâ sede, veritatis magistrâ, colunt; et barbaris circumfusi gentibus, non omnem puritatem Evangelii servant. Nam in Sacramentis et aliis plerisque rebus Græcorum errores sequuntur. Eorum clerici rotundas circumferunt coronas more nostro, laici verò quadratas. Illustriores illorum mulieres Amazonum instar, armis in præliis utuntur. In officiis ecclesiasticis et scriptis, quidam eorum linguâ Græcâ, aliique Chaldaicâ utuntur.

Georgiani verò appellantur, à divo Georgio, quem velut præcipuum patronum, et in suis præliis contra Paganos velut signiferum et propugnatorem ingenti honore venerantur. Quòcumque tendunt, turmatim incedunt, vexillum divi Georgii imagine insignitum circumferentes, cujus ope et auxilio se in bello maximè juvari credunt. Archiepiscopum habent, qui in monte Sina claustrum divæ Catharinæ incolit, cui per omnia, ut nos summo Romanorum pontifici, obtemperant. Cur verò tanto in honore divum illum Georgium habeant, fit inde quòd ille primus ad fidem Christi Armenos Iberosque converterit, divinumque dogma apud eos disseminaverit : quamvis Ruffinus et Sozomenus lib. secundo, cap. 6 et sequenti, et post eos Nicephorus l. 8, c. 34, mulierem captivam tanti boni illis causam præstitisse asserant. Quæ cùm aliàs semper pudicè castèque vixerat, tum captiva quoque nihil de pietate sanctioreque instituto remisit. Nam diu noctuque pietatis exercitia exhibebat, jejuniis plurimùm vacabat, continuèque precationibus insistebat. Hactenùs Prateolus : quam mulierem fuisse barbaris admirationis magnæ, ac suo exemplo et oratione, et miraculis, reginam et regem illius provinciæ, ad

fidei cognitionem perduxisse, latiùs prosequitur idem Prateolus: sed hæc pro Georgianorum erroribus sufficiant; hi enim facilè ex his, quæ contra Græcorum errores scripsimus, convincuntur.

De Georgianorum ad fidem christianam conversione, Ruffinus in Historiâ Ecclesiasticâ, l. 1, c. 11, à quo omnes alii acceperunt, ut Nicephorus l. 8, c. 34, Sigibertus in Chronicis, Genebrardus in Chronographiâ lib. 2, sub sancto Marco papâ I, Supplementum Chronicorum l. 9, qui in eum errorem lapsus est, ut putârit Iberiam esse, quæ hodiè Scotia nuncupatur; cùm reverà aliud sit Iberia in continenti terræ, aliud Iberia insula propè Britanniam, et tunc aliud Hibernia, seu Irlanda insula, aliud Scotia, quæ contigua est Angliæ, et pars antiquæ insulæ Britanniæ.

Eorum conversionem ad fidem per captivam mulierem, præter Ruffinum ubi supra, c. 10, tradunt Sozomenus l. 2 Eccles. hist. c. 6; Cassiod. l. 3, c. 1; Theodoretus l. 1 Eccles. hist. c. 24; Nicephor. l. 8, c. 34; Socrates lib. 1, cap. 16, et alii post ipsos. De schismate Georgianis immisso à Patriarchâ Antiocheno, et eorum erroribus Vincentius Belluacensis in Speculo historiali l. 30, c. 93. De eorum moribus, et de Catholico pro patriarchâ deputato, et quòd Græco ritu vivant, et de aliis si quis plura desiderat, legat S. Antoninum 3 parte Hist., tit. 19, c. 8, § 9, qui § 10, in fine, agit de odio, quo afficiuntur Georgiani adversùs Armenos, de quo supra nonnihil diximus.

Addam verò ea quæ de eorum moribus breviter retulit Raphael Volaterranus l. 11 de Sectis Syriæ. His, inquit, proximi, sive, ut nonnullis placet, iidem sunt Georgiani, quæ gens et ipsa christiana, bello fortissima et vicinis formidata, cognominata, ut ferunt, à divo Georgio, cujus vexillum in bello contra infideles gestant. Ego tamen non minùs putaverim eos esse posse, quos Plinius *Georgos* appellat in eâ ferè regione. Igitur ii, quòd procul sint à ritu orthodoxo, aberrant, Græcorum ferè sectantes errorem, eâdem et in sacris libris linguâ utentes. Sacerdotes eorum diro squalore petasati incedunt, crinibus oblongis, barbâque ad pectus promissâ; sacrificant etiam more Græcanico, in calice molliunt offam, quam priùs sacerdos ipse cochleari argenteo delibat, deinde volentibus delibandam modo simili præbet. Venère quondam ad Cottadinum principem Damascenum, dùm nostri obsiderent Damiatam, questum, sese, cùm Christiani sint, ab eo neglectos, ac inexpugnatâ tunc Hierosolymâ minimè vocatos. Sepulcrum Dominicum immunes adeunt ab omni vectigali, cùm et ipsi quoque Saracenis vicinis beneficium compensent. Nostrâ memoriâ miserunt legationem ad Pium II pontificem, cùm è conventu Mantuano se in urbem reciperet. Hæc ibi.

Bernardus Lucemburgus in Catalogo hæreticorum, editione quartâ, verbo *Georgiani*: Habent, inquit, archiepiscopum, qui est in monte Sina in claustro S. Catharinæ, cui obediunt per omnia, ut nos domino papæ. Errores Græcorum sequuntur in sacramentis et aliis; clerici eorum rotundas habent coronas, laici verò quadratas: nobiles eorum mulieres more Amazonum armis in præliis utuntur. In officiis et Scripturis linguâ Græcâ utuntur, aliàs Chaldaicâ. Paulus denique III, anno Domini 1545, regi Georgianorum amanter, ut fidem catholicam conservet, et oratores ad sedem mittat, scripsit, et Stephanum Colynzam electum Nesciovanensem in Armeniâ, deputavit in nuntium et oratorem ad reges Georgianorum et Armeniæ, ut habentur hodie bullæ in secretariâ domesticâ pontificum. Rex verò ad pontificem maximum dedit litteras sub hâc formâ:

« Miseratione Dei Simeon rex Cardelii totius Iberiæ et Orientis: Excelse, et splendidissime, et sanctissime, et beatissime domine noster, pater noster et papa, pastor pastorum, princeps principum, et decime tertie Apostolorum, pater noster, et papa magnæ Romæ, aurea tuba, organum Dei inflatum; Petre judex, et clavicularie regni cœlestis, Paule Doctor gentium, qui ascendit usque ad tertium cœlum, et raptus est usque ad paradisum, et audivit ineffabilia verba, quæ dici non possunt; totius orbis prædicator, ipsarum Ecclesiarum luminare, ubi sancta et veneranda sepulcra Apostolorum, ubi requiescunt sanctæ reliquiæ ipsorum, et dominator Ecclesiæ catholicæ, et gubernator magnæ et illustrissimæ Romæ, sicut sol, qui vertitur per totum Occidentem, maxime princeps papa Romæ, sicut Sylvester, regum vates, domine et dominator et pater spiritualis; sanctissime papa, profundam genuflexionem facimus, et salutamus sanctam dexteram ejus.

« Benedictus sit Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, cum Dominâ, et purâ matre, Filii Dei genitrice sanctissimâ. Et si nobis

mandas per sanctitatem tuam, qualiter venit hùc procurator magnæ Scythiæ Ecmiacensis, nomine Ter Jacob, et accepimus venerandam scripturam tuam, sed nos nescivimus intelligere eam, et de ore retulit nobis, quod erat præstantius : gavisi sumus propter honoratissimam et sanctam tuam celsitudinem et regum laudem, et victoriam, et gloriam, et exultavimus lætitiâ sempiternâ, gratias agentes Deo omnipotenti, et Dominæ nostræ Deiparæ, et sanctæ Virgini Mariæ, et venerandæ et vivificanti cruci. Deus omnipotens et miserator majorem fortitudinem et victoriam det nobis et Christianis ab impiis Agarenis, nobis, et omnibus orthodoxis populi christiani, et gloriam, et spem, et consolationem ; et confundat eos, qui sunt extra fidem.

« Precamur optimum Deum, ut sustentet imperium maximæ sanctitatis tuæ : et per orationes tuas sanctas liberet nos ab injuriis inimici. Et etiam refero sanctitati tuæ, quòd beatissimus, sanctus, et à Deo coronâ datus fuit rex, et pater meus Chirluar Saphi, ut sanctitas tua audivit, propter religionem : quoniam propter amorem Christi, impii Agareni occiderunt eum in bello. Et accepit martyr finem, et sanguinem suum effudit, et nunquàm voluntatem eorum fecit; postremò et nos auxilio Dei accepimus thronum patris nostri, et ex tunc à bellis non cessavimus diu noctuque inter pulverem et pluvias. Quot bella et angustias, et mœstitias propter amorem Christi accepimus, et alia mala passi sumus, donec vulnerati fuimus in prælio, et inclusi fuimus in carcere in manibus Persarum, et Dei voluntate, et auxilio ejus, et per orationes tuas sanctas liberati sumus ! et iterùm sedimus in throno nostro, et iterùm non quievimus à bello cum Ottomanis feris et transierunt plura prælia primis cum Ottomanis, ut opinor, vos audivisse ; quot mœrores et angustiæ! Sed non occubuimus his usque ad caput meum et vitam meam, cum parvulo filio meo, ut effunderem sanguinem meum, propter crucifixum Christum meum, et Deum meum : donec vixero, non parcam vitæ meæ à bello, unum pugillum sanguinis dulcis mei, et Domini mei, et Dei mei non vacuum dimittam. Nunc christianitas, et totus mundus est in te, et in manibus tuis, ô domine mi sanctissime ; nunc da virtutem et auxilium, ut salvetur populus christianus, Deus retribuat tibi regnum cœleste, et nos cum auxilio Dei, et per pias preces tuas sanctas, donec vixerimus, non faciemus voluntatem Agarenorum. Sed in nos deinceps quis scit, quid velit fieri? Veremur ne convertatur bonitas in insipientiam, et incidamus in impietatem. Ideò refero sanctitati tuæ, ut scias ex parte meâ, quòd benè valeo, et caput meum et vitam meam pono ad mortem propter christianitatem. Et etiam refero sanctitati tuæ, da auxilium et misericordiam Christianis, et salva eos a manibus iniquorum. Et precor, et rogo ne nostrî obliviscaris in orationibus tuis sanctis omni tempore; et præcipuè ne obliviscaris scribere nobis, ut sciamus sanitatem tuam, et populi tui, piorum Christianorum, ut cor nostrum cognoscas ; ore suo referet sanctitati tuæ Ter Jacob sacerdos, sanctæ orationes tuæ sint nobiscum. Amicus animo et corpore. Amen. Anno 7104, Christi 1546, idichion 9. »

Articulus XXII.

De Maronitarum natione.

Maronitæ, non ab hæretico nomine *Maron* sunt cognominati, ut falsò sibi Prateolus et alii persuaserunt, sed potiùs à sancto Marone, cujus monasterii monachi Maronitæ dicebantur, ut accuratè colligit card. Baron. tomo 7, sub annum Christi 518, ex synodo quâdam Tyri eodem tempore celebratâ; ad quam aliqui archimandritæ contra hæreticos Eutychianos litteras scribentes. Inter hos primo loco habetur subscriptio Alexandri Archimandritæ monasterii S. Maronis, qui Maronitæ dicebantur, omnes professores et defensores tunc catholicæ veritatis. Et licet postea à fide declinantes anno 699, ab Ecclesiâ catholicâ discedentes, teste Prateolo, Eutycheti, Dioscoro et Monophysitis hæreticis adhæserint, tandem, abolito diro schismate, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem catholicam, divino afflante Spiritu, redierunt. Celebrata est hæc cum Ecclesiâ catholicâ unio per manus Eymerici Antiocheni patriarchæ, ac postea eorum patriarcha generali interfuit concilio Romæ celebrato sub Innocentio hujus nominis tertio, circa annum Domini 1215; quare de Maronitis pauca inserenda huic operi existimavi, ut si fortè evangelici operarii in illum Orientis tractum aliquando pro animabus Deo lucrandis mittantur, morum ac religionis istius catholicæ gentis non ignari, illis etiam consulere possint.

Maronitæ igitur, teste Antonio Possevino in Apparatu, verbo *Maronitæ*, Libani montis in Syriâ incolæ, sub eorum patriarchâ, pietatem

ac fidem erga Romanum pontificem, et sedem Apostolicam, uni ex omnibus Orientis populis sat integram, à tempore Innocenti III, retinuerunt. Eorum patriarcha, qui dicitur Maronitarum, quippe appetit Antiochenus vocari, cùm apud sese extet ejus nominis monumentum in antiquis scriptis aliquot, monachus est (monachi enim fiunt, nisi et antea sint, quicumque ad episcopatus evehuntur); et octo, novemve sub se suffraganeos habet episcopos. In monte Libano, qui valdè protenditur, ac cujus ambitus est septingentorum millium passuum, patriarchæ est sedes in monasterio, seu cœnobio, in quo paulò plus viginti monachi degunt, qui monachi dicuntur S. Antonii. Abest id cœnobium Tripoli Syriæ (ubi mercatores agunt Turcæ, Judæi, alii et paucissimi Christiani, qui sacellum habent domi) viginti quinque passuum millibus. Porrò cùm in monte Libano civitas nulla, pagi tantùm, et hi frequentes, neque exigui sint, omnes Catholici sub unius patriarchæ spirituali ditione vivunt. Duos principes, sive præfectos habent, qui diaconi (licet laici) ab iis vocantur, quique juri dicundo iis præsunt, quique christiani et pii sunt. Tributa pendunt Turcis plusquàm ferre possint. Singuli verò, ubi ætatem duodecim annorum excesserint, singulis annis 17 aureos nummos, è solo autem sive agris pro singulo spatio, quod sexdecim spithamas complectitur, aureum quotannis Turcis quæstoribus pendunt: quod tributum nisi certo die persolvant, agri iis demuntur, aut jacturam ingentem bonorum patiuntur. Cùmque eam ob causam Turcæ minitati fuissent, incolas sese missuros Turcas, qui partem illam agrorum, quæ vacua maneret, excolerent, duobus millibus aliis aureis in singulos annos pacti sunt Maronitæ, sese vexationem illam, sive Turcarum commercium redempturos, sic integri ab omni Turcarum consuetudine vivunt. Et verò Maronitæ, non solùm in montis Libani tractum, verùm etiam Damasci, Aleppi, et in aliquâ Cypri parte sic vitam agunt, ut patriarchæ suo obediant, et ritum qui apud eos est catholicum, simplici ductu et singulari propensione sequantur. Excommunicationem, quo uno spirituali gladio patriarcha sæpè uti cogitur, ut homines vel à peccatis arceat, vel in officio contineat, magnoperè verentur ac metuunt.

Cæterùm apud patriarcham diligenter asservantur diplomata pontificia Romanæ sedis, jam inde usque ab Innocentio III, ac deinceps à reliquis pontificibus qui ad eos vel legatum, aliquando cardinalem S. Marcelli, vel alios miserunt; cùmque in litteris pontificiis olim admoniti fuissent Maronitæ, unà cum Græcis, ne aliquos errores tenerent, sed abjicerent, factum est, ut à quibusdam, qui eò ex Urbe commigraverant, existimaretur, iisdem Maronitas erroribus teneri, quibus plerique Græci implicarentur, nimirùm processionis Spiritûs sancti à Patre duntaxat, negationis Purgatorii, et aliorum ejusmodi dogmatum. At Maronitæ ingenuè non solùm testati sunt, ab iis erroribus se esse alienissimos, verùm etiam plura in suis libris ac liturgiis demonstrârunt, quibus et catholica dogmata constanter tuentur, et reipsà in anniversariis cæterisque defunctorum officiis crebri sunt.

Quin etiam cùm astu Jacobitarum, apud quos non paucæ sunt hæreses, varii libri disseminati fuissent inter Maronitas, accidit, ut qui eos reperit, dùm ex Urbe missus est, putaret Maronitarum esse errores, qui reverà sunt Jacobitarum. Quamobrem conquesti sese purgârunt, et novissimè professi sunt omnem fidem atque obedientiam Clementi VIII, pontifici maximo, qui ad eos allegavit duos sacerdotes ex Patribus Societatis, simul cum episcopo, quorum primus fuit Hieronymus Dandinus theologus, doctus et perspicax, qui etiam generalem confessionem per interpretem excepit unius ex illis duobus diaconis, cui et Eucharistiam sub unâ specie porrexit, cùm sub duabus soleant communicare.

Hujus autem missionis à pontifice maximo ad montem Libanum causa fuit, ut oculis ipsis cerneretur, nùm, qui sumptus in Urbe alendo seminario Maronitarum fierent, benè ponerentur: quæve spes aut restituendæ, aut propagandæ Religionis christianæ in eo esset tractu.

Missus à pontifice per eumdem Dandinum ad patriarcham apparatus integer holosericus aureus, ad sacrum patriarchali cæremoniâ et indumentis faciendum. Missæ item variæ cistæ librorum Chaldæâ linguâ cusorum in urbe, quibus eæ liturgiæ, quæ sunt S. Jacobi, sancti Petri, et S. Sixti pontificis maximi recitari possent, cùm in eo tractu nulli essent libri, nisi manuscripti, et hi vel laceri, vel erroribus fortè aspersi. Missa item, quæ dicuntur Officia, eâdem linguâ, ad Deum, ac beatissimam Virginem orandum. Nam Chaldæâ tantùm linguâ sic in sacris utuntur, quemadmodùm nostri sacerdotes Latinâ: iique habentur inter eos docti, qui Chaldaicam linguam callent, licet aliis

disciplinis exculti non sint, præter eos alumnos sedis pontificiæ, qui ex Urbe eò missi sunt, quorum alter jam hujus patriarchæ coadjutor est creatus, et factus episcopus, uti et alter alterius episcopatûs. Communis porrò eorum lingua est Arabica; homines robusti, et magno animo, et qui non minimi momenti futuri sperantur ad rem christianam benè gerendam.

Abusus autem potiùs quidam, quàm errores in dogmatibus irrepsêre apud sacerdotes illos montis Libani, qui ut efficaciùs atque suaviùs amoverentur, rogavit patriarcha, ut id mandato summi pontificis fieret. Hoc enim nomen summo apud ipsos est in honore, ut facilè omnes essent obtemperaturi. Et verò argentei calices à pontifice maximo, et instrumenta ferrea ad conficiendas hostias, et vestes aliæ sacræ pro aliis sacerdotibus missæ sunt, ac per eumdem P. Dandinum illatæ, quæ omnia gratissima fuerunt.

Commoratus est duobus mensibus in monasterio patriarchæ ipse pater Societatis Jesu cum socio sacerdote; quo tempore cùm senex patriarcha, qui jam professionem fidei, et obedientiam summo pontifici dederat, diem obiisset, alter per synodum, ut solent, suffectus est, qui eamdem fidei professionem et obedientiam præstitit. Patribus autem Societatis officium quod poterant humanitatis exhibuêre patriarchæ et monachi, licet hi vivant parcè, vixque obsoniis utantur aliis, præter orizam, juscula, herbas ; vinum autem bibant tantummodò festis, aquam profestis, humi edant; noctu verò et interdiu, cùm matutinas et reliquas horas diebus festis recitant, confluunt populi. Sacerdotes castè et cœlibes vivunt, sed nullis studiis litterarum addicti; quod reliquum habent temporis, id præstant culturæ in agris, sive ut operarios ad laborem hortentur, sitque unde et cibus percipi, et tributum persolvi possint. Porrò quæ ibidem ab eodem P. Dandino fuêre constituta, priusquàm inde discederet, hæc fermè sunt.

Nullus, saltem junioris ætatis, ad sacerdotium admittebatur, qui uxorem non duxisset. Cùm igitur à P. Dandino declaratum esset, conjugium sacerdotibus in aliquo Orientis tractu licet usurpatum, non fuisse tamen unquàm ab Ecclesiâ imperatum, statutum est, ne in posterum quisquam ad id cogatur, sed liberi qui in cœlibatu vivere velint, sacris initientur.

Nulla concio de rebus ad spiritum attinentibus habebatur, sed solùm quibusdam diebus festis aliqua homilia altâ voce recitabatur. Decretum est, ut aliqui ex doctioribus decernantur, qui singulis diebus festis panem esurienti populo frangant; ad quod præstandum ii præcipuè sunt idonei, qui ex urbe Româ alumni ad montem Libanum jam redeunt. Quorum etiam munus erit, summam aliquam casuum scribere, quæ variis in locis à doctioribus sacerdotibus, aliis indoctioribus explicentur; ut hâc ratione omnes in laicis instituendis et expiandis unanimes sint. Jamque unum ex alumnis huic muneri assignaverant.

Cautum porrò fuit ne quis alio Missali utatur, quàm ex iis qui missi sunt à Romano pontifice, vel certè ex antiquis ii tantùm in usu essent qui à patriarchâ erunt propriâ manu subscripti, et uni ex supradictis alumnis demandatum fuit, ut eos diligenter inspiceret, atque expurgaret erroribus quibus à Jacobitis fuerant aspersi. Cautum item, ut reliqui libri examinarentur, quive minùs catholicæ veritati consoni viderentur, apud patriarcham asservarentur. Cùm alicubi pueri ad Eucharistiam admitterentur, cautum est, ne posthàc ante usum rationis admittantur. Nullus casus erat reservatus. Aliqui igitur graviores, tum episcopis, tum ipsi etiam patriarchæ reservati, ut magis in officio quisque contineretur.

Religiosi regulares cùm liberiùs viverent, de disciplinâ ecclesiasticâ in synodis actum est; patriarcha pollicitus est se curaturum ut ea restitueretur. Cæterùm montis Libani feminæ sunt verum honestatis exemplar ; vestitus earum modestus ; si cui ignoto viro obviàm fiunt, vel aliò fugiunt, vel certè faciem quam solam detectam ostendere solent, omninò contegunt. Dùm divinis officiis intersunt, prorsùs à viris separatæ in ecclesiâ manent, in eâ videlicet parte, quæ est propè ingressum, ulteriùs procedentibus viris : absolutisque divinis officiis, illæ primùm è templo exeunt. Quare non priùs viri è suo loco moventur, quàm illæ omnes discesserint. At verò tam mulierum, quàm virorum modestia, et continentia ex hoc uno maximè conjectari potest, quòd in toto monte Libano nulla muliercula reperitur quæ turpi lucro operam navet, neque tamen adulteria, aliave contra honestatem vitia audiuntur. Ex quo facilè dignoscitur, quàm facile sit juvare in Domino nationem tam Romanæ sedi devotam et incontaminatam, si ad illam operarii mittantur.

Articulus XXIII.

Hæreses præcipuæ, quæ Jacobitis, Cophtis, Abyssinis et Armenis attribuuntur.

Restat jam, ut ad ea quæ supra de commemoratis hæresibus attigimus revertamur, ac renovandæ memoriæ causâ, breviùs strictiùsque præfatos errores repetamus; quò scilicet et intelligantur iterata planiùs et firmiùs inculcata teneantur; recensebimus tamen illos præcipuè, in quibus nationes istæ consentiunt: his enim, qui aliorum sunt veluti fundamenta, destructis, facillimo negotio alii infirmabuntur.

1° Verè omnes non firmiter sentiunt de primatu Romani pontificis; veramqne Ecclesiam apud Cophtos, Jacobitas, Armenos et Abyssinos esse tantùmmodò credunt. 2° Concilium Chalcedonense contra Eutychem et Dioscorum congregatum damnant, et anathematizant simul cum S. Leone pontifice: quare tria tantùm concilia admittunt; et quamvis Eutychem rejiciant ut hæreticum, Dioscorum tamen amplectuntur, eique divinos conferunt honores. 3° Jacobitæ, Cophti, Abyssini, et ex Armenis quamplurimi simul colunt Baptismum et Circumcisionem. 4° Sacramentum Confessionis auricularis, ut est apud Ecclesiam, Confirmationis et Extremæ Unctionis ferè non agnoscunt. Matrimonium verò ex levi causâ dissolubile confitentur. 5° Legem veterem cum novâ observandam tradunt. 6° Purgatorium, nec pro defunctis preces admittunt; nec beatos ante judicii diem ad paradisum evolare credunt, et tunc negant Deum facie ad faciem, sed claritatem quamdam, et splendorem divinum visuros. 7° Animas rationales non de novo creari à Deo, sed per feminas propagationem, ex potentiâ naturæ educi, sicut et animas brutorum affirmant.

Hi sunt Ecclesiæ Orientis errores præcipui et communes, ut nunc Nestorianorum omittam blasphemias, contra quos brevissimè agemus. Non enim opus est, singulos discutere errores; destructis enim primis adversariorum principiis, necesse est, ut totum corruat ædificium.

Articulus XXIV.

De concilio Chalcedonensi admittendo, ac de abjurando Dioscoro.

Contra Chalcedonense concilium acriter ferè omnes schismatici orientales invehuntur, illudque damnare, et anathematizare non verentur; et quamvis Eutychem hæreticum censeant, Dioscorum laudant, eumque Eutychianâ hæresi minimè infectum, ac injustè damnatum à Chalcedonensi synodo rationibus infra adducendis contendunt.

Contra horum verò schismaticorum impiam blasphemiam, quæ altas in eorum animis egit radices, ac ob id radicitùs evellendam, primò constituendum est, ut certum de fide catholicâ, concilium Chalcedonense, in quo Eutyches et Dioscorus fuerunt damnati, fuisse in Spiritu sancto legitimè congregatum, totam repræsentans Ecclesiam, quæ in dogmatibus fidei errare non potest, ac proinde ab omnibus fidelibus esse necessariò acceptandum ac credendum. Singulæ hujus assertionis partes hâc ratione confirmantur, quia tunc perfectè, debitè ac legitimè congregatur concilium generale, quando Romani pontificis auctoritate convocantur omnes, quorum interest de re illâ definire; quod constat ex antiquissimo canone concilii Nicæni, quo statuitur præter sententiam Romani pontificis non posse generalia concilia celebrari. Fuit autem concilium Chalcedonense à Leone I, sanctissimo Romano pontifice congregatum convocatis 630 episcopis totius orbis pastoribus.

Præterea neque defuit ratio urgentissima, ob quam concilium debuit congregari, nempe hæresis Eutychiana, quæ impudenter asserebat Christum Dominum ante adunationem ex duabus constare naturis; post adunationem verò unam tantùm naturam confitebatur; quæ hæresis à Dioscoro episcopo Alexandrino approbata fuit in pseudosynodo Ephesinâ; quare opus fuit, huic tam gravi vulneri Orientali Ecclesiæ ab hostibus fidei inflicto, aliquod remedium adhiberi per generale concilium, à summo pontifice congregatum. Igitur fuit legitimum concilium, in eoque adfuit Spiritus sanctus; nam si ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine Domini, ibi Dominus est in medio eorum, ut Matth. 18 dicitur, quantò magis, si congregentur sexcenti et triginta in nomine Domini, et, ut ita dicam, omnes totius ferè Ecclesiæ pastores!

Hoc autem nequaquàm dici potest de concilio Ephesino II; nam et deficit auctoritas Romani pontificis, et ita fuit acephalum, et veluti corpus sine capite. Defuit etiam forma, nempe episcoporum consensus, quia fuerunt coacti vi armorum: nam cùm Dioscorus, qui in eo conventu præsidebat, infanda Eutyche-

tis acta legisset ac approbâsset, atque in suî defensionem allegaret, quòd tota illìc congregata synodus, secum tam in depositione Flaviani, quàm in omnibus aliis, quæ ibidem decreta sunt, consensisset, omnes Orientales episcopi trementes ad dicta Dioscori exclamârunt dicentes: « Quod Dioscorus dicit falsum « est; nullus voluntariè consentit, » et addiderunt: « Violenta facta est vis in plagis; in purâ « chartâ subscripsimus; minabatur nobis mors, « minæ exilii tendebantur; milites cum fusti- « bus et armis instabant, timebamus et fustes, « et gladios. Ubi gladii et fustes, qualis syno- « dus esse potest? Milites propter hoc accepit « Dioscorus, ut nos terreret, unde quicquid « egimus, terrore compulsi egimus; peccavi- « mus tamen, omnes veniam postulamus, quia « per vim et necessitatem in purâ chartâ coacti « sumus subscribere. » Imò cùm dicerentur in execrandâ illâ synodo hæc verba: Confitemur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem unam naturam (verba fuerunt ista à Dioscoro recitata et approbata), omnes Orientales qui tunc astabant episcopi clamârunt: *Anathema ei, qui dicit ista*; hæc Dioscori sunt; ista Pharaonis sunt.

Deinde quæri potest à sectatoribus Dioscori, cur prima tria concilia recipiant, cur non etiam quartum, cùm quatuor primis conciliis, perinde ac quatuor Evangeliis, teste D. Gregorio papâ, fides adhibenda sit ab omnibus fidelibus; fortassè tunc Ecclesia, cujus auctoritate tria priora concilia congregata sunt, periit, aut potestatem amisit, aut fortassè defuit aliquid in hoc concilio, quod in solis primis tribus inveniri potuit? At quid illud est? Conferamus concilium primum, secundum, vel tertium, cum quartâ synodo Chalcedonensi: in tribus prioribus adfuêre episcopi undique vocati; adfuerunt et in quarto; in primo legati sedis Apostolicæ, adfuerunt et in quarto; in primo adfuit imperator Constantinus, in quarto Martianus per legatos suos; in primo dictum *Anathema Arianis*, in quarto dictum est *Anathema Eutycheti et Dioscoro*, illosque ut manifestos hæreticos detestata est. Igitur si in primo creditis adfuisse Spiritum sanctum, cur non idem credetis de quarto, nisi dicatis Spiritum sanctum Ecclesiam deseruisse, qui missus est, ut doceret Domini veritatem? Frustra igitur recipit tria priora concilia, qui non recipit quartum, quintum, sextum, et omnia alia legitimè celebrata, cùm eadem sit de omnibus ratio. At dicunt, rem novam et inauditam, Patrumque sententiæ contrariam, Chalcedonensis synodus decrevit, et ideò à Catholicis non admittenda; sed quæ fuerit SS. Patrum testimoniis decreta Chalcedonensis synodus, clariùs ex dicendis infra constabit.

Secundò: Indubitatè tenendum est Dioscorum justissimè à concilio fuisse condemnatum, et, ut nunc omittam alia quæ de Dioscoro dici possent, tantùm ea hìc proferam, quæ in actis concilii Chalcedonensis relata fuêre.

In tertiâ actione concilii Chalcedonensis accusatur Dioscorus ab Eusebio Dolilei episcopo, qui interpellat sanctam synodum, ut scelestissimum dogma Dioscori anathematizare dignetur, ipsum etiam compellere, ut coram concilio compareat. Rursùs accusatur à Theodoro diacono Ecclesiæ Alexandrinæ, primùm de homicidio, secundò de blasphemiâ in sanctissimam Trinitatem. Deinde quia cum Origene consenserit, et quòd in Ecclesiâ ejus fuerit. Postremò quòd excommunicationis sententiam contra sanctissimum Apostolicæ sedis Romanæ Leonem pontificem maximum protulerit. O rem inauditam! posito, sed non concesso, quòd S. Leo, cùm Eutychianam hæresim destruere conaretur, malè fecerit, nùm ideò ab episcopo, se inferiore, poterit excommunicari? Si par parem non habet imperium, quantò minùs inferior contra superiorem!

Legimus in antiquis rerum ecclesiasticarum historiis de Marcellino, qui cùm Romanus esset pontifex vigesimus octavus à S. Petro, et convictus esset quòd coram tyranno ob mortis metum thus obtulisset in templo Isidis, ad concilium venit ducentorum episcoporum, cinere conspersum habens caput, ac clarâ voce dixit: *Peccavi coram vobis.* Respon erunt episcopi et presbyteri omnes: « Nemo unquàm « judicavit pontificem, quoniam prima sedes « non judicatur à quopiam; tu ipse eris judex, « ex te condemnaberis. » Tanta semper fuit, est, eritque auctoritas, et dignitas Romani pontificis, ut omnes episcopi non fuerint ausi talem pontificem ob mortis metum peccantem condemnare, nec excommunicare. Qualis quantusque fuit Dioscorus, qui tam temerario et nefario ausu ac spiritu ductus, præsumpsit primam sedem, quæ nunquàm à quoquam judicari potuit, nec poterit, injuriâ afficere! Meritò quidem contra eum indignatus est Dominus et percussit, sicut quondam Oziam, manum suam ad arcam extendentem; sed hæc omissa taceamus.

Quid plura de Dioscoro dicam? Iterùm atque iterùm accusatus ab Ischirione diacono, producente alium libellum contra ipsum, qui sic incipit: *Sanctissimo ac beatissimo universali archiepiscopo, patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ universali Chalcedonensi synodo;* ubi de innumeris criminibus Dioscorus accusatur. Præterea productus est alius libellus adversùs eumdem per Athanasium presbyterum de immanibus sceleribus. Item Sophronius laicus eum accusavit publicè coram concilio et præter alia accusavit illum de adulterio, et quòd iniquo desiderio captus suam uxorem rapuerat; quibus criminibus à Dioscoro patratis, ac à sanctâ Chalcedonensi synodo auditis, perpensis et examinatis, verisque inventis, vocatus Dioscorus ad concilium, primò per notarium ejusdem synodi, ut ad prædictas accusationes responderet, ille tamen ægritudinem simulans, noluit venire.

Vocatus est secundò, directis ad eum à concilio litteris, missis tribus episcopis, qui commonefacerent illum, ut veniret et satisfaceret iis quæ in concilio de eo ingerebantur, quo adhuc renuente, iterùm directæ sunt litteræ à sacro concilio ad illum, quibus jam tertiò vocatus est, ut in sacrum illud concilium veniret ad satisfaciendum simul et reverendissimo Eusebio episcopo, et iis quæ tunc illi ingerebantur. Aliàs, si post tertiam (dicti Patris) hanc regularem vocationem, ex omni parte nullam habentem suspicionem, advenire distulerit, præsens sancta synodus ad illum veniet modum quem contra contumaces et contemptores synodalis vocationis sumere solet.

Dioscorus verò cùm in suâ adhuc pertinaciâ perseveraret, ac perseverans permaneret, sanctissimus archiepiscopus magnæ Romæ Leo per Paschasinum episcopum, Lacentium episcopum, Bonifacium presbyterum, tenentes locum ejusdem sanctissimi pontificis Romani, et per præsentem sanctam synodum, unà cum ter beatissimo, et omni laude digno Apostolo, qui est petra et cardo Ecclesiæ catholicæ, et rectæ fidei fundamentum, Dioscorum episcopali dignitate nudavit, et omni sacerdotali orbavit ministerio. His peractis, sacratissimum concilium misit ad Valentinianum ac Martianum imperatores, rationem reddens de his omnibus quæ in his actionibus gesta sunt, in depositione Dioscori, hujus causas in eâdem Epistolâ breviter complectens, ut Dioscori malitiam, et in eum prolatæ justæ sententiæ sinceritatem considerarent. Propterea miserunt Patres et aliam epistolam ad Pulcheriam Augustam, quæ idem continebat argumentum. Concordes omnes fuerunt, ac sanctissimi concilii sententiis consenserunt, et præcipuè Anatolius archiepiscopus Constantinopolitanus firmissimo consensu confirmavit et approbavit, quæ legati sedis Apostolicæ circa sententiam hanc decreverunt. Imò cùm extaret quædam epistola Pseudoprohimadritarum hæreticorum, quam protulerunt in concilio pro restitutione Dioscori, et hæc legeretur, omnes episcopi dixêre: « *Anathema Dioscoro;* Dioscorum Christus deposuit, istas foràs mitte petitiones, « istas synodum audire non licet. » Quem ergo talis ac tanta synodus reprobat, et quem Dominus incommunicabilem suis fidelibus reddidit, quomodò, qui eum recipit, ingens piaculum non commiserit, et palam se Christi hostem declaraverit?

Pro confirmatione verò Chalcedonensis synodi ac Dioscori impietatis, hìc inserendam duximus partem cujusdam elegantissimæ collationis habitæ agente imperatore Justiniano, quam adducit card. Baron. tomo 7, anno Christi 532, inter sex episcopos Monothelitas ex unâ parte, ac quinque episcopos veritatis catholicæ propugnatores ex adverso stantes, ubi archiepiscopus Hypatius catholicus, Monothelitas Severi sectatores (qui in collatione *Contradicentes* nuncupantur), qui jam imperatori scripto sententiam suam tradiderant, sic post collationis initium alloquitur: Chartulam illam pervidimus, in quâ tam supra quàm infra Chalcedonense concilium criminamini, quod adversùs Eutychianam est hæresim congregatum. Propter quod dicite nobis, qualem opinionem de Eutyche habetis? Orientales dixerunt: Tanquàm hæreticus, magis autem princeps hæresis. Reverendissimus episcopus dixit: De Dioscoro verò, et secundo in Epheso concilio, quod ab ipso congregatum est, qualem? Orientales: Tanquàm orthodoxum. Episcopus dixit: Si Eutychen velut hæreticum condemnatis, quemadmodùm Dioscorum, et cum eo congregatos, orthodoxos dicitis esse, qui Eutychen quidem hæreticum justificârunt, Flavianum verò et Eusebium condemnârunt? Orientales: Eutychen tanquàm actâ forsitan pœnitentiâ justificârunt. Episcopus: Si ergo pœnituit Eutyches, quemadmodùm illum anathematizatis? Illis verò ad hanc responsionem hæsitantibus, rursùs episcopus: In tantùm non pœnituit, quin et antequàm implerentur, quæ in Constantinopolitanâ urbe adversùs eum

gesta sunt, illum quidem tanquàm orthodoxum justificârunt, Flavianum verò et Eusebium tanquàm hæreticos condemnârunt. Si enim pœnituit Eutyches, rogari oportuit eos, non condemnari. Ut autem dicamus secundùm vos, confessionem duarum naturarum esse hæreticam, quam exigebat Eutyches confiteri ab Eusebio et Flaviano, docebat Dioscorus laudare eum tanquàm non susceptam duarum naturarum confessionem. Ut autem consubstantialem Patri secundùm divinitatem, et consubstantialem matri secundùm humanitatem dicere oportuit, cum omni subtilitate exigere eum, ut confiteretur, et nisi hoc fuisset confessus, suscipi non oportuit. Dioscorus verò non solùm quia non exigit ab eo consubstantialis confessionem, sed magis consentit contrariæ ejus et perversæ confessioni, quæ dicit: Ante unitionem quidem ex duabus naturis confiteor; post unitionem verò, unam naturam. Et compulit omnes, qui cum eo erant vociferari, Eutychem quidem orthodoxum esse, Flavianum verò et Eusebium impios et hæreticos. Quid ergo vobis de istis apparet?

Contradicentes dixerunt: Reverà oportuit exigi Eutychen à Dioscoro consubstantialis confessionem; sin autem, sine istâ suscepit eum, et justificavit, cæcitatem passus est idem episcopus. Si ergo illum cæcitatem passum esse fatemini, ea quæ superbiùs dicta sunt, repetamus. Orthodoxum aut hæreticum Eutychen dicitis fuisse? Contradicentes dixerunt, hæreticum; et episcopus: Justè ergo ab Eusebio accusatur; condecenter verò à Flaviano condemnatus est. Contradicentes dixerunt: Justè; et episcopus: Si ergo justè à Flaviano condemnatus est, injustè et irrationabiliter suscepit eum Dioscorus, et cum eo congregatum concilium, an non? Contradicentes: Procul dubio apparet quòd injustè. Episcopus: Quoniam ergo totum illud universale concilium, quod cum Dioscoro congregatum est, consensit, sicut vos ipse fatemini, injustitiæ et cæcitati, oportebat universalis illius concilii injustitias et cæcitates ab altero universali emendari concilio, annon? Contradicentes dixerunt: Modis omnibus ita fieri oportebat. Episcopus dixit: Chalcedone itaque justè congregatum concilium est, ut ea quæ universale concilium deliquerat, vel, sicut vos dicitis, minùs viderat, ab universali concilio corrigerentur. Contradicentes dixerunt: Benè quidem, et necessariè congregatum est, si et justum finem suscepit. Et infra: ante omnia inquiunt contradicentes: Peccavit concilium tradens duarum naturarum novitatem, etc. Contendunt enim hæretici concilii sanctiones beato Cyrillo, Athanasio, ac aliis Patribus fuisse contrarias: sed Catholici manifestò ostendunt Chaldenonensis concilii doctrinan conciliis et Patribus valdè consentaneam.

Plura alia collatio illa scitu digna continet, quæ brevitatis gratiâ omitto. Constat igitur ex hâc collatione apertissimè ratio, ob quam fuerit damnatus Dioscorus. Sed demus Dioscorum fuisse virum sanctissimum, qualem sectatores suorum dogmatum mentiuntur, inhærendumne erit unius Dioscori sententiæ, an potiùs standum tot sanctis in Christo Patribus congregatis?

Articulus XXV.

Solvuntur objectiones schismaticorum contra concilium Chalcedonense.

Leontius Byzantius, monachus orientalis, in novâ Laurâ S. Sabæ propè Hierosolymam, ut Antonius Possevinus, tomo 2 Apparat. Sac. verbo *Leontius* tradidit, acerrimè contra Eutychianos, Nestorianos et Severum hæreticos scripsit. Idem ipse Apologiam edidit contra eos qui synodum Chalcedonensem calumniantur, et licet librum peculiaremque tractationem, qui inscribitur: *Solutiones argumentorum Severi*, ediderit, in prædictâ verò Apologiâ breviter hæreticorum argumenta contra synodum Chalcedonensem solvens, eam ut par erat viro catholico, laudat dicens: « Quia nonnulli à sanctâ catholicâ et Apostolicâ Ecclesiâ recedunt, propter causam, quæ magis eos cum Ecclesiâ conjungere debebat, cùm non possem ferre ut membrum *nullum necessarium à nobis avelleretur*, existimavi operæ pretium esse, suspiciones quasdam ipsis de synodo Chalcedonensi injectas, tanquàm vapores quosdam excitatos dissolvere, ne quis mendaciis contra sanctos Patres anticipatus, ab spirituali matre suâ et nostrâ, ab Ecclesiâ, inquam, communi abstraheretur. Conatur enim accusare synodum Chalcedone voluntate Dei coactam, tanquàm non rectè habentem, sed potiùs novitatem novorum dogmatum introducentem; et hâc simulatione usi se ab Ecclesiâ separant, quos quidem conabimur docere, si tamen doceri volunt, non rectè eos sentire; nec justè ad hanc calumniam moveri. Omni igitur patrocinio prætermisso, illud solum et primum dicimus, quòd sancta synodus in omnibus cum synodo Nicænâ convenire cernitur; item cum synodo Constantinopolitanâ 150

sanctorum Patrum, in quibus de perfectâ dogmatum cognitione certârunt, et victoriâ partâ coronam tulerunt; atque ita quidem convenit, ut cùm sententia etiam verborum ipsorum ordinem servet, et hæc tanquàm leges quasdas fixas et stabiles, quæ dissolvi non possunt, sequitur, procul fugiens ab insaniâ Eutychis, et blasphemum os Nestorii longè abjiciens, cujus audaciam accusat, sicut sapientes illi, et fidei defensores. Quòd verò ita sit, et Patres illi reverà hoc certamen susceperunt, ut in commune lucrum conferrent, ex ipso argumento et materiâ licet intelligere, et datum testimonium producere; omnia enim ipsorum SS. Patrum collegimus, et cum illis ex synodo inter se collata, iis qui veritatem rectè excutere et dignoscere voluerint, proposuimus. Attendentes igitur ea quæ in synodo dicta sunt, facilè demonstrationem capietis, ne minimùm quidem synodum Chalcedonensem à rectâ sententiâ sanctorum Patrum discessisse. »

Exponit deinde fidem quam sancta synodus adhærens Patrum vestigiis, præcipuè B. Cyrilli Alexandrini, professa est, et infra addit: « Cùm hæc ita sint, et res ipsæ ferè vocem emittant, et clament, quis jam contentiosus εἰκότα ἂν πράττος, et accusans reprehendet, quæ fortiora sunt, quàm ut reprehendi possint, et synodum criminabitur, quæ cum iis quidem, qui nihil sani afferunt, pugnat, cum Nestorio inquam, et cum Apollinario, et cum iis qui cum illis sentiunt; veros autem doctores et orthodoxos diligit, et adjuvat Cyrillum et similes, divinasque regulas nunquàm transit, neque quidquam novum aut proprium parit, quin potiùs antiquis inhæret tanquàm cuidam fundamento immobili, et, ut breviter dicam, quæ in synodo Chalcedonensi acta sunt, per omnia cum sanctis Patribus concilii Nicæni consonant, ut ipsa demonstrant. Quæ illi sanxerunt Patres concilii Chalcedonensis ab illis sancita exposuerunt et interpretati sunt, et se unam fidem scire prædicaverunt, et unum Symbolum, et solum, quod illi tradiderunt, et definierunt præluxisse rectam fidem, et omni reprehensione carentem à sanctis Patribus synodi Nicænæ expositam et editam, et hanc ἀπαρεγχείρητον, id est, intactam manere jusserunt; et hoc Symbolo ab illis edito, eos qui ab errore, aut aliâ opinione converterentur, et saltem consequi vellent, armari et erudiri mandârunt. Hinc igitur liquet eum qui cum hâc synodo pugnat, bellum cum Nicænâ synodo suscipere. Reperitur etiam contradicere sancto Cyrillo: illius enim sermonibus Patres hujus synodi gloriantur, et in omnibus cum fide ejus et verbis consonant ac consentiunt. Postquàm igitur docuimus synodum Chalcedonensem per omnia cum sanctorum Patrum dogmatibus convenire, nihilque ab eis alienum habere cognoscamus, quæ sint et quales hæreses, quibus hæc synodus repugnat, et quantoperè certat pro impiis dogmatibus dissolvendis. Sic autem cognoscemus. »

Et post pauca, Acephalorum argumenta dissolvit, dicens: Sunt præterea quædam alia, quæ Acephali contra synodum Chalcedonensem objiciunt, quorum etiam meminisse oportet. Aiunt non debere recipi synodum Chalcedonensem, quia qui in eâ congregati sunt, erant judicio inconstanti et à se dissentientes: iidem enim Byzantii Eutychen ejecerunt, et hunc Ephesi cum Dioscoro receperunt, ejecto Flaviano: et rursùs iidem Chalcedone Flavianum receperunt, Dioscorum verò ejecerunt. Ad hoc dicimus, non oportere cogitare, quæ hominibus evenire solent, multis enim sæpenumerò hoc accidit, et fortassè, qui existimatione præstant. Cæterùm, et si quinque, aut ampliùs, vel etiam triginta, ex sexcentis reperti sunt, ut dicitis, instabili sententiâ et judicio, non propterea oportet synodum sexcentorum virorum repudiare, quandoquidem iidem Ephesi etiam cum Dioscoro congregati fuerunt; neque tamen propter eos synodum talem Ephesinam repudiatis.

« Rursùs aiunt: Si, ut Anatolius Constantinopolitanus dixit, *non propter fidem depositus est Dioscorus*, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni, et tertiò vocatus est et non venit, quare non recipitis eum? Resp. Dioscorum manifestè fuisse hæreticum; nam in illo concilio Ephesino approbavit Eutychetis errorem, ut latiùs in fine superioris capitis ostendimus. Ideò autem dixit Anatolius Dioscorum non fuisse damnatum ob fidem, quia reipsà damnatus non fuit, quòd erraverit in concilio Ephesino secundo, sed quòd parere noluerit in Chalcedonensi, cùm ter fuisset vocatus. Ut enim constat ex Nicephoro, lib. 15 Historiæ cap. 4, et ex ipso concilio Chalcedonensi actione primâ post epistolam imperatoris ad Dioscorum; ipse initio interfuit concilio Chalcedonensi, et ibi seipsum excusavit, quòd solus non fuerit in synodo Ephesinâ secundâ, et quòd vi potiùs atque ignorantiâ, quàm voluntate condemnaverit Flavianum, et secutus fuerit Eutychetem;

sed ab aliis episcopis, qui synodo Ephesinæ secundæ interfuerunt, falsitatis convictus est; et illi quidem veniâ petitâ sui erroris, in concilium admissi sunt; Dioscorus verò interfuit sanè actioni primæ concilii Chalcedonensis, verùm cùm multa ei alia crimina in actione tertiâ objecta fuissent à concilio, ut colligitur ex Nicephoro loco citato, et ex Liberato cap. 13 Breviarii, ter etiam vocatus ægritudinis causam prætendens, parere noluit, neque ad concilium redire, atque eâ de causâ depositus. Hoc idem colligitur ex actione 16 ejusdem concilii in exemplari Paschasiani, quod est in fine actionis. Legatur etiam Eusebius l. 15, c. 30.

« Rursùs aiunt quòd hæc synodus hæreticos recepit, et non licet recipere ipsam. Hoc autem dicunt de Theodoreto, et Ibâ; dicimus, non priùs synodum eos recepisse, quàm Nestorium anathematizâssent.

« Rursùs dubitant, quare non petierunt à Theodoreto, ut quæ contra Cyrillum scripserat anathematizaret; respondemus, non oportere eos synodum de hoc accusare, sed S. Cyrillum; is enim cùm in communionem cum Orientalibus, et cum ipso Theodoreto venisset, non petivit ab eo, ut quæ scripserat anathematizaret. Quod igitur non fecit S. Cyrillus, non debet accusari S. synodus non fecisse, tametsi id quod non fecit ille, fecit hæc, cùm ab eo petierunt ut Nestorium anathematizaret. Quòd si demus hæreticos fuisse illos, neque sic propter hoc synodus est repudianda, siquidem et synodus Nicæna septem hæreticos recepit, qui et antea Ariani fuerant, et postea in hæresi perseverârunt, neque propter hanc causam dicitur synodus centum undecim Patrum, sed centum sedecim. Siquidem et Juvenalius episcopus Hierosolymitanus, et alii multi episcopi, qui Ephesi cum Dioscoro reperti sunt, synodo Chalcedonensi interfuerunt, neque tamen propter hoc ipsi synodum illam *Ephesi repudiant, sed potiùs amplectuntur.* Hæc Leontius, sed plura qui videre desiderat, legat eumdem Leontium libro de Sectis, præcipuè actione 6, et hæc de argumentis historicis, quæ hæretici objiciunt in sanctam synodum. »

ARTICULUS XXVI.

In Christo Domino post unitionem duas esse naturas, divinam et humanam, omninò distinctas.

Acephali, eorumque sectatores orientales, Eutychem, qui ansam eorum erroribus præbuit, nunc anathematizant, teste Leontio de Sectis, actione 5, propterea quòd Christi corpus non esse ejusdem substantiæ nobiscum traderet, ipsi verò licet duas naturas ante unitionem fuisse agnoscant, post unitionem verò unam fuisse tantùm, ex his duabus conflatam, manentibus naturis inter se inconfusis et distinctis, temerè affirmant: eodem prorsùs modo ac corpus et anima, quæ citra confusionem in homine unita sunt, unum visibile, alterum invisibile, unum mortale, alterum immortale, hominis non duas naturas, sed unam tantùm hominis naturam constituunt. Orientales enim hodie cùm non possint intelligere discrimen inter naturam et personam, verentur duas in Christo fateri naturas, ne cum Nestorio duas etiam videantur acclamare personas.

Statuendum igitur est de fide catholicâ, Christum nomen esse unius personæ duas habentem naturas, divinam scilicet et humanam; hanc verò esse fidem catholicam, et ad salutem necessariam, ex sanctissimis conciliorum decretis, ac sanctis Patribus apertissimè probabimus; sed ne ex ignorantiâ vocum nobis error contingat, necessarium erit quatuor vocabula, quæ apud Patres passim inveniuntur, paucis explanare. Vocabula autem sunt, *substantia, natura, persona*, et *hypostasis.* Sciendum ergo, ut optimè advertit Leontius, de Sectis, actione primâ, substantiam et naturam apud Patres idem esse, ac rursùm idem hypostasim et personam; et cùm Verbum divinum assumpserit naturam singularem, scilicet humanitatem et non personam, hoc est, hominem, multùm interest, tum ad Eutychianos, tum etiam ad Nestorianos hæreticos convincendos, scire quid intersit inter *personam* sive *hypostasim*, et *naturam singularem,* ut eâ re explicatâ intelligi faciliùs possit, maximè cohærere et consistere hanc catholicam doctrinam, Deum assumpsisse naturam non assumptâ personâ, ac post incarnationem, humanam naturam assumptam esse omninò distinctam et aliam naturam à naturâ divinâ. Et quamvis inter omnes constitutum sit in ratione personæ aliquid aliud contineri ultra ea quæ continet ratio naturæ, siquidem significatur ab omnibus vocabulo concreto (ut vocabulo *homo*), naturâ verò abstracto, nempe *humanitas :* sed quid sit hoc quod persona addat sive includat ultra rationem naturæ, et in quo ab eâ distinguatur, omissis variis dicendi modis breviter perstringemus.

Persona igitur creata à naturâ singulari realiter distinguitur tanquàm includens ipsam naturam singularem, et præterea aliquid aliud addens re à naturâ distinctum, quod propriè sit personalitas. Quam sententiam esse D. Thomæ constat ex 3 p. q. 4, art. 2. Illud verò reale, et à naturâ realiter distinctum, quod persona includit, nihil aliud est, quàm ipsam personalitatem esse naturæ quemdam terminum, et complementum substantiale, quo perficitur ultimò, et constituitur substantia primò completa; qui terminus differt reipsà à naturâ singulari, tanquàm id quod terminat et complet naturalem ipsius dependentiam ab ultimo termino, in latitudine substantiæ; hìc igitur terminus naturæ, quo natura ultimò completur, appellatur subsistentia naturæ, personalitas, sive hypostasis.

Objicies ex hâc sententiâ sequi, fore aliquam realitatem substantialem in materiali naturâ, quæ neque sit materia, neque forma, nec compositum ex utrâque. Respondetur: Si directè intelligas, verum est; indirectè autem et reductivè dici potest, personalitatem istiusmodi pertinere ad compositum ex materiâ et formâ. Nam si per compositum intelligas naturam singularem, ut in abstracto significatur, eatenùs ad illam hæc personalitas reducitur et pertinet, quatenùs est naturalis terminus et complementum ejus. Si autem per compositum intelligas completam hypostasin, seu suppositum; ad illud hæc personalitas reducitur tanquàm ultimum constitutivum ejus, ut ex prædictis patet.

Nec philosophus negare voluit esse aliquid substantiale, quod non directè sit materia, nec forma aut natura ex ipsis composita, sicut satis apparet dividens in 5 Metaph. et in Prædicamento substantiæ, substantiam in primam et secundam, hoc est, in essentiam et hypostasin seu suppositum. Sicut enim ex sententiâ philosophi essentia constituitur per gradum aliquem positivum substantialem, ita etiam ex ejusdem mente intelligere debemus, constitui hypostasin, seu primam substantiam (quæ maximè substantia est) per gradum etiam aliquem et terminum ultimum substantialem. Neque valet, si objicias primam substantiam philosopho esse, nonnisi naturam singularem ipsam, cùm singularitas faciat, ut natura, quatenùs singularis est, non sit substantia secunda. Non, inquam, hæc objectio valet: nam inter substantiam secundam et primam completam, qualem intelligere potuit philosophus, media esse potest substantia prima incompletè et reductivè, quæ nimirùm sit natura ut singularis. Cùm enim ex naturâ ut singulari inprimis constituatur suppositum, accedente personalitate, sicque demùm fiat substantia prima completa, non incommodè natura singularis ad primam substantiam revocabitur, tametsi non sit ipsa sola directè et completè substantia prima.

Quòd si fundamentum qùæras, cur ita de divisione substantiæ, atque adeò de ratione suppositi philosophemur, respondeo illud præcipuè esse positum in revelatâ doctrinâ de hoc incarnationis mysterio, quæ et naturale lumen (ut in aliis materiis) illustrat, et tum demùm rectè consistit ac defenditur, si sic ratiocinemur, præsertim cùm ista quoque secundùm naturæ lumen æquè probabilia atque alia videantur.

Ex his fit, personam à naturâ in multis differre. Primò in essendo; nam natura est quædam forma, per quam, verbi gratiâ, Petrus constituitur in esse specifico; est enim natura ipsa essentia rei, persona verò superaddit naturæ subsistentiam, quatenùs est principium subsistendi in se; quare persona nihil aliud est, quàm terminus et sustentaculum naturæ.

Secundò differunt in operando; nam licet ad operandum tam persona quàm natura concurrant, tamen diverso modo: nam suppositum seu persona concurrit ut principium quod operatur et subsistit; natura verò est principium quo mediante elicitur opus.

Tertiò differunt ex modo prædicandi: nam suppositum seu persona primò dicitur generari, produci; et ratio est, quia simpliciter esse, est esse in seipso, et per seipsum, id est, subsistere; hoc autem est suppositi, quia esse in alio est esse quasi diminutum, et natura non dicitur simpliciter esse, sed ratio essendi, quia subsistit non in se, sed in supposito. Item suppositum dicitur operator et agens; natura autem non est propriè operans, sed ratio operandi, et Joannes dicitur loqui; natura humana, quæ est in Joanne, dicitur ratio loquendi.

Præterea assumere naturam, et habere se per modum assumentis, est suppositi; habere se per modum assumpti, est naturæ; ratio est, quia assumere est totius: natura autem significatur per modum partis. Ecce differentiam, seu distinctionem utriusque, naturæ videlicet et personæ, quam differentiam non

cognoscentes, seu dignoscere nolentes Nestorius et Eutyches, simul cum Dioscoro prolapsi sunt in varias hæreses: Nestorius falsò putans idem esse naturam et personam, et nullam faciens inter utrumque distinctionem, et videns in Christo duas naturas distinctas, intulit duas personas. Eutyches verò et Dioscorus dicentes idem esse naturam et personam, cognoverunt in Christo unam personam, intulerunt unam naturam: itaque tam Eutyches quàm Nestorius ex ignorantiâ hujus discriminis prolapsi sunt in contrarias hæreses: iste in dualitatem personarum, ille in unitatem naturæ.

Ita et hodie Orientales videntes in Christo unam personam, pro unâ personâ unam dicunt naturam; sed quæro ab illis, si natura et persona omninò idem essent, nullumque esset inter utramque discrimen, sequeretur quòd in Deo cùm sit una natura, una etiam esset persona. At habemus in Scripturâ: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* unde evidenter apparet aliquid discriminis esse inter personam et naturam, cùm in divinis natura sit una, personæ verò tres. Item peto à vobis, cùm moritur aliquis homo, utrùm natura moriatur, an persona? Naturam quidem mori non respondebitis; ergo persona, igitur idem omninò non sunt natura et persona? Propterea cùm multæ sint atque adeò innumerabiles hominum personæ, multasne atque innumerabiles naturas hominum dicetis? sed una est omnium hominum natura, et non una est omnium hominum persona; ergo differt natura à personâ.

Denique si Orientales renuunt duas admittere in Christo naturas, ne duas videantur admittere personas, cùm ex eorum sententiâ natura et persona idem sint, sequitur quòd agnoscentes hanc differentiam inter naturam et personam, facili negotio poterunt vitare errorem quem timent, et Ecclesiæ catholicæ conformari; quòd si pertinaciter renuant discrimen hoc confiteri, manifestè incidunt in errorem Nestorii, quem declinare se illâ viâ arbitrantur. Nam fides catholica prædicat Verbum Dei assumpsisse naturam humanam; igitur si ipsi dicunt idem esse naturam et personam, sequitur quòd personam etiam assumpserit, et sic in Christo erunt duæ personæ, ut constituebat Nestorius.

Neque prorsùs audienda est aliquorum Orientalium responsio, qui non verentur, hoc convicti argumento, fateri Deum etiam assumpsisse personam ut partem perfectionis naturæ, et (ut distinguantur à Nestorio) addunt hanc quam assumpsit personam non esse operosam, sed otiosam; non enim operatur quidquam, sed feriatur et ab opere vacat; sed error iste turpissimus est et execrandus; nam humanitati assumptæ à Christo nihil perfectionis deest, licet propriam non habeat personalitatem, quia perfectius est, et dignius humanæ naturæ subsistere in personâ Verbi, quàm subsistere in propriâ personâ; quis enim dubitet naturam humanam sustentatam à divinâ personâ, longè perfectiorem esse in Christo, quàm in unoquoque nostrûm? est enim incomparabiliter et infinitè perfectior, subsistens in personâ Verbi; quæ cùm sit infinitæ perfectionis, supplet in naturâ humanâ perfectionem humanæ personæ. Demùm si in operibus naturæ nihil otiosum et frustra concedimus, quantò magis in operibus Dei, maximè verò in hoc opere omnium divinissimo!

Secundò, quia si admittunt duas personas, à fortiori duas etiam naturas distinctas post incarnationem admittere debent, quia distincta persona naturam distinctam omninò supponit. Tertiò, quare si admittitis duas naturas, duas etiam non admittitis voluntates, quarum altera sit operosa, altera otiosa? Quartò, quare post incarnationem dicitis unam naturam et non unam etiam personam? sed adversùs hunc errorem infra latiùs oppugnantes Nestorium dicemus.

Præterea absurdissimus error est, asserere in Christo ante unionem duas illas esse naturas: quomodò enim in Christo fuerunt ante unionem, si ante unionem non fuit formaliter Christus ut talis. Idque patet manifestè ex plurimis locis Scripturæ, præcipuè ex cap. 1 Joannis; ibi enim ille Christus, qui habitavit in nobis, dicitur ipsum Verbum incarnatum, ut patet ex illo contextu sermonis: *In principio erat Verbum,* etc., *et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre,* etc. Quomodò igitur in Christo, hoc est, in Verbo ante unionem fuerunt duæ naturæ, divina et humana, si ante unionem Verbum non fuit incarnatum? Rectissimè itaque S. Leo Epistolâ 10 ad Flavianum, cap. ultimo (quæ in concilio Chalcedonensi fuit approbata), cùm illa verba Eutychetis retulisset: « Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò unam naturam

« confiteor , » addit : « Miror tam absurdam, « tamque perversam ejus professionem, » etc. Cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè , postquàm *Verbum caro factum est*, natura in eo singularis asseritur.

His igitur præmissis, contra errores alios, ut certissimum statuamus, Christum Jesum unâ constare personâ , duabus naturis, divinâ et humanâ, inter se conjunctis, non confusis, salvâ cujusque naturæ proprietate ; fides enim catholica agnovit semper in Christo post incarnationem duas integras et perfectas naturas, divinam et humanam , quæ sine ullâ permixtione ac confusione, aut inter ipsas compositione, in verâ personâ Verbi subsistant, neque divinam naturam in humanam, vel humanam in divinam fuisse conversam, neque tertiam per commixtionem resultâsse, sicut ex animâ rationali et corpore, ut Orientales hodie fatentur.

Primò hæc veritas ex Scripturâ probatur, et ante omnia duas esse in Christo naturas, testantur illa Domini verba Joan. 3 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Nam iste, qui loquebatur, secundùm eam naturam, per quam videbatur et loquebatur, ac Filius hominis erat, non descenderat de cœlo, aut tunc cùm loquebatur erat in cœlo. Ergo alteram habuit, nempe divinam, secundùm quam descenderat, et erat in cœlo. Deinde nullo modo fieri potest secundùm eamdem naturam Christum esse æqualem Patri, et minorem ; at Joan. c. 15 : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus*, et c. 14 : *Pater*, inquit, *major me est*. Igitur secundùm unam fuit æqualis Patri, secundùm aliam minor. Præterea, *Antequàm*, inquit ipse Christus Joan. 8, *Abraham fieret, ego sum*. At idem natus erat temporibus Augusti; nequit autem fieri, ut idem secundùm idem fuerit ante et post Abraham. Item, quod S. Thomas, Joan. 20, viderat et tetigerat in Christo , non erat Deus, sed caro, et tamen exclamavit dicens : *Dominus meus et Deus meus*. Igitur ille, cujus carnem viderat, simul erat verè Deus et homo, quod etiam apertè constat Actorum secundo : *Dexterâ* (inquit Petrus) *Dei exaltatus effudit hoc donum*. Nam exaltari non est Dei, sed creaturæ; effundere Spiritum sanctum non est creaturæ, sed Dei. Item, *Spiritus sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, etc.

Jam verò illas naturas non esse permixtas satis ex sacrâ Scripturâ constat, quæ frequenter asserit naturam divinam esse prorsùs immutabilem : Malach. 3 : *Ego Deus, et non mutor*. Et Jacobi primo : *Apud quem non est transmutatio*, etc. Itaque stare non potest tertium, quod Eutyches dixit, divinitatem in humanitatem, aut contra, fuisse conversam. Nam fieri non potest, ut nullo modo mutetur, vel quod in aliud convertitur, vel id, in quod convertitur aliud. Præterea Christum Dominum reverà fuisse natum ex Virgine, passum, mortuum, sepultum, et resurrexisse tertiâ die, ac postea cœlos ascendisse; neque eumdem Christum, non secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem, non simulatam, sed veram, fuisse passum, contra errorem seu potiùs delirium Eutychetis passim , ac luce ipsâ manifestiùs Scripturæ fatentur; sed quia hodie Orientales in hoc etiam Eutychetem damnant, non opus est in his ampliùs immorari.

Restat igitur, ut ex conciliis et Patribus sententiam catholicam de duabus in Christo naturis comprobemus. Plurima sunt concilia in quibus error iste expressè damnatur. Primò in Chalcedonensi concilio ex instituto, et præsertim actione 5, in Symbolo fidei , ubi sic dicitur : « Confitemur in novissimis diebus Fi« lium Dei unigenitum in duabus naturis, in« confusè, immutabiliter, indivisè, inseparabili« ter agnoscendum, nunquàm sublatâ differen« tiâ naturarum propter unionem. » Item in concilio Constantinopolitano (quod est quinta synodus generalis) can. 2, 7, 8, 10, 11. Ubi in canone illo 8, sic dicitur : Secundùm substantiam dicentes carni unigenitum Verbum unitum esse, non confusionem quamdam ad vices naturarum factam fuisse dicimus, magis autem utrâque manente naturâ, hoc quod est unitum, intelligimus esse carni Verbum. Item in VI synodo generali , actione 4, in concilio Lateranensi, sub Martino primo, consultatione 5, can. 5, 6, 7 et 8, in concilio Hispalensi II, cap. 1, et passim in aliis; quibus denique adde Symbolum Athanasii, ubi eamdem veritatem Ecclesia profitetur maximè in illis verbis : « Unus « autem non conversione divinitatis in carnem, « sed assumptione humanitatis in Deum : unus « omninò non confusione substantiæ, sed uni« tate personæ. »

Tertiò repugnat iste error orthodoxis Patrum sententiis : inprimis S. Cyrillus Alexandrinus apertissimè variis in locis hanc veritatem testatur, in Epistolâ 8 ad Nestorium , ubi referens fidem et sententiam concilii Nicæni :

« Licet, inquit, differentes inter se naturæ in « veram sint unitatem conjunctæ, unus tamen « ex utrisque est Filius ac Christus, interim « non sublatâ differentiâ naturarum propter « adunationem. » Hæc Cyrillus : cujus vestigiis adhærens sancta synodus Chalcedonensis 630 Patrum, Cyrilli testimonium referens, sic ait :

Synodus. — « Sequentes igitur sanctos Pa- « tres unum et eumdem Filium Dominum no- « strum Jesum Christum, in duabus naturis « sine confusione, sine mutatione, sine divi- « sione, sine separatione cognitum, uno omnes « consensu docemus. » Hæc synodus. Postea adducit verba S. Cyrilli ex epistolâ ad Sucensum : « Considerantes igitur, ut dixi, modum « incarnationis, videmus, quòd duæ naturæ « coierunt inter se secundùm unionem, quæ « distrahi non potest, sine confusione, sine « mutatione. Caro enim caro est, et non divi- « nitas, et si Deus factus est caro, homousiè, et « carò enim Verbum Deus est, et non caro, et « si propriam fecit carnem, œconomicè. » Ejusdem ex eâdem Epistolâ : « Duas naturas dici- « mus, unum verò Christum Filium, Dominum, « Dei Verbum factum hominem, et Incarna- « tum. » Ejusdem ex libro de fide ad Alexandrinos : « Ego commixtionem non approbo, « alienum enim est à fide Apostolicâ, et à rectâ « traditione Dei. Commixtio enim deletionem « naturarum operatur. Unio verò ineffabilis, « quam qui rectè sentiunt, confitentur, utram- « que naturam sine confusione servat. »

Synodus. — « Differentiâ naturarum nequa- « quàm sublatâ propter unionem. »

Cyrilli ad Nestorium : « Non tanquàm dif- « ferentiâ naturarum sublatâ propter unitio- « nem. »

Synodus : « Quin potiùs servatâ proprietate utriusque naturæ. »

Cyrilli ex Epistolâ ad Sucensum : « Etsi « enim unus à nobis dicitur unigenitus Filius « Dei, incarnatus, et factus homo, non prop- « terea commixtus est, sicut illis videtur. Nec « in naturam carnis mutata est natura Verbi ; « imò neque carnis in naturam Verbi ; sed in « proprietate secundùm naturam, utrâque ma- « nente simul, et intellectâ secundùm rationem « paulò ante à nobis redditam, unio ineffabilis « et inexplicabilis unam nobis demonstravit « naturam Filii, sed incarnatam. »

Synodus. — « Et in unam personam, et in « unam hypostasim concurrente. »

Cyrilli ex Epistolâ ad Joannem : « Et tanquàm « in unâ personâ cognitus : unus enim Dominus « Jesus Christus, etsi non ignoratur differentia « naturarum. »

Præterea S. Dionysius Areopagita, c. 3 de ecclesiasticâ Hierarchiâ : « Divinæ, inquit, « bonitatis infinita clementia benignissimè om- « ninò providentiam nostrî, nec sic quidem « (post peccatum) omisit per seipsam opera- « ri, nostrorum omnium veraciter sine pec- « cato particeps facta, nostræque humilitati « inserta, absque confusione ullâ, et maculatio- « ne verâ et integerrimâ divinitatis suæ. » S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4, cùm agit de Christi generatione ex Virgine : « Duplex, « inquit, erat Christus : homo quidem id quod « apparebat ; Deus verò quod intelligebatur. « Comedebat quidem ut homo verè, ita ut nos ; « similes enim nobis corporis affectiones ha- « bebat : ut Deus autem quinque panibus aluit « quinque millia, » etc. S. Athanasius in Evangelium de sanctissimâ Deiparâ : « Sanctifi- « cata, inquit, superventu Spiritûs sancti Vir- « go eum gestabat, qui ex suâ propriâ essentiâ « Dei erat Filius, pro unicâ ejus divinitatis « naturâ, et gignit eumdem incarnatum et ho- « minem factum, secundùm duarum natura- « rum proprietatem, eumdemque duplicem et « unum ex duobus constantem inconfusè, im- « mutabiliter atque indivisim credi oportere « statuimus. » Et infra : « Deus interim perfe- « ctus et homo perfectus ; unus ratione unius « personæ ; duplex tamen naturâ. » S. Basilius libro primo contra Eunomium, post medium : « Sicut formam, inquit, assumpsisse servi, in « essentiâ humanæ naturæ Dominum nostrum « natum esse significat : sic cùm dicit in for- « mâ Dei esse, ad Philip. 2, divinæ essentiæ « proprietatem penitùs declarat. » S. Gregorius Nazianz. Orat. in Christi Nativitatem : « Mis- « sus, inquit, est, verùm ut homo ; duplici « enim naturâ erat ; siquidem et fatigatus est, « et fame et siti laboravit, et angore correptus « est, et lacrymas fudit, ut lex naturæ fert. »

Innumera Patrum tam Græcorum quàm Latinorum possemus testimonia adducere : qui plura desiderat legat Theodoretum in dialogo *Immutabilis*, et in dialogo *Inconfusus*, ubi prolixè testimonia omnium ferè Patrum, qui ante ipsum fuerunt adducuntur. Idem fecère S. Leo in suis Epistolis, B. Vigilius l. 5 contra Eutychetem, Gelasius in lib. de duabus Naturis, et novissimè omnia Patrum et doctorum usque ad nostra tempora testimonia congessit auctor Thesauri catholici lib. 2 de Christo Salvatore.

Denique error iste repugnat etiam manifestè rationi; sed antequàm ulteriùs procedamus, notandum est pro explicatione hujus controversiæ, ex D. Thomâ, 4 contra Gentes, cap. 41, quòd uniri aliqua in naturâ non est, quòd duæ naturæ ad invicem quomodocumque uniantur: nam reverà in Christo duæ naturæ unitæ sunt, sed quòd illæ duæ naturæ conveniant in unâ tertiâ naturâ, vel essentiâ, quæ aliquo modo ex naturis unitis constituatur, sicut quòd aliquæ duæ naturæ in personâ uniantur, dicit quòd eadem persona in duabus naturis subsistat, munusque ac rationem personæ exerceat, in ordine ad utramque naturam ipsam sustentans, et proprias utriusque naturæ operationes exercens. Hoc supposito, probatur: Tunc aliqua duo uniuntur in naturâ, quando uniuntur in aliquâ essentiâ, quæ ex unione duarum naturarum resultet; sed implicat naturam divinam et humanam hoc modo uniri, ergo, etc. Probatur minor: Nam quæ uniuntur in naturâ, necessariò habent mutuum et intrinsecum ordinem inter se, imò et essentialem dependentiam ad invicem; sed implicat naturam divinam habere aliquo modo ordinem, quia forma totalis, qualis est humanitas, cùm per se loquendo sit totum, et non pars, nequit intrinsecè et substantialiter ordinari ad alterius naturæ compositionem. In quo distinguitur humanitas ab animâ rationali, quia hæc et quæcumque alia forma ex propriâ naturâ non est substantia totalis, sed potiùs pars alterius naturæ integræ; et ita dicit intrinsecum et substantialem ordinem ad naturam, cujus est pars, et ad aliam partem simul componentem: at humanitas et quæcumque forma totalis non dicit talem ordinem per se, et substantialem; ergo, etc.

Secundò probatur: Quando aliqua duo uniuntur in naturâ, talis natura, in quâ fit unio, semper est perfectior aliis naturis, quæ in illâ uniuntur: continet enim perfectionem utriusque: sed implicat dari naturam perfectiorem essentiâ divinâ: ergo nulla natura potest esse terminus hujus unionis. Tertiò probatur: In Christo post unionem sunt duæ formæ: ergo sunt duæ naturæ. Consequentia patet, quia forma, natura et essentia, idem sunt. Antecedens probatur ex illo ad Philippenses 2: *Qui cùm in formâ Dei esset, formam servi accepit.* Sed forma Dei et forma servi sunt duæ formæ: ergo, etc. Quartò, in sacris litteris post unionem contraria enuntiantur de Christo, nempe ea quæ sunt potentiæ divinæ, et quæ sunt infirmitatis humanæ: sed contraria de eodem secundùm idem enuntiari non valent; ergo enuntiantur secundùm aliam, et aliam naturam, et ex consequenti non est in Christo tertia aliqua natura ex duabus resultans.

Postremò, Christus est verus Deus et verus homo, ut constat ex sacrâ Scripturâ; ergo verè habet naturam divinam et humanam; non enim fieri potest, ut divina natura et humana fiant una natura, ut ostendit D. Thomas 3 p., q. 2, art. 1, hâc evidenti ratione, quia si ex divinitate et humanitate fit unum, vel fit unum ordine et compositione, eo modo, quo ex pluribus lapidibus fit unus acervus, vel una domus; sed hoc dici non potest, quia Christus non esset unus per se, sed per accidens; item non esset unus simpliciter, sed multa simpliciter, et unum secundùm quid, quorum utrumque derogat veritati incarnationis. Vel fit unum per se, per transmutationem, eo modo, quo ex elementis fit mixtum, et hoc affirmari non potest, tum quia natura divina est omninò immutabilis, et sic neque ipsa potest in aliud converti, neque aliud in ipsam; tum quia id, quod ex mixtione resultat, ut constat ex primo de Generatione cap. de mixtione, non est ejusdem substantiæ cum miscibilibus; et sic Christus, neque esset consubstantialis Patri, neque Matri, quorum utrumque fidei adversatur. Vel fit unum per se, absque ullâ transmutatione: sed neque hoc potest dici; nam fieret unum modo quantitativo, sicut ex diversis membris fit unum corpus: et hoc non, cùm natura divina sit incorporea; vel eo modo quo ex materiâ et formâ fit unum, et hoc est adhuc impossibilius, tum quia natura divina et humana sunt entia completa in actu, et ex duobus entibus in actu nequit unum per se fieri; tum quia natura divina nullius potest esse forma, præsertim corporis; tum quia alia species inde resultans esset pluribus communicabilis, et ita essent plures Christi; tum denique quia Christus aliàs neque esset naturæ divinæ, neque humanæ; differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum.

Ut vim hujus rationis Patrumque sententiam manifestam effugiant Jacobitæ, hodie aliam excogitârunt suam hæresim propagandi viam, dicentes in Christo Domino duas naturas fuisse unitas, ac post unionem in illo veram fuisse divinitatem, veramque humanitatem; unam tamen factam fuisse naturam personatam, ex duabus naturis non personatis, sine tamen

mixtione, aut confusione. Quare licet concedant Christum ex duabus constâsse naturis, renuunt tamen concedere illum in duabus naturis subsistere, ne videantur cum Nestorio duas ponere in illo personas. Sed ferè idem est, iste errandi sive dicendi modus cum aliis. Nam vel illæ naturæ non personatæ sunt ante unionem distinctæ inter se, et hoc nequit intelligi, ut jam supra confutavimus. Vel illa natura personata, quæ resultat ex duabus naturis divinâ et humanâ, est tertia natura composita ex duabus, sicut homo ex animâ et corpore, et hoc est quod Patres concilii, et ratio ipsa demonstrat esse erroneum. Si autem volunt dicere personam Christi esse compositam ex duabus naturis, hoc est, subsistentem in illis, hic sensus catholicus est; sed tunc fatendum est, cum Ecclesiâ catholicâ duas esse in Christo naturas perfectas, indistinctas, neque inter se commixtione aliquâ aut compositione conjunctas, duas itidem voluntates et operationes, ut jam infra etiam ostendere conabimur.

Articulus XXVII.

Solvuntur argumenta Eutychetis et aliorum.

Argumenta, quibus usi sunt Eutyches, et ejus sectatores tam veteres quàm novi, ad sui erroris confirmationem, facili negotio solvuntur. Primum est, quòd Joannis 1 dicitur: *Verbum caro factum est.* Est igitur natura Verbi conversa et mutata in humanam; sicut aqua illa conversa fuit in vinum, de quâ simili loquendi modo dicitur Joan. 2: *Cùm vidisset architriclinus aquam vinum factam,* etc.

Respondeo primò: Si hoc argumentum valeret, falsum etiam esset, quod Eutychiani dixerunt, naturam illam unam, quæ in Christo mansit, fuisse reverà divinam. Etenim quod in aliud convertitur minimè manet: ut neque mansit aqua, postquàm facta est vinum. Secundò dico, illo modo loquendi, cùm scilicet unum dicitur factum aliud, non semper in Scripturâ significari conversionem, sed solùm accessionem aliquam sine interitu prioris. Ut cùm dicitur ad Galat. 3: *Christus pro nobis factus est maledictum;* vel cùm dicitur, Luc. 2, *actus annorum duodecim,* etc.

Ita hoc explicant Athanasius in Epistolâ ad Epictetum, et Gregorius Naz. in Epist. 1 ad Cledonium, et Ambrosius de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 6, et Theodoretus in Dialogo 1, ubi prædictos Patres pro eâ interpretatione citat, et eam inde confirmat, quod statim Joan. de eo ipso Verbo incarnato subjungit: *Et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus,* etc. Unde evidenter apparet, Verbum non propterea esse destitisse. Item ex eo quòd alibi incarnatio Verbi sic describitur, ut manifestum sit mansisse post eam salvâ naturâ suâ Verbum. Nam ad Philip. 2 dicitur: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Et ad Hebræos 2: *Semen Abrahæ apprehendit.* Manet autem omninò is qui quippiam accepit et apprehendit.

Tertiò dico ex illo ipso loco Joan. 1, potiùs revinci evidenter errorem Eutychetis. Nam si *Verbum caro factum est*, ergo mansit in Christo post unionem vera caro, et natura humana, quod Eutyches negabat. Manet enim id in quod aliud dicitur evadere, sicut mansit vinum illud in quod evasit aqua, et manet etiam dignitas consulis, cùm dicimus de aliquo quòd sit factus consul.

Secundum argumentum: Joan. 1 dicitur: *Verbum caro factum est.* In concilio Chalcedonensi, act. 1, post Epistolam Cyrilli ad Joannem Antiochenum, Eustachius episcopus Beritensis, testatus est S. Cyrillum asseruisse, non oportere intelligi duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.

Respondeo sensum esse, quòd non sint in Christo duæ naturæ supposito distinctæ reipsà et separatæ, sicut sensit Nestorius, sed naturam divinam cum humanâ naturâ conjunctam, in unâ et eâdem divinâ personâ. Ita enim illud dictum Cyrilli intelligendum esse definitum est in V synodo generali, can. 8.

Et eodem modo debet accipi, quod dixit Gregorius Nazianzenus Epistolâ primâ ad Cledonium, carnem esse deificatam; et quod in concilio Lateranensi sub Martino I, can. 5, definitur, naturam Dei Verbi fuisse incarnatam, quod etiam asserit Damascen. l. 3, c. 6. His enim modis loquendi à Patribus significatur solùm illa realis et substantialis conjunctio divinitatis cum humanitate, in unâ et eâdem personâ divini Verbi, non autem aliqua utriusque naturæ confusio.

Tertium argumentum est, quòd aliqui antiqui Patres dicant, naturam divinam fuisse mixtam cum humanitate; sic enim scribit S. Cyprianus in lib. de Vanitate Idolorum: « Carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est. » Et S. Gregorius Nyssenus in Orat. Catecheticâ, cap. 25, incarnationem appellat nostræ naturæ cum divinâ commix-

tionem. Similiter loquitur Irenæus lib. 3, cap. 21, et Vigilius lib. 1 contra Eutychetem.— Respondeo hoc vocabulo mixtionis Patres fuisse usos, ad significandum unionem illam esse omninò realem, et substantialem, sicut est suo modo mixtio elementorum in uno et eodem substantiali supposito, non autem ad significandum quòd sit mixtio propriè.

Quartum argumentum : S. Athanasius in Symbolo dicit : « Sicut anima rationalis et caro « unus est homo; ita Deus et homo unus est « Christus. » Est igitur unica natura in Christo sicut in uno alio homine.—Respondeo minimè id sequi; non enim est sensus, ita ex humanâ et divinâ naturâ fieri unam naturam, sicut fit ex animâ et corpore una humanitas; sed sicut ex animâ et corpore fit una substantia, quæ est natura, ita etiam ex unione naturæ humanæ et divinæ in personâ Verbi constare similiter substantiam quamdam unicam, quæ est Christi persona, ut subsistens in utrâque naturâ.

Quintum argumentum (quo maximè nitebatur Eutyches) : Si in Christo sunt duæ naturæ, ergo etiam duæ personæ. Qui fuit error Nestorii. — Respondeo nihil minùs sequi : Est enim alia ratio naturæ, quàm personæ. Unde etiam in divinis, ubi natura et persona re non distinguuntur, credimus esse personas tres, quamvis earum tantùm sit unica natura. Possunt igitur in Christo vice versâ esse naturæ duæ, et persona unica. Et hactenùs de errore Eutychetis.

Articulus XXVIII.

De duabus Christi voluntatibus.

Non solùm Eutyches, qui in Christo non esse naturam humanam veram ausus est affirmare, consequenter ab eo voluntatem humanam adimebat, sed et hæretici alii orientales, qui naturam humanam in Christo confitebantur, in eo non fuisse voluntatem humanam temerè affirmârunt; inter quos fuerunt *Monothelitæ*, sic nuncupati ab assertione unius voluntatis in Christo, eo adducti fundamento, propterea quòd omnia operatur Christus ex nutu divinæ voluntatis.

Sed hic error breviter et manifestè convincitur primò testimonio ipsius Christi, Lucæ 22 : *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Ubi utramque voluntatem apertissimè distinguit. Item Joan. 6 : *Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me, Patris.* Ex quo loco confirmatur hæc veritas in synodo VI generali, act. 17, ubi damnatur hic error. Secundò ex his quæ supra contra errores alios ex fide constituta sunt, ducitur manifestum argumentum. Etenim vera natura humana sine voluntate humanâ non consistit, ut est etiam ratione naturali perspicuum. Sed Verbum divinum assumpsit veram humanam naturam, ejusdem speciei, cujus est natura aliorum hominum. Ergo etiam voluntatem humanam.

Et confirmatur : nam potentiæ naturales proximè spectant ad naturam. Unde videmus in divinis, quamvis tres personæ sint, tamen quia est una natura, unicam esse voluntatem. Sed in Christo sunt duæ naturæ; ergo unaquæque suam habet voluntatem. Denique hùc etiam pertinent Patrum testimonia, quibus supra probavimus duas in Christo naturas perfectas, et in particulari in Christo esse duas voluntates docent Athanasius lib. de Trin., Gregorius Nyssen. contra Apollin., Epiphanius sermone 69 contra Marcionitas, et B. Cyrillus Alexandrinus, cujus testimonium magni faciunt omnes Orientales in sermone 10 in Matth. : « Subest quidem in Christo pa« vor passionis propter humanitatem : compe« scitur autem virtute inhabitantis Verbi : ait « enim : *Verumtamen non sicut ego volo, sed « sicut tu vis ;* humanitas quidem hoc ait : nam « secundùm quòd Deus est, non est extra vo« luntatem Patris. Sicut enim una est deitas, « ita una est Patris et Filii voluntas. » Idem lib. 4 in Joannem : « Voluntaria quidem passio, « eò quòd ita voluisset divina natura, involun« taria autem quantùm ad carnem recusantem « mortem, et secundùm quòd Christus homo « erat. » Idem l. 12 : « Sicut consubstantialis « est, ita et convoluntarius proprio Genitori ; « unius enim essentia una perfecti voluntas « est. »

Nec valet quidquam argumentum hæreticorum. Nam etsi Christus omnia ex nutu divinæ voluntatis operabatur, non quia ex unâ divinâ voluntate omnia operaretur, sed quia humana ejus voluntas erat divinæ conformis.

Porrò iisdem argumentis patet in Christo fuisse etiam intellectum creatum præter divinum, quia est etiam humanæ naturæ potentia naturalis. Quod ex Scripturâ etiam patet Isaiæ 52 : *Ecce intelliget puer meus.* Et Matth. 8 : *Audiens Jesus miratus est,* quod pertinet ad intellectum. Item ex Augustino, l. 83, q. 80, contra Apollinaristas, qui animam rationalem, et intellectum in Christo negabant, inferentes

quòd tunc Verbum belluam quamdam cum figurâ humani corporis suscepisset. Item iisdem argumentis efficitur, reliquas animæ potentias sensitivas esse in Christo, atque etiam liberum arbitrium. Nam liberum arbitrium nihil aliud est quàm voluntas ipsa, prout tendit in sua objecta cum indifferentiâ quâdam. Neque obstat quòd Christus nullo modo peccare potuerit : nam potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii.

Unde Augustinus in lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 15, de Christi impeccabilitate loquens : « An ideò, inquit, in illo non libera « voluntas erat, ac non tantò magis erat, quan« tò magis peccato servire non poterat? »

Articulus XXIX.

De duabus Christi Domini operationibus.

Orientalium etiam hodie error est, qui etiam fuit quondam Monothelitarum, in Christo tantùm fuisse unicam operationem, nempe divinam, tametsi diversa per illam operaretur. Idque probabant, quia omnia fiebant ab eodem Verbo divino. Damnatur hic error in VI synodo, act. 4, 8 et 9, ubi inter cætera sic legimus : « Duas naturales operationes indivisè, « inconvertibiliter, inconfusè, inseparabiliter « in eodem Domino Jesu Christo vero Deo « nostro glorificamus, hoc est, divinam et « humanam. » Ponuntur autem illæ particulæ, *indivisè, inconvertibiliter,* ad ostendendum ab unâ et eâdem personâ Verbi utriusque generis operationes, salvâ differentiâ ipsarum, profectas esse.

Plena etiam sunt Evangelia manifestissimis Christi operibus, quibus ostendi possit duas esse in Christo operationes. Primùm enim una est Patris et Filii operatio, sicut et natura, ut patet ex illis locis Joan. 16 : *Omnia quæ Pater habet mea sunt. Et quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Ne quis autem putaret alia Patrem, alia Filium operatione operari, ait, ibid. c. 5 : *Pater in me manens ipse facit opera.* Item : *Non potest Filius quidquam facere, nisi viderit Patrem facientem.* Quòd autem Filius præter hanc divinam operationem, aliam diversam habeat, non communem cum Patre, adeò apertum est, ut supervacaneum videatur id velle probare. Nam quod inter homines conversabatur, loquebatur, ambulabat, comedebat, oculis, manibus, pedibus, reliquisque corporis membris et animæ sensibus et potentiis operabatur, id certè Patri commune cum eo non erat, nisi quis Patrem incarnatum esse dicat simul cum Filio : quod est nefas dictu. Cùmque Filius solus, et non Pater, nec Spiritus sanctus naturam humanam assumpserit, corpusque et animam habuerit; certè ea quæ per animam et corpus exercebat, Patri aut Spiritui sancto tribui non possunt, sed soli Filio : et quis unquàm dixit Patrem esuriisse, fatigatum ex itinere, seu illum super puteum collocutum cum Samaritanâ, disputâsse in templo cum Judæis, aliaque hujusmodi multa fecisse, quæ de Christo referunt Evangelistæ? An etiam illud Patri tribuendum est, quod Lucas de Christo ait : *Et erat subditus illis,* et quòd Patrem sæpè oraverit, quòd et missum à Patre in mundum, dicit, quòdque ait non suam gloriam quærere, sed Patris, et ejusmodi alia plurima. Nimis profectò obtusæ mentis est, qui hoc non videt; nimis obstinatæ, qui cùm viderit, tamen credere non vult, cùm præsertim id senserint omnes catholici Patres.

Præterea illi qui in Christo concedunt duas naturas, ut omnes tenent Catholici, necesse est, ut duas confiteantur voluntates, duas operationes, cùm ad naturæ veritatem pertineat operatio ei conveniens. Unde Ambrosius lib. 2 de fide ad Gratian. cap. 4 : « Numquid « potest una operatio esse, ubi diversitas est « substantiæ. » Atque eodem argumento convincitur, in Christo fuisse non tantùm operationem humanam, sed etiam plures humanitatis operationes, quales sunt aliorum hominum. Tametsi omnes illæ potuerint, maximè in Christo, dici unica operatio, si spectemus earum quasi principium, nimirùm humanam rationem ac voluntatem in Christo, quâ dirigebantur seu imperabantur omnes.

Fundamentum verò illorum hæreticorum nullius prorsùs momenti est : quamvis enim idem Verbum divinum esset principium omnium Christi operationum, tanquàm suppositum ; non tamen illas omnes efficiebat per eamdem naturam, ut per formam, sed per diversas, scilicet per divinam et humanam. Itaque diversæ omninò ejus operationes fuerunt.

Sed ut in catholico sensu aliqua Patrum dicta commodiùs intelligantur, ex sententiâ theologorum doctissimorum notandum est, operationum in Christo triplex genus distingui posse. Nam primò, quædam fuerunt tantùm divinæ, ut creatio et gubernatio mundi. Secundò, aliæ Christi operationes fuerunt humanæ tantùm, ut deambulatio, comestio. Quas

operationes ideò dico humanas tantùm, quoniam conveniunt etiam aliis puris hominibus naturaliter, tametsi et à supposito divino ejusmodi operationes Christi proficiscerentur, et ad eas divinitas generali concursu cooperata sit, quod negavit Durand. in 3, dist. 18, q. 1, quia nimirùm in universum alioqui existimant, Deum non concurrere immediatè efficiendo ad effectus causarum secundarum.

Tertii generis operationes possumus in Christo nominare mixtas, seu duplices, id est, partim divinas, partim humanas, quia licet uno eodemque vocabulo significentur, verè tamen sunt duplices : ut justificatio impii, suscitatio mortuorum, et aliorum miraculorum patratio. Hujusmodi enim nominibus partim significamus actionem divinam principalem, quæ scilicet suâ vi attingit principalem effectum (nempe gratiam, vitam miraculosè restitutam, etc.), partim etiam actionem humanam, videlicet instrumentalem humanitatis Christi, quæ à verbo divino, tanquàm instrumentum usurpata, contulit etiam miraculosè aliquid ad ejusmodi effectus, ut vox Christi revocantis ad vitam Lazarum, etc.

In quibus actionibus et illud animadvertendum est, peculiari quâdam ratione divinam actionem Christi principalem, humanitati adscribi; et vicissim instrumentalem actionem humanitatis, divinitati. Quam ob causam appellavi etiam has actiones duplices et mixtas. Quia enim principale agens effectum attingit, conferente ad id instrumento, peculiari ratione actio principalis agentis pertinet etiam ad instrumentum. Unde dicimus scamnum, v. g., à serrâ fieri, quia participatur veluti à serrâ actio principalis artificis conficientis scamnum. Et rursùs quoniam principale agens usurpat instrumentum, ejusque actionem ad effectum principalem, ipsi etiam peculiari ratione adscribitur actio propria instrumenti. Unde dicimus artificem secare, v. g., scamnum, cùm propriè secet serrâ.

Illæ igitur Christi operationes, justificatio, suscitatio mortuorum, etc., duplices atque etiam mixtæ à nobis dicuntur : non tantùm quia hujusmodi nominibus partim significatur actio divina, partim actio humana, ut dictum est; sed etiam, quoniam divina illa actio, quæ significatur, peculiari ratione adscribitur non tantùm divinitati, sed etiam humanitati, tanquàm instrumento. Itemque vicissim actio humana, quæ illis nominibus significatur, tribuitur ratione peculiari divinitati, quæ ejusmodi actione instrumentali utitur. Et hìc rectè tum divina, tum humana hujusmodi actio mixta atque duplex dici potest, ex parte etiam sui principii seu causæ.

Ac de hoc quidem tertio genere operationum Christi intelligendum est, quod B. Dionysius libro de divinis nominibus c. 2, disserit de operatione Christi, quam vocant *Theandricam*, id est, Dei et hominis simul. Item illud, quod B. Leo in Epistolæ 10 ad Flavianum c. 4, scripsit : « Agit (inquit) utraque forma (id est, « natura) in Christo cum alterius communione « quod proprium est; Verbo scilicet operante, « quod Verbi est, et carne exequente, quod « carnis est. »

At in universum ad istud tertium operationum genus referendæ sunt omnes sententiæ similes, quibus significari videatur Christum per utramque naturam communiter seu simul fecisse, quod fecit. Hoc enim non ita ab orthodoxis dicitur, quia sit tantùm una et eadem utriusque naturæ operatio : sed quia vicissim utriuslibet naturæ operatio, quantùmvis propria et distincta, tribuitur suo modo alteri etiam naturæ (ut explicatum est) atque ita utraque natura agit cum alterius communione, in illo quidem genere tertio mixtarum et duplicium operationum.

Articulus XXX.

In Christo Domino non duas, sed unicam tantùm esse personam, contra Nestorianos.

Indubitata est apud orthodoxos omnes affirmativa pars hujus sententiæ : pro ejus tamen intelligentiâ explicare oportet, in quo propriè consistat hæc unio, quæ facta est duarum naturarum in personâ Christi. Omissis igitur aliis philosophandi modis, tenendum erit hanc unionem in eo consistere, quòd natura humana careat propriâ subsistentiâ, assumptaque sit à Verbo ad ipsam subsistentiam Verbi. Tribus siquidem modis possunt aliqua uniri, primò ut partes rei essentiales, quomodò materia et forma, genus et differentia, ex quibus resultat composita natura; quo certè modo non est facta unio in Verbo; unio enim partium essentialium ex imperfectis ad perfectum procedit. Secundò, ut accidens et subjectum, vel substantia cum substantiâ, ex quibus resultat forma accidentalis; at neque Verbum est subjectum humanitatis, neque ex unione cum Verbo resultat accidentalis perfectio. Tertiò, cum substantiâ, quæ alioquin per se subsisteret, trahitur ad subsistentiam alterius, et ab

illo duntaxat pendet; qualis unio Verbi et humanitatis: quæ solet quibusdam declarari exemplis.

Primum est animæ cum corpore : nam separata per se subsistunt, unita verò, una utriusque est subsistentia ; sed cùm utrumque sit naturâ imperfectâ, neutrumque trahat aliud ad sui subsistentiam, sed pendeat à tertiâ, quæ totius compositi est, deficit in eo exemplum : nam nec Verbum est naturâ imperfectâ, nec à tertiâ pendet subsistentiâ, sed ad suam trahit subsistentiam naturam humanam. Secundum est ferri igniti, quod proprietates et ferri et ignis habet, sed maximè deficit. Nam calor Deum repræsentans sustentatur à ferro, non est substantia, nec dicitur ferrum, quæ non consonant Verbo hypostaticè unito. Tertium hominis, in quo duæ accidentales formæ, ut medicina et jurisprudentia : unum enim suppositum est, variæ tamen appellationes, et communicatio idiomatum; verùm hujusmodi formæ non trahuntur ad subsistentiam propriè hominis : nam accidentium propriè non est subsistere. Quartum est arboris, verbi gratiâ, piri, cui inseritur ramus mali. Nam illa pirus est substantia prima, atque ideò suppositum verum, nec pendet à ramo insito, quem tamen sustentat, qui alioquin per se existeret, sive subsisteret, atque jam vocatur pirus et malus, et producit pira et mala, ac dici potest pirus malus, et è contra. Quòd si malus ille forsan siccaretur, et revivesceret, non propterea pirus mutaretur, sed tota mutatio contingeret in ramo.

Ita Verbum instar magnæ arboris suscepit ramusculum humanæ naturæ, suo trunco à cœlesti Agricolâ mirabiliter insertum, unde Verbum Deus et homo operâ divinâ et humanâ egit : nec Verbum ab humanitate, sed hæc ab illo dependet. Cùmque per passionem et mortem humanitas quodammodò aruisset, ac deinde per resurrectionem refloruisset, nulla mutatio in Verbo, sed tota in humanitate contigit. In hoc tamen exemplum deficit, quòd ramus non sit arbor perfecta : caret enim radicibus et trunco, et quòd antequàm insereretur, per se reverà subsisteret.

Unionem igitur hypostaticam in eo consistere probatur, primò, quia ex Scripturis habemus unam esse in Christo personam, duas verò naturas : at si duæ subsistentiæ essent, duæ quoque personæ. Quid enim in naturâ intellectuali singulari totali addit subsistentia, nisi personalitatem ? si una, non communicavit humanitas suam Verbo, ut omnes fatentur, cùm propriâ careat; igitur Verbum suam humanitati; in hoc igitur consistit Incarnationis mysterium. Secundò Epistola Alexandr. à conciliis probata Ephes. et Chalcedonensi : « Si quis, inquit, non confitetur carni secun« dùm subsistentiam unitum Dei Patris Ver« bum, anathema sit. » Item : « Si quis in uno « Christo dividit subsistentias post unionem, « anathema sit, » etc. Conc. Chalced. : « Salvâ « utriusque naturæ proprietate, et in unam « personam ac subsistentiam concurrente, uni« genitum Filium, et Deum Verbum agnosci« mus. » Synod. general. V : « Si quis introdu« cere conatur in mysterio Christi duas subsi« stentias, vel personas, et unam personam « dicit per dignitatem et honorem, et adoratio« nem, et non confitetur Verbum carni sub« stantialiter unitum, et propterea unam esse « ejus subsistentiam, etc., anathema sit. »

Error igitur fuit Nestorii et sectatorum ejus, Christum non unicâ personâ, sed duabus contineri, divinâ scilicet increatâ, et creatâ humanâ, quarum altera (scilicet divina) sit Filius Dei, omnipotens creator; altera verò, scilicet creata, tantùm sit filius hominis, natus, passus, mortuus; ita ut non idem omninò secundùm eamdem personam fuerit Filius Dei, et Filius Virginis, creator factus, impassibilis et passibilis.

Quoniam autem Scriptura de Christo loquitur, tanquàm de uno, unum, seu unam personam, ipsum esse ac dici, aiebat Nestorius, non unitate simpliciter substantiali aut naturali, sed secundùm quid et per accidens, propter varias rationes, quas possumus colligere ex testimoniis S. Cyrilli, sicut eas etiam ex concilio Ephesino, et aliis synodis collegit diligenter sanctus Thomas 3 p. q. 2, art. 6.

Nempe, 1° propter inhabitationem unius personæ in alterâ, scilicet divinæ in creatâ, tanquàm in templo. Unde dicebat Christum secundùm creatam personam, non esse Deum, sed *Deiferum*, et ideò ipsum nominari *Emmanuel*, quod significat, *nobiscum Deus*. 2° Propter conjunctionem affectûs, quoniam fuit voluntas personæ creatæ, cum voluntate personæ divinæ prorsùs conformis. 3° Propter communionem operationis, quia persona creata fuit instrumentum Verbi divini. 4° Propter communionem ejusdem dignitatis et honoris divini, qui etiam illi personæ creatæ, tanquàm templo divinæ personæ tribueretur. 5° Quoniam ob dictas rationes filius hominis diceba-

tur quadamtenùs Filius Dei, et è contrario; itemque homo Deus, et vicissim.

Fuisse hanc Nestorii sententiam, accuratè collegit præ aliis Gregor. de Valentiâ 3 p. q. 2, disp. primâ, puncto 2, tum ex canonibus concilii Ephesini, et quintæ synodi generalis, tum ex testimoniis S. Cyrilli, testimoniaque sanctæ Scripturæ et Patrum breviter recenset, quibus Nestorianorum hæresis facilè convincitur: quæ etiam nos in hoc capite ac parte adducimus.

Fuit autem error Nestorii (ut ex dictis apparet) errori Eutychetis per extremum contrarius. Nam Eutyches sic personam unam Christi confitebatur, ut naturas etiam confunderet, faceretque ex utrâque unam. Nestorius autem ita naturarum differentiam credidit, ut unicuique illarum personam suam distinctam attribueret. Ecclesia catholica incedit mediâ viâ, quæ et naturas contra Eutychetem distinguit, et contra Nestorium retinet personæ unitatem.

Quam sententiam Ecclesiæ orthodoxam ita declarârunt Patres in conc. II Constantinopolitano (id est, in sanctâ synodo generali), can. 4: « Cùm multis, inquit, modis unitas in« telligatur, qui iniquitatem Eutychetis et « Apollinarii sequuntur, in peremptionem eo« rum quæ convenerunt colentes, unitionem « secundùm confusionem prædicant. Theodori « autem et Nestorii sequaces divisione gauden« tes, affectualem unitatem introducunt. Sancta « verò Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impie« tatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad car« nem secundùm compositionem confitetur, « quod est secundùm subsistentiam. » Pro hâc sententiâ orthodoxâ, contra prædictum errorem Nestorii, urgent aliqui, Christum fuisse verum Deum et verum hominem; quasi contrarium ponatur secundùm opinionem Nestorii: sed nisi aliter argumentum formetur, non videtur satis firmum. Concessit enim Nestorius Christum verum Deum, et hominem verum fuisse, quamvis secundùm aliam et aliam personam, ex quibus Christus constaret. Quare id propriè contra illum est probandum, unam et eamdem personam Christi fuisse verum Deum et verum hominem.

Id autem potest primò probari ex Scripturâ sacrâ, quinque modis, seu quinque generibus testimoniorum. 1° Sic: Christus ita fuit verus Deus, et verus homo, ut et homo ille, qui Christus est, verè et propriè fuerit Deus; et vicissim Deus ille, verè et propriè homo. Sed nisi concedatur secundùm unam et eamdem personam, fuisse Christum verum Deum et verum hominem, hoc verum non erit. Ergo id omninò concedi debet. Minor probatur. Quoniam hæc propositio: Homo est Deus, non potest propriè et verè concedi, nisi aliqua sit substantialis identitas subjecti et prædicati, hoc est, Dei et hominis, siquidem nomen tum Dei, tum hominis significat substantiam, et in omni enuntiatione affirmativâ significatur aut consignificatur, rationem formalem prædicati, et rationem formalem subjecti convenire in unum et idem, quod sit utrumque. At ea identitas substantialis minimè hìc existit secundùm naturam divinam et humanam, ut patet: ergo necesse est eam concedere secundùm personam, quæ eadem significatur verbis illis: *Deus et homo.* Jam probatur major ex Scripturâ in illis locis quibus Christus de se loquens, tanquàm de homine, qui cum hominibus conversabatur, affirmavit simpliciter se esse Deum, atque adeò Dei coæternum, et coæqualem Filium. Ut Joan. 8: *Tu quis es? Dixit eis Jesus; Principium qui et loquor vobis.* Et Joan. 10: *Ego et Pater unum sumus.* Et Marci 14, ad pontificem interrogantem utrùm esset Filius Dei: *Ego,* inquit, *sum.* Et Joan. 4: *Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi,* etc. Et Joan. 3: *Nemo ascendit ad cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo* (nempe ut idem Deus) et Joan. 9, ad illuminatum cæcum: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille: Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait, credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Idem patet ex illo testimonio Gabrielis, Lucæ 1: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei,* id est, ille homo, quem concipies. Et ex illo ibidem Elisabethæ: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Et ex illo Apostoli ad Phil. 2: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;* ut plurima omittam similia testimonia.

2° Quia nisi eadem persona Filii Dei sit etiam homo, nequaquàm verè et propriè credi potest, Verbum divinum incarnatum esse, factumque hominem. At hoc verissimè et maximè propriè creditur, ut patet Joan. 1, et fatemur in Ecclesiæ Symbolis. Ergo non secundùm aliam personam creatam, sed secundùm illam ipsam divinam, quæ est Verbum et Filius Dei, Christus est homo. Major probatur, quia, ut albus, verbi gratiâ, non dicitur per eam albedinem,

quæ est in alterâ personâ, sed per eam quam in suâ ipsius personâ habet; ita neque Filius Dei homo dici et esse potest per humanitatem in alterâ personâ existentem, neque Verbum incarnatum per carnem alterius personæ. Quod argumentum passim attingitur in concilio Ephesino primo, ubi Nestorius damnatus est.

3° Quia Scriptura sacra ubique loquitur de Christo, tanquàm de unâ et eâdem personâ, sicut est unusquisque alius homo. Impium igitur est, Christum non unicam, sed plures interpretari personas. Assumptum patet ex illis omnibus locis, in quibus Christi persona significatur pronominibus illis singularibus, *ego*, *hic*, *ille*, quæ passim occurrunt. Deinde etiam peculiariter ex his, 1 Corinth. 8 : *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Est igitur unus et idem Jesus (id est, Filius Mariæ) et Christus Filius Dei vivi, ut Matth. 16 ait Petrus, et 1 Joan. 2 : *Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus est Christus?* Et 1 Joan. 4 : *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus.* Hoc enim maximè est Christum solvere, tollere duarum naturarum in ipso vinculum, quod est unitas personæ. Neque objiciat aliquis in exemplaribus Græcis, quæ modò extant, non legi illud : *Qui solvit*, sed : *Qui non confitetur*, etc. Fuerunt enim ejusmodi exemplaria olim ab hæreticis in eo loco corrupta, ut in Historiâ Tripartitâ l. 12, c. 4, videre est. Nec dubium est, quin illo modo verè legamus, cùm ita contra hæresim hanc Nestorii citaverit eum locum S. Leo pontifex in Epistolâ 10 ad Flavianum approbatâ in concilio Chalcedonensi, act. 5. Et rursùs ibidem : *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.* Et cap. 5 : *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei?*

4° Quia constat ex Scripturâ hominem Christum non per adoptionem, ut alios sanctos, sed longè excellentiori modo esse Filium Dei, ut patet manifestè ex illo Matth. 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et Lucæ 1 : *Vocabitur Altissimi Filius.* Et Joan. 1 : *Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam unigeniti à Patre,* et ad Galat. 4 : *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et aliis ejusmodi evidentibus testimoniis, quibus hoc ipsum probatur. Si autem homo Christus non diceretur Filius Dei, nisi ob illas rationes quas assignabat Nestorius, scilicet propter inhabitationem Dei in illo, tanquàm in templo, propter affectûs conformitatem, propter rationem instrumenti, propter dignitatem et honorem, propter appellationem Dei, solus esset Filius Dei per gratiam et adoptionem, ut alii sancti. Nam alii sancti sunt etiam templum Dei, 1 Corinth. 13: *Nescitis, quoniam templum Dei estis?* Et per illos etiam tanquàm per sua instrumenta Deus operatur ; 2 Corinth. 5 : *Tanquàm Deo exhortante per nos.* Et 1 Corinth. 12 : *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus,* et affectu cum Deo conjunctissimi sunt. 1 Corinth. 6 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et appellatio *Dei* eis tribuitur, psalmo 81 : *Ego dixi, dii estis.* Et denique cùm sint etiam templum Dei, si ob id solum Christus habet dignitatem et honorem divinum (ut voluit Nestorius), illis quoque eâdem ratione honor divinus deferri posset. Cùm igitur longè excellentiùs (ut probatum est) Christus sit Dei Filius, quàm alii sancti, fatendum est, eum non ob illas rationes quas assignavit Nestorius, sed planè naturâ esse Dei Filium, atque adeò eumdem esse substantialiter Deum.

5° Nam nisi eadem omninò persona, quæ est Deus, esset etiam Christus homo, impiè illi homini, qui Christus est, eumdem honorem, quem Verbo divino tribueremus, quantùmcumque esset Dei templum. Non enim idem honor templo, aut domui et inhabitanti debetur. Alioqui liceret mundum quoque adorare, quatenùs in eo habitat Deus. Quod tamen manifesta esset idololatria. At divinum honorem esse Christo homini tribuendum, Nestorius etiam fatetur. Ergo, etc. Quare rectè in Ephesinâ synodo can. 7, ita scribitur : « Si « quis vel ut hominem Jesum, operante Deo « Verbo, dicit adjutum, et Unigeniti gloriam « tanquàm alteri præter ipsum existenti tribuit, « anathema sit. » Quod idem habetur can. 8.

Notandum est autem, argumenta hæc, quæ directè probant, Christum secundùm unam et eamdem ipsius personam fuisse Deum et hominem, simul etiam probare, illam unam personam, secundùm quam Christus fuit Deus et homo, fuisse divinam et non creatam. Nam, ut est impossibile divinam naturam per creatam personam hypostaticè, terminari, ita est impossibile personam eam esse creatam, quæ eadem subsistit in naturâ divinâ et humanâ, atque adeò est Deus et homo. Subsistit enim persona in naturâ aliquâ non aliter quàm hypostaticè terminando illam, ut patebit ex iis quæ de ratione personæ disseruntur. Et hactenùs de primâ probatione assertionis or-

thodoxæ contra Nestorium, petitâ ex sacrâ Scripturâ.

Secundò probatur eadem assertio ex fidei symbolis. Nam in Symbolo Apostolico, ipsum Filium Dei Patris unicum credimus, conceptum esse de Spiritu sancto, et natum ex Mariâ Virgine, passum sub Pontio Pilato, etc. Ac similiter in Symbolo Nicæno, « credimus in unum « Dominum Jesum Christum, Filium Dei uni« genitum, et ex Patre natum ante omnia se« cula », etc., qui (idem) incarnatus est de « Spiritu sancto, ex Mariâ Virgine, et homo « factus est, crucifixus, » etc. Et in Symbolo Athanasii: « Qui licet Deus sit et homo, non « duo tamen, sed unus est Christus: unus om« ninò non confusione substantiæ, sed unitate « personæ, » etc.

Tertiò probatur ex conciliis. Concilium Ephesinum, can. 2: « Si quis non confitetur, « carni secundùm substantiam unitum Dei Pa« tris Verbum, unum esse Christum cum pro« priâ carne, eumdem scilicet Deum simul et « hominem, anathema sit. » Et can. 3: « Si « quis in uno Christo dividit substantias post « unitatem, solâ societate conjungens eas, quæ « secundùm dignitatem est, vel etiam auctori« tatem et potestatem, et non magis conventu « qui per unitatem factus est naturalem, ana« thema sit. » Item can. 4: « Si quis in personis « duabus, vel subsistentiis, eas voces quæ in « apostolicis scriptis et evangelicis continentur « dividit, vel quæ de Christo dicuntur à san« ctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex iis velut « homini, qui præter Dei Verbum specialiter « intelligatur, aptaverit: aliquas verò tanquàm « Deo dignas soli Verbo Dei Patris deputa« verit, anathema sit. »

Item in concilio Chalcedonensi act. 5, approbantur et recipiuntur prædicti canones concilii Ephesini. Item in synodo V generali can. 5: « Si quis in mysterio Christi conatur « introducere duas substantias vel personas, et « introductis duabus personis, unam personam « dicit per dignitatem et honorem, sicut Theo« dorus et Nestorius insanientes conscripse« runt; et non confitetur Dei Verbum carni « substantialiter uniri, et propterea unam ejus « substantiam, vel unam personam, anathema « sit. » Idem habetur in concilio Lateranensi sub Martino primo, can. 2, et in synodo 6, act. 4, et in concilio II Hispalensi c. 13, etc.

Quartò probatur ex Patribus. Ac inprimis B. Cyrillus in libro de Incarnatione Domini, et in Apologetico pro duodecim capitulis, et in aliis ferè omnibus suis operibus, ubi etiam multa veterum testimonia pro se adducit. Cassianus libros septem de Incarnatione scripsit contra Nestorium, jussu sancti Leonis I, et in fine libri septimi plurima recitat Græcorum et Latinorum Patrum testimonia.

Præter ea quæ isti adducunt, possumus alia quædam afferre. S. Ignatius in Epistolâ ad Ephes.: « Filius, inquit, Dei qui ante secula « natus est, ipse in utero portatus est à Mariâ « secundùm Dei dispositionem, ex semine Da« vid et Spiritu sancto. »

B. Justinus Martyr in lib. de rectâ fidei Confessione, circa medium: « Unus, inquit, est « Filius, et qui mortuus est, et qui id quod « mortuum erat excitavit. Cùm ergo de uno « filio contrarias voces audies, ea quæ dicun« tur, naturis tribue: ac si magnum quiddam « et divinum, divinæ id naturæ tribuito; si « quid parvum et humanum, humanæ adscri« bito. Sic enim et verborum discrepantiam « vitabis, cùm sua utraque natura recipiet: et « Filium unum omnia secula antecessisse, et « novum ex Scripturis fatebere. » S. Irenæus, libro 3 contra hæreses, à c. 18 usque ad 22, probat multis testimoniis Scripturarum, unum et eumdem esse Jesum Filium Mariæ, et Verbum Dei Patris. Athanasius in Epistolâ ad Epictetum, circa finem: « De solo, inquit, « Mariæ Filio scriptum est: *Verbum caro fac« tum est.* In quibus ostenditur ad reliquos « sanctos Verbum factum esse, prophetandi « gratiâ; ex Mariâ autem ipsum Verbum, carne « assumptâ, hominem prodiisse. » Et infra: « Non quòd filium à Verbo segregemus, sed quia « eumdem hunc esse agnoscimus, per quem « omnia facta sunt, et per quem nos liberati « sumus. » Gregorius Nazianzenus Epistolâ primâ ad Chelidonium: « Si quis, inquit, « Virginem Mariam nequaquàm Dei genitricem « esse credit, is etiam à Deitate sit separatus. « Si quis duos introducit Filios, unum quidem « ex Deo Patre, secundum autem ex Matre, et « non unum et eumdem, adoptione filiali, quæ « promissa est iis qui rectè credunt, exciderit. « Si quis non adorat Crucifixum, anathema « sit, ac Dei annumeretur interfectoribus. » Basilius libro 4 in Eunomium, exponens illud: *Dominus creavit me:* « Accipiendum est, inquit, « verbum, *genuit*, de Deo Filio; *creavit* autem, « de eo qui formam servi suscepit. In omnibus « verò his non duos dicimus, Deum per se, et « hominem per se. Unus enim erat, sed juxta « intelligentiam cujusque naturam reputantes. »

Damascenus l. 3 de Fide c. 9: « Ipsius, inquit, « Verbi hypostases utriusque naturæ hypostasis « existens, nullam insubsistentem esse permit« tit, etc. » Et ex Latinis Patribus S. Cyprianus lib. 2 contra Judæos, c. 8; Ambr. lib. de Incarnatione Dom. Sacram. cap. 5; Hilarius de Trinitate, lib. 2; Hieronymus in cap. 14 Matth.; Augustinus in Enchiridio, cap. 5, et lib. 13 de Trin. cap. 17, et alibi sæpè. Ac denique Leo papa nihil frequentiùs repetit in omnibus suis sermonibus et epistolis.

CAPUT XXXI.

Solvuntur argumenta Nestorii.

Argumenta omnia Nestorianorum sophistica sunt, ac facilè dissolvuntur duobus sequentibus fundamentis.

Primum est, non idem propriè esse Christum hominem, et Christi humanitatem, seu carnem seu corpus. Nam vocabulum, *homo*, significat personam, quæ in Christo (ut probatum est) non fuit nisi divina; *humanitas* verò, etc., sunt nomina significantia tantummodò naturam; itaque non debet intelligi de ipso Christo homine, quidquid de ejus humanitate seu corpore dicitur.

Hinc respondetur ad illud Joan. 2: *Solvite templum hoc*, quod pro Nestorio objiciebat Theodoretus contra secundum anathematismum Cyrilli; templum enim divinitatis suæ appellat ibi Dominus non personam aliquam distinctam à suâ propriâ, sed suam humanitatem seu corpus, ut apparet etiam ex verbis illis, quæ Joannes subjungit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

Ex eodem quoque fundamento respondetur ad testimonium Basilii in Psal. 59, quod citabat Theodoretus in refutatione quinti anathematismi Cyrilli. Basilius enim ibi non ait (ut falsò citabat Theodoretus) hominem Christum esse Deiferum, sed carnem Christi (σάρκα) Deiferam esse, quatenùs nimirùm altera Christi natura potest dici esse in alterâ per hypostaticam unionem.

Secundum fundamentum est, Christum hominem non fuisse hominem purum, ut sunt alii homines, sed hominem et Deum, utpote in duplici naturâ, divinâ et humanâ, subsistentem, ac proinde de illo secundùm aliam et aliam naturam affirmari posse, quæcumque conveniunt vero Deo et vero homini, excepto peccato, ut infra videbimus suis locis.

Hinc solvitur, id quod teste Theodoreto l. 4 hæreticarum Fabularum objiciebat Nestorius, nomen Dei non significare Deum homini vel humanitati unitum, sed tantummodò Deum, ac proinde beatam Virginem neque esse, neque debere dici Matrem Dei. Assumptum namque est falsum. Nam cùm Deus humanitati unitus, sit verus Deus, ipsi quoque omnia ea conveniunt, quæ competunt Deo vero, atque adeò etiam Dei nomen, et consequenter B. Virgo verissimè est Mater Dei, hoc ipso quòd est Mater Dei, cum humanitate uniti. Quanquàm ante hoc quidem incarnationis mysterium, nomen Dei non aliud quàm solum Deum significabat. Peracto autem eo mysterio, suâpte ratione id nomen significat etiam Deum humanitati unitum.

Ex eodem quoque fundamento patet responsio ad ea quæ Nestoriani objiciebant, dici de Christo quandoque, velut de homine, qui non sit Deus. Ut quòd ipse compellat Deum suum Matth. 26: *Deus Deus meus, ut quid dereliquistime?* et quòd consolationem ab angelo accipit, etc., Luc. 22. Quandoque autem velut de Deo, qui non sit filius hominis; ut quòd fuerit ante Abraham, atque adeò etiam ante Mariam; atque adeò etiam quòd non sit ei Maria consubstantialis, sicut oporteret, ut esset ejus mater, etc. Respondendum est enim, ex hâc differentiâ attributorum Christi, non debere colligi diversas esse in eo personas, sed diversas naturas, per quarum alteram, scilicet humanam, conveniant verè Christo Deo quæ sunt humana, atque adeò etiam ut sit Matri consubstantialis; per alteram autem, scilicet divinam, conveniant eidem Christo homini divina.

Item respondetur facilè ex eodem fundamento ad illud Apostoli: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo,* Philip. 2. Ex quibus verbis Theodoretus (initio Nestorianus) in Commentario ejus loci argumentabatur Filium Dei non esse factum hominem, sed induisse hominem. Sed perperam hoc colligebat. Nam habitu inventus ut homo, et in similitudinem hominum factus Filius Dei dicitur, non quia verè non sit factus homo, sed quia sine mutatione suî homo factus est, perinde ac homo sine mutatione suæ substantiæ vestitur, ut ex sancto Augustino, Quæst. l. 83, q. 73, declaratur. Quod autem Apostolus ait: *In similitudinem hominum factus,* veritatem potiùs confirmat naturæ humanæ à Christo sumptæ, utpote aliorum hominum planè similis. Dato etiam, quòd σχήματι ibi idem sit quod figura, ut exponit illìc Chrysostomus et Theo-

phylactus, tamen sensus esse posset, Christum externâ tantùm figurâ et similitudine fuisse talem hominem, quales sunt alii, nempe hominem purum. Sed prior interpretatio, quæ est etiam D. Thomæ in eum locum mihi magis probatur, et meliùs cohæret cum verbis illis antecedentibus : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens,* ubi de verâ essentiâ humanitatis assumptæ sermo est.

ARTICULUS XXXII.

Secundùm fidem catholicam, beati in Deo non tam claritatem quàm ipsam divinam intuentur essentiam.

Dupliciter contingit videre aut cognoscere rem aliquam ; primùm quasi ipsam intuendo sicuti est, quod est videre per suam essentiam. Deinde per effigiem aliquam et similitudinem suî, sicut amicum absentem in imagine ipsius, et Deum in effectis ejus quodammodò agnoscimus, in uno quidem perfectiùs quàm in alio. Fuit ergo error Armenorum apud Armacanum, l. 14 Quæstionum contra illos, cap. primo, et recentiorum Græcorum, ut narrat idem auctor, asserentium, Deum nec à beatis secundùm essentiam suam clarè videri, nec posse, sed tantùm per quamdam illius similitudinem, aut lucem ab eo derivatam. Eumdem errorem illis adscribunt Alphonsus de Castro contra hæreses, verbo *Beatitudo,* hæresi primâ, et Gabriel Prateolus in suo Elencho, verbo *Armeni.* Tametsi Nicephorus, lib. 18, c. 53, eorum recensens errores, inter illos hunc non connumeret. Huic Armenorum errori aliqui ex Græcis Patribus adhæsisse videntur. Contra hunc errorem fide catholicâ tenendum est, beatos videre Deum per essentiam. Hæc veritas clarè ex sacrâ Scripturâ colligitur. Primus locus Matth. 5 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quem ita intelligit D. Augustinus epistolâ 112, c. 4; Hilarius, can. 4 in Matthæum; imò Augustinus ex hoc loco id esse de fide videtur deducere ; ait enim : « Scimus, « posse Deum videri, quoniam scriptum est : « *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vide-* « *bunt,* etc. An fortè dicere non debui : *Scimus,* « sed : *Credimus,* quia scriptum est in Scripturâ : « *Cui credimus.* Et respondet statim optimè « dictum esse : *Scimus quia cùm apparuerit,* « *similes ei erimus, quia videbimus eum, si-* « *cuti est* ; eò quòd id tanquàm certum cre- « debat. »

Secundus locus est Matth. 18 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ubi *faciem* substantiam ipsius Dei sicuti est, interpretatur Hilarius canone 18, et in illud psal. 118 : *Deprecatus sum faciem tuam.*

Tertius locus est 1 ad Corinth. 13 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Dicit : *Ut cognitus sum,* ut explicat Theodoretus, hoc est : Sicut notus et familiaris, qui vultum amici clarè intuetur ; Hieronymus : Perfectè, sicut à Deo cognitus sum ; Chrysostomus et Theophylactus : Ita ei occurram visione, sicut ipse me prævenit, cùm priùs me cognovit ; alii : *Cognitus sum,* pro, *edoctus sum,* positum putant. Quòd si in aliâ vitâ Dei essentia per se non appareret, sed in aliquâ luce ab ipsâ derivatâ, absque dubio in ænigmate adhuc, et sub obscuro velamine, non facie ad faciem videretur ; nec cognosceremus sicut cogniti et familiares, sed ex parte tantùm, licet perfectiori modo quàm in viâ. Ænigma enim, teste Augustino 15 de Trinitate, c. 9, est similitudo quædam obscura ad intelligendum, cùm per unam rem aliam significare volumus. Cùm ergo quævis lux aut creatura à Deo derivata, sit magis diversa res ab ipso Deo, quàm una creatura ab aliâ, efficitur multò magis illam ænigma esse Dei, quàm una creatura alterius esse potest.

Quartus locus est 1 Joan. 3 : *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est;* ibi enim sermonem esse de deitate, non de humanitate Christi patet 1° ex contextu. Nam paulò ante de Patre, hoc est, de Deo locutus fuerat : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus;* et de eodem prosequitur, cùm dicit : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondùm apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus,* id est Deo, *quoniam videbimus eum sicuti est* ; eum, inquam, qui dedit nobis, ut filii Dei simus; cùm verò postea subjungit : *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret,* loquitur etiam de Deo, qui in carne apparere dignatus est. 2° Patet ex definitione Ecclesiæ : Evaristus in primâ suâ Epistolâ ex illo 1 Joan. 3 : *Videbimus eum sicuti est,* disertè affirmat Dei substantiam à beatis videri. Ipsum concilium Francofordiense in Epistolâ ad episcop. Hispaniæ, his verbis asserit : « Prædicemus eum (scilicet « Christum) Deum verum et vivum, et verè « Filium Dei, ut ad ejus beatissimam visionem « pervenire mereamur, in quâ est æterna bea- « titudo et beata æternitas. » Probaverat autem

ante medium Epistolæ ex illo 1 Joan. 3 visionem hanc futuram esse Dei, sicuti est. Ad hæc Eugenius IV et concilium Florentinum sessione ultimâ in litteris Unionis, quæ ab universâ synodo verè fuêre receptæ et subscriptæ, licet postea fraudibus cujusdam ex Græcis patriarchis imperator Græcorum resilierit : inter alia definiunt eos, qui supposito Baptismate, vel peractâ pœnitentiâ in gratiâ decesserint, in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum sicuti est. Denique Benedictus XI, in quâdam Extravaganti, quam referunt Major in 4, q. ultimâ, et Supplementum Gabrielis in 4, d. 4 q. q. 2, art. 3, dub. 3, definit animas defunctorum, qui in gratiâ decesserunt ante diem judicii, ex visione clarâ et fruitione Dei, verè esse beatas.

Secundò ex Patribus plures quoque et magni nominis idem nobis tradiderunt. Dionysius de Cœlesti Hierarchiâ c. 4; Martialis in Epistolâ ad Tolosanos, c. 27; Origenes, 1 Periarchon c. 5, explanans illud Ps. 35 : *In lumine tuo videbimus lumen,* et Nazianzenus oratione 25, in fine, ubi sic ait : « In hoc igitur commune « nomen (scilicet Dei) crede, et prosperè in« cede, et regna : atque hinc ad alterius vitæ « beatitudinem transibis. Ea porrò, ut mihi « quidem videtur, in expressiore horum cogni« tione, ac comprehensione sita est. » Apud Patres verò comprehensio pro clarâ Dei visione accipitur. Fusiùs tamen Irenæus, lib. 18, c. 38, idem docet. Consentit Augustinus Epistolâ 112, de videndo Deum, cap. 4 et 8 ; quòd enim in fine Epistolæ dubitat an ab angelis Deus nunc videatur, non obstat : de omnibus enim beatis in Augustino dubium est, num ante diem judicii Deum clarè intueantur : non tamen dubitat, an aliquando Deus videndus sit.

Neque obstant aliqua S. Scripturæ loca, Exodi 23 : *Non videbit me homo, et vivet,* et 1 ad Tim. 6 : *Lucem habitat,* etc., *quem nullus hominum videt, nec videre potest.* 1 Pet. 1 : *In quem desiderant angeli prospicere ;* ergo non respiciunt. Præterea sunt aliqua loca SS. Patrum, ut Chrysost., qui videtur negare Deum clarè videri. Pro responsione primò notandum, quintupliciter intelligenda esse illa loca Scripturæ, 1° ut negent Dei visionem comprehensivam; ita Chrysost. hom. 14 in Joan., Epiphan. August., Gregor. et Dionysius, c. 9, de divinis Nominibus. 2° Quòd Deus non potest videri oculo corporeo, seu phantasiâ naturali, benè tamen videri potest intellectu ; ita August. Epist. 111 et 112, et Chrysost. 3° Ut sit Deus invisibilis viribus naturæ ; ita Epiph. hæresi 70, sed benè poterit videri per gratiam. Matth. 11 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* 4° Et est Durandi, quod intelligitur non posse videri Deum in hâc vitâ de lege ordinariâ, et angeli desiderant prospicere, non quia careant illâ visione, sed quia nunquàm fastidiunt ; imò ille locus est pro nob s ; non enim desiderant rem impossibilem ; et illud Joan. 1 : *Deum nemo vidit unquàm : Unigenitus,* etc., Jansenius explicat de comprehensivâ visione ; adde, quòd nullus viribus propriis videt, ut posset primus auctor aliis enarrare quæ viderat, et ibi commendatur auctor prædicationis evangelicæ. 5° *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* et notandum, quòd licet Deus, sit infinitus, tamen continetur sub ente, quod est objectum intellectûs; ideò ex auxilio gratiæ potest intellectus elevari ad videndum Deum : angelus verò licet sit finitus, non tamen videri potest oculo corporeo, quia est extra latitudinem objecti ipsius oculi, veluti neque sonus potest videri. Deinde excusat Chrysostomum, qui explicandus est per alia loca, ubi negat Deum videri, et addit exactè vel perfectè, quod idem est ac dicere Deum non comprehendi ; vide Sixtum Senensem in Bibliothecâ lib. 6, annot. 182, et Durand. in 4, dist. 39.

ARTICULUS XXXIII.

Pœnitentia, quæ in Ecclesiâ catholicâ agitur, est sacramentum à Christo Domino institutum.

Apud plurimos ex Orientalibus ignotum est Pœnitentiæ sacramentum, cujus ferè nullus est usus, imò inter aliquas ex his nationibus nolunt relapsos à fide admittere ad absolutionem et reconciliationem cum Ecclesiâ, etiam pœnitentes, ut olim Novatiani et Montanistæ hæretici faciebant. Probatur autem pœnitentiam, quæ agitur in Ecclesiâ catholicâ, esse sacramentum à Christo institutum.

1° Ex potestate, quam Christus Dominus dedit Apostolis suis, et ipsorum successoribus, ad admittendum vel remittendum peccata. Matth. 18, Joan. 20 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ista enim sine gratiâ sacramenti fieri non possunt.

2° Ex omnibus requisitis ad essentiam sacramenti, etiam juxta ipsorum hæreticorum placitum. Enumerant enim octo requisita ad

perfectam rationem sacramenti, quæ ordine recensebimus. Primum est, ut sit signum externum. Hoc in pœnitentiæ sacramento sunt actus Pœnitentis, qui confitetur peccata sua. et verba absolutionis : *Ego te absolvo ;* hoc est : *Remitto tibi peccata tua.* Alterum requisitum, ut signum illud externum habeat mandatum à Deo. Tale habet pœnitentia ex verbis Christi, Matt. 18, Joan. 20. Tertium, ut mandatum hoc sit in novo Testamento. Etiam hoc certum est de sacramento Pœnitentiæ, ut patet ex loco Joan. citato et ex Paul. 2 Cor. 5 : *Posuit in nobis verbum reconciliationis, et pro Christo legatione fungimur.* Quorsùm enim daret Christus Apostolis absolvendi potestatem, nisi etiam, ut eâ uterentur, quando opus esset, juberet? Quartum, ut sit ritus perpetuus. Talis utique est Pœnitentiæ sacramentum, quod semper fuit, semperque durabit in Ecclesiâ usque ad finem mundi. Quintum, ut signo illi addita sit promissio gratiæ divinæ. Et hoc manifestum hìc est; nam promissa peccatorum remissio magna est gratia, Joan. 20. Sextum, ut sit promissio gratiæ justificantis. Talis maximè est in hoc sacramento post acceptum Baptismum, cùm sine eo non detur in Ecclesiâ remissio peccatorum. Septimum, ut promissio illa gratiæ signo aliquo externo adjuncta et vestita sit. Hoc in primo requisito ostensum est. Octavum, ut ea promissio gratiæ non tantùm in genere annuntietur, sed etiam in particulari singulis applicetur. Et hoc quoque manifestè fit in sacramento Pœnitentiæ, ubi singulis petentibus legitimè datur remissio peccatorum. Ex doctrinâ ergo adhuc hæreticorum sequitur, Pœnitentiam esse sacramentum.

Deinde testimoniis Patrum Græcorum, S. Joannis Chrysost. Neque enim (inquit) solùm cùm vos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. S. Cyrillus l. 13 in Joan., c. 56, duobus modis dicit remitti peccata à sacerdotibus, ut Dei ministris, per Baptismum et Pœnitentiam. Theodoret. in Epitome divinorum decretorum, cap. de Pœnitentiâ, dicit, sacrorum mysteriorum Baptismi et Pœnitentiæ figuras fuisse in Testamento veteri ablutiones et sacrificia ; ubi non solùm conjungit Theodoretus Pœnitentiam cum Baptismo, sed etiam utrumque mysterium (quâ voce sacramenta nominari solent) appellat.

3° Probatur ex fide et moribus totius Ecclesiæ Dei, quæ semper credidit et frequentavit hoc sacramentum inter alia septem, ut testantur sacri Canones de pœnitentiâ 33, q. 3. Et omnes theologi 4 Sent. dist. 14. Quæ tandem omnia confirmantur auctoritate et decretis SS. conciliorum Florentini et Tridentini, illius in institutione Armenorum ; hujus sess. 14, c. 1, et can. 1, cujus verba sunt : « Si quis dixerit in Ecclesiâ catholicâ pœnitentiam non esse verè et propriè sacramentum, « pro fidelibus, quoties in peccata labuntur « post Baptismum, ipsi Deo reconciliandis, « à Christo Domino nostro institutum, anathema sit. »

Hoc autem Pœnitentiæ sacramentum necessariò requirit tres actus pœnitentis, nimirùm veram contritionem, confessionem et satisfactionem, quibus accedit ex parte sacerdotis actus absolutionis, idque constat primò ex hujus sacramenti propriâ essentiâ ; nam ad ea saltem duo sunt necessaria, ut et in aliis sacramentis : scilicet signum externum, et verbum prolatum ; illud materiæ, hoc formæ rationem habet. Materia in hoc sacramento sunt actus pœnitentis : forma sunt verba sacerdotis, dicentis : *Ego te absolvo.*

Actus porrò pœnitentis ex naturâ rei debent esse tres, scilicet : Contritio, seu dolor cordis de peccatis commissis ; confessio eorumdem integra, ordinario sacerdoti facta, et satisfactio pro pœnis temporariis luendis ob peccata commissa et dimissa : alioqui esset pœnitentia simulata, non vera.

Deinde probatur auctoritate omnium theologorum l. 4 Sent. dist. 16, quam confirmavit concil. Florentinum in Decretis de Sacramentis. Et novissimum S. concil. Trident. sess. 14, can. 4, cujus hæc sunt verba : « Si « quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in « pœnitente, quasi materiam pœnitentiæ, vi« delicet contritionem, confessionem et satis« factionem, quæ tres partes Pœnitentiæ di« cuntur ; aut dixerit duas tantùm esse pœni« tentiæ partes, terrores scilicet incussos con« scientiæ, agnito peccato, et fidem acceptam « ab Evangelio, vel absolutione, quâ credit « quis sibi per Christum remissa peccata, ana« thema sit. »

Articulus XXXIV.

Unctio extrema verè est sacramentum Ecclesiæ.

Hæc veritas etiam contra ipsos Orientales primò probatur ab auctoritate Scripturæ sacræ, Jacob. c. 5, ubi Apostolus ex doctrinâ

Christi, de curâ infirmorum scribit : *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc verba omnes sacri interpretes hactenùs de sacramento Unctionis extremæ intellexerunt. Secundò, ex fide et observatione Ecclesiæ Dei, quæ à temporibus Apostolorum hactenùs credidit et docuit esse septem sacramenta, inter quæ etiam numeratur Unctio extrema. Et semper in usu fuit etiam Unctionis hoc sacramentum, ut ex sequentibus testimoniis clarescet. Tertiò, ex testimoniis totius antiquitatis. Ita enim D. Augustinus serm. 215, de Temp.: « Quoties aliqua infirmitas superve« nerit, corpus et sanguinem Christi ille qui « ægrotat accipiat; et inde corpusculum suum « ungat; ut illud quod scriptum est impleatur « in eo, *infirmatur aliquis*, etc. » Et lib. 2 de Visit. infirm. c. 4 : « Nec prætermittendum est « illud Apost. Jacobi præceptum : *Infirmatur « quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ ?* » etc. Subjungit : « Ergo sic roges de te, et pro « te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, imò « per Apostolum suum Dominus. » Et D. Hieron. in cap. 14 Osee, ad verba : *Et erit quasi oliva gloriæ ejus;* « Sanctum virum, inquit, et « conversum ad Dominum, olivæ fructiferæ « comparat, quæ dicit in alio loco : Ego autem « sicut oliva fructifera in domo Dei. Cujus « fructum sibi quinque sapientes virgines pa« raverunt; ex quo vulnerum mitigatur tumor, « languentia membra quiescunt, in tenebris « lumen accenditur, unguntur in agone cer« tantes. » Præterea D. Chrysost., l. 3 de Sacerdotio, cap. 6 : « Non modò, inquit, dùm nos « Deo regenerant, sed et postea condonando« rum peccatorum habent potestatem. *Infir« matur enim quis in vobis? advocet,* etc., ut an« tea Jacob. 5. » Antiquior his Innocentius papa 1 Epist. ad Decentium, relatâ cap. *Illud superfluum,* dist. 95, statuit licere etiam episcopo Unctionis sacramentum infirmis dispensare; quòd Jacobus Apostolus duntaxat presbyterorum meminerit, ne oneraret hâc curâ episcopos solos. In concilio Nicæno I, canone 69, obiter fit mentio benedictionis olei infirmorum. In concilio Cabilonensi, quod habitum est sub Carolo Magno, can. 48, ita statutum legimus : « Secundùm B. Apostoli Jacobi do« cumentum, cui etiam decreta Patrum con« sonant, infirmi oleo, quod ab episcopis bene« dicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim « ait : *Infirmatur quis,* etc. Non est itaque parvi « pendenda hujusmodi medicina, quæ animæ « et corporis medetur languoribus. » Post hæc tempora celebratum est concilium Florentinum, in quo institutio Armenorum facta est, quæ inter alia etiam continet doctrinam de septem Ecclesiæ sacramentis.

Quartò probatur catholica veritas rationibus evidentibus. Quarum prima, quòd Unctio hæc habeat signum exterius, et promissionem gratiæ et mandatum perpetuæ observationis, et destinatum ministrum, ut ex verbis Apostol Jacobi manifestè constat. At ista sunt essentialia sacramenti cujuslibet : itaque et Unctio infirmorum, de quâ B. Jacobus loquitur, est Sacramentum. Altera ratio est, ex necessitate hujus sacramenti ; nam cùm omnis homo judicetur à Deo secundùm statum in quo moriens invenitur, juxta verba Dei Ezech. c. 18, hinc fit, ut diabolus si nullo alio tempore, certè sub agonem mortis ei omnium maximè insidietur, ut ad desperationem, vel aliud genus peccati eum pertrahat, et à Deo avertat. Facit ergo sacramentum hoc, ut homo contra istiusmodi diaboli machinationes muniatur, et securus emigret. Denique confirmantur hæc omnia decreto S. concilii Tridentini sess. 14, in quâ post explicatam doctrinam de hoc Sacramento, can. 1, sic definivit ac statuit : « Si quis « dixerit extremam Unctionem non esse verè « et propriè sacramentum, à Christo Domino « institutum, et à B. Jacobo Apostolo promul« gatum, sed ritum tantùm acceptum à Patri« bus, aut figmentum humanum, anathema « sit. »

Articulus XXXV.

De Confirmationis sacramento.

Confirmationem Orientales non tam ut verum sacramentum gratiam conferens, quàm ut ritum duntaxat institutionis puerorum qui baptizantur, colere videntur. Ac Confirmationem esse verum sacramentum à Christo Domino institutum, probatur primò ex his quæ ad essentiam cujuslibet sacramenti pertinent; quorum tria sunt, scilicet : primum signum sensibile, secundum promissio gratiæ, tertium mandatum dispensationis, seu usûs. Quæ omnia etiam in hoc sacramento inveniuntur. Primum, signum sensibile, quo Apostoli hoc sacramentum acceperunt, fuit singulare, ut in spiritu vehementi et linguis igneis, Act. 2. Signum verò, quo Apostoli hoc sacramentum aliis dispensârunt, fuit impositio manuum cum

oratione, Act. 8 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* In quâ impositione manuum etiam subintelligitur unctio in fronte cum chrismate, ut testantur antiquissimi doctores Ecclesiæ. Promissio gratiæ fuit, cùm Christus suis Apostolis promisit, missurum se eis Spiritum sanctum, Joan. 14 et 16. Luc. ult. : *Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto;* et Act. 1 : *Accipietis virtutem Spiritûs sancti, et eritis mihi testes,* etc. Hanc enim fuisse justis factam promissionem, et jam baptizatis, ut fortiores evaderent in fide, nullus negabit. Deinde mandatum dispensationis hujus sacramenti habemus ex factis Apostolorum. Ipsi enim Spiritum sanctum dederunt credentibus, haud dubiè jussu Christi, Act. 8 et 19. Quod ergo olim dictum est sacramentum Impositionis manuum, postea dictum est sacramentum Confirmationis, mutato quidem nomine, sed manentibus signis exterioribus iisdem et verbis.

Secundò probatur ex testimoniis antiquissimorum doctorum Ecclesiæ, ut D. Ambros. l. 3 de Sacrament. cap. 2, ubi scribit : « Sequitur spirituale signaculum, quia post fontem sequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. » Et D. August. l. 2 contra litteras Petiliani c. 104 : « In hoc, ait, unguento, sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus; sed potest esse in hominibus pessimis. » Sic D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos : « Posteaquàm hæreticis interrogantibus, ubi scriptum sit, episcopos baptizatis per impositionem manuum dare Spiritum sanctum, respondisset : In Actibus Apostolorum; (mox subjungit) sed etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. » Et D. Gregorius, Homil. 17 in Evang., sub fin. : « Per nos, inquit, fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, et per impositionem manuum nostrarum à Deo Spiritum sanctum percipiunt; atque ipsi ad regnum cœlorum pertingunt; et ecce nos per negligentiam nostram deorsùm tendimus. » Rursùs lib. 3, Ep. 9 : « Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant; sed presbyteri baptizatos ungant pectore, ut episcopi postmodùm ungere debeant in fronte. » Accedunt his alii multi Patres à Bellarmino citati tomo 2, lib. de Confirm. c. 6. Itemque cæteri, qui de Sacramentis ex professo tractant. Magister Sent. cum omnibus theologis Scholæ lib. 4 Sent., dist. 7, D. Thom. part. 3, q. 72. Addantur et sacri canones de Consecrat. dist. 5; et tit. de Sacr. Unct. § *Per frontis Chrismationem,* aliorumque summorum pontificum, conciliorumque decreta, quæ Bellarm. lib. de Confirm. recenset.

Tertiò, utilitatibus, seu effectis hujus sacramenti (ut est corroboratio fidelium ad fidem Christi conservandam, et ad eam profitendam publicè, quoties opus fuerit, etiam cum periculo facultatum et vitæ : ut etiam est fortiter resistere insidiis ac tentationibus diaboli, quibus nos ad quævis peccata pertrahere molitur) accedunt miracula per hoc sacramentum olim ostensa, quorum aliqua recenset Bellarminus antea notato c. 6.

Confirmantur denique hæc omnia auctoritate et decreto S. concilii Tridentini, cujus sess. 7, de hoc sacramento Confirmationis, can. 1, verba hæc sunt : « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potiùs verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quàm catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, anathema sit. » Et can. 2 : « Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuant, anathema sit. » Denique can. 3 : « Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non solùm episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit. »

Articulus XXXVI.

Matrimonium non posse dissolvi propter adulterium.

Nulli Christianorum licitum est, ut Orientales falsò existimant, et ex Græcis aliqui, dimissâ uxore adulterii, vel alterius rei causâ aliam ducere. Hoc apertè docuit Christus Dominus Marci c. 10, cùm ait : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Ita quoque apud Lucam Christus loquitur : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam à viro duxerit, mœchatur,* Luc. 16. E quibus verbis necessariò sequitur : Si uxor non est dimittenda, nisi ob fornicationem, juxta mandatum Christi, Matth. 5, et

dimittens uxorem suam non potest alteram ducere, ergo nullatenùs possunt disjuncti ad alias nuptias transire. Præterea, si nemini licet dimissam ducere in uxorem, oportet eam esse adhuc ligatam vinculo prioris mariti : alioqui non potest ratio inveniri, cùm pœnitens facti non possit alteri nubere. Ad hæc Apostolus Paulus vult dimissam viro suo reconciliare. At si vir alteram uxorem duceret, non esset ampliùs locus reconciliationis cum priore. Unde idem Apostolus docet mulierem alligatam esse legi matrimonii, quanto tempore vir ejus vivit. Vicissim ergo et maritus alligatus erit legi isti, quanto tempore uxor ejus vivit, 1 Corinth. 7.

Secundò ex auctoritate et observatione totius Ecclesiæ Dei. Nam à temporibus Apostolorum usque in hodiernum diem non legitur permissum dimittentibus uxores suas ob adulterium, aut alias causas, ut ducerent alteras, viventibus adhuc dimissis, juxta cap. *Gaudemus,* de divortiis, et multa alia cap. 32, q. 7.

Tertiò ex evidentibus rationibus. Quarum prima à mysticâ significatione matrimonii. Nam, ut antea ostensum est, matrimonium significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, quæ est indissolubilis. Itaque et matrimonii vinculum erit indissolubile.

Ratio secunda à contrario absurdo. Si enim matrimonii vinculum per adulterium dissolveretur, utrique conjugi liceret ad alteras nuptias transire. Ita multi ex industriâ adulterium committerent, ut à priori conjuge liberati aliis nobilioribus, locupletioribus, magisque dilectis conjungi possent. Vel multi mariti ob aliarum desiderium, suas uxores etiam innocentes adulterii accusarent. Quod et D. Hieron. cap. 19 in Matth. annotavit.

Ratio tertia ex occasione dissidiorum inter veros parentes, et non veros, si in eodem loco habitarent. Naturalis enim amor filiorum non potest extingui. Vera quippe mater dimissa non poterit oblivisci filiorum suorum, ideòque nisi noverca nova ducta à suo marito eos foveat ac tractet; uti ipsa voluerit, erit occasio jurgiorum, querelarum et accusationum multarum. Graviora autem pericula timenda forent, si parens verus dimissus sit, et uxor ejus nubat alteri, qui fit vitricus filiorum. Et sanè nemo impedire poterit, quin filii sæpè accurrant ad veram matrem, aut verum patrem, si à novercâ, aut vitrico duriùs tractentur.

Ratio quarta ex publicâ inhonestate : Quid enim inhonestius quàm vocare novercam matrem filiorum, matre verâ adhuc vivente, aut vitricum patrem, quanto tempore verus pater vivit?

Confirmantur denique hæc omnia decreto S. concilii Tridentini sess. 24, can. 7, cujus verba sunt : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, « cùm docuit et docet, juxta evangelicam et « apostolicam doctrinam, propter adulterium « alterius conjugum, matrimonii vinculum non « posse dissolvi; et utrumque, vel etiam inno- « centem, qui causam adulterio non dedit, non « posse, altero conjuge vivente, aliud matri- « monium contrahere : mœcharique eum qui « dimissâ adulterâ aliam duxerit; et eam quæ « dimisso adultero alii nupserit. Anathema sit. » Ac demùm matrimonii vinculum esse indissolubile, etiam in casu fornicationis alterius conjugis, magno consensu affirmant veteres Patres, ut Justinus in Apologiâ ad Antoninum; Evaristus Epistolâ 2; Tertullian., l. 4 contra Marcionem; Clemens Alexandrinus l. 2 Stromat.; Hieronymus in c. 19 Matthæi; Augustinus, Ambrosius in cap. 16 Lucæ; Innocentius I, epistolâ 3, ad Exuperium, et communiter interpretes in c. 7 1 ad Corinth., et in cap. 10 Marc., et in cap. 19 Matthæi.

Neque veritati catholicæ obstat locus ille Matthæi 19 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur,* ex quo colligunt licitum esse divortium ob fornicationem; nam respondetur apud Matthæum Christum exceptionem illam (nisi ob fornicationem) non ideò fecisse, ut indicaret matrimonium fore cum alio licitum, quando propter fornicationem primus conjux dimittitur, sed ut indicaret non fore dimissionem illicitam, cùm fit propter fornicationem. Unde cùm Christus dicit : *Quicumque dimiserit, nisi ob fornicationem,* subaudire debemus : Peccat, et illicitè facit dimittendo. Quod verò sequitur, *et aliam ducit, et qui dimissam duxerit, mœchatur,* universaliter, de omni qui dimittit, sive propter, sive præter causam fornicationis, accipiendum id est. Ita SS. Patres communiter eam Christi sententiam intellexerunt, neque Christus tale divortium approbavit in casu fornicationis alterius conjugis, quale erat illud, de quo Judæi interrogabant, utrùm esset licitum quâcumque ex causâ. Quinimò illum Judæorum errorem coarguere Christus voluit responsione suâ, quòd existimarent tale aliquod divortium, propter aliquam omninò causam liberum esse (saltem per se spectatâ lege divinâ) in quo non solùm dimitteretur

uxor, sed alia etiam duceretur. Contra Christus generatim dicit, illud divortium adulterium esse secundùm legem divinam. Neque verò novum hoc est, ut cùm quis respondet, non modò respondeat directè ad id de quo interrogatur, sed etiam corrigat errorem qui supponitur in interrogatione. Ita igitur in proposito : Cùm Judæi putarent sibi licere, aut etiam per se, et ex ordinariâ lege sine peculiari dispensatione, esse licitum tale divortium, in quo dimitteretur uxor, et alia duceretur ; ac eo errore supposito tantùm interrogarent de causis, propter quas id facere liceret, Christus responsione suâ duo facit : nam primò removet eum errorem, quem ea interrogatio supponebat, affirmatque tale divortium adulterium esse, idque confirmat ibi ex lege divinâ, latâ in primâ institutione conjugii. Deinde simul etiam respondens ad ipsam formam interrogationis, docet licitum divortium, id est, dimissionem in perpetuum, absque eo quòd alia ducatur, solùm habere unam causam, nimirùm fornicationem.

Articulus XXXVII.

Legem veterem omninò esse jam abrogatam.

Error fuit olim veterum hæreticorum, legem veterem non cessâsse, sed perpetuò servandam unà cum novâ; ita Cerinthus, teste Epiphanio hæresi 28, Augustino hæresi 8, et Ebion, teste Irenæo l. 1, c. 26, sunt Eubionæi et Nazaræi, teste Augustino, hæresi 9, et Epiphanio hæresi 18. Huic etiam errori adhærent hodie aliqui ex Orientalibus, ut ex superioribus satis apertè constat. Hos tamen omnes errores redarguit Paulus scribens Galatis, qui eodem errore fuerant infecti, dicens : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*, Gal. 3. Et iterùm de duobus testamentis loquens, sub figurâ duorum filiorum Abrahæ, ait : *Sed quomodò tunc is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit*, Gal. 4. Ecce Paulus apertè testatur ejiciendam esse legem veterem, quæ tanquàm ancilla fuit legis evangelicæ. Et rursùm in eâdem Epistolâ, c. 5 : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini. A gratiâ excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus. Nam in Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in Epistolâ ad Hebræos, c. 7, de eâdem re disputans, ait : *Si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat.* Et iterùm : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Demùm de hâc re ab ipsis Apostolis in unum congregatis, in illo celeberrimo Hierosolymitano concilio, data est definitio; quoniam (ut apostolica refert historia Act. 15) *quidam descendentes de Judæâ docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm legem Moysi, non potestis salvari. Surrexerant enim quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, et dicebant oportere circumcidi et servare reliqua omnia quæ Moyses in lege præceperat. Ob quam doctrinam facta est non modica seditio, resistentibus assertioni huic Paulo et Barnabâ. Propter quod Apostoli et seniores convenerunt Hierosolymam, ut de hâc definirent. Habitâque maturâ, prout decebat, rei examinatione, protulerunt sententiam, quam per Epistolam suam miserunt his qui erant Antiochiæ, in hunc modum : Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocatione, à quibus custodientes vos benè agetis.* Hæc concilium Apostolorum. Quis erit ergo, qui tam illustris concilii definitioni repugnare audeat? Nullus certè, nisi demens aut infidelis ille fuerit; et certè, si lege evangelicâ datâ adhuc oporteret observare legem veterem, contra eamdem legem visus fuisset facere Deus, qui talem, in Levitico 18, condidit legem : *Sororem uxoris tuæ in pellicatum ejus, non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente.* Quæ quidem rectè præcepta sunt, ne si fortè aliquis simul uxori et sorori illius jungeretur, inter simul habitantes excitaretur zelus, unde contentio rixaque generata fuisset. Priùs quidem Synagogam sibi desponsaverat Deus; hu-

jus soror est Ecclesia, quam etiam Deus sibi conjungere optabat: verùm ut nulla esset contentionis inter eas occasio, noluit secundam superducere vivente primâ.

Deinde legem veterem cessâsse in morte Christi Domini, conveniunt omnes illi Patres, qui communiter exponunt illud dictum Christi, Joan. 19: *Consummatum est,* id est, absolutum est mysterium redemptionis, quatenùs erat meritis Christi perficiendum, quo lex vetus inprimis ut ad finem et terminum suum referebatur.

In cujus signum mortuo Christo velum templi scissum est, ut eâ re significaretur totam summam legis veteris tunc adimpleri et antiquari. Et hoc est quod theologi dicunt, legem veterem in morte Christi fuisse mortuam ac sepultam. An verò ab illo instanti fuerit mortifera, ita ut illius observatio esset observantibus mortifera, controversia est inter doctos.

Pro quâ oportet advertere tria præceptorum genera in lege veteri contineri: quorum alia ad singulorum vitam et mores componendos et formandos pertinebant, et ideò moralia dicuntur. Alia verò ad cæremonias et ritus Religionis, quâ debitus Deo cultus, honor et veneratio defertur, et vocantur cæremonialia præcepta. Alia denique spectabant ad bonam reipublicæ administrationem civilem, quibus humana civium salus, et pax ac tranquillitas conservatur; et hæc judicialia præcepta nominantur. Quo fit, ut in sacris litteris sæpè hæc tria conjungantur: præcepta, cæremoniæ, judicia. Primum (uti diximus) ad mores refertur; secundum ad ritus et cæremonias sacrorum; tertium ad civilem populi gubernationem.

Judicialia igitur præcepta, ut rectè D. Thomas docet 1-2, q. 104, art. 3, non fuêre mortifera à morte Christi, etiamsi fuerint mortua, quia non erant illa præcepta figuræ Christi venturi, nec referebantur principaliter ad significationem mysteriorum Christi, sicut et cæremonialia, quæ fuerunt mortifera, vel à morte Christi, vel à promulgatione sancti Evangelii, ut alii Patres volunt, quia cùm cæremoniæ illæ principaliter spectabant ad cultum illi populo convenientem, secundùm significationem mysteriorum Christi venturi, quare post passionem Christi, jam cultus ille cæremonialis erat falsus, quia jam Christus non expectabatur, ac ideò post mortem Christi cessâsse de fide est. Præcepta verò moralia, quæ ex lege naturæ derivantur, servari debent, non tamen quia in lege veteri fuerint præcepta, sed quia naturâ duce tenemur servare.

Neque obstat, quòd Actorum 15, Apostoli jusserunt *abstinere à sanguine et suffocato;* et addiderunt illud se oneris tantummodò inter alia necessaria velle imponere. Viguit igitur post Christi passionem illa cæremonia. Confirmatur, quoniam in concilio Gangrensi est multis annis post id decretum innovatum. — Respondeo cum D. Th. q. 103, art. 4, ad tertium, non fuisse id præceptum ad cultum, sed materialiter in alium finem, ut scilicet posset faciliùs ex Judæis et gentibus unus populus coalescere, si eo genere abstinentiæ sese gentiles cum Judæis, qui maximè à suffocato et sanguine abhorrebant, in communi convictu confirmarent. Ad confirmationem autem respondet Scotus, tunc temporis etiam durâsse illam causam propter quam eodem respectu erat utile ab iis abstinere.

Articulus XXXVIII.

De animæ rationalis productione.

Erant deinde Orientales credentes, animas per traducem gigni ab animabus parentum, sicut corpora à corporibus, atque adeò ab Adami animâ omnes propagari, quæ olim fuit Tertulliani sententia.

Stabilienda est contra hunc errorem veritas catholica. Hæreticum est dicere, animam intellectivam traduci cum semine; ita sentit D. Thom. 1 p. q. 118, art. 2. Probatur primò ex sacrâ Scripturâ, quæ semper ascribit productionem animæ ipsi Deo, et non alteri, ut Genes. 2: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Et Job 31: *Numquid non in utero fecit me, et formavit me in vulvâ unus?* Hoc certè intelligi non potest de formatione hominis quoad corpus, cùm illud etiam formetur à parente per virtutem feminæ. Oportet igitur id intelligi de formatione hominis, quoad animam, quam solus Deus creat. Et quanquàm in Hebraïco textu, hic locus non ita planè legatur, tamen parvipendi non potest auctoritas vulgatæ editionis, quam Ecclesia sanxit habendam esse pro authenticâ. Præterea Psal. 32: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Et Zachar. 12: *Fingens spiritum hominis in eo.* Et Ecclesiast. 12: *Spiritus revertatur ad Dominum qui dedit illum.* Et quanquàm hæc ferè testimonia per se sola non planè convincant, ut Augustin., Ep. 28 de

aliquibus hujusmodi testimoniis notat; tamen magnum habent pondus ob Ecclesiæ auctoritatem, quæ eam esse vim horum locorum Scripturæ intellexisse videtur.

Et ratione etiam convincitur, 1° quia nulla virtus activa agit ultra suum genus: sed anima intellectiva excedit totum genus corporeæ naturæ, cùm sit substantiæ spiritalis Nulla igitur virtus corporea ejus effectionem valet attingere; atqui omnis actio seminalis facultatis est à virtute corporeâ, cùm spectet ad potentiam vegetatricem corpori prorsùs inhærentem. Ergo fieri non potest, ut animæ intellectivæ virtute seminis deriventur. Secundò, cùm generatio alicujus est causa cur aliquid sit, ejus dissolutio causa item est cur aliquid pereat; atqui dissolutio corporis non affert interitum animæ rationali, siquidem immortalis est: ergo neque corporis generatio erit ei causa, ut esse incipiat; at seminis traductio propria causa est generationis corporis; non igitur causa est generationis animæ. Tertiò, omne agens naturale, sicuti agit dependenter à materiâ, ita non producit nisi quod à materiâ dependet; sed anima rationalis non ita se habet, cùm extra corpus existere valeat. Non ergo anima rationalis ab agente naturali producitur, sed aliam habet originis suæ causam. Ob hæc et alia quæ antiquos Patres non latuerunt, div. Chrysost. Hom. 1 de incomprehensibili Dei naturâ: « Animæ, inquit, inspirantur, corpora effigiantur. » Et Procopius Gazæus in Gen. c. 2, ad illa verba: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne meâ*, oraculum, ait, non dixisse: Et anima de animâ meâ, caro scilicet non gignit animam. Lege Gregorium Nyssenum disputatione de animâ et resurrectione.

Ex quo fit, animam rationalem à Deo creari, quod hâc ratione demonstrat D. Thomas l. 2 contra gent. c. 87: Omnis substantia quæ producitur, aut generatur per se aut per accidens, aut creatur; sed animæ rationales non generantur per se, cùm non constent ex materiâ et formâ, neque per accidens, quia cùm sint formæ corporum, orirentur per eorum generationem ex virtute seminali, quod improbatum est; superest ergo, ut per creationem esse accipiant. Hùc spectat, quòd cùm animæ, humanæ omnibus formis physicis naturæ dignitate præstont, sintque in suo esse subsistentes, oportet eas nobiliorem habere originem, et more aliarum substantiarum intellectualium per creationem produci.

Neque huic veritati obstat, quòd Genes. 2 dicitur, *Deus requievisse ab omni opere, quod patrârat*. Primùm quia non dicitur Deus absolutè requievisse, sed requievisse ab opere quod patrârat, videlicet illis primis sex diebus. Ut sit sensus, Deum mundi opificium absolvisse sex diebus, atque ita die septimo destitisse mundi machinam condere. Item quia, ut interpretatur D. Th. l. 2 contra gentes c. 84, et in 2, dist. 18, q. 2, art. 1, ad 7, beatus Albertus Magnus in Summâ de homine, q.15, istiusmodi quies Dei intelligenda est secundùm cessationem à novis speciebus condendis, non autem à novis individuis, quorum similia secundùm speciem præcesserint. Quare cùm omnes animæ intellectivæ, omnesque homines sint unius speciei, nihil repugnat prædictæ quieti Deum quotidiè animas creare.

Illud tamen oportet advertere, duas actiones Dei intervenire in animæ productione; prima, quâ Deus producit animam, et hanc ipse solus facit, sine interventu causarum secundarum, eo modo quo creavit angelos. Altera etiam tunc actio Dei intervenit, ad uniendam animam corpori, et hanc cum agente naturali facit, quæ tamen ita intelligenda sunt, ut non priùs tempore anima existit, quàm uniatur corpori.

Legendus de his quæ impræsentiarum pertractantur, Dominicus à SS. Trinitate, qui t. 5 suæ Bibliothecæ theologicæ, l. 4, sect. 10, per 26 cap. copiosissimè et admodùm eruditè disserit de his hæresibus. Commoratur quoque in Oriente quædam hominum natio qui Christiani S. Joannis nuncupatur, quorum in superioribus nulla fit mentio, de quorum origine, ritibus et erroribus, tractatum Romæ edidit an. 1652 noster Ignatius à Jesu, missionarius et vicarius nostræ residentiæ in Mesopotamiâ, in quo errores et hæreses illorum adducit, et egregiè confutat, quorum magnam etiam multitudinem ad catholicam fidem traducit.

CAPUT V.

ARTICULUS PRIMUS.

De juvandis Orientalibus.

Licet Orientis Ecclesiæ errores et clades innumeræ, quibus tot annis obruta permansit, idololatrarum gentium, ob sua peccata, obduratam habere frontem, et obstinatam mentem, et ideò à Deo Optimo Maximo derelicta videatur, tamen nos animare debet ad meliora speranda is apud quem non est impossibile omne

verbum, quique quærentibus seriò regnum Dei ejusque gloriam, animarum lucra multa solet adjicere, atque ita hoc ultimo seculo in remotissimis Indiis, ad ortum, occasum et meridiem, deletis idolis, trophæum crucis passim excitavit, cùm hæc mundi plaga quæ vergit ad Orientem, restet, in quâ necesse etiam sit Evangelium rectè annuntiari. Magnum in eâ ostium aperiri posse orthodoxæ fidei, experientia ostendit, si summi Ecclesiæ Patris longanimi, ut ita dicam, diligentiâ, quâ potissimùm tot alia regna jugo Christi fuêre subjecta, negotium hoc promoveatur.

Insudârunt olim summi pontifices pro tuendâ fide in Ecclesiâ Orientali, maximosque labores et pericula subiêre, ac nostro etiam seculo magnoperè student Orientalibus nationibus opem ferre, auxiliumque in omnibus præstare; præcipuus tamen Gregorius XIII, dignus æternâ memoriâ pontifex, præter alios operarios quos in Indias, in Angliam, Constantinopolim aliasque orbis partes misit, etiam in Alexandriam Ægypti, Syriam, Palæstinam cum Libano monte, Babyloniamque aliquot destinavit, qui hujus tractûs nationes divino verbo ac piis etiam muneribus à pontifice ipso missis, ad fidem atque pietatem allicerent. Præcipuus in Orientem legatus fuit Leonardus episcopus Sidoniensis, et Apostolicus nuntius, qui in Orientem, cum aliis etiam viris doctis et piis (inter quos P. Joannes Baptista Romanus, societatis Jesu) à summo pontifice ad patriarchas illos Orientales, ad aliosque metropolitas et episcopos, vestimenta sacerdotalia, argenteos calices, libros etiam aliquos linguâ Arabicâ conscriptos, aliaque pretiosa dona deferentes, missi sunt, plurimique tam ex patriarchis illius tractûs, quàm episcopis et archimandritis fidei professionem, unionemque cum sanctâ Romanâ Ecclesiâ jampridem retentam confirmârunt; alii de novo emiserunt, sanctissimoque Romano pontifici totius orbis capiti obedientiam præstiterunt; alii propter magna sibi pericula, tam à Turcis, quàm à falsis fratribus imminentia, fidei professionem opportuniori tempori reservârunt. Stant hodiè in Bibliothecâ illustrissimi domini cardinalis de S. Severinâ, qui tunc totius Orientis protectione gaudebat, quamplurium patriarcharum, aliorumque episcoporum Orientalium fidei professiones Arabicâ linguâ conscriptæ, eorum sigillis et subscriptionibus firmatæ, ac in Latinam etiam linguam traductæ. Et ut Gregorio XIII, è vivis discedente, hujus missionis fructus consisterent, Seminarium instituit, in quo pueri Orientalium et Maronitarum excepti, in catholicâ doctrinâ erudiantur, ut inde in patrias sedes reversi suos docere possint, quæ ad cultum Christi pertinent, et in officio fidei continere. Quare postea Clemens VIII, post Gregorium XIII, ad montem Libanum duos sacerdotes (ut jam supra de Maronitis agentes latiùs scripsimus), è Patribus Jesuitis misit, ut certior fieret, num sumptus, qui in Urbe in Seminario Maronitarum et aliorum Orientalium fiunt, benè ponerentur; quæve spes, aut restituendæ aut propagandæ Religionis esset in Oriente.

Messes quidem in Oriente jam albæ sunt ad metendum, solùm superest, ut summi sanctæ Ecclesiæ pontifices mittant falcem, et huic negotio incumbant, præcipuè ut nobis conjungantur; sed ùt hoc fiat, non est opus unius diei aut legationis, sed et longanimi, et non intermissâ perseverantiâ, et frequentissimis legationibus opus est, quæ omnia disponunt animos ad catholicam fidem, ritusque suscipiendos, quoadusque opus Dei perficiatur. Maximè verò oportet, ut christianis in regionibus illis sub Turcarum ditione inopiâ aliisque calamitatibus oppressis succurratur: id enim præstiterunt Romani pontifices ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad ætatem nostram, qui Christianorum catholicorum inopiam eleemosynis abundè sublevârunt.

Hujus rei testis est Epistola Dionysii episcopi Corinthiorum vetustissimi ad Ecclesiam Romanam, in quâ sic alloquitur Romanos: « Apud vos jam mos inveteravit, ut omnes « fratres variis afficeretis beneficiis, et Ecclesiis permultis, quæ in quâque civitate sunt, « vitæ mitteretis subsidia. Sic planè non solùm « egentium sublevatis inopiam, verùm etiam « fratribus qui sunt ad metalla damnati, opem « fertis, atque ita per ea beneficentiæ subsidia, « quæ jam primis Ecclesiæ vestræ jactis fun« damentis passim mittere consuevistis, cùm « sitis Romani; Romanorum consuetudinem « sedulò observatis; quam quidem certè bea« tus Sother vester episcopus, et hactenùs « custodivit diligenter, et valdè suo propenso « studio adauxit, idque non modò opes in « sanctos reficiendos delegatas benignè submi« nistrando, verùm etiam fratres ad ipsum « adventantes, tanquàm pater indulgens ac « clemens in liberos beato ac pio sermone « ad virtutem cohortando. » Hæc Dionysius. Testatur porrò Eusebius hanc consuetu-

dinem (de quâ Dionysius) Ecclesiæ Romanæ suo adhuc tempore maximè servatam. Hinc Paulus Diaconus scribit à Symmacho papâ abundè missum, unde se alere possent episcopi Africani, qui suis ejecti sedibus, in Sardiniâ exulabant. Liquet ex Epistolis Gregorii Magni, quantùm pontifici Romano semper curæ fuerit in singulis totius orbis regionibus egentes Catholicos sublevare et benè iis facere. Ob id Romæ videmus esse cunctis nationibus, vel remotissimis, hospitales ædes cum suis redditibus, excitatas ab antiquis temporibus, ita ut neque Chaldæis sua domus, neque Indis et Æthiopibus desit; tot verò ac tantos sumptus à pontificibus Romanis factos ac fieri in dies ad inopiam sublevandam egentium.

Et cum longè sit certissimum Orientales nationes in summâ penuriâ spiritualium instructionum versari, rationi quàm maximè consentaneum est, ac officio hujus sanctæ sedis incumbit, datâ occasione quàm citissimè operarios, qui non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ad eas expedire. Cavendum tamen sedulò est, propter exploratores occultos, ne per Romam divulgetur rumorque spargatur, tales à summo pontifice, tanquàm reformatores, aut aliorum negotiorum expediendorum causâ missos esse, sed secretò tanquàm aliud acturi vadant.

Deinde omnium sibi gratiam conciliantes, sint etiam propenso in Orientales animo, non scropulosi, non ignari, nimiùmve zelosi : in hoc enim casu minùs inest mali peccato nimiæ dissimulationis, quàm in altero extremo, dico in nimio zelo; hoc quippe plus damni quàm utilitatis causare posset : non oportet quemquam exasperare ; nam casu, quo Turca hujusmodi rei fieret conscius, severius aliquod edictum statueret, ita ut in perpetuum aditus præcluderetur Ecclesiæ conatibus, atque omnis spes præscinderetur : quamobrem cum omnibus quàm humanissimè, et quoad fieri potest, amicabiliter erit agendum.

Si cætera inter ministros paria sint, omnibus præferendi erunt ex iisdem partibus oriundi, et Arabico idiomate utentes, idque multas ob causas, et præsertim quia tanta non est Turcarum in eos suspicio, vel persecutio.

Proximè secundùm hos convenientissimi sunt huic missioni Franci, quia benigniùs à Turcis recipiuntur, maximè habitis litteris à rege Franciæ, aut ipsius legato Constantinopoli residente. Post quos idonei etiam sunt, qui Gallicam linguam callent; pro talibus enim haberentur, et à Francis ibidem negotiantibus favore afficerentur, præcipuè virtute litterarum à supradictis obtentarum.

Apti insuper sunt et alii, habito salvo conductu, servatisque statutis et ordinationibus Turcarum, modò in iis conditiones requisitæ illucescant.

Minori dispendio, fastidio, periculo et suspicione mitti poterunt aliqui earumdem religionum ibidem habitantium, utpote S. Francisci, S. Dominici, S. Basilii, S. Benedicti, etc., dummodò apti reperiantur, eos, inquam, ex illis monasteriis evocando, et transferendo per generalem eorum, modò hunc, modò illum, sub aliquo prætextu et honesto colore.

Expediens autem foret exhortari ad hanc rem generales religionum, aut procuratores eorumdem Romæ residentes, atque insuper exposcere catalogum omnium Orientalium, quos curæ suæ subjectos habent, et quinam ex iis, vel pro præsenti, vel pro futuro huic functioni convenientes reperirentur, quod non ita novum, vel ab usu alienum videbitur, si Martinum V in memoriam revocemus, qui totius orbis litteratissimorum ac præstantium virorum nomina penes se in scriptis asservabat.

Omnibus ad hanc functionem idoneis repertis, locus Romæ in propriis eorum monasteriis assignandus esset, ut ibidem in rebus ad similem missionem necessariis instruerentur, docerentur, ac penitùs perfecti redderentur; et quidem, ut alacriùs se huic operi accingant, ferventi zelo succendendi et inflammandi sunt, atque alii etiam spe quâdam animandi, tanquàm si foret probatio quædam ad majora.

Præterea non minima difficultas est, et quæ schismaticos Orientales forsan magis in schismate detinet, quòd Dioscorum aliosque schismaticos antesignanos, quos Ecclesia catholica hæreticos censet, ipsi ut viros sanctissimos colant, et tam in Missæ sacrificio, quàm aliis communibus precibus, solemniter invocent; sicut et apud Moscovitas etiam contingit, qui asserente Antonio Possevino in suâ Moscoviâ, licet res planè fabulosa sit, corpora quorumdam, qui schismatici fuerunt, integra sese habere gloriantur, per quos miracula frequenter edi, cæcis visum restitui, ægrotos sanari constanter affirmant; ut plurimi periculi res esse videantur, si quis illorum corporum ele-

vet præconceptam animis sanctitatem, aut quasi dubius quærat, nùm ii verè sancti, martyresve fuerint. Inter alios autem numerantur Cleba, et Boris, Petrus metropolita, Alexius, quorum corpora extare aiunt Moscovitæ. Hæc Possevinus. Unde hodie Jacobitæ aliæque Orientalium nationes, ut legati à Greg. XIII, missi experti asserebant, facillimè pontificis primatum agnoscebant, unius naturæ in Christo errorem, aliosque similes non sine animi promptitudine confitebantur; at cùm ventum fuisset, ut Dioscorum abjurarent, ita ægrè tulerunt, ut ob id potissimùm legati re infectâ reverterentur.

Non minorem Orientales, sicut et Græci omnes habent difficultatem in recipiendo Kalendario Romano emendato, cujus emendationem renuunt admittere: quare oportet, ut operarii qui mittendi sunt, hujus emendationis causas rationesque cognoscant, ut qui erudiendi sunt, capaces sanctæ novitatis fiant. De quâ re videndi sunt Antonius Possevinus in Refutatione adversùs Davidem Chytræum, et Christophorus Clavius, qui librum hâc de re absolutissimum edidit Romæ. Quod si non facilè se Romano Kalend. accommodaverint, ferendi sunt, dùm in aliis substantiam catholicæ fidei amplectantur.

Juvandi sunt, et urgendi Orientales ferè iisdem argumentis, quibus Græci ipsi, desumptis à suppliciis à Deo Optimo Maximo illis, postquàm à Romanâ Ecclesiâ descivêre, inflictis. Si enim respiciamus Ægyptum cæterasque Asiæ provincias, agitur annus plus quàm millesimus, ex quo illæ à nobis discesserunt, hæreticis Nestorio, Eutyche, Dioscoro ac præcipuè Monophysitis Ecclesiam perturbantibus (ut cætera omittam), vix aliquis ex illis proferri poterit, qui fuerit excellenti præditus doctrinâ: corruerunt enim summa tam liberalium artium, quàm theologiæ ac cœlestium disciplinarum fundamenta, ac ipsi in turpissimam prolapsi sunt ignorantiam.

Deinde operarii maximo studio curabunt, ut ex Christianis tam Græcis quàm Jacobitis, Armenis, Nestorianis, Cophtis, aliisque, nonnulli, qui præstantiori pollent ingenio, Romam mittantur, linguarum, litterarum, aliarumque scientiarum ediscendarum gratiâ, quos Romæ benignissimè recipiendos admonebunt. Græcos in Collegio Græco, et alios in Collegio nationum ultramarinarum, ac ibi amicè tractandos et educandos; et quod amplius est, cum conservatione rituum ipsorum, ut nimirùm postquàm benè instructi fuerint, et eruditi ad utilitatem ac emolumentum earumdem nationum, in suam singuli patriam revertantur. Illud autem maximè advertendum, ut sint bonæ indolis adolescentes, bonisque moribus imbuti, apti, dociles, atque ingenii perspicacis, quique principia quædam linguarum habeant, et ætatis sint convenientis, Græci videlicet, à duodecimo anno ætatis usque decimum quintum, vel decimum sextum ad summum; aliarum verò nationum à duodecimo usque ad decimum octavum annum aut vigesimum, qui cùm transmittendi fuerint, securè et mercatorio more diligenti curâ navibus committantur.

Curabunt deindè libros aliquos Græco, Arabico, Chaldæo vel aliis illarum nationum linguis conscriptos secum portare, professiones etiam sanctæ fidei, non solùm Latino idiomate, sed in linguâ Græcâ, Arabicâ, Chaldæâ; doctrinam quoque christianam, linguâ Illyricâ et charactere Italico: quæ et alia similia opera Romæ typis excusa facilè invenientur.

Articulus II.

Instructiones aliæ pro juvandis Orientalibus.

Guardianus unà cum religiosis familiæ Franciscanæ Hierosolymis degentibus, citra dubium plura præstare posset, quæ ad summam Dei gloriam, haud exiguum sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium, atque omnium prope Orientalium spiritualem profectum, et animarum salutem non modicùm conducerent.

Cùm in Dominico sepulcro immorentur religiosi septem diversarum nationum schismatis labe infecti, uti sunt, Græci Georgiani, Abyssini, Armeni, Jacobitæ, Cophti, Suriani, Maronitæ, operæ pretium erit, hos in primis omni studio et industriâ ad veram sanctæ Ecclesiæ unionem reducere, quibus post veluti aptissimis instrumentis, eorumdem pariter nationes in viam rectam dirigantur.

Sicuti omnes isti religiosi, vitæ auctoritate elucent, idcircò religiosi Latini, eosdem probatioris ac sanctioris vitæ exemplo præcellere contendent, quò majoris faciant sanctam Romanam Ecclesiam, cujus hi partes agunt, ut similiter alios sincero vivendi modo ad vitæ melioris frugem et avitæ Religionis normam pertrahant; præibunt autem illos, tum in virtutibus, tum vel maximè in servitio et cultu divino.

Denique ut faciliùs animi eorum concilien-

tur, operæ pretium erit, quàm optimè erga illos affici, cum omni honoris respectu, et obsequiorum promptâ exhibitione, ut congerant carbones ignis super capita eorum.

Majoris ergo profectûs gratiâ, religiosi discretione, prudentiâ, et humanitate cæteris præstantiores, faciliores que ingenii seligendi, quibus Guardianus, cum aliarum nationum religiosis, communicationem persuadeat eâ ratione, ut cuivis nationi unus pluresque deputentur.

Modus verò agendi cum ipsis erit ejusmodi, ut nimirùm captatâ eorumdem benevolentiâ, etiam ritibus ipsorum præposteris nonnihil conniveatur, bona autem illorum opera haud mediocri existimatione censeantur, D. Pauli Apostoli instar ad Corinthios scribentis. Accedet insuper omnis diligentia, quâ et eorum opiniones advertantur, et rerum temporalium spiritualiumve status iis nationibus proprius cautè eliciatur, et conditiones tum naturales, tum morales perdiscantur, atque, ut verbo absolvam, ut præcipuo studio cujusvis nationis status et mores plenè, quoad fieri licebit, comprehendantur. Quæ, ut rectiùs ac majori cum fructu peragantur, necessarium erit, quemque religiosorum in id opus incumbentium, sedulâ lectione auctores de natione scribentes, quam quilibet ad sententiam saniorem perducere molitur, ante evolvisse; verùm ante singula, ipsimet errores errorumque fundamenta, integræque historiæ penitiùs introspiciendæ, sine quibus vix aut ne vix quidem ullus poterit expectari profectus.

Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quævis Ecclesia propriis adhæreat ritibus ac cæremoniis, quippe cùm schismatici propriorum rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesiâ Romanâ alienet et evertat, opportunè laborandum, ut se in propriis cæremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur. Exemplis deinde ac historiis antiquis primitivæ Ecclesiæ, sanctorumque Patrum præteritorum temporum, iis aperienda auctoritas, ac summi pontificis in præsentiarum usque continuata potestas explananda : quodque calamitates universæ, tyrannorum furor, ac quævis persecutionum procellæ in Ecclesiam catholicam insurgentes pontificum obedientiâ suppressæ hactenùs semper evanuerint.

In emendandis verò ipsorum erroribus, cùm leniter, tum modestè procedendum, ne scilicet apertè nimis convincantur, vel acerbiùs urgeantur, sed suavi reprehensioni rationes et auctoritates addantur subinde, ut sic faciliùs eorum mentes ac responsiones percipiantur. Quare opus esse duxerim, antiquiorum SS. Patrum et doctorum prænôsse nomina, nempe qui in cujusvis nationis majorem existimationem cadunt, ut doctrinarum eorumdem habitâ notitiâ, inde argumenta sumantur, leniùs tamen, omni disputationis acerbitate seclusâ : nationes enim istæ, et præsertim religiosi, suorum rituum et sectarum tenacissimi, ac in erroribus pertinaces, salutis suæ studiosos, præstigias sibi imponere velle falsò augurantur. Ulteriùs etiam, de pluribus simul erroribus non sunt coarguendi, sed de uno, deinde altero, iisque evidentioribus et nullatenùs tolerandis : plura namque, quantùmvis nihil decoris aut venustatis habeant, apud eos tamen ferenda erunt.

Maronitis sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitis congratulandum, et in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmandi. Verùm cùm creditu sit facile, complures eorum antiquis erroribus adhuc nuntium non remisisse, opera ponenda, quò iisdem rejectis catholicæ veritatis reddantur capaces. Georgiani quoque, et his ad resipiscentiam procliviores Armeni, summâ curâ, familiari tamen tractu, ad Ecclesiæ Romanæ unionem invitandi. Æthiopes autem et Abyssini, ad Catholicorum ritus, summique pontificis recognitionem, velut capitis sui, suâpte sponte magnoperè aspirantes; propter Nicæni tamen concilii dispositionem dubii, quo cautum fuit in Ecclesiæ patriarchalis distributione, Æthiopiam Alexandrinæ subdi Ecclesiæ, à cujus patriarchâ, *Abunam* quemdam sic nuncupatum, schismatis semper labe infectum, assignatum sibi agnoscerent patriarcham : diligentissimè, et haud vulgari prudentiâ erunt dilucidandi, ostendendumque, duos haberi Alexandriæ patriarchas, Græcum alterum, alterum Cophtum, eodemque fundamento schismatis, quo Græcum patriarcham rejiciunt, simili itidem errore Cophtum inquinatum, nusquàm ut patriarcham debere circumplecti. Insuper cùm uterque, et Græcus et Cophtus, Turcarum dominio subsit, idcircò summus pontifex eos hucusque ab erroribus quibus contaminantur pro libitu vendicare nequibit. Accedit, quòd cùm ob schisma falsò patriarcharum nomine insigniti sint, Ecclesia Romana semper Alexandrinæ de vero, catholico insignique eruditione exculto patriarchâ providet, quem ubi Nicæni concilii decreta

ritè sequuntur, pro vero patriarchâ Alexandrino, Romæ, ob Alexandriam à Turcis interceptam residente, et ob Alexandrinum ibidem patriarcham schismate notatum, recipere tenentur.

Ultimò tandem, quidquid in dictis nationibus, catholicæ fidei dilationis et incrementi accesserit, totum plenè et sincerè, sanctæ Apostolicæ sedi transcribantur, quo, quid ulteriùs facto opus fuerit, maturè decernere et statuere valeat.

Articulus III.

De quibus præcipuè, tam in fide quàm in moribus, interrogandi et instruendi videantur Christiani Orientales, qui volunt profiteri sanctam fidem catholicam, seu redire ad unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et detestari ac abjurare errores et hæreses, plus minùsve pro prudentiâ theologi interrogantis.

De Deo et ejus unitate. — De trinitate personarum. — An in personis detur majoritas aliqua vel æqualitas. — De Patris paternitate, de Filii filiatione, et Spiritûs sancti processione, seu spiratione. — An Filius sit coæternus, coessentialis, et per omnia coæqualis Patri.

De Spiritu sancto : An sit coæternus, coæqualis et coessentialis Patri et Filio.

De Spiritu sancto : A quo procedat, an à Patre tantùm, vel à Patre et Filio, an ab uno vel pluribus principiis. — Quæ persona fuerit incarnata. — De Christi Incarnatione. — De ejus naturis, an una, an plures. — Item de voluntatibus et operationibus Christi, an una, an plures. — Quid sentiat de illâ naturâ quam dicunt aliqui Orientales resultare ex duabus, et sic de unâ voluntate et operatione.

De libris canonicis sacræ Scripturæ, qui et quot. — De sacris generalibus conciliis, et quid unumquodque eorum damnavit. — De concilio Ephesino et Chalcedonensi, quid sentiat. — Quid item de S. Leone papâ primo. — An B. Virgo Maria Mater Domini nostri Jesu Christi, dicenda sit Dei genitrix, seu Mater Dei. — De hymno Trisagio, quomodò dicatur; an in fine ei addatur : *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* — Quid sentiat de Nestorio olim Constantinopolitano episcopo. — Quid de Dioscoro olim episcopo Alexandrino, et Eutyche olim presbytero Constantinopolitano, et Severo olim episcopo Antiocheno. — Quid item de Cyro olim Alexandrino, et de Sergio Pyrrho, Petro, Paulo et olim Constantinopolitanis; et Macario olim Antiocheno episcopo, et aliis similibus hæresiarchis et hæreticis, in sacris Ephesinâ primâ, et Chalcedonensi quintâ et sextâ synodis, et in concilio Romano sub S. Martino papâ primo, et aliis generalibus conciliis damnatis, quos interrogans non vocet, aut dicat tales esse, ne pudorem incutiat interrogatis, aut eos retrahat à veritatis confessione. — De aliis œcumenicis et generalibus conciliis auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmatis, et præcipuè de Florentino.

De sacramentis et eorum numero. — Quid unumquodque eorum contineat. — De effectu, de materiâ, de formâ, ministro, et intentione ea tradentis et suscipientis. — Specialiter verò de Baptismo parvulorum, et quot dies nati baptizentur. — De sacramento Confirmationis, et quæ sit materia, et quomodò consecretur, et à quo et quando renovetur Chrisma, et an quotannis. — De ministro, an solus episcopus. — De formâ. — De sacramento Ordinis, quot ordines habeantur, qui item sacri. — De tempore et modo ordinandi. — De ætate ordinandorum. — In Missâ quæ sint verba consecrationis corporis et sanguinis Christi. — An apud suos in azymo vel fermentato panis offeratur. — An cum vino misceatur aquâ. — Quid sentiat de offerentibus in azymis. — De communione clericorum aut presbyterorum non celebrantium, et populi, et an sub utrâque specie. — De formâ cujuslibet ordinis. — De simoniâ, præcipuè de iis qui pecuniis aut conventione, aut alio humano studio et favore ordinantur in diaconos, presbyteros, eliguntur aut confirmantur in episcopos, archiepiscopos et patriarchas respectivè. — Quam auctoritatem accipiant in Ecclesias ad quas ordinantur à tyranno Turcarum, vel Persarum, aut alio principe infideli. — De matrimonio, an apud eos sit sacramentum. — Cujus ætatis esse debeant, qui aliud contrahunt, ac quibus ritibus, vel cæremoniis. — An inter consanguineos et affines, vel quoto gradu. — An admittant repudium vel divortium. — An vivente primâ uxore aliquo casu aliam ducere apud eos liceat; et contra vivente primo marito alteri copulari. — An altero conjugum in captivitate vel servitute detento, alteri nuptiis aliis jungi liceat.

De peccato originali, quid credat, aut sentiat, et an animæ creentur à Deo. — An quis salvari possit extra fidem mediatoris Dei et hominis Christi Jesu, et quid de iis qui sunt

modò in lege naturæ. — De peccatis mortalibus. — De peccatis voluntatis, quæ non transeunt in actum exteriorem, an sint mortalia. — De sacramento Pœnitentiæ. — De peccatorum confessione sacramentali, et quoties fiat. — Quæ peccata sint confitenda. — Quæ pœnitentiæ vel satisfactiones apud suos imponantur. — De absolutione à peccatis, et ejus formâ. — De indulgentiis. — De sacramento extremæ Unctionis, seu Unctionis infirmorum, an apud eos habeatur. — De materiâ, formâ et usu. — An sint facienda suffragia pro defunctis, et quæ. — An animæ decedentium ex hâc vitâ indigeant purgatione aliquâ, et quorum. — De Purgatorio, et loco purgationis animarum hujusmodi. An modò animæ sanctorum et justorum fruantur beatitudine, et animæ malorum puniantur in inferno, an verò expectetur resurrectio corporum, et judicium universale. — De invocatione B. Genitricis Mariæ et sanctorum. — De cultu sanctarum imaginum Domini nostri Jesu Christi, B. Mariæ Deiparæ et sanctorum. — De lege veteri, ejusque cæremoniis, an cessaverint, quæ et quando. — De festivitatibus quas habent, et illarum tempore. — De jejuniis, quæ observant, et illorum tempore.

Articulus IV.

Brevis orthodoxæ fidei professio, quæ ex præscripto sedis Apostolicæ ab Orientalibus, ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem venientibus facienda proponitur.

Corde credo, et ore confiteor, quòd unus est Deus, verus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis et æternus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus in essentiâ, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus sanctus à Patre Filioque æternaliter procedens, non sicut à duobus principiis, aut duabus spirationibus, sed ab utroque tanquàm ab uno principio et unicâ spiratione. Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus : Filius non est Pater, aut Spiritus sanctus; Spiritus sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater tantùm Pater est, Filius tantùm Filius est, et Spiritus sanctus tantùm Spiritus sanctus est. Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, et sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, coæquales, coomnipotentes et coæterni. Hæ tres personæ sunt unus Deus, non tres dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus Creator visibilium omnium et invisibilium, corporalium et spiritualium, qui quando voluit universas condidit creaturas suâ bonitate, quas et valdè bonas voluit. Et ideò reprobo et anathematizo omnes hæreses et hæreticos sentientes et docentes contraria.

Firmiter etiam credo, et profiteor, quòd unigenitus Dei Filius Patris consubstantialis semper cum Patre et Spiritu sancto existens in plenitudine temporis, quam divinæ misericordiæ consilium inscrutabile disposuit, ut nos à peccato Adæ, ac cæterarum culparum nostrarum sordibus mundaret, et à morte et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato utero beatissimæ Mariæ semper Virginis veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet et animam rationalem, in unitate personæ divinæ, tantâ unitate, ut unus et idem Christus sit Deus et homo, Dei Filius et hominis filius; ita quòd una natura non confunditur cum alterâ, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in personâ omninò unâ sunt duæ perfectæ naturæ, divina scilicet et humana, salvis earumdem naturarum proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita ut Christus sit tantùm unus. Et sicut formam servi Dei forma non ademit, ita formam Dei servi forma non minuit; qui enim verus Deus est, idem verus est homo : Deus per id quòd in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : Homo per id quòd Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : Deus per id, quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, quòd Samaritanæ aquam salientem in vitam æternam promisit, quòd Lazarum quatriduanum à mortuis resuscitavit; homo per id quòd esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno crucis clavis affixus est; unus et idem secundùm divinitatem, æqualis æterno Patri, immortalis, impassibilis; secundùm verò humanitatem minor Patre, mortalis et passibilis.

Insuper firmiter credo et prædico eumdem Dei Filium incarnatum, verè natum esse ex Mariâ semper Virgine, et ideò ipsam virginem fateor veram Dei Matrem atque genitricem; item verè passum, verè mortuum et sepultum, verè cum animâ descendisse ad inferos, ad liberandas animas sanctorum Patrum, quæ in limbo detinebantur, alligato insatiabili homi-

cidâ, subinde ex mortuis verè resurrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad cœlos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum esse in fine seculorum ad judicandos vivos et mortuos.

Credo et profiteor nullum unquàm hominem ex semine Adæ conceptum, et natum fuisse salvatum, aut fortè salvandum, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum Domini nostri Jesu Christi, in sanguine et morte ipsius, quâ nos reconciliavit æterno Patri, et delevit chirographum iniquitatum nostrarum æternâ redemptione inventâ.

Item firmiter credo legalia omnia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis, quia Christum figurabant, licet divino cultui illâ ætate congruerent, ipso adveniente cessâsse, et jam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, sabbati, ciborum eâ lege prohibitorum, reliquorumque legalium observatores alienos à fide denuntio, et salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant ; ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem novæ legis Sacramenta instituit, quæ veneror, credo et profiteor, unum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium et extremam Unctionem, quæ omnia ea dignè sumentibus virtute Passionis ejusdem D. N. Jesu Christi gratiam conferunt. Ista septem Sacramenta perficiuntur tribus, verbis videlicet, et rebus ac ministro; verbis, ut formâ ; rebus, ut materiâ; ministro, qui facere intendat, quod facit Ecclesia. Recipio insuper quidquid de iisdem sacramentis sancta et catholica Ecclesia Romana docet et prædicat.

Credo, quòd si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissorum et omissorum pœnis satisfecerint, coram divinâ justitiâ eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari, utque à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificium, orationes et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ Instituta. Illorumque animas, qui post Baptismum susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post perpetrati peccati maculam, ut dictum est, purgata sunt, in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs; illorum verò animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus perpetuò puniendas.

Firmiter etiam teneo et credo Symbolum fidei à trecentis decem et octo Patribus in concilio Nicæno, et à centum et quinquaginta in concilio Constantinopolitano traditum, ac semper in Ecclesiâ usque modò inviolatè custoditum, videlicet :

« Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et iterùm venturus est cum gloriâ judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen. »

Confiteor, teneo et prædico unum eumdemque Deum veteris et novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum, atque Evangelii auctorem esse, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt. Itaque suscipio omnes libros canonicos, quos suscipit sacrosancta Romana et catholica Ecclesia. Sunt verò infra scripti : Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; deinde Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ 1 et 2, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150 psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, id est, Oseas, Joel, Amos Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus,

Zacharias, Malachias, duo Machabæorum 1 et 2; Testamenti novi, quatuor Evangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum, à Lucâ Evangelistâ conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli.

Item amplector, suscipio et approbo sacrosanctam synodum Nicænam primam, trecentorum decem et octo Patrum, et profiteor et sequor quidquid illa decrevit, et reprobo et damno quidquid illa damnavit; et maximè impiam hæresim Arianorum, cum ipso auctore Ario, qui affirmare ausus est Filium Dei non esse ab æterno ab ipsâ Patris substantiâ genitum, sed ex tempore atque ex nihilo procreatum. Item amplector, suscipio et approbo sanctam synodum Constantinopolitanam primam, centum et quinquaginta Patrum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Macedonii cum ipso auctore, qui affirmare ausus est, Spiritum sanctum non esse Patri et Filio coæternum et consubstantialem, atque ideò nec esse Deum, sed creaturam. Item amplector, suscipio et approbo sacram synodum Ephesinam primam, ducentorum Patrum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Nestorianorum cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in Christo constituens, asserebat non esse à Verbo Dei carnem assumptam in unitate personæ, sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, et Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem Deiferum, nec beatam Mariam ejus genitricem dicendam esse Deiparam, sed Christiparam. Item amplector, suscipio et approbo sanctam synodum Chalcedonensem, sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine universalium synodorum, et credo ac sequor quidquid illa decrevit, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Eutychetis et Dioscori Alexandrini, cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem Verbi cum carne duas integras, perfectas, inconfusas et impermixtas naturas, cum unitate hypostasis, sive personæ, et reprobo secundam synodum Ephesinam, imò potiùs latrocinium, quod factione ejusdem Dioscori, occiso beato Flaviano episcopo Constantinopolitano, legatis summi Romani pontificis fugatis, et episcopis cæteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam hæresim impiè confirmavit.

Item amplector, suscipio et approbo synodum Constantinopolitanam secundam, centum sexaginta quinque Patrum, quintam in ordine universalium synodorum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Petri, Antimi, Severi et aliorum, qui existimantes ipsam divinam naturam trium personarum divinarum pro nobis crucifixam, Trisagio verba: *Qui crucifixus est pro nobis,* addebant. Item amplector, suscipio et approbo synodum Constantinopolitanam tertiam, ducentorum octoginta novem Patrum, sextam in eodem ordine, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarii ac Theodori, qui unam tantùm in Christo voluntatem et operationem statuentes, unam quoque duntaxat naturam cum Eutychianis asserere conabantur. Item amplector, suscipio et approbo synodum Nicænam secundam, trecentorum quinquaginta Patrum, septimam in eodem ordine, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit; et maximè impiam hæresim Iconoclastarum, qui venerandas Christi et sanctorum imagines, tanquàm idola gentium essent, è templis auferendas, et flammis absumendas esse dicebant. Item amplector, suscipio et approbo sanctam synodum Florentinam, ampliùs quàm centum et quadraginta Patrum, et credo quidquid illa decrevit de processione Spiritûs sancti, à Patre et Filio, de consecratione panis azymi, vel fermentati, de Purgatorio, de beatitudine animarum, de primatu summi Romani pontificis, necnon de sacramentis et libris canonicis, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit et damnavit.

Præterea amplector, suscipio et approbo quæcumque alia concilia, quæ recipit et approbat sacrosancta catholica et apostolica Romana Ecclesia, et maximè sanctam œcumenicam generalem synodum Tridentinam, novissimè celebratam, ac damno et reprobo omnes hæreses et auctores earumdem, quos et quas reprobat et damnat dicta sancta catholica et Apostolica Romana Ecclesia, necnon quidquid illa tenet et docet, cum omni devotione

et reverentiâ suscipio et amplector. Illos quoque doctores et sanctos Patres, quos eadem Romana Ecclesia approbat, reverenter suscipio. Teneo et confiteor sanctam Apostolicam sedem, et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ esse caput, et omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse : cujus Ecclesiæ unitatem tanti faciendi esse affirmo, ut nullos extra eamdem Ecclesiam catholicam existentes æternæ vitæ participes fieri posse confitear.

Insuper promitto, me tanquàm obedientiæ filium ordinationibus, præceptis, censuris ac jussionibus sanctissimi domini nostri N. divinâ providentiâ papæ et successorum suorum Romanorum pontificum canonicè intrantium, et sedi Apostolicæ semper et fideliter obtemperaturum.

Hanc veram catholicam fidem, quam in præsenti spontè profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adjuvante, retinere ac confiteri spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. Ego N., etc.

Hanc fidei professionem adducit Baronius, tom. 6, in fine.

Articulus V.

Interrogationes aliquot factæ suæ Sanctitati à reverendissimo patriarchâ Maronitarum super fide et ritibus catholicis, manifestandæ in synodo celebrandâ circa festum Paschatis, anno 1578.

§ I. — *De Baptismo.*

Quantùm ad sacramentum Baptismatis, 1° nos benedicimus et consecramus aquam, quoties volumus baptizare; non autem consecramus in Sabbato sancto, secundùm ritum Ecclesiæ Romanæ. 2° Non simul baptizamus masculos et feminas, credentes hoc pacto affinitatem contrahi. 3° Ordo etiam Baptismatis nostri diversus est ab Ecclesiâ Romanâ, quanquàm forma sit eadem. 4° Item quia gens nationis nostræ habitat mixta schismaticis, hinc quandoque fit ut nostrorum filii ipsorum ritu baptizentur.

Responsio. Ad primum : Laudabile est benedici fontem Baptismi in Sabbato sancto, idque paulatim in Ecclesiam Maronitarum esset introducendum, quia, ut patet de Consecratione, dist. 4, antiquissimus fuit omnium Ecclesiarum usus ab Apostolis acceptus, in Paschate et in Pentecoste conferre Baptismum : in Paschate præcipuè, quia propriè, inquit Leo papa can. *Propriè*, eo tit., in morte Crucifixi, et in resurrectione ex mortuis, potentia baptismi novam creaturam condidit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita, dicente Apostolo : *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodò surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Hæc ille. Imò Siricius papa ibidem can. *Non ratione*, temeritatis arguit Claraconensem episcopum, quòd extra hæc duo tempora baptizaret. Qui mos licet modò non servetur, quòd ea tempora adultis essent attributa, qui nunc raró veniunt ad baptismum, decet tamen retinere consuetudinem sub ipsum Pascha benedicendi fontem Baptismi, et sine ullo scandalo videtur id introduci posse apud Maronitas. Ad secundum : Hujusmodi affinitas nulla est, cùm veteres canones (30, 4, 3, can. *Pyctatium*, et l. 6 de cognatione spirituali) non aliam cognoscant affinitatem ex Baptismo, nisi paternitatem, compaternitatem et fraternitatem, quæ sit inter regeneratum et liberos tum regenerantis, tum susceptoris. Imò Tridentinum concilium sess. 24, c. 2, statuit ut inter susceptores, et baptizatum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Ad tertium : Cùm Florentinum concilium suas Græcis cæremonias reliquerit, possent et suæ permitti Maronitis in Baptismo ; dummodò per viros doctos ab omni superstitionis aut erroris specie expurgentur. Ad quartum : Licet permittendum non sit, ut Catholicorum filii à schismaticis baptizentur, valet tamen eorum baptismus, ut habetur de Consecr. dist. 4, can. *Si non sanctificatur*, can. *Romanos*, can. *A quodam Judæo;* et in concilio Florentino in unione Armenorum, si tamen debita forma et materia adhibita sint, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, dummodò non intendat baptizans profiteri, vel inducere suum errorem et hæresim, addendo formæ aliqua verba orthodoxæ fidei repugnantia. Quapropter servandum est, quod statuitur in concilio Arelatensi relato, de Con-

secrat. dist. 4, can. de Arianis, ut videlicet ab hæreticis baptizati interrogentur, quâ formâ fuerint baptizati : nam si constabit ritè baptizatos, nihil agendum est; si irritè, simpliciter baptizentur; si probabiliter dubitetur, sub conditione baptizentur.

§ II. — *De Chrismate.*

Quantùm ad sacramentum Confirmationis attinet, primò, quia chrisma nostrum hocce anno præsenti antiquo ritu consecravimus, offenderetur populus noster, si ex propriâ meâ auctoritate idipsum igne absumerem; idem dico de chrismate, quod divinâ favente gratiâ hocce die Jovis sancto, secundùm ritum Ecclesiæ Romanæ et pontificis sum consecraturus, quod servatum velim pro aliquo anno, eamdem ob causam; insuper non ita facilè hìc reperitur balsamum. In posterum Chrismate sancto pueros ungemus circa annum ætatis eorumdem octavum; scire etiam aveo, quid statuendum sit circa nostrates, antiquo nostro ritu Chrismate inunctos, idque à sacerdote et tempore Baptismi.

Responsio. — Ad primum, per hæc initia liberandi à chrismatis annuâ combustione, ob populorum offensionem et inopiam balsami, modò moveantur ut pedentetim studeant hortari populos ad recipiendum hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, de quo Fabianus papa Martyr de Consecr. dist. 3, can. *Litteris,* severè scribit episcopis Orientalibus in hæc verba : « Litteris « vestris invenimus quosdam religionis vestræ « episcopos à vestro nostroque ordine discre- « pare, et non per singulos annos in cœnâ « Domini chrisma conficere. Errant verò, qui « talia excogitant, et mente vesanâ potiùs « quàm rectâ sentientes hoc facere audent. « Sicut enim ipsius diei solemniter per singu- « los annos est celebranda, ita ipsius Chrisma- « tis sancti confectio per singulos annos est « agenda, et de anno in annum renovanda, « et fidelibus est tradenda, quia novum sacra- « mentum est, et per singulos annos in jam « dictâ die innovandum, et vetus in sanctis « Ecclesiis est cremandum. » — Ad secundum Concilium Aurelianense (relatum de Consecr. dist. 5, can. *Ut jejuni*), sancire videtur, ne ante usum rationis pueri chrismentur : sic enim ait : « Ut jejuni ad confirmationem ve- « niant, perfectæ ætatis : ut moneantur con- « fessionem facere priùs, » etc., nec immeritò : hâc enim de causâ, dùm quis confirmatur, alapâ cæditur, ut admoneatur quemadmodùm juxta verbum evangelicum ante reges et præsides flagella pro fide æquanimiter ferre debeat, et mortem; pueri autem ante usum rationis tam ad pugnam quàm ad hujusmodi cæremonias inepti sunt. Cæterùm quoniam id solo Ecclesiæ usu tenetur, non malè sentit Dominicus Sotus in 2 Sent. dist. 7, q. unicâ, art. 8, si aliquibus nationibus usus esset confirmare infantes, retineri posse, cùm id etiam factitârit Ecclesia primitiva, ut ex Dionysii 2 c. Ecclesiast. Hierarch. colligitur.—Ad idem secundum : Sacramentum à presbytero collatum irritum est, ut ait Eusebius papa de Consec. dist. 5, can. *Manus;* id quod Innocentius I, Epist. ad Eugubinum episcopum, cap. 3, docet non solùm consuetudine ecclesiasticâ demonstrari, sed etiam Actis Apostolicis, quæ asserunt Petrum et Joannem esse missos, qui baptizatis traderent Spiritum sanctum. Tametsi, ut Florentinum concilium in unione Armenorum docet, possit presbyter ex papæ dispositione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Greg. l. 3 Regist. Epist. 26, quam dispensationem apostolicam, quia Hierosolymitanæ Ecclesiæ collatam esse non legimus, idcircò si qui à presbyteris chrismate vellent iterùm ab episcopo chrismari, possent chrismari; cum cæteris verò, qui sine scandalo ejus rei nequeunt admoneri, dissimulandum est, cùm non sit sacramentum necessarium saluti.

§ III. — *De Eucharistiâ.*

De sanctissimo verò Missæ sacramento : 1° nos Missam celebramus in solo azymo, laici verò nostri sub utrâque specie communicant. 2° Neque pluries quàm semel uno eodemque die super eodem et uno altari celebramus. 3° Itidem apud nos mos obtinet, quòd uno sacerdote celebrante Missam, quotquot alii præsentes sunt presbyteri, habitu tamen dicentium Missam carentes, neque etiam consecrantes (communicantes tamen), omni onere atque obligatione tam pro vivis, quàm defunctis, eleemosynisque eam ob causam acceptis Missam celebrandi, absoluti, et satisfecisse censentur. 4° Diebus verò jejunii circa vesperam, imò quandoque exacto die solemus Missam celebrare. 5° Communicantibus autem administratur particula de ipsâmet hostiâ majori sub quâ celebratur, etiamsi magnus foret communicantium numerus, sub hisce verbis Christi : *Benedixit, fregit, deditque,* etc. 6° Timore infidelium non asservatur sacramentum Eucharistiæ, neque ubi pro infirmis conservatur, lampas ulla accensa præpenditur.

Responsio. — Ad primum : Si volunt in azy-

mis consecrare, non videntur prohibendi, laici verò à communione sub utrâque specie pedetentim arcendi sunt, cùm id tanti faciat Tridentinasynodus, sess. 21. Totus enim Christus sub unâ specie continetur, et in usu calicis magnum est periculum effusionis. — Ad secundum : Non peccatur sæpiùs unâ die in eodem altari celebrando, tametsi ea consuetudo mala non sit.— Ad tertium : Non satisfaciunt eleemosynis pro Missâ collatis, nisi qui sigillatim ritè celebrant et consecrant : tametsi dissimulandum non est, quod asserunt Paludanus in 4, dist. 45, q. 2; D. Antonin. p. 1, tit. 10, c. 2, § 4, et Silv. Ver. Missâ 1, 10, videlicet sacerdotem posse unâ Missâ satisfacere multis, quibus Missam promisit ob acceptas diversas eleemosynas, si ipsi id sciunt, vel scire tenentur, quia scienti et volenti non fit injuria. Hæc illi. Quæ sententia quia probabilis est, tolerari posset mos sacerdotum Maronitarum, si inter se conveniant, ut Missa, quæ in communi dicitur aut legitur à multis, applicetur iis qui eleemosynas contulerunt, cùm ipsis ea consuetudo sacerdotum perspecta jam sit, ut probabile est. — Ad quartum : Hujusmodi mos mutandus non videtur; nam antiquus fuit in Ecclesiâ, cùm concilium Cabilonense relatum de Consecr. dist. 1, can. *Solent*, præcipiat, « in jejuniis quatuor temporum circa vespertinas horas; in Sabbato verò « sancto circa noctis initium Missarum solemnia celebrari. » Id quod licet jamdiù Latinis Ecclesia remiserit, nostræ consulens imbecillitati, tamen ubi servari potest, non modò tollendum non videtur, sed collaudandum etiam, quò diutiùs protrahatur jejunantibus hora comedendi, quam non nisi vespertinam olim fuisse totâ Quadragesimâ, idem concilium declarat : quæ consuetudo ad tempus usque D. Thomæ Aquinatis ferè perduravit, quia, ut ipse testatur 2 - 2, q. 147, art. 7, suo tempore jubebatur usque ad horam nonam, quæ, ut ibidem annotat Cajet., est hora tertia post meridiem, ut nempe jejunantes Christo compaterentur usque ad horam nonam, quâ expiravit. Quâ item horâ, quia peractum est cruentum sacrificium, non indecorè in eamdem horam defertur incruentum. — Ad quintum : Non damnandus videtur is ritus, si non ex superstitione fiat, sed ex pio affectu, in ea Evangelii verba : *Benedixit, fregit, deditque.* — Ad sextum : Servetur quod in ipsorum synodo, 12 Constitutione decernitur, et quod necessitas jubet.

§ IV. — *De Confessione.*

Quod ad Confessionem attinet, 1° ob raritatem sacerdotum peritorum, singulis terris et oppidis, villisque proprio pastori constituendo non sufficit eorum numerus ; hinc ad diversa loca diversi sacerdotes confessiones excepturi mittuntur, sic ut ovilia pastore privata quandoque remanere cogantur. 2° Et quia hactenùs auctoritatem à sanctâ sede Apostolicâ mihi particulariter concessam ignoro, etiam me latet quousque in alios eadem extendenda sit. Quapropter sanctitas vestra hâcce in re mihi limites præscribere non dedignetur. 3° Insuper informatum me velim brevi sanctitatis vestræ, quod et aliis ostendere possim, num antiquæ pœnitentiæ observandæ sint, non verò arbitrariæ imponendæ.

Responsio. — Ad primum : Propter magnam ex propriorum pastorum in suis ecclesiis residentiâ, utilitatem, gravissimè in sacris canonibus et Trident. concilio commendatam, magnoperè conandum esset, ut quoad ejus fieri poterit, proprii pastores singulis parœciis oppidisve deputentur. Et per hæc initia summo pontifici supplicandum esset, ut aliquos eò sacramentorum idoneos ministros mitteret, qui et præsentem ministrorum paucitatem sublevarent, et alios subinde alerent ac docerent, qui sibi deinceps succederent. — Ad secundum : Huic patriarchæ concedenda videntur priscorum patriarcharum privilegia, quæ habentur de privilegiis et excessibus privilegiorum, cap. *Antiqua*, cum expositione doctorum ; nec deneganda facultas absolvendi ab omnibus censuris et casibus, propter molestiam transmarinæ navigationis evitandam : atque hæc concessio, quò fuerit amplior, eò minùs ipsis videbitur laboriosus et gravis novus ad Ecclesiam Romanam reditus ac subjectio. — Ad tertium : Arbitrariæ pœnitentiæ concedendæ videntur, commendandæ tamen antiquæ, et ad eas populus suaviter inducendus, cùm experiamur, rigidarum pœnarum relaxatio ad quantam licentiam in peccando christianum populum duxerit ; dummodò illorum antiquæ pœnitentiæ recognoscantur, et si oportuerit, expurgentur.

§ V. — *De Matrimonio.*

Quantùm ad matrimonium attinet, 1° gens nostræ nationis induci non potest ad intelligendum, illicitam esse repudiationem uxorum

etiam in adulterio repertarum ; quas ita repudiatas rursùs matrimonio associari posse existimant ; quare , etc. 2° Qualiter cum utriusque sexûs hominibus taliter repudiatis, postmodùmque de novo matrimonio copulatis , sit disponendum ? 3° Et num eorum proles legitima sit, et in clerum admittenda necne ? 4° Item credimus viros ad quartas nuptias , feminasque ad easdem non esse admittendas. 5° Itidem num licitum sit Christianis cum schismaticis matrimonium contrahere (quod proh dolor ! sæpè fit) aut non ? 6° Scire etiam desidero , quousque mihi liceat circa matrimonium dispensare. 7° De impedimento publicæ honestatis non cognoscimus, quod tamen quandoque incurritur, desideroque cum talibus dispensari. 8° Credimus etiam illicitum esse patrem et filium cum matre et filiâ, duosve fratres cum duabus sororibus matrimonio posse copulari.

Responsio. — Ad primum : Constat divortio ob fornicationem habito, matrimonii vinculum non solvi ; sed quia affirmat patriarcha id suæ nationi incredibile videri , percommodum esset hanc catholicam veritatem illis promulgare , certissimis Scripturarum Patrumque auctoritatibus et rationibus communtiam. — Ad secundum : Quia prioris matrimonii vinculum adhuc durat, faciendum est quod Apostolus præcipit, 1 Cor. 7 : *Præcipio non ego , sed Dominus, uxorem à viro non discedere ; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Separandum itaque est secundum matrimonium, et redeundum ad primum, si ambo conjuges vivant ; alioquin manere possunt cum iis quibus jam juncti sunt , dummodò denuò spontè contrahant , perinde ac si nihil ante contraxissent. — Ad tertium : Liberi ex hujusmodi matrimoniis, quæ vera putabantur , cùm non essent suscepti , ut in clerum recipi possint, auctoritate apostolicâ legitimi declarentur. Cùm legitimi filii in jure censeantur nati ex matrimonio , quod vel legitimum erat, vel legitimum putabatur, ut colligitur ex canone *Cùm inter*, et ex can. *Ex tenore, qui filii sint legit.* — Ad quartum : Hic usus est contra illud Hieronymi, 31, q. 1, can. *Aperiant* : « Non damno , inquit, bigamos, imò nec trigamos, et, si dici potest, octogamos. » Infra : « Ego nunc voce proclamo liberâ , non damnari in Ecclesiâ bigamiam , nec trigamiam , et ita licere quinto et sexto, et ultra , quomodò et secundo marito rectè nubere. » Hæc ille : et ratio in promptu est, quia ex nuptiis , quotiescumque repetitis , existunt et bonum prolis , et remedium concupiscentiæ ; catholicè itaque non sentit, qui id licere negat. — Ad quintum: Non licet contrahere cum schismaticis et hæreticis, cùm id prohibeatur 28, q. 1 , can. *Cave ;* ex D. Ambr. can. *Non oportet;* ex conc. Agathensi, item concilio Chalcedonensi can. 13. Hoc tamen impedimentum non dirimit contractum : tenet enim Matrimonium ratione characteris baptismalis ex D. Thomâ 4, dist. 49 , q. 1, art. 1, ad quintum, et communi sententiâ doctorum; quoad habitationem tamen separandi essent, si fidei periculum Catholicis immineret, cap. *Quæsivit,* de Divort. — Ad sextum : Idem videtur dicendum quod supra, ad secundum, de Confessione. — Ad septimum : Libera est summo pontifici dispensatio in hoc impedimento , cùm nihil habeat divini juris. — Ad octavum : Putandum non est non licere contrahere duos fratres simul cum duabus sororibus, aut patrem cum matre , et unius filium cum filiâ alterius. Affinitas enim non est inter cognatos contrahentium, sed inter unum contrahentem, et cognatos alterius contrahentis , ex c. *Quod super his ,* de consang. et affin.

§ VI. — *De Ordine.*

Quantùm ad sacramentum Ordinis attinet, 1° in nostro pontificali conferuntur ordines sine formâ per modum precationis, dicendo : Ut eligas hunc in diaconum, presbyterum. Et si quid in hoc sit dubii, nobis insinuare dignemini, quanquàm in posterum secundùm pontificale Romanum, quod modò de novo à legatis sanctitatis vestræ in linguam nostram vulgarem est traductum, illos conferemus. 2° Creamus insuper pueros 5 vel 6 annorum subdiaconos, sine obligatione legendi horas canonicas. 3° Neque etiam confertur apud nos diaconatus vel sacerdotalis dignitas, nisi his qui priùs (contra tamen usum Ecclesiæ Romanæ) cum virgine contraxerint ; cum viduâ vel corruptâ non item, quibus tamen secundæ nuptiæ sunt interdictæ. 4° Dubium insuper nobis est, an iis qui ordinati sunt sine auctoritate vel litteris dimissorialibus patriarchæ, vel proprii episcopi, in tali sint Ordine, vel suspensi, vel irregulares, similiterque episcopi sine Ordine auctoritateque patriarchæ.

Responsio. — Ad primum : Posthàc juxta Pontificalis Romani ritus habeantur ordinationes. Quæ verò antehàc præter illud factæ sunt, quales fuerint, judicari certò non po-

test, nisi hùc mittant illi suum Pontificale, ut ejus ritibus et cæremoniis perspectis faciliùs de re totâ statuatur.

Ad secundum : Sapienter Ecclesia, dist. 77 et 78, in ordinandis non solùm usum rationis requirit, sed perfectam magis minùsve ætatem pro ordinum varietate, idque tum ratione characteris, qui cùm sit potestas exercendi conferendique, quæ ad Dei cultum pertinent, tradi non debet, nisi in eâ ætate, quæ hujus potestatis exercendæ sit capax, cum ratione annexi voti castitatis, quo nullus nisi sciens et volens debet obstringi. Itaque in sextâ synodo Constantinopolitanâ, can. 14 et 15, statuitur, ne diaconus ante 25 annum creetur, nec subdiaconus ante 20, nec presbyter ante 30, quæ tempora licet variè mutata sint, inducendi tamen sunt Maronitæ, ut Tridentini concilii tempora observent, sess. 23, c. 12. Dummodò intelligatur ordines ante usum rationis collatos valere ex communi sententiâ theologorum, in quarto Sent. dist. 25. Tenentur etiam omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas, et à viris doctis recognitas; non solùm beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio, ex D. Th. 6 *Quodl.*, et in 4, dist. 25, ex Panor. in C. 1 de celebr. Miss.; ex cardinale in Clem. 1, eo tit. et communi sententiâ. — Ad tertium : Cùm Stephanus papa, dist. 31, can. *Aliter*, tradat Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum sacerdotes matrimonio copulati sint, cùmque id illis nunquàm interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis : lex enim cœlibatûs semper gravis visa est Græcis, propterea conjugium permissum est illis. Sic enim scribit Clemens III, C. *Quæsitum* de pœnitent. et remiss. : « Sacerdotibus « Græcis legitimo matrimonio licet uti. » Et clariùs Innocent III, C. *Cùm olim*, de cler. conjug. : « Orientalis Ecclesia votum conti« nentiæ non admisit, quoniam Orientales in « minoribus ordinibus contrahunt, et in sacris « utuntur matrimonio jam contracto. » Hæc illi. Permittendum id itàque videtur Maronitis, dummodò ad matrimonium non compellantur, qui cœlibes esse vellent; sed ad id potiùs piis hortationibus inducantur. — Ad quartum : Benè res se habet.

§ VII. — *De conciliis.*

De sacris verò conciliis, nullam aliam notitiam habemus, quàm de quatuor generalibus : hinc quid alia concilia generalia circa consuetudines innovârint vel abrogârint, prorsùs ignoramus, etc.

Responsio. — Quoniam quatuor tantùm concilia generalia habent, et postulant de reliquis edoceri, necessarium videtur ad tantæ rerum divinarum ignorationi consulendum, jussu summi pontificis ab aliquot theologis colligi in libellum omnes catholicas et orthodoxas propositiones, cæteris conciliis generalibus sancitas, tametsi concilium Tridentinum totum posset ad eos mitti in Arabicam linguam convertendum; idem de Catechismo ad parochos.

§ VIII. — *De variis rebus.*

Quod ad diversas verò res alias attinet, 1° quæro, quid statuendum mihi erit circa certum populum diœcesis nostræ vulgariter *Bianchi* nominatum, metu tributorum seu mortis, Mahumeticæ legis ritus externos obeuntem, qui tamen nostro ritu baptizatur et jejunat, confessionem, sacramque communionem maximè exoptans. 2° Item num modus noster jejunandi sit validus, qui sic instituitur, ut toto die in jejunio transacto, vesperi tamen interruptam cœnam in dormiendi usque tempus protrahamus. 3° Cavetur insuper exactissimè, ne mulieribus menstruum patientibus sacra synaxis, vel oleum sanctum administrentur, multòque minùs in ecclesiam intromittantur. 4° Lapides altarium nostrorum sacri oleo chrismatis uncti sunt, non adhibitis sacris sanctorum reliquiis, super quibus num rectè celebretur necne? 5° Ornatus itidem ecclesiarum nostrarum, velaminaque alba altarium bombycina sunt, propter lini penuriam. 6° Præterea cùm Pontificale Romanum statuat jubeatque singulos episcopos ultramarinos omni triennio Romam venire de Ecclesiarum ipsorum statu depondituros, num et nostri ad idem teneantur necne, sufficiatque propter itineris difficultates Turcarumque pericula, quempiam eorum nomine delegare.

Responsio. — Ad primum : D. Thom. et Cajet. 2-2, q. 3, docent aliud esse occultare suam fidem in Christum, aliud profiteri religionem falsam. Illud non semper malum; non enim necessaria confessio fidei, nisi cùm interrogamur, vel urget necessitas proximorum, vel scandalum, etc. Hoc verò nunquàm licet nec verbo, nec facto, cùm utroque modo Christus æquè negetur, etiamsi corde credatur. Inde qui in tormentis Christum negant, quamvis animo fidem retineant, damnantur

11, q. 3, can. Existimat; ab Hieronymo, can. Non solùm; ab Augustino, can. Nolite; à Chrysostomo; et credere id licere, pertinet ad hæresim Elcefaitarum, de quibus Euseb. l. 6, c. 28. Contra quos Origenes in Psal. 82, scribit: Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Ex quo patet hos populos Alborum in statu damnationis esse, si metu tributorum seu mortis vel obeunt externos ritus Mahometicæ legis, vel habitum aliquem gerunt per se institutum ad eam profitendam, ut disertè Cajet. ibidem, Silv. Ver. fides § 5, aliique. — Ad secundum: Conandum est ut jejunium non multis interruptis connectionibus fiat, sed unica tantùm; id enim ecclesiastico jejunio necessarium esse asserit D. Thom. 2-2, q. 147, art. 6, et theologi reliqui in 4 dist. 25. — Ad tertium: Menstruatis nec Eucharistia, nec oleum sanctum, nec Ecclesiæ ingressus inhibendus, nisi ipsæ ex devotione abstineant. Sic enim de iis D. Greg. Augustino Anglorum episcopo scribit dist. 5, can. *Ad ejus:* « Mulier, dùm « ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi « ecclesiam intrare non debet, quia ei naturæ « superfluitas in culpam reputari non debet, « et pro hoc quod in vitâ patitur, injustum est « ut ecclesiæ ingressu privetur. Novimus « namque quòd mulier, quæ fluxum sanguinis « patiebatur, post tergum Domini humiliter « veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit, « atque ab eâ statim sua infirmitas recessit. « Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter « potuit vestimentum Domini tangere, cur « etiam, quæ menstrua patitur sanguinis, ei « non liceat ecclesiam intrare? Si enim ea « benè præsumpsit, quæ vestimentum Do« mini in languore posita tetigit, quod uni « personæ infirmanti conceditur, cur non « concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ « suæ vitio infirmantur? Sanctæ quoque com« munionis ministerium in eisdem diebus per« cipere non debet prohiberi. Si autem ex « veneratione magnâ recipere non præsump« serit, laudanda est; sed si susceperit, non « est judicanda. » Hæc ille. — Ad quartum: Dispensari posset, donec mittantur commodè reliquiæ, quæ portatili altari inserantur. — Ad quintum: Concedendum videtur, ut utantur in ecclesiæ ornamentis, telis bombycinis, ob lini penuriam. — Ad sextum: Ob magnam locorum intercapedinem denegandum non videtur, quod petunt, ut satis sit, unoquoque triennio unum episcoporum omnium nomine Romam destinari.

§ IX. — *Constitutiones aliquot dandæ in synodo provinciali reverendissimi patriarchæ Maronitarum.*

Prima, ut in posterum inter nationem nostram, nec in Ecclesiâ, nec extra dicatur cum Trisagio: *Quando crucifixus es,* vel, *Quando mortuus es,* vel, *Quando resurrexisti,* etc., sed solùm in hunc modum: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis;* extra verò Trisagium dici poterit in piam commemorationem Passionis Christi.

II. In posterum tam masculi quàm feminæ octiduani baptizentur, neque post baptizationem communicent, aut chrismentur, qualiter hactenùs fieri solitum est; chrismate tamen inungantur, idque super capite post Baptismum, qualiter consuevit Ecclesia Romana.

III. Singulis annis, die Jovis sancto, consecretur Chrisma cum reliquis oleis sanctis, et vetus exuratur coram venerabili sacramento, nec alia adhibeatur materia præter oleum olivarum et balsamum, cum consecratione et ordine, secundùm ritum Ecclesiæ Romanæ.

IV. Sacramentum Confirmationis pueris octavum agentibus annum conferatur, idque in fronte à patriarchâ, vel episcopis juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, non autem à sacerdotibus cum Baptismo, uti hactenùs consueverunt.

V. Sanctum Eucharistiæ sacramentum in posterum non administretur, nisi usum rationis habentibus, ut nimirùm dignè sumatur secundùm S. Pauli Apostoli admonitionem, usumque et mandatum sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

VI. Insuper quia (ut notum vobis est) inter tot schismaticas nationes habitantes, nostri illorum libris mixti sunt, summis etiam cum erroribus contra Romanam Ecclesiam, hinc nobis perplacet. Si RR. Patres à vestrâ sanctitate missi ad nos, libros nostros examinent, bonos seligentes, suspectosque comburentes, qualiter in nostro monasterio sancto de Canubir facere cœperunt; quod si præstemus, sanctissimus papa noster promisit se Biblia aliosque multos libros utiles et catholicos, secundùm usum Romanæ Ecclesiæ imprimi curaturum; quapropter quotiescumque hâcce de causâ requisiti fueritis, nullos libros eorum conspectui subtrahatis.

VII. Cæterùm ut fides pura, et obedientia

sincera inter nostras nationes erga sanctam catholicam Ecclesiam Romanam conservetur, quoties inter nos novus patriarcha eligetur, subitò oratores ad sanctitatem suam pro confirmatione ejusdem delegentur, qualiter fecêre antecessores nostri tempore reverendissimi patriarchæ Jeremiæ bon. mem., quod ipsum etiam à me ultimò observatum est; similiter quotiescumque creabitur novus pontifex Romanus, transmittenda erit à paupercula nostrâ natione obedientia nomine patriarchæ, totiusque cleri et populi Maronitarum. Et omni triennio, si idem patriarcha Romam, sedis et officii sui rationem redditurus sedi Apostolicæ, proficisci nequeat, ad minus expedire aliquem fidelem et diligentem, ac in omnibus benè informatum, qui suæ sanctitati rationem reddat, transmittereque tenebitur. Paratissimi interim nos semper quidquid sanctissimæ sedi in salutem animarum nostrarum placuerit mandare, sincerissimè acceptare.

VIII. Item quando RR. PP. legati sanctitatis suæ, ad vos visitandarum Ecclesiarum vestrarum causâ, ritumque administrandi Sacramenta inspecturi (qualiter eosdem obtestatus sum), venerint; meam, vel alicujus archiepiscoporum meorum præsentiam dignentur. Quare supplico charitati vestræ, velitis eosdem benigno vultu, debitoque honore et rationi consono recipere, cùm patriâ relictâ suæ sanctitatis mandato, pro salute vestrâ, tot maria et pericula fuerint dimensi; salutiferisque eorum mandatis, et circa Ecclesiam salutemque vestram præceptis morem gerite; nullam in ostendendis libris, statuque Ecclesiæ vestræ explanando difficultatem facientes, verùm quidquid circa ritum rectè administrandorum Sacramentorum, et vestram oviumque vestrarum salutem præceperint, sincero corde, paratoque ad obediendum animo amplectamini, et salubres eorum admonitiones et ordinationes scriptis mandate, ne memoriâ excidant, quæ omnia, divinâ favente gratiâ, sum executurus; hæc enim est voluntas sanctitatis suæ, et dilecti nobis fratris cardinalis Caraffa, simulque id ipsum à vobis postulamus.

IX. Præterea, quæ sua sanctitas mandat, et dilectus frater et protector noster cardinalis Caraffa, vos insuper monitos velim (quod et vobis notum est) multos utriusque sexûs homines nationis nostræ esse salutarium instructionum ad fidem pertinentium ignaros; quare vos obtestor gnavam instruendo ovili vestro in hisce quæ animarum salutem tangunt, operam dare velitis, præcipuèque in oratione Dominicâ et salutatione Angelicâ, decemque præceptis decalogi edocendis, cùm hocce proprium vestrum officium concernat.

X. Curetis insuper ecclesiastica cuncta sint quàm nitidissima, et præsertim corporalia, calices, patinæque, super quibus consecratur, poniturque sanctissimum corpus et sanguis Christi.

XI. Nullus etiam in posterum Missam celebrare præsumat sub alterâ hostiâ, quàm eâ quâ utitur Ecclesia sancta Romana, compositâ nimirùm ex solo polline et aquâ, et quousque dabitur copia ferrorum formandarum hostiarum, statuimus paucula similia ferra pro tempore inter nos extantia distribuantur, sic ut cuique Ecclesiæ possit satisfieri.

XII. Sanctissimum quoque Sacramentum in loco nitido et securo asservetur, illique semper lampas accensa præpendeatur, atque id ipsum ad minus singulis mensibus Romanæ Ecclesiæ ritu renovetur.

XIII. Item Missæ in ipsâ Ecclesiâ devotè celebrentur, nec inter cantandum novus versus ante finitum priorem incipiatur: sciendum enim est nos cum Deo benedicto pro impetratione rerum nobis necessariarum tractare.

XIV. Ornamenta etiam ecclesiastica, ubi sorduerint, lavanda sunt, cùm nihil de earum consecratione per lotionem detrahatur, contra quorumdam tamen opinionem; corporalia autem priùs à sacerdote abluenda sunt, deinde per laicum quemvis, ut sic videlicet omni puritate et nitiditate Deo omnipotenti serviatur.

XV. Quoties autem in Ecclesiâ divinum officium celebrabitur, unus ad minimum cereus, aut oleaceum lumen ad finem usque accendatur, summâque cum devotione silentium in Ecclesiâ observetur.

XVI. Sit quoque in omni Ecclesiâ vas aliquod conservandæ aquæ lustralis ritu Romanæ Ecclesiæ, cujus benedicendi modum et formam, singulis videlicet diebus Dominicis vobis trademus.

XVII. Sanctum verò chrisma, aliaque olea sacra, singulis diebus Jovis sancti, posthàc à nobis renovanda, et per totam diœcesim distribuenda, in loco nitido asservanda sunt, non tamen sanctissimo Sacramento miscenda.

XVIII. Neque in posterum Missa celebretur calicibus vitreis, ligneis, vel æneis, sed aureis argenteisve, aut stanneis, quique nec stanneos habent, mutuò ab aliquo sumant, quousque divino favente auxilio, Romanæ-

que Eclesiæ subventione hisce providebimus.

XIX. Instabitis etiam summâ cum diligentiâ, ut grex vester ad minus ter in anno communicet; sacerdotes verò diaconique sacro inservientes, pro necessitate salutis animarum suarum, sæpiùs sacram Synaxim sumere moneantur.

XX. Omnis autem diaconus aut sacerdos singulis diebus horas canonicas in Ecclesiâ, vel si id commodè fieri non possit, saltem extra, legere tenetur.

XXI. Dies quoque Dominici vel festi, in posterum meliùs colantur, ebrietatem, excessusque illicitos et inconvenientes exactiùs quàm hactenùs fugiendo.

XXII. Quisque etiam vestrûm fugiat juramenta, mendacia et ingurgitationes, vitia nationi nostræ communissima, atque eo modo subditos vestros bono exemplo præeatis.

XXIII. Efficite insuper ut quàm possint maximè subditi vestri schismaticorum, hæreticorum, excommunicatorum, et infidelium conversationem execrentur; multòque minùs cum eisdem prout hactenùs, nuptiæ contrahantur, ne Christiani talium sectarum hominibus prorsùs fugiendis commisceantur.

XXIV. Curandum in posterum, ne repudia ullam ob causam, ne quidem fornicationem, cum contractione novarum nuptiarum committantur; verùm tali (quod avertat Deus) interveniente vitio, separatio fiat habitatione tenùs, etc., et ita separata, si postmodùm sese convertat, muniaque debita marito præstet, ob amorem Dei, qui contritæ et pœnitenti per confessionem censetur condonâsse, rursùs in conjugalem thalamum admittatur: ne fortè conjugum alter per humanam fragilitatem in peccatum labatur; sunt enim evangelica verba ad mentem Ecclesiæ Romanæ intelligenda.

XXV. Non præsumat, nec sacerdos, nec secularis, pecunias sub usuris exponere.

XXVI. Item reliquiæ sanctorum, si quæ sint, in Ecclesiis in loco sacro et nitido asserventur, et summo honore ad majorem Dei gloriam afficiantur.

XXVII. Quidquid à debitis vacationibus vobis temporis suppetet, legendis bonis libris, impendite, hæreticorum scripta nationi nostræ frequentissima fugiendo: ex libris enim salutiferis quid vestris subditorumque vestrorum animabus conducat elicietis.

XXVIII. Sacerdotes uxoribus carentes, nisi urgentissimâ necessitate requirente, feminis mixtim cohabitare non sinantur; religionem verò professis mulieribus, ne quidem matri, cognatis, sororibusque cohabitare non permittantur, quemadmodùm expressè canone 4 concil. Nicæni cavetur.

XXIX. Prælati nullos gradus clericales, præsertim sacerdotalem, aliis quàm bonis et doctis, bonamque famam habentibus conferant; et quisquis hisce donis caret, ad eosdem gradus aspirare non præsumat.

XXX. Moneo vos insuper, quòd in posterum singulis annis hocce tempore synodum faciemus; ad statuendum et ordinandum de aliis rebus Ecclesiam nostram, Maronitarumque nationem concernentibus: quapropter paratissimi sitis hùc moniti diligentissimè venire, de aliis negotiis stâtuendis audituri.

XXXI. Ultimò vos moneo celebrare Missam pro vivis vel defunctis, quoties vos obligatos esse contigerit, quisque vestrûm conscientiam suam exsolvat; neque enim satisfit, nec sat est uno celebrante cæteros præsentes secundùm ritum Ecclesiæ nostræ simul legere; absolutè enim et integrè et secundùm obligationem Sacrum est celebrandum. Vos insuper obtestor divinam clementiam precari dignemini pro salute sanctissimi nostri papæ Gregorii XIII, dilectique fratris et domini nostri cardinalis Caraffa protectoris humilitatis, totiusque nationis nostræ, et pro cunctis gentis nostræ fidelibus humiles ad Deum preces effundere non dubitetis. Laus Deo. Factum in Canubir.

Articulus VI.

Propositiones aliquot excerptæ tum è quibusdam libris Maronitarum, dùm expurgarentur à legatis apostolicis, tum ex communi consensu et quâdam traditione receptis, quæ videlicet hæreses sunt manifestæ, vel erroneæ, vel superstitiosæ; qui etiam errores solent esse communes aliis nationibus Orientalibus.

Circa creationem. — 1° Anima rationalis ex divinâ substantiâ creatur. 2° Animæ ab initio omnes simul creatæ fuerunt. 3° Quædam brutorum perfectæ species non fuerunt ab initio creatæ, maximè verò canis et felis, quorum hanc ex sternutatione Leopardi, illum verò à diabolo productum affirmant.

De Christo Domino et sancto Spiritu. — 1° In Christo una tantùm est natura, una voluntas, una operatio. 2° Christus non comedit agnum cum discipulis, quando postremò cœnavit cum illis, sed alios cibos tantùm, et intinxit panem, quem erat Judæ porrecturus ad consecrationem tollendam. 3° Christus flagris cæsus,

spinis coronatus, ac purpurâ indutus fuit in domo Caiphæ principis sacerdotum. 4° Christus post resurrectionem non habuit cicatrices, quas nec martyres sunt habituri, quasque discipulis ostendit; illas sibi tunc creavit, ut eos ad resurrectionis veritatem credendam perduceret. 5° Spiritus sanctus à solo Patre procedit.

De judicio. — 1° Non datur particulare judicium. 2° Nemo ingreditur regnum cœlorum, nisi perfecto universali judicio ; animæ sanctorum in quodam amœno loco sub cœlo asservantur, in quem locum Christus et bonus latro iverunt, atque in hunc sensum intelligenda verba Christi : *Hodie mecum*, etc. Impiorum verò animæ extra præfatum locum custodiuntur ab angelo sub cœlo, sive prope locum sanctorum, sive alibi, et *Infernus* dicitur; quo sensu accipienda sunt illa verba : *Mortuus est dives*, etc. 2° Fideles etsi in locum pœnarum eant, si in mortali peccato decedant, nihilominùs tamen merito fidei, quam in Christum habuerunt, liberabuntur.

De sacramento Baptismi. — 1° Nemini nisi sacerdoti vel diacono licet baptizare, etiamsi urgeat extrema necessitas. 2° Intentio ministri non requiritur necessariò, sed talis est fides Ecclesiæ. 3° Unctio chrismate facta in Baptismo essentiam præbet Baptismo, ac proinde Baptismus nullus foret sine hujusmodi unctione. 4° Parvulus recens natus si contrectetur à matre ante ejus purificationem, immundus fit, ac proinde non baptizandus masculus ante quadragesimum diem, femina verò ante octogesimum diem, hoc est, antequàm mater purificata extiterit, ne infans ab immundâ matre contrectatus novam contrahat immunditiem. 5° Infidelis mulier si ad fidem convertatur, non debet baptizari quamdiù fuerit menstruata. 6° Masculus et femina si baptizentur simul, contrahunt affinitatem. 7° Hæretici qui ad Ecclesiam revertuntur, rebaptizandi sunt. 8° Baptismus Joannis remittebat peccata. — *Petitio.* 9° Quid de parvulis Catholicorum à schismaticis illorum ritu baptizatis ?

De sacramento Confirmationis. — 1° Non extat hoc sacramentum apud Maronitas, quòd sentiant tantùm semel inungendum esse Christianum chrismate, scilicet dùm baptizatur. 2° In oleo sancto chrismatis est persona Spiritûs sancti, sicut persona Christi in Eucharistiâ. 3° Hoc sacramentum etiam à sacerdotibus confertur. — *Petitio.* Quid de chrismatis præfato ritu et à sacerdotibus ?

De sacramento Eucharistiæ. — 1° Panis fermentatus tantùm consecrandus debet necessariò esse recens, et illo die coctus; quòd si hujusmodi non adsit, omittatur sacramentum. 2° Non sunt consecrandæ plures duabus hostiis pro quâlibet vice; quòd si cogatur sacerdos ob aliquam necessitatem dictum numerum excedere, consecrentur non pauciores septem, vel si plures, curet numerum semper esse imparem. 3° Plures sacerdotes celebranti assistentes, dicunt omnia quæ celebrans, exceptis consecrationibus, quo pacto censent singulos celebrâsse, et satisfecisse eleemosynis pro Missis collatis. 4° Laici communicant sub utrâque specie. 5° Eucharistia præbenda est etiam pueris statim post Baptismum. 6° Sacerdoti non licet filio, vel filiæ, vel affini vel consanguineo cuicumque Eucharistiam porrigere. 7° Eucharistiam ad ægrotum in extremis laborantem non licet deferre. 8° Eucharistiam in nos receptam ad stomachum non descendere existimatur, sed statim per omnia corporis membra diffundi. 9° Licet sacerdoti sacrum facere supra librum quempiam Evangeliorum, si desit altare quodcumque.

De extremâ Unctione. — Oleum infirmorum à sacerdote singulari quodam modo conficitur.

De sacramento Ordinis. — 1° Nullam habent rationem ætatis in sacris ordinibus tradendis; ideò ipsi pueros quadrimos, vel quinquimos promovent ad sacros ordines. 2° Promovendi ad sacros ordines diaconatûs vel sacerdotii, nubunt cum virgine, quâ mortuâ non transeunt ad secundas nuptias. 3° Non negant sacerdotium illi qui aliàs est idoneus, quamvis defectum corporis patiatur. 4° Constituti in sacris ordinibus ad certas horas canonicas, nisi monachi, non obligantur. 5° Mos est illis qui volunt creari episcopi, pacisci cum patriarchâ de pretio.

De sacramento Pœnitentiæ. — Actus particulares non sunt de essentiâ Confessionis. *Petitio.* Quanta sit potestas patriarchæ, quam possit aliis communicare circa forum conscientiæ?

De sacramento Matrimonii. — 1° Matrimonium potest dissolvi à patre sponsi, si eam duxerit quæ patri non probetur : hoc idem potest pater sponsæ. 2° Matrimonium sine Eucharistiæ sumptione nullum habetur. 3° Pater sponsæ potest propriâ auctoritate eam alteri viro tradere, nisi ejus sponsus, sive vir absens, intra certum temporis spatium appareat. 4° Patri et filio non licet in uxorem

ducere matrem et filiam, et è contra, nec licet duobus fratribus contrahere cum duabus sororibus, seu fratri et sorori cum fratre et sorore. 5° Matrimonium viduarum quæ attingunt sexagesimum annum, adulterium est censendum. 6° Idem sentiunt de quadrigamis, ac proinde omnium horum liberos illegitimos censendos esse. 7° Sponsalia nullius sunt roboris, si intra duos annos non contraxerint, et parentes utriusque sponsi possunt sponsalia irritare, ob quamlibet causam. 8° Repudium conceditur ob multas causas, etiam privatis propriâ auctoritate, ut si non inveniatur virgo, vel si consummato matrimonio mulier insaniat; et vir potest repudiari, si curet ut uxor adulteret, etc. 9° Repudiatis licet nubere cum aliis. 10° Obstetrices ut immundæ habendæ viginti diebus si invenerint mulierem parientem masculum; si verò et feminam, quadraginta diebus, quo tempore arcendæ sunt à communione.

Petitiones. 11° Quid de illis, qui post repudium nupserunt, et an filii possint promoveri ad sacros ordines. 12° An liceat nubere cum schismaticis. 13° Quousque se extendat potestas patriarchæ circa dispensationem in gradibus prohibitis.

Nonnulla loca sacræ Scripturæ pravè intellecta, et alia quædam ad eamdem sacram Scripturam spectantia pravè etiam adjecta. — 1° Asserunt legendum esse : *Hoc est sacramentum Corporis,* etc. 2° Christus cùm docuit viro non dimittendam uxorem, exceptâ fornicationis causâ, idem est ac si docuisset, adulterium esse legitimam causam uxoris dimittendæ, et alterius ducendæ. 3° Qui dicuntur fratres Christi in Evangelio, filii sunt Joseph ab aliâ uxore, quam antea habuerat, procreati. 4° Maria Magdalena Simeonis leprosi filia fuit, Annæque matris Mariæ soror. 5° Apostoli non intellexerunt Christum esse verum Deum, antequàm Spiritum sanctum accepissent. 6° Caiphas in Christum credidit, et episcopus creatus Josephus secundus est vocatus, qui edidit librum Proverbiorum et historiam Machabæorum, etc.

Circa mores, et alia diversi generis. — 1° Menstruatæ non admittuntur ad ingressum Ecclesiæ, nec ad sacramentum Eucharistiæ, nec extremæ Unctionis. 2° Quidam homines appellati *Albi,* quoad habitum et alia quædam exteriora, Turcicos ritus observant. 3° Jejunium ob mortis periculum non est violandum. 4° Non est jejunandum diebus Sabbatinis et Dominicis. 5° Apostolicâ sanctione cautum est, ne quis Christianus comedat quippiam occisum à leone, nedùm sanguinem et suffocatum. 6° Ob mortis periculum licet negare Christum. 7° Licet mentiri officiosè, et ad celanda opera bona. 8° Non est aliquis ad religionem admittendus, sine suorum superiorum consensu, ut parentum vel dominorum, etsi servus sit libertate donatus. 9° Status matrimonialis non est inferior virginali. 10° Mulieres viro junctæ in numero sanctarum virginum adscribendæ, si cum suis maritis honestè vixerint, etc.

ARTICULUS VII.

De ritibus qui tolerari possunt in his qui ex schismaticis, vel paganismo, aut aliâ sectâ ad fidem catholicam veniunt.

Quamvis Ecclesia catholica una sit, de quâ optimè beatus Ignatius, Epistolâ ad Philadelphos : « Una est, inquit, Ecclesia, quam suis « sudoribus et laboribus fundaverunt Apostoli « à finibus terræ usque ad fines in sanguine « Christi. » Apostolorum verò instituta, decreta et ritus non iidem fuêre apud omnes. Nam licet Apostolorum sanctiones aliquæ sic fuerint editæ, ut ab omnibus Christi fidelibus pariter servarentur, ut puta Symbolum Apostolicum, aliæ tamen pro ratione loci et temporis, sic ab illis sunt statutæ, ut non omnes iisdem legibus ac ritibus adstringi voluerint, quos, alicujus privatæ causæ occasione, cæteris locis præscripserint, ut de idololatris, de quibus Apostoli, et cum ipsis Paulus, diversa dederunt præcepta Syriæ ac Ciliciæ populis, ut constat Act. 15 et 16. Diversa verò Paulus Corinthiis, ut patet 1 Corinth. 8.

Neque vel in minimo lædi fidem variis Ecclesiarum consuetudinibus sancti Patres tradiderunt. Inprimis Augustinus Epistolâ ad Januar. 118 : « Hæc est commendata regula, ut « faciat unusquisque quod in eâ Ecclesiâ, in « quâ reperitur, invenerit. » Unde hæc idem ad Januar. epist. 119 : « Miror sanè, quòd ita « volueris, ut de his quæ variè per diversa loca « observantur, tibi aliqua conscriberem ; cùm « et non sit necessarium, et una in his salu« berrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt « contra fidem, neque contra bonos mores, et « habent aliquid ad exhortationem vitæ me« lioris, ubicumque institui videmus, vel insti« tuta cognoscimus, non solùm non improbe« mus, sed etiam laudando et imitando secte« mur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, « ut ampliùs detrimentum sit. » Hæc Augusti-

nus. Gregorius l. 1, Ep. 4, item hæc ad Leandrum episcopum Hispalensem in eamdem sententiam scribit : « In unâ fide nihil officit « sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. »

Quare licet apud Græcorum et Orientalium nationes plures sint ritus atque diversi inter Cophtos, Syros, Maronitas, Æthiopes, Armenos atque inter Christianos alios, quos prudenter ratione diversarum gentium Apostoli instituerunt, non ob id religio christiana læditur, si diversi ritus in Oriente atque in Occidente retineantur ; circumdata est enim Ecclesia Dei mirâ varietate, quæ potiùs ejus pulchritudinem ornat et auget, quàm orthodoxæ fidei contrarietur. Quare mos est catholicæ Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore inductus, ut unaquæque provincia servet ea quæ à suis Apostolis, et à legitimis successoribus accepit. Quare admonebat D. Hieron. in ep. 28, versùs finem, « traditiones ecclesiasticas, præsertim « quæ fidei non officiunt, ita esse observandas, « qualiter à majoribus traditæ sunt, nec alio- « rum consuetudinem aliorum contrario more « subverti. » Addens : « Ita unaquæque pro- « vincia abundet in suo sensu, ut præcepta « majorum leges apostolicas arbitretur. » Unde rectè consuevit Ecclesia, hæreticorum, schismaticorum, aut etiam gentilium ritus tolerare, qui cum ratione aut fide divinâ non pugnant. Nec solùm Ecclesias, quos à diversis Apostolis ritus, moresque imbiberant, retinuisse comperimus, sed etiam quæ apud gentes superstitioso cultu impiè agebantur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transtulisse, ut latiùs supra, dùm de prudentiâ ministrorum ageremus, et præter ea quæ ibi ex Patribus notavimus.

Inter alios Gregor. Thaumaturgus, ut auctor est Greg. Nyssen. Oratione de Vitâ S. Gregorii Thaumaturgi, gentilium ferias superstitionibus cumulatas, in festa ac celebritates sanctorum martyrum commutavit, ut his verbis Gregor. Nyssen. significat dicens : « Des- « cendit rursùs ad urbem, et omni circa re- « gione undique peragratâ, atque perlustratâ, « additamentum, et quasi corollarium studii « erga Numen divinum instituebat, apud om- « nes ubique populos sanciens, ut nomine eo- « rum qui pro fide decertâssent, dies festi at- « que solemnes conventus celebrarentur. Cùm- « que alii in alium locum corpora martyrum « deduxissent, per anniversarium circuli am- « bitum congregati, lætabantur in honorem « martyrum ferias agentes. » Et paulò post : « Cùm animadvertisset, quòd propter corporis « voluptates, simplex et imperitum vulgus in « errore simulacrorum permaneret, quo ma- « ximè id quod præcipuum est, interim in iis « assequeretur, nempe ut vanis superstitioni- « bus relictis ad Deum converterentur, per- « misit eis, ut in memoriam sanctorum mar- « tyrum sese exhilararent et oblectarent, atque « in lætitiam effunderentur. »

In eodem sensu Theodoretus de gentilium feriis in honorem martyrum piè sanctèque translatis, hæc addit : « Dirutorum templorum « materia, aris martyrum excitatis, expiata « est : suos enim mortuos Dominus noster in « templa pro diis vestris induxit, ac illos qui- « dem cassos gloriâ vanosque reddidit, suis « autem martyribus honorem illum dedit. Pro « Pandiis, et Diasiis, hoc est, Jovis, Liberique « patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, « Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, « aliisque sanctis martyribus solemnitates po- « pulari epulo peraguntur. Eâ quippe licentiâ, « quâ deorum delubra in Ecclesias Christiano- « rum sunt laudabiliter commutata, alii quoque « ritus gentilium à nobis benedictionibus ex- « piati divino sunt cultui consecrati. An non « id Apostolorum exemplo ? Nonne Paulus « Athenis cùm esset, superstitionis aram *Ignoto* « *Deo* dicatam, super quam impietatis victimæ « cædebantur, in veri Dei cultum (quantùm « licuit eo tempore) mirâ quâdam prudentiâ « visus est transtulisse ? Rursùs si quæ idolo « immolata essent, non vetuit idem Apostolus « manducare, nisi cùm ex eâ re frater infir- « mus scandalum pateretur : *Omnia quidem,* « inquit, *sunt munda, sed malum est homini, qui* « *per offendiculum manducat.* Extincto autem « penitùs jamdiù superstitioso idolorum cultu, « cùm omnis simul cessâsse videatur occasio « offendiculi, cur aliquibus ex illis uti non li- « ceret, cùm præsertim non privato usu, sed « communi totius Ecclesiæ consuetudine ali- « quid commune cum ethnicis usurpatur? » Qui verò sint ritus, qui à rectâ fidei regulâ discrepant, vel à ratione dissentiunt, tam in schismaticis, sive hæreticis, quàm in aliis infidelibus, etiam ethnicis, non facile erit unicuique discernere.

Et ut rei ita gravi et difficili lucem aliquam afferamus, oportebit speciatim præcepta aliqua tradere, sive talia demonstrare principia, quibus apertè dignosci possit, qui ritus cum naturali ratione, aut fide divinâ non conveniant, aut qui ab his dissentiant, ac proinde

qui tolerandi, qui verò omninò rejiciendi et extirpandi sint. Ea est potissima pro ritibus discernendis regula, ut quando id commodè fieri potest, Apostolica sedes consulatur, maximè si subsit justa et rationabilis dubitandi occasio. Si tamen Romanus pontifex non ita facilè adiri possit, tunc ex sequentibus capitibus de rituum puritate tam inter ethnicos, quàm inter schismaticos ad Ecclesiam venientes, erit judicandum.

1° Si ille ritus nationibus aliis, sive Ecclesiis, quæ communionem retinent cum catholicâ Ecclesiâ, sit ab eâdem permissus. 2° Si ritus ille non pugnet cum naturali et rectâ ratione, præ se ferens inhumanitatem (qualis erat olim Romanorum, quo damnatos feris objiciebant), inhonestatem, ut totius corporis nuditas, vel si alii actus inhonesti et turpes etiam inter conjuges publicè fierent; ac demùm ea omnia, quæ humanæ vitæ politiam offendunt, abolenda et exterminanda sunt, et cogendi barbari, ut non belluino, sed humano more vivant. 3° Ritus omnes instituti ad protestandum aliquod dogma fidei contrarium, omninò sunt delendi. Ita Armeni, ut profiteantur Dioscori errorem, unam tantùm naturam in Christo asserentis, cùm celebrant, vino aquam non immiscent, et idem etiam censendum erit de quocumque alio signo, sive nomine cujuslibet erroris protestativo. Ut Monophysitæ cognomen, de quo hæretici olim gloriabantur, ut etiam nomine ipso unius in Christo naturæ post unionem assertores viderentur, ut refert Prateolus verbo, *Monophysitæ;* qui etiam de Monothelitis asserit, hanc eos sibi appellationem usurpâsse, ab unâ tantùm voluntate, et actione divinâ, quam ipsi Christo temerè tribuebant. Nec solùm cognomina à re ipsâ, sive à dogmate hæretico derivata supprimenda sunt, sed etiam ea omnia quæ ab hæresiarchis, quorum se profitentur sectatores, descenderunt, sicut et Jacobitarum, et Severianorum, aliorumque similium, qui à Jacobo et Severo hæretico denominationem acceperunt. Quare cùm multi ex Nestorianis catholicæ Ecclesiæ adjungantur, anathematizatis Nestorii nomine et erroribus, Chaldæi Orientales appellati sunt. 4° Ritus omnes et legalia veteris legis, si eo fine retineantur, ut lex vetus observetur, omninò damnanda sunt. Nam de fide est, omnia veteris Testamenti legalia, cæremonias, sive præcepta post Evangelii promulgationem omninò extincta esse, et non solùm mortua, sed et observantibus fore mortifera, ut definitum est in concilio Florentino. Dixi, *si eo fine legalia retineantur,* ut lex vetus observetur, quia licet hâc ratione damnata sit legalium observatio, tamen si non eo fine et respectu observentur, sed tantùm materialiter (ut dici solet) licita est et permissa aliquarum veteris Testamenti legalium (non ut legalia sunt) observatio, ut supra latiùs observavimus, dùm de Abyssinorum circumcisione ageremus. Ex his fit, olim apud Orientis Ecclesias non immeritò fuisse in usu, ritum sabbatum observandi, et hodie etiam apud Græcos et Ruthenos illicitum reputatur sabbato ac dominico die jejunare, quod apertè colligitur ex Epistolâ D. Ignatii ad Philippenses, et ex concilio Gangrensi, atque Apostolorum canonibus. Ille tamen ritus, vel observandi sabbatum, vel non jejunandi in Orientali Ecclesiâ inductus est, ob hæreticos Simoniacos in Oriente ortos, qui mundum (à cujus creatione Deus sabbato requievit) opus ejus esse negabant, tum quia divinitùs afflati Apostoli prænoscebant futuros quoque hæreticos in Oriente Manichæos, Eustachianos, Marcionitas, Lampetianos et Messalianos, qui in Paphlagoniâ apparuerant, qui quidem sabbato simulatè jejunabant in contumeliam resurrectionis Christi, cui resurrectioni à vesperâ Sabbati (ut ait Magnus Leo pontifex in Ep. 81, c. 1) initium constat adscribi. Porrò, quia in Occidente eadem causa non erat, nec illa hæresis vigebat, prohibitum non est, quin ipsâ die sabbati alium ad finem jejunare, laborare, sive à carnibus abstinere cum laude possent. Videndus est doctissimus Turrianus l. 7, in Can. Apostolor. et Baron. tomo 1, anno Christi 57, c. 203. Hodie verò ritus colendi sabbatum, tanquàm diem festum maneat apud Abyssinos; apud Græcos verò et alios Orientales, licet sabbatum non observent, in eo tamen sicut nec in Dominicâ die nefas dicunt jejunare. Deinde apud Orientales Ecclesias mos est, et ritus consuetudine receptissimus, quem veluti præceptum strictissimè observant, non ut à lege veteri dimanantem, sed ex Apostolorum decreto, quo si ignorantiâ ducti existimant ad hanc etiam teneri observantiam, non considerantes id adversùs idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum et idolothytum edebant; aut calicem, quem Apostolus vocat dæmoniorum, bibebant; servandum autem esse, sicut et à Catholicis servatur, decretum illud, ubicumque inter gentes, quæ idola adorant, immolatitia sint. Porrò eo

decreto immolatitia, non autem reliqua fuisse prohibita gravissimi testes sunt Patres quamplurimi Orientalis Ecclesiæ : quare hæc observantia nec Græcis, nec Ruthenis interdicitur. 5° Ritus et consuetudines circa sacramentorum administrationem examinandi sunt. Primò, an peccent in substantiâ, id est, circa tria illa substantialia requisita ad conficiendum sacramentum, scilicet materiâ, formâ et ministro. Deinde, an contraria sint præceptis divinis à sacrâ Scripturâ, vel à traditionibus Ecclesiæ emanatis circa eorum administrationem; tunc enim similes ritus omninò erunt extirpandi; tolerandi verò, si tantùm præceptis ac sanctionibus juris positivi et canonici prohibeantur. Qui verò speciatim abrogandi, et qui permittendi, faciliùs constabit, si breviter per sacramenta singula discurramus.

De Baptismo. — Itaque quod ad Baptismum attinet, Græci utuntur hâc formâ : *Baptizetur servus Christi,* quæ approbata est ab Ecclesiâ catholicâ in concilio Florentino in unione Græcorum; si tamen hâc formâ Græci schismatici utantur, existimantes formam apud nos usitatam non esse validam, in hoc à catholicâ et orthodoxâ fide dissentiunt. Deinde ritus, qui apud Græcos etiam et Ruthenos aliasque nationes servatur, ut Baptismus fiat integrâ corporis immersione, Baptismi substantiam non variat; sive enim immergendo semel, aut bis, aut tantùm capitis perfusione, ut in Occidentali Ecclesiâ, aut tantùm aspersione baptizetur quis, parùm interest, quia utrobique re idem est.

Apud Cophtos ritus est praxi usurpatus, ut etiam ratum non habeant hoc sacramentum, ne quidem in extremâ necessitate, si ab alio quàm à sacerdote conferatur, idque præcisè in Ecclesiâ, etiamsi baptizandus periclitetur; sed mos hic expressè pugnat cum decreto concilii Florentini, ac cum Ecclesiæ antiquâ traditione, quibus statuitur hoc sacramentum administrari posse à laico, sive viro, sive feminâ, tempore necessitatis, quamcumque sectam illi profiteantur, sive gentiles, Judæi, aut hæretici sint, modò habeant propositum faciendi quod Ecclesia catholica in administratione Baptismi facit, tenetque Baptismus, quocumque loco, sive in Ecclesiâ, sive extra illam conferatur. Mos est etiam apud ipsos, ut parvulis etiam in vitæ periculo existentibus nullâ ratione ante quadragesimum diem Baptismi sacramentum conferatur. Imò et aliquando ad annum et ultra soleat differri, qui etiam intolerabilis est, quia præceptum divinum suscipiendi, aut conferendi Baptismum, maximè obligat necessitatis tempore : ac necessitate reclusâ, irrationabilis est consuetudo Baptismi tempus ultra annum, tam in pueris, quàm in adultis prorogare, seclusâ tamen necessitate, jure divino non est præfixum tempus parvulorum Baptismo. Cophtorum mos est, et aliorum quoque Orientalium statim à Baptismo parvulos chrismare, oleoque sancto ungere in fronte, in pectore, in juncturis et in renibus, qui ritus laudabilis est, et antiqua Ecclesiæ cæremonia, ita tamen, ut non credant Chrismatis usum esse de substantiâ Baptismi, ut falsò sentiunt Armeni, apud Alphonsum de Castro, verbo *Baptismus :* sine hujusmodi enim unctione consistit vera Baptismi ratio, ut constat. Joan. 3, illis verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto,* etc. Unde et usus Ecclesiæ obtinuit, ut in casu necessitatis Baptismus administretur sine unctione, et absque aliis cæremoniis. Pueris statim ac sacro Baptismate abluuntur, Eucharistia ferè apud Orientales confertur : sed in hoc, retinet antiquum Ecclesiæ usum, approbatum à sanctâ synodo Tridentinâ sessione 21, c. 4, de quâ optimè Paulinus Nolæ episcopus in Epistolâ ad Severum fratrem hoc carmine scripsit :

Inde parens sacro ducet de fonte sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu;
Circumdansque rudes festis altaribus agnos,
Pura salutiferis imbuit ora cibis.

Quòd si existiment Eucharistiæ sacramentum necessariò parvulis statim post Baptismum conferendum, turpiter errant contra prædictam synodum Trid. et ideò in hâc parte corrigendi et instruendi erunt.

Jacobitæ, imò et alii ex Orientalibus ferro candenti figuram crucis in fronte baptizatis imprimunt. At si ipsi hoc ritu et cæremoniâ loco aquæ in baptismo utantur (ut refert Bernadus Luxemburgensis) existimantes verba illa Joannis Baptistæ apud Matth. c. 3 : *Ego,* inquit, *baptizo vos in aquâ; ille autem vos baptizabit in Spiritu sancto et igne,* accipienda esse de igne materiali, pessimè errant, cum hæreticis Manichæis, et Seleucianis, ut auctor est D. August. l. de Hæres. c. 59. Si verò post ablutionem aquæ ac post alia ad substantiam Baptismi requisita, baptizati crucis imagine in fronte, ut omnibus constet de religione quam profitentur, sive alio honesto fine signentur, consuetudo potiùs laude quàm vituperio digna videtur.

Denique circa Baptismi ritus illud se offert memorandum apud Abyssinos, dùm in festo Epiphaniæ, ut latiùs refert Francisc. Alvaresio, benedicto priùs aquarum stagno, trinâ immersione tam mares quàm feminæ, præmissâ formâ Baptismi, quotannis rebaptizantur; qui ritus in usu est (ut Possevinus docet in Commentario de rebus Moscoviticis) ad religionem spectandam apud Græcos Orientales. Error tamen hic, quantùm conjicere possum, à Novatianorum hæresi ortum habuit, qui falsò existimantes, non esse in Ecclesiâ potestatem reconciliandi lapsos, ut illi sine spe non remanerent, alterum Baptismum Abyssini admisêre, ut ex eodem Alvaresio non obscurè colligitur. At non desunt, qui Abyssinos excusandos credant, quia id non tam rebaptizandi gratiâ, quàm in honorem Christi Domini baptizantis faciunt. Ita Romæ interrogati aliqui ex Abyssinis ipsis responderunt.

Circumcidunt etiam pueros Baptismi tempore, tam Abyssini, quàm Cophti, quorum ritus in hâc parte quantùmvis ipsi non tam religionis, quàm honoris causâ facere contendant, minimè ob aliarum Ecclesiarum scandalum tolerari debet.

De ritibus circa Confirmationis sacramentum. — Aliqui ex Ecclesiâ Orientali simul cum Baptismo sacramentum Confirmationis conferunt, ut de Abyssinis affirmat Zagazabus illius gentis episcopus, in libello quem in Lusitaniâ, de fide et religione Abyssinorum edidit. D. quoque August. in Quæst. Novi Testam. q. 42, graviter queritur de corruptâ Ægyptiorum et Alexandrinorum consuetudine, quorum sacerdotes audebant Confirmationis sacramentum administrare; sed tunc examinandi sunt ritus, qui Baptismi tempore adhibentur, an sufficiant ad conficiendum hoc sacramentum. Primùm constans est apud Catholicos de fide tenenda sententia, ad Confirmationis sacramentum, de necessitate sacramenti saltem requiri, ut Chrisma sit ex oleo olivarum (quod apud nos solemni episcopi consecratione conficitur.) Quamvis non defuerint graves auctores, qui etiam de necessitate Sacramenti, ut balsamo esset admixtum, requirerent; quòd verò oleum sit consecratum ab episcopo, ut probabilis tenet opinio, non requiritur necessitate sacramenti. Forma verò substantialis his verbis definitur: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Ad formam etiam reducitur, quòd confirmandus chrismate in fronte signetur, quamvis Romanus Catechismus hoc ad cæremonias extrinsecas, et quasi de præcepto tantùm necessarias referre videatur. Minister hujus sacramenti ordinarius est episcopus, extraordinarius verò et tempore necessitatis, ex commissione tamen summi pontificis, est quilibet simplex sacerdos; ita colligitur ex Florentinâ, à quo etiam ex summi pontificis delegatione chrisma potest consecrari. Cætera verò, ut quòd confirmandus manu in maxillâ ab episcopo cædatur, quòd fiat hoc sacramentum in die Pentecostes, cæremoniæ sunt, quæ non ad substantiam sacramenti spectant.

His igitur stabilitis, facile erit judicare an ritus, qui post Baptismum celebratum interveniunt, sufficienter materiam, formam, et ministrum hujus sacramenti, saltem necessitate quam vocamus sacramenti, contineant: nam tunc non erit sacramentum Confirmationis iterandum. Ex quibus apertum fit, sacramentum Confirmationis à presbytero collatum irritum esse. Quare Gregorius XIII, pontifex maximus, in quâdam synodo suo tempore apud Maronitas celebratâ, ei qui synodo præsidebat injunxit, ut qui in illis regionibus à simplici sacerdote erant confirmati, si vellent, possent iterùm ab episcopo chrismari; si tamen scandalum timeretur, non oportere Confirmationem reiterari; et si nullum esset sacramentum, tamen cùm non sit de necessitate salutis, ob scandalum securè prætermittendum. Eamque hujus rei summus pontifex reddit rationem, quia et si Florentinum in unione Armenorum doceat posse presbyterum ex papæ dispensatione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregor. l. 3 Registri Ep. 26, hanc tamen apostolicam dispensationem non legimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ (cui Maronitæ substant), collatam esse; idcircò à prèsbytero chrisma collatum irritum est.

De sacramento Eucharistiæ. — Jacobitæ et aliæ nationes orientales sæpè Eucharistiam impuberibus, maximè altari ministrantibus, absque præviâ confessione conferunt; qui ritus irrationabilis est, et non tolerandus in his qui conscientiam alicujus culpæ lethalis habent; ita colligitur ex Trid. sess. 13, can. 11. Quare vera sententia theologorum tenet, esse de jure divino præceptum confitendi ante Eucharistiæ sumptionem, nisi aliàs sacerdoti celebranti desit copia confessoris. Sunt et alii ritus circa sanctissimæ Eucharistiæ ministerium in usu apud Orientales, qui si at-

tentè considerentur, omnes ferè ab Apostolorum doctrinâ, vel traditione in illas emanârunt nationes. Inprimis, Ecclesiæ primitivæ usus de quotidianâ communione usque adhuc in multis Orientalium servatur nationibus, quæ utinam æquè et antiquam Christianorum consuetudinem, et eorum circa hoc sacramentum reverentiam et fervorem imitarentur !

Deinde omnibus etiam laicis, non solùm apud Orientales, sed et apud Græcanas nationes Eucharistiæ sacramentum sub utrâque specie confertur : quam fuisse olim in Ecclesiâ receptam consuetudinem luculenter docet concilium Constantiense, sess. 13. Et quamvis similis ritus illis jamdiù permissus sit ab Ecclesiâ , in Ecclesiâ tamen Latinâ justissimis de causis laïcis prohibitus est communicandi ritus sub utrâque specie; quare nationes Orientales, quæ Ecclesiæ catholicæ manus, obedientiamque dederunt , pedetentim arcendæ sunt à communione sub utrâque specie, cùm id tanti faciat Tridentina synodus sess. 21.

Tertiò, verus mos erat illius primitivæ Ecclesiæ, quo Christianis permittebatur Eucharistiam propriis manibus acceptam vel in Ecclesiâ statim sumere , aut illam domum asportare, sumptionemque in aliud tempus opportunum differre : illud tamen erat discriminis inter viros ac feminas, quòd illis nudâ manu Eucharistiam tangere erat permissum ; his verò prohibitum erat manu nudâ, sed linteamine nitido utebantur , quod Dominicale vocabatur , ut in concilio Antissiodorensi expressè legitur can. 36 et 39. Ritus verò iste Eucharistiam propriâ manu domum asportandi (teste Baronio tomo primo Annal., anno Christi 57, c. 149), ideò fuit potissimùm introductus, quia cùm olim minùs liceret ad sacras synaxes tempore persecutionis Christianos in unum coire, ut qui quotidie de vitâ periclitarentur, quotidiè Eucharistiam sumerent (secundùm quod ait Cyprianus Ep. 56 : « Considerantes se quotidiè calicem sanguinis Christi « bibere, ut possint et ipsi propter Christum « sanguinem fundere »), ideò fuit concessum, ut cùm in Ecclesiâ vel aliis locis abditis Missæ peragerentur, fideles non solùm ibi communicarent, sed Eucharistiæ particulas à sacerdote acceptas domum ferendas sumerent , quas reverenter asservatas singulis diebus summo mane jejuni participabant. Plura sunt de hujusmodi consuetudine Patrum testimonia. Eam docent Tertull. l. 2 ad uxorem, c. 3 ; S. Cyprian. l. de Spectaculis, et l. de Bono Patient., Gregor. Nazianz. Oratione in funere Gorgoniæ ; D. Basil. in Epist. ad Cæsariam Patritiam ; Hieron. ep. 50; August. Ser. 252, et alii Patres apud Baron. tomo primo , anno Christi 57, à cap. 248, et Bellarm. tomo 3 de Sacram. l. 4, c. 4 et 5, aliique graves auctores scribentes de Eucharist. Sacramento. Hæc autem consuetudo, teste Baronio, cùm communis fuerit et Orientali et Occidentali Ecclesiæ, in Occidentali usque ad concilium Cæsaraugustanum perduravit , in quo can. 3 in Hispaniâ hæc consuetudo abrogata fuit. In eo enim canone legitur : « Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesiâ, anathema sit in perpetuum. » In Orientali verò Ecclesiâ etiam post dicta tempore adhuc ejusmodi consuetudinem viguisse, plura exempla declarant , quæ in Prato spirituali habentur descripta.

4° In itinere etiam secum Eucharistiam ferre aliquando concessum fuisse (tanta enim erat tunc Christi fidelium pietas), S. Ambros. in Oratione funerali fratris sui scribit , ubi de Satyro fratre agens, id manifestè significat ; testatur idipsum Gregor. Dialog. l. 3 , c. 36 , de Maximiano episcopo Syracusæ , et ejus sociis Eucharistiam secum portantibus , dùm mare Adriaticum navigarent. Eam quidem consuetudinem apud Ecclesiam Orientalem alicubi etiam viguisse temporibus Alexandri papæ III, Acta sancti Laurentii episc. Dublinensis in Vitâ ejusdem sancti Laurentii episcopi, c. 8, apud Surium tomo 6, die 14 novembris, testantur, in quibus hæc leguntur : « Quatuor « sacerdotes cum magnâ turbâ hominum , « transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut « tunc moris erat pluribus) secum pro tuto « viatico ac securo duce itineris publicè deferebant. » Hæc ibi. Hic etiam mos perseverâsse videtur inter Orientales usque ad nostra tempora. Hic autem ritus in Occidentali Ecclesiâ solùm remansit apud summum pontificem, qui in itinere Eucharistiam publicè atque honorificentissimè ante se gestat. Ea verò fuit causa ut olim tam clerici quàm laici in itinere Eucharistiam secum portarent , quia cùm hoc sacramentum viaticum sit, ac hominibus quibuscumque in mortis articulo necessarium, prudenter olim fiebat, ut tam clerici quàm laici, ob mortis pericula , quæ in itinere se offerebant , maximè persecutionis tempore, secum in itinere conficiendo deferrent, ne, si illis mori contingeret, viatico privarentur. Et quamvis hæc consuetudo, ob majoris hujus

sacramenti reverentiam, hodie tantùm apud summos pontifices fuerit conservata, apud Orientales verò non video alicubi fuisse damnatam, nec auderem Evangelii ministros, in illis regionibus aut aliis infidelium provinciis conversantes, si imminente mortis periculo secum viaticum, occultè tamen, deferrent, condemnare.

5° Eucharistiam quoque absentibus deferri mos fuit apud antiquos, qui etiam hodie manet apud Orientales aliquos. S. Iræn. Epist. ad Victorem papam apud Euseb. l. 5 Hist. Eccl., c. 24, testatur moris fuisse papam mittere aliis episcopis Eucharistiam in signum pacis et communionis; Dionys. etiam Alexand. in Ep. ad Fabium apud eumdem Euseb. l. 6 Hist. c. 36, ait Serapionem in extremis agentem accepisse Eucharistiam missam per puerum à sacerdote tunc domi ægrotante.

6° Ritus Græcorum consecrandi in fermentato approbatus etiam est ab Ecclesiâ, ita tamen ut potior sit in azymo, ut fit in Ecclesiâ Latinâ.

7° Armeni et Orientales alii non miscent in sacrificio Missæ aquam vino. Quòd si hoc faciant, ut profiteantur Eutychetis hæresim, unam tantùm naturam in Christo agnoscentis, manifestus est et intolerabilis error; si verò hoc fiat, vel quia non existiment esse de necessitate sacramenti, vel in significationem alicujus Christi mysterii, fortè tolerabilis esset consuetudo, quia hæc aquæ mixtio, ut optimè probat Franciscus Suarez tomo 3, in 3 part. disp. 45, sect. 2, tantùm est de necessitate præcepti; præcepti, inquam, humani tantùm. Quare cùm hæc cæremonia non pertineat ad sacramenti substantiam, posset ab Ecclesiâ dispensari. Tamen urgendi sunt Armeni, ut præcipit concilium Florentinum, ut sese cum universo orbe conforment.

8° Mustum ex uvis maturis expressum in rigore est sufficiens materia consecrationis calicis. Ita tenet cum D. Th. 3 p., q. 74, art. 8, communis doctorum sententia, et colligitur ex c. *Cùm omne crimen,* de Consecr. dist. 2, ubi dicitur: « Si necesse fuerit, posse botrum « in calice exprimi, et aquâ misceri, et ita « confici. » Unde Arist. 4, Meteor. c. 10, *mustum* vocat vinum recens, licet non sit purum et satis coctum, quia nondùm separatus aqueus humor, flos, et fex, quæ per decoctionem vini secerni solent. Idem etiam censeo de musto expresso ex uvis passis, ut moris est apud Abyssinos; quare in hujusmodi musto conficientes non peccant. Quòd si ab hoc ritu tanquàm minùs convenienti sive potiùs indecoro retardari nequeant, ferendi sunt, si aliter fieri non possit.

De sacramento Ordinis.—1° Ritus apud Orientales nationes usitatus ordinandi pueros ante rationis usum, licet non sit contra fidem, imprimatque characterem Ordinis sacri, etiam in hâc ætate, irrationabilis valdè, et ideò extirpandus, si ferat illarum nationum conditio. 2° Deinde ordines collati absque eo quòd suscipientes materiam cujusque ordinis propriam tangant, ut verior sententia tenet, irriti sunt, nulliusque valoris, aut effectûs. Quare ordinati iterùm sub conditione debent ordinari: ita Romæ fuit decretum, ac executioni mandatum, cum fratre Tecla Abyssino, et monacho Sancti Antonii, anno Domini 1594. 3° Cùm Stephanus papa, dist. 31, can. *Aliter,* tradat Orientalium veterum esse traditionem, ut eorum sacerdotes matrimonio copulati sint, cùmque id illis nunquàm interdixerit Ecclesia, nullâ ratione id interdicendum videtur, dummodò ante sacerdotium matrimonium contrahatur: lex enim cœlibatûs semper gravis visa est et Græcis, et Orientalibus aliis, propterea conjugium permissum est illis ab Ecclesiâ.

De Matrimonio. — 1° Ritus sive consuetudo contrahendi in aliquibus gradibus, sine summi pontificis, aut episcopi dispensatione, jure divino non est prohibitus, quales sunt omnes alii ultra primum in lineâ transversali, ut verior sententia docet, et in lineâ rectâ omnes in infinitum. 2° Mos qui communissimus est inter schismaticas nationes, quo permittitur ob fornicationem matrimonium dissolvi, est contra fidem, et ob id non tolerandus.

Hæc sunt quæ exempli gratiâ, quia fortè difficillora, à nobis interim sunt allata. Videndæ omninò sunt interrogationes et responsa summi pontificis Gregorii XIII, de quibus supra. Illud tamen inter alia observandum apostolicis ministris, quantùm fieri possit, magnoperè curandum, ut nationes omnes, quarum reductioni student, matricem Ecclesiarum Romanam Ecclesiam, non solùm in fundamentis quantùm fieri potest, fidei substantialibus, sed etiam in ritibus aliis et cæremoniis imitentur. Si verò ægrè ferant à patriis ritibus (ut frequenter fieri solet) discedere, salvâ fide catholicâ, omnia alia sustinenda sunt propter electos. Oportebit tamen sedem Apostolicam passim consulere; si verò non ita facilis sit accessus, re maturè et cum judicio expensâ procedendum erit.

PIACEVICHII VITA.

Nihil de Piacevichio novimus, nisi eum ex Poloniâ oriundum eruditissimos inter viros fuisse qui Jesuitarum societatem seculo proximè elapso illustrârunt. Quid verò auctor spectârit, quamque viam inierit in opusculo quod recudimus, ipse nos docet præfatione hìc subjectâ :

AUCTOR AD LECTOREM.

« Rem bonam facturus mihi videbar, si Græcis, qui sacra omneque pietatis genus nobiscum colunt, et consuetudine magis, quàm veri odio, neque in multis adeò à Romanâ Ecclesiâ discedunt, collocato labore consulerem. Hùc ergo animum applicui, ut quæstiones fidei controversas, quæque per vices in conciliis, aut privatis Patrum conventibus nos inter, ipsosque disputatæ sunt, facili, et planâ aliquâ methodo, nec voluminosâ mole complecterer : æstu deinde, et quibusvis verborum injuriis longè relegatis, errantes docerem, non insectarer; et pro initâ semel provinciâ lucem obscuris, dubiis solutionem afferrem, neque nisi certæ, probatæque fidei testimoniis, responsionibus, argumentis uti vellem. Quod, an quemadmodùm propositum habui, expleverim etiam, primum illorum in Oriente principum, qui se mihi ad opus hortatores præbuerunt, tum et Græciæ sapientum, quorum commodo hæc scripsi, imploro judicium. His si nostra probentur, attigi votorum summam. Id conceptis verbis profiteor, me scholastica inter, et dogmata probè secrevisse, ne cui credendi onus, quod scio publicum et commune esse, jure privato injicerem : magno ad hæc studio apocrypha et supposita declinâsse, ne semel immixta etiam claris certisque robur detraherent. Curavi præterea, ut præjudicatas Græcorum opiniones sive de sanctitudine virorum, seu de scriptorum fide, quoad fas est, retinerem, et cum veritate amicè componerem; cùm enim nihil sit facilius, quàm quæ molestiam creent, traducere, et vel damnare, ac aspernari, vel in suspicionem vocare, tamen hoc eorum tantùm arbitror esse, qui novarum dissensionum moliuntur causas, non qui veteribus velint finem imponere. Cautè demùm, neque absque delectu, criticæque subsidio ad temporum nostrorum genium versatus, eodem prorsùs animo decurri rem omnem, quo ad illam aggressus sum; hoc est, nullo partium studio, sed impulsu solius veritatis. Cui cùm ex animo, totumque deferrem, si vel apicem deflexerim, qui legis, da veniam, et hominis quotidianis theologiæ scholasticæ curis impediti, quàm remissè segniterque versantis lapsum interpretare, atque postliminio, quæ operi desunt, controversias præstolare. Vale, Christus te sospitem servet, et quamdiù opto, pacem Ecclesiis sanctis, ac unionem restituat. Qui scopus laboris est. »

DE PRIMATU ROMANÆ ECCLESIÆ,

CONTRA SCHISMATICOS ORIENTALES.

Colloquium Primum.

DE PRIMATU DIVI PETRI.

§ I.

Græcus. Si quid unquàm christianæ reipublicæ funestum contigit, hoc quidem est schisma illud, quo Græci à Latinis dividimur. Laboravit sæpè antehac Christi Ecclesia sive cùm undique in ejus excidium cruces, gladii, ignesque ferrentur à sacrilegis idolorum cultoribus, sive cùm ejus sanctitati hæresiarchæ impio aliquo dogmate bellum facerent. Verùm mala hæc tanti non erant, ut non etiam ex ipsis multò Ecclesia proventus fecerit. Pugnabat in hæc mala, vincebat; et si non continuò vinceret, nunquàm tamen victoriæ, nunquàm remedii spem posuit. Hoc verò malum, quo conflictamur hodie, cùm superioribus illis atrocitate majus sit, ex diuturnitate suâ spem

etiam omnem remedii vicisse videtur : quid enim ad unionem nostram spei supersit, aut remedii, postquàm toties, et semper irrito conatu, quamcumque consentire optaremus, nunquàm in unum consensimus?

Latinus. Rectè aiebas, maximè diuturnum, funestissimumque malum, quo laboramus, esse : etenim prope est, ut decem secula decurramus, ex quo schisma sumpsit exordium : malum sine dubio atrocissimum, quod non ut barbarorum gladii triumphantem auget Ecclesiam, neque ut hæreses unam alteramque tantùm à Christi regno divellit provinciam, sed provincias, regna, partes orbis integras, patriarchicas sedes omninò quatuor. Neque tamen ego in tantâ mali pertinaciâ remedii omnis spem abjeci. *Potens DEUS est de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Clades certè, quas Orienti christiano invexit schisma, si reputentur attentiùs, possunt non ad optandam modò, sed et ineundam concordiam nos adducere. Cogitate autem quis pœnam portet? lugemus enim ex æquo utrique; pœnam portat Oriens, eamque gravissimam. Ita enim denique à vindice DEO constitutum existimo, ut patriarchæ, quos fastus Ecclesiæ capiti abstraxit, hos dura necessitas Turcorum tyrannidi, et fœditati Mahometis supposuerit, adeò ut neque sine metu, nec citra periculum, certè non absque contemptu Christi nomen in vastissimis illis Europæ extremæ, Asiæque finibus hodie resonet.

Græcus. Ita est, mali gravissimi eventus fatales, quos deploramus utrique communiter, nos tamen portamus præcipuè. Sed ut, quod res est, dicam, cùm apud nos mali pœna sit, penes vos esse omnis mihi culpa videtur. Latini namque sunt, qui divisioni Ecclesiarum funestæ, ex quâ tot clades ad nos serpserunt, causam fecêre, postquàm immaculato fidei Symbolo, majore injuriâ, quàm auctoritate, vocem veteri Ecclesiæ sanctæ ignotam, *Filioque*, addidêre.

Latinus. Novi hunc esse morem vestrum, ut crimen cœpti schismatis, nunquàm probatum, confidenter nobis imponatis. Neque nunc primùm accusamur ut pacis et fœderis ruptores; sed quibus hoc evincatis, argumenta vos destituunt. Verùm opportuniùs in originem, fontesque schismatis inquiremus, ubi colloquia ad metam perduxerimus : tunc fucum, larvamque detrahemus, et quæ pars malo causam fecerit, oculis omnium subjiciemus. Nunc, quod æquum est, dissidii nostri capita amico colloquio exequamur.

Græcus. Quanquàm plura sint, quæ Latinæ Ecclesiæ objecit Photius, atque Michael Cerularius, summa tamen dissidii, quod inter nos est, ad quinque capita facilè redigitur. Principium ac velut basis cæterorum, est primatus Romanæ Ecclesiæ sanequàm controversus. Alterum maximèque insigne, imò, si me doctioresque è nostris audias, unicum dissidii caput, ac veluti robur, additio vocis, *Filioque*, facta per Latinos ad Symbolum. Tertium, dogma processionis divinissimi Spiritûs. Quartum, azyma. Quintum, hâc mortali vitâ solutorum pœnas purgantes, et præmia attinet.

Latinus. Neque nostris desunt multa ac varia, quæ in moribus vestris redarguant : verùm minora omnia, quàm ut Ecclesiarum nexum divellant, aut ab ineundâ concordiâ cohibeant. Quare ab iis aut in totum abstinebimus, aut nonnisi, his præcipuis quinque diligenter excussis, locum faciemus.

Græcus. Ordire familiarem sermoném à primatu Romanæ Ecclesiæ; et quia Petri successione totus nititur, Petro illum primùm vindica. Sunt è nostris etiam, quos æstus hùc abripuit, ut, quando ægrè negatur successori, quod præcessori ex munere adhæret, maluerint Petro detrahere, ne id etiam Romano pontifici tribuendi necessitatem sibi imponerent.

Latinus. Quod fundamentum, et caput est controversiæ primum : Petrum à Salvatore primatu honoris ac jurisdictionis donatum esse, isto mihi probandum sumpsi loco. Et quo istud, inquis, fundamento? eâ scilicet, quam vos Græci sacro Codici sanctisque Patribus defertis, auctoritate. Plura hinc argumenta dabo, quàm ut, quod ad ea refellenda suppetat, faciam reliquum; clariora, quàm ut aliunde perspicuitatem mutuari debeant, vel in sensum à proposito alienum detorqueri possint. Inter hæc tamen et responsa vestra audiam, et ad ea, quæ adversarii in medium proferetis, respondebo. Adeò nec cæcam à vobis fidem exigimus, nec more præceptorum, in nostras vos opiniones succedere cogimus.

Græcus. Quàm tu mihi arduam ingrederis viam! ut enim è Patribus desint minimè, qui tuæ sententiæ auctoritatem concilient, certam non efficiunt, quamque christiano homini amplecti opus sit. Nisi tu majus aliquod è sacris paginis, in rem tuam momentum afferas, illud sanè, quod ex Matth. 16, et Joan. 21, petitis Christi oraculum, causam vix effi-

cit : quando inter Patres ipsos nondùm convenit. ad quem denique Christi illa verba pertinuerint? et si etiam liqueat, minùs hoc in rem tuam facere potest, quàm ut inde Petri primatum concludas. Verùm ne duo in unum misceas, evince primùm, effata illa Christi ad Petrum directa fuisse ; deinceps inde controversus Petri primatus stabiliatur.

§ II.

Latinus. Ut video, de re apud nos hodiè compertissimà ambigis, et in controversiam vis ducere, Petrum, an alium effata illa Christi respexerint Hoc ut ego te dubio eximam, non est propè quod agam aliud, quàm ut ipsa Christi verba sub conspectum ponam ; quibus quidem apud Matthæum pollicitus, apud Joannem etiam largitus est Petro primatum. Verba Christi Matthæi 16 sunt : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam..... Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et Joan. 21 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quid enim hìc aliud *claves,* quid aliud *petra*, quid ipsum *pascere* aliud quàm primatum indicant? quæ si Petro, et de Petro dicta ambigis, dubitationis rationem profer aliquam.

Græcus. Primatus, an quid aliud verbis illis designetur, nunc non agimus ; in alium hoc tu locum differ. Ostende primùm ad personam Petri utrumque Christi effatum pertinuisse. Ne ego te rudem existimem, si ignores Origenem Tract. 1 in Matth. per petram, fidelem omnem, omnem Christi imitatorem, omnes denique Apostolos intellexisse. Audi quàm disertè hoc edicat : « Petra est, ait Origenes, « quisquis Christi discipulus... et super talem « petram constituitur omnis ecclesiastica do« ctrina... in unoquoque perfecto..... à DEO « ædificatur Ecclesia. Quòd si super unum « illum Petrum tantùm existimes ædificari to« tam Ecclesiam, quid dicturus es de Joanne « filio tonitrui, et Apostolorum unoquoque?... « nomen ducunt à petrâ, quicumque sunt imi« tatores Christi, qui est petra spiritualis co« mitans eos qui salvi fiunt, ut ex eâ bibant « potum spiritualem. » An verò tu Origenem damnaveris, aut me, si cum eo sentiam?

Latinus. Elegans sanè argumentum, sed quod vim apud eos duntaxat obtineat, quibus ignotum est, eumdem Scripturæ locum à Patribus nunc litterali atque historico, aliàs spirituali ac mystico sensu exponi. Nobis de hoc postremo sermo hìc non est: in litteralem, et historicum inquirimus, quem fide integrâ nemo negare possit. Ne frustra agas, evince ad alium, quàm Petrum, nec ad Petrum effata illa Christi pertinuisse ; sic forsan adversùm nos concludes. Verùm non tu id efficies, nisi vel Patrem unum, qui hæc Petro dicta disertè abneget, protuleris : audeo verò dicere, neque unum talem ex mille proferes. Origenes, cùm id Christi oraculum allegoricè interpretatus est, potuit ad omnem Christi discipulum ac imitatorem rectè extendere ; at verò cùm eadem Christi verba ad litteram ac historicè expendit, soli Petro accommodat. « Vide, ait « Origenes Hom. 5 in Exod., magno illi Ec« clesiæ fundamento, et petræ solidissimæ, « super quam Christus fundavit Ecclesiam, « quid dicatur à Domino : *Modicæ fidei, quare « dubitâsti?* » An verò ea Salvatoris correptio alteri, quàm Petro convenit? Illi ergo Origenes ex Christi sententiâ *petræ solidissimæ* nomen attribuit, cui à Christo dictum meminit, *modicæ fidei;* hoc verò neque Apostolis omnibus, neque cunctis Christi fidelibus; igitur nec illud.

Græcus. Ne mihi quidem petræ nomen in adeò multos conferre placuit, ut non Patrum aliorum sententiam exquirendam, et præponendam huic Origenis expositioni duxerim. Placuêre verò in primis Aug. Theodoretus, atque alii, qui petræ nomine, super quam ædificanda erat Ecclesia, Salvatorem ipsum, quem confessus fuerat Petrus, intelligunt. August. Tract. 123 in Joan. diffusè hunc sensum explicat : « Ideò quippe (verba illius sunt) « ait Dominus : *Super hanc petram ædificabo « Ecclesiam meam,* quia dixerat Petrus : *Tu « es Filius DEI viv i.Super hanc igitur,* inquit, « *petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam « meam.* Petra enim erat Christus. »

Latinus. Expositionem Augustini, Theodoreti, Bedæ, atque aliorum, qui his consentiunt, facilè complectar ; nihil ea Petro detrahit : utrique, Christo nempe atque Petro, quod suum est, tribuit. Statuunt itaque Patres locis iis, Christum solum petram principalem esse, at non inficiantur Petrum secundariam, et in Christo petram fundatam esse. Expressisse hoc mihi Aug. videtur non obscurè serm. 13 de Verbis Domini dicens : « *Tu es,* ergo inquit, « *Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam « meam.* Super hanc petram, quam cognovisti « dicens : *Tu es Christus Filius DEI vivi, ædifi« cabo Ecclesiam meam* : id est, super me, ip« sum Filium DEI vivi, super me ædificabo te, « non super te, me. » Et breviùs tract. 123 in Joan. : « Non enim à Petro petra, sed Petrus

« à petrâ. » Frustra agis omnia, nisi vel unius Patris locum proferas, qui Petro disertè petræ nomen abroget.

Græcus. Equidem si accuratiùs expendam omnia, fatebor, non esse in Patrum numero, qui effata illa Christi Petro non accommodent, qui petræ, et fundamenti nomine designatum Petrum non dixerint. Verùm ita quidem sensisse olim Augustinum pœnituit; re enim expensâ paulò attentiùs, non quemadmodùm olim Petrum petræ nomine apud Matthæum, sed Christum ipsum, duce sine dubio Origene intelligi maluit. Etenim l. 1 Retractationum, c. 21, sic loquitur : «In hoc libro (quem nempe « contra Epistolam Donati scripserat) dixi in « quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo « tanquàm in petrâ fundata sit Ecclesia : qui « sensus etiam cantatur ore multorum in ver« sibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gal« linaceo ait : *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente « culpam deluit.* Sed scio, me postea sæpissimè « sic exposuisse, quod à Domino dictum est : « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo « Ecclesiam meam,* ut super hanc intelligatur, « quem confessus est Petrus, dicens : *Tu es « Christus Filius DEI vivi.* » Augustini sententiæ citra piaculum adhærebo hodie; nec abs re erit, si tu quoque tanto Patri te adjungas.

Latinus. Quanquàm Augustinum summâ semper veneratione prosecutus sum, non est tamen, cur ad ejus sententiam hìc etiam me applicem : negare non potes variâsse S. doctorem, et nunc quidem Christum petræ nomine, aliàs Petrum, dixisse designari. Neque ille quemquam ab hâc nostrâ discedere, et in alteram commigrare jubet sententiam; arbitrio cujusque delectum committit : verba ejus sunt : « Harum autem duarum sententiarum, « quæ sit probabilior, eligat lector. » Qui utramque permittit, reprobat neutram; nec est cur ipsum pœnituerit, *petræ* nomen olim exposuisse de Apostolo; quanquàm in partem alteram proniore ferri videatur animo. Cùm Matthæi locum de Petro exposuit, Ambrosium, et communem Ecclesiæ sensum secutus est; cùm verò Christum potiùs petræ nomine ibi designari putavit, ingenio confisus suo, et fallaci abductus ratiocinio, si fatendum sit, à plano et genuino verborum sensu deflexit. An ergo deviantem sequeris, et adhærebis expositioni, quam, si viveret, hodiè Augustinus retractaret?

Græcus. Fallaci nescio quo ratiocinio, à tritâ ac genuinâ semitâ deflexisse Augustinum illâ interpretatione audes dicere, quam ipse vocat probabilem. Quam majori voluntatis propensione complexus videtur, ab eâ tu, si viveret, recessurum ais?

Latinus. Quàm quod maximè; neque propterea conscientiâ tangor : audi tantùm, unde in eam denique mentem adductus sit Augustinus, ut mallet apud Matthæum *petræ* nomine Christum, quàm Apostolum intelligi, et facilè subscribes : « Non enim (Augustinus argu« mentum suum insinuat) dictum est ibi (Apo« stolo), *tu es petra*, sed, *tu es Petrus; petra « autem erat Christus*, quem confessus Simon, « sicut tota eum confitetur Ecclesia, dictus est « Petrus. » Si ergo rectè assequor, sic secum, ut quod intulit inferret, ratiocinatus est : *Petra erat Christus,* 1 Cor. 13; super petram ædificanda promittitur Ecclesia, igitur supra Christum. Et rursùs : Simoni non est dictum : Tu es petra; atqui super petram promittitur ædificatio Ecclesiæ; igitur non supra Simonem.

Græcus. Ita prorsùs ratiocinatum existimo : in mutatione illâ generum, *tu es Petrus*, quæ in textu occurrit, et *super hanc petram*, mysterium latere suspicatus est : inde conclusit, *Petrum* quidem de Apostolo, at *petram* de Christo ipso oportere accipi. An verò id non rectè? dic quid tandem des vitii illationibus Augustini. unde Patrem doctissimum fallaci argumento delusum ostendis?

Latinus. Christum non Græco, sed Hebræo aut Syro sermone cum Petro egisse, neque aliter Matthæum ab origine exarâsse Evangelium, explorata res est. Jam si nulla in utroque illo idiomate occurrit eo textu, generum variatio, si et *chapha* Hebræum, et *chepha* Syriacum, quod *petræ* respondet, eædem penitùs ac incommutatæ recurrunt : quis non perspicit, fallax planè fuisse Augustini argumentum. Equidem si verba ejus expendas, liquet satis, nunquàm S. doctorem in eam mentem deventurum fuisse, ut de alio, quàm Apostolo, *petræ* nomen exponeret, si quemadmodùm dictum est: *Super hanc petram,* ita quoque dictum esset : *Tu es petra.* Atqui in Syriaco textu citra mutationem vel levissimam generis, Apostolo dicitur : *Ego dico tibi, quia tu Chepha, et super hanc Chepha ædificabo Ecclesiam meam.* Fugit id Augustini licet sublimem mentem; non effugit Hieronymum linguarum cognitione instructissimum; quare, super Jerem. 16, dixit : « Non solùm Christus petra, sed Petro « Apostolo donavit ut vocaretur petra, cujus « sensibus requiescentes recte dicuntur trans-

« lati de petrâ. » Et in cap. 2 ad Galat.: « Modò « Cephas, et modò Petrus scribitur, non quòd « aliud significet Petrus, aliud Cephas, sed « quòd, quam nos Latinè et Græcè petram « vocamus, hanc Hebræi et Syri, propter lin- « guæ inter se viciniam, Cepham nuncupant. »

Græcus. Eccur itaque interpres Matthæi variat, σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ ἡ πέτρα; cur non semper eodem genere reddidit: Tu es Petrus, et super hunc petrum? aut: Tu es petra, et super hanc petram?

Latinus. Si mutationis aliqua nobis reddenda sit ratio, neque id fortunâ, aut arbitrio evenisse putes, crederem eo factum consilio, quòd interpres convenientius duceret, Apostolo, quippe viro, terminatione virili id nomen tribuere, quod muliebri, ut plurimùm basi ac fundamento tribuitur. Cæterùm cùm homo ex asse Græcus sis, ignorare nequis in illâ etiam quâlicumque mutatione, Augustino nil opis esse, nec latere quidquam mysterii, quando utcumque efferas πέτρος et πέτρα, rupem tantùm, nec aliud quidquam significat.

Græcus. Cùm tu Augustinum sive ignoratione sermonis Syriaci, sive quòd intentus versioni Græcæ, ad Syriacum non respexisset codicem, in eam mentem delatum dixeris, ut quod jure optimo debebat Apostolo, *petræ* nomen Christo maluerit tribuere, præstruxisti viam argumento, quod ex Augustini illâ interpretatione adversùs Petri primatum paraveram.

Latinus. Miror magnoperè, quòd tu ex illâ quâlicumque Augustini interpretatione præsidii quidquam adversùs Petri primatum speraveris, quando S. doctor eodem prorsùs loco, quo Christum petræ nomine insignit, Petro nihilominùs principatum apostolatûs defert: quare si quid adversùs primatum moliebare, Augustino contrarium ex Augustino inferre parabas, quæ inefficax planè est argumentandi ratio, et Augustino fortè, non Petri primatui facessit negotium. Verùm abstineamus tantisper iis quæ ad primatum pertinent, et cœptum caput perducamus.

Græcus. Non hinc excedam, nisi locum Augustini exhibeas, ubi Christum petram, et Petrum nihilominùs principem nuncupat.

Latinus. Sic hoc velis, in manus sume Serm. 13 de Verb. Domini; utrumque disertè ibi affirmatum reperies. Verba Augustini sunt: « Idem ergo Petrus à petrâ cognominatus « beatus, Ecclesiæ figuram portans, apostolatûs « principatum tenens. » Probè nôsti, quis Petrum beatum pronuntiaverit: *Beatus es, Simon Bar-Jona;* Christus igitur ex mente D. Doctoris *petra* fuit; et nihilominùs, Petrus *apostolatûs principatum tenet.*

Græcus. Sustinuisti adhùc viriliter petræ nomine apud Matthæum nullum meliùs, quàm Petrum ipsum designari: nec rationibus tuis quidquam officere, quæ ex variâ Patrum atque Augustini inprimis interpretatione opposui. Expedi jam etiam, an fidem et confessionem Petri, an ipsam potiùs personam Apostoli petræ nomine à Christo nuncupatam existimes. Chrysostomus id ad confessionem retulisse videtur. Nam Hom. 55 in Matth. ait: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam « meam, id est (super) fidem, ac confessionem. » Et consentit Gregorius Nissenus in opere de Adventu Domini: « Super hanc petram... su- « per confessionem videlicet Christi, quia « dixerat: *Tu es Christus Filius Dei viventis.* »

Latinus. Ut me paucis hinc expediam, revoca mentem ad Chrysostomi Hom. 44 in Isai. c. 6, ubi Petrum compellat *basim Ecclesiæ.* Denique Hom. 55, quam ipse citâsti, consule; sic ibi loquitur: « Dominus ait: Tu es Petrus, « et ego super te ædificabo Ecclesiam meam. » Idem ergo Chrysostomus, qui fidem ac confessionem, personam quoque Apostoli *petræ* nomine intellexit. Itaque si rectè assequor, Patres qui Petri fidem laudant, nec fidem solitariam, nec Petrum utcumque, sed credentem ac confitentem Petrum, *petræ* nomine à Salvatore donatum volunt; quo quidem nil moliuntur aliud, quàm quod ultrò damus, Apostolorum fidei, ac confessionis merito obtinuisse præ cæteris, ut petra Ecclesiæ à Salvatore constitueretur. Atque hunc sensum eleganter expressit Greg. Nazianz. in Orat. de Moder. in disp. servandâ, ita loquens: « Vides « quemadmodùm ex Christi discipulis magnis « utique omnibus et excelsis, atque electione « dignis, hìc petra vocetur, utque Ecclesia « fundamenta fidei suæ credita habeat. » Quod paucioribus complexus est in hunc modum Basilius lib. 2 in Eunom.: « Petrus propter « fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem « in se suscepit. »

Græcus. Produxisti in medium è Græcis Patres præcipuos; disertè illi Petro nomen petræ contribuunt. At idemne et constans temporum omnium sensus fuerit, nondùm decerno. Profer itaque, si plures adhuc, qui idem senserint, dixerintque, in promptu habeas.

Latinus. Ne te Patrum numero obruam, meque in recensendis dies deficiat, ex plurimis paucos omnis ætatis accipe. Tertullianus lib. de Præscript. c. 22 : « Latuit aliquid Petrum, « ædificandæ Ecclesiæ petram dictum ? » Origenes in c. 6 ad Rom. : « Petro cùm summa « rerum de pascendis ovibus traderetur, et « super ipsum velut petram fundaretur Eccle« sia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, « nisi charitatis exigitur. » Cyprianus Epistolâ ad Quintum : « Petrum Dominus primum « elegit, et super eum ædificavit Ecclesiam. » Epiphanius in Ancorato : « Dominus constituit « Petrum primum Apostolorum, petram fir« mam, super quam Ecclesia DEI ædificata « est. » Ambrosius Serm. 41 : « Denique pro « soliditate devotionis Ecclesiarum *petra* dici« tur, sicut ait Dominus : *Tu es petra,* etc.; « petra enim dicitur, eò quòd primus in actio« nibus fidei fundamenta posuerit, et saxum « immobilem totius operis christiani compa« gem, molemque contineat. » Cyrillus l. 2, c. 2 in Joan. : « Nec *Simon* fore jam illi no« men, sed *Petrus,* prædicit; vocabulo ipso « commodè significans quòd in eo tanquàm in « petrà, lapideque firmissimo suam esset ædi« ficaturus Ecclesiam. » Chrysologus Hom. 9 de Pœnit. : « Petrum cùm dico, petram no« mino infragilem, crepidinem immobilem. » Et Serm. de BB. Petro et Paulo : « Gaudeas, « Petre, fidei petra.... gaudeas, Petre, rectæ « fidei fundamentum. » Denique S. Maximus Serm. de SS. Petro et Paulo : « Per Christum « Petrus factus est petra, dicente ei Domino : « *Tu es petra,* » etc.

§ III.

Græcus. Siquidem sic prorsùs è Patrum sit sententià, necesse est basim ac fundamentum Ecclesiæ Petrum affirmemus. Ut verò res tunc stabit cum Pauli effato 1 Corinth. 3 ? « Funda« mentum aliud nemo potest ponere, præter « id quod positum est, quod est Christus « Jesus ? »

Latinus. Quàm nullum Paulum inter ac Patres dissidium sit, ex ipsomet Paulo disce, nisi fingas immemorem suî à se ipso dissidere, cùm ad Ephes. 2 dixit : *Superædificati estis super fundamentum Apostolorum.* Si verò teste Paulo Apostoli fundamenta sunt, cur Petrum solum ab eo munere honestissimo excludamus ? apage cum his hæreticorum nugis, quas tibi mediocris theologus facilè dissolvat. Est itaque Christus, est Petrus, sunt Apostoli fundamenta Ecclesiæ ; at Christus fundamentum principale, suâ virtute subsistens, Petrus participatione, et proximum à Christo fundamentum, Apostoli fundamenta subordinata et Christo principali, et Petro vicario Christi. Eleganter hoc exposuit Hieronym. in Matth. cap. 16, dicens : « Sicut lumen ipse « Apostolis donavit, ut lux mundi appellentur, « et cætera quæ ex Domino sortiti sunt voca« bula, ita et Simoni, qui credebat in petram « Christum, Petri largitus est nomen ; ac « secundùm metaphoram petræ, rectè dicitur « ei : Ædificabo Ecclesiam meam super te. » Et decuit sanè, ut ascensurus in cœlum Salvator, vices suî demandaret alteri, qui et pastor gubernaret gregem Dominicum, et instar petræ firmæ Ecclesiam sustineret inconcussam.

Græcus. Ut illum tu mihi basim firmam Ecclesiæ fuisse dicas, qui eodem propè puncto temporis, quo Petri cognomen sumpsit, tristem etiam casum fecit, modicissimique temporis intervallo, *Beatus* et *Satanas,* audiit : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi,* Matth. 16 ? Aut ergo tu Petrum Ecclesiæ basim ne dixeris, aut Ecclesiam cum Petro collapsam, contra datam à Salvatore fidem concede.

Latinus. Quæ hìc interloqueris, adeò infirma sunt, ut refellere propè me pigeat. Etenim si negem primùm, Petrum cum Ecclesiæ periculo errâsse, unde me convinces? non quisque Petri lapsus, sed solùm qui in fidem sit, Ecclesiæ ruinam, si posset, post se traheret. Si Petrum negantem se nôsse Christum, Patres à defectione in fide immunem faciunt, quid agent, cùm mortem suam vaticinanti obsistentem audiunt : *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc,* Matth. 16 ? Cùm Christum negavit timore, hic vitio naturalis amoris prolapsus est. Audi Hieronymum in cap. 14 Matth. : « Volentem ad passionem « pergere prohibet, et licet erret in sensu, « tamen non errat in affectu, nolens eum « mori, quem Filium DEI fuerat paulò ante « confessus. » Verùm ut demus in fidem ipsam peccâsse, error Petri tunc adhuc Ecclesiæ ruinam trahere secum non potuit, quando nec Petrus Ecclesiæ basis fuit. « Prudens lec« tor inquirat, ait Hieronymus in c. 16 Matth., « quomodò post tantam beatitudinem : *Beatus « es, Simon Bar-Jona,* nunc audiat : *Vade post « me, Satana ?* « Et mox respondet : « Sed con« sideret, qui hoc quærit, Petro illam bene« dictionem, et beatitudinem, ac potestatem,

« et ædificationem Ecclesiæ super eum, in « futuro promissam, non in præsenti datam, » « *Ædificabo*, inquit, *super te Ecclesiam meam.* »

§ IV.

Græcus. Postquàm ea quæ in adversum mihi occurrerant, aptè omnia dissolvisti, reliquum est, ut quemadmodùm Patrum testimoniis locupletissimè comprobaveras, sic etiam ratione stabilias *petræ* vocabulo Petrum planè à Salvatore deputatum esse.

Latinus. Argumentum, quo id nos Latini evincimus, multiplex sanè compendio accipe. Suggerunt id textus ipsi, et vel invitum manuducunt, ut Petro illa à Christo dicta negare haud valeas, nisi verbis vim inferas, et omnia in alienum sensum detorqueas. Etenim an non pronomen, *hanc*, cùm dicitur: *Super hanc petram*, demonstrat petram aliquam, de quâ priùs locutus sit Christus, qui quando neque de se, neque de Ecclesiâ eo loco quidquam dixerit, consequens est, ut neque se, neque Ecclesiam petræ nomine designare voluerit. Etverò, si quis Ecclesiam petræ nomine intelligat, insignem is Christi verbis battologiam appingat. Deinde illum Christus petram Ecclesiæ suæ esse jubet, cui claves promisit; has verò Petro promissas apertè evincunt singularia pronomina secundæ personæ, *te*, *tibi*; duplex insuper nomen, unum recens impositum *Petri*, alterum cum nativitate susceptum *Simonis*, nulli alteri communia quàm Apostolo; atque ut omne deinceps dubium elideret, certissimumque efficeret, neque de alio Simone, neque de Petro alio Christum, quàm de hoc nostro locutum esse, adjungit nomen patris, et vocat eum *Bar-Jona*, hoc est, filium Joannis. Ad extremum, ut alia quoque argumenta in hanc rem paucis complectar, fidenter affirmo, eidem prorsùs dictum esse: *Tibi dabo claves: tu es Petrus*, qui cùm confessus est Christum, *beatus*; cùm ejus dictis se opposuit, *Satanas*, audiit; hoc verò utrumque ad Petrum pertinere, sic ut nemo in contentionem cum eo veniat, testes habeo Patres gravissimos. Ex his Ambrosius l. 10 in Luc. 24: « Et ideò, ait, qui solus profitetur « ex omnibus, omnibus antefertur. » Hieron.: « Testimonio de se Apostoli reddit vicem. » Hilarius in c. 16 Matth.: « Dignum planè « confessio Petri præmium consecuta est. » Et in psalm. 131: « Tanta fuit (Christo) reli« gio pro humani generis salute patiendi, ut « Petrum primum Filii DEI confessorem, Ecclesiæ fundamentum, regni cœlestis janitorem, « et in terreno judicio Judicem cœli, Satanæ « convicio nuncuparet. » Neque aliter Augustinus lib. 2 contra Gaudentium c. 22: « Num« quid melior est Razias, quàm Petrus Apo« stolus, qui ubi dixit: *Tu es Christus Filius* « *DEI vivi*, tam beatus à Domino appellatus « est, ut claves regni cœlorum mereretur ac« cipere, nec tamen ideò creditur imitandus, « ubi mox eodem momento reprehensus au« divit: *Vade post me, Satana?* »

Græcus. An verò tu illa etiam Christi verba Joan. 21: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ad Petrum pertinuisse contendis? Si ita, profer testes et argumenta, ne dubium apud me ullum supersit, et ex æquo credam; sicut petræ, et clavigeri, sic pastoris quoque munus uni Petro demandatum esse.

Latinus. Obsequar lubens, et personæ Petri, ultimâ Christi voluntate, veluti legatum fuisse pastoris officium Joan. 21 planum faciam, primùm ex ipsâ Salvatoris interrogatione; ad quem enim alium pertinuit illa Christi interrogatio: *Simon Joannis, diligis me?* Equidem nemo alius à Petro *Simon Joannis* fuerat. Atque ne fortè suspiceris de communi suâ, ac condiscipulorum dilectione in quæstionem vocari Petrum, cautè Christus interrogat: *Simon Joannis, diligis me plus his?* acceptoque responso, uni pascendos agnos et oves committit. In illum namque munus pastoris supremi Servator abiturus transtulit, qui tertiò interrogatus, ter etiam suo, nec alieno nomine amorem testatus est. In quam rem ne Patrum etiam testimonia desideres, repete memoriâ Origenem in c. 6 ad Rom., jam citatum. Cui, si lubet, addere potes Ambrosium l. 10 in Luc. 24, in fine, ita dicentem: « Domi« nus non dubitabat, qui interrogabat, non « ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus « in cœlum amoris sui veluti vicarium relin« quebat. Sic enim habes: *Simon Joannis*, « *diligis me? Utique tu scis, Domine, quia amo* « *te*; dicit ei JESUS: *Pasce agnos meos...* » Et infra: « Jam non agnos ut primò, nec ovicu« las ut secundò, sed oves pascere jubetur, « perfectiores ut perfectior gubernaret. »

Græcus. Ut Salvator extra dubium collocaret, et pro certo sciremus omnes, uni Petro pascendi provinciam Joan. 21 delatam esse, factum, ni fallor, est, non absque consilio, ut continuò mortis etiam genus pastori recens constituto prænuntiaverit: *Amen, amen dico tibi, cùm esses junior, cingebas te, et ambulabas*

ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis. Quàm enim hæc ad Petri personam pertinent teste ipso Joanne : *Hæc autem dixit significans, quâ morte esset clarificaturus Deum,* tam procul dubio et pastoris officium. At verò quanquàm id tibi jam tribuam, neque abnuam, eumdem Petrum cœli clavigerum, atque Ecclesiæ basim decreto Christi constitutum esse, nescio tamen quibus tu inde momentis Petro præ cæteris, atque in cæteros etiam Apostolos te speres primatum effecturum, nec illum honoris modò, verùm et potestatis.

§ V.

Latinus. Ne in plura implicer, à cæteris me adhuc abstinebo. Id est, quod nunc contendo, apud Matthæum promissum, apud Joannem collatum esse Petro primatum in universam Ecclesiam.

Græcus. Si tu ita statuas, pari ego jure plures Christi vicarios, omnesque adeò Apostolos principatum in universam Ecclesiam sortitos luculenter evincam. Quid enim Petro, quod non pariter omnibus à Christo sive promissum, sive collatum sit? promissæ sunt Petro claves regni cœlorum, Matth. 16, verùm eâdem penitùs amplitudine ligandi solvendique potestas, Matth. 18, cæteris quoque promittitur. Petrus, Matth. 16, basis ac fundamentum Ecclesiæ fore decernitur; at enim ad Ephes. 2, id etiam tituli lego jam commune Apostolis omnibus : *Superædificati super fundamentum Apostolorum.*

Latinus. An verò tu etiam Apostolos cæteros perinde pastores orbis christiani à Salvatore constitutos esse contendis?

Græcus. Ut maximè : quid enim sibi volunt illa Salvatoris Marc. 15 : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Matth. ult. : *Docete omnes gentes, baptizantes*, etc. Et denique Joan. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* His profectò, nisi Apostolis pastorum munus sit creditum, nescio quid aliud?

Latinus. Ut conatui tuo pro Apostolis, quod æquum est, tribuam, habe omnes Petro in apostolatûs officio pares fuisse. Id ut dilucidè percipias, meminisse te volo, apostolatûs decus omne his prærogativis comprehendi : erant sacerdotes, doctores, præcones Evangelii per universum orbem Salvatoris ipsius voce ac decreto constituti, nullis limitibus circumscriptam ligandi, solvendique, fundandi ac moderandi Ecclesias, et episcopos instituendi potestatem nacti, erant acceptâ ex alto virtute divini Spiritûs, mortis et resurrectionis testes : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti, et eritis mihi testes in Jerusalem, et usque ad ultimum terræ,* Actor. 10. Pro Christo legatione fungebantur omnes; in his invicem, in his Petro ipsi nil cessisse, facilè dedero, nisi quid fortassè obstet Paulus 2 Cor. 11, dicens : *Existimo me nil minùs fecisse à magnis Apostolis.* Ut enim advertit Chrysostomus Hom. 23, Paulus discrimen agnovit : « Non « simpliciter, *Apostolis* dixit, sed, *magnis*, Pe- « trum, Jacobum et Joannem innuens. » Hos enim Apostolus cæteris prætulisse videtur: *Cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, Cephas, et Joannes, qui videbantur esse columnæ*, ad Gal. 2. Verùm ut nulli Petrum in apostolatûs honore præponam, primatum tamen uni Petro reservatum contendo. Aiebat Cyrillus in Epistolâ ad Nestorium : « Siquidem « Petrus, et Joannes (ego dico, si Petrus, « cæterique omnes) pari honore ut Apostoli, « et discipuli sancti præditi fuerunt, non ta- « men ambo unus sunt. » Cur verò ita si quæras, respondebit continuò Augustinus lib. 2 de Bapt. c. 1 : « Quoniam in Petro primatus « Apostolorum tam excellenti gratiâ præemi- « nent. »

Græcus. Atqui hoc est, quod à te mihi non asseri tantùm, sed etiam probari atque explanari cuperem. Ego sanè officio defunctus mihi videor, primatumque à Petro abstulisse, cùm omnes ipsâ Christi institutione pares officio ac potestate utcumque ostendi.

Latinus. Cùm tu pares Petro cæteros in apostolatûs munere, neque plus ostenderis, agam nunc ut perspicias, Petrum inter eosdem ex Christi voluntate eminentiorem quamdam potestatem ac honorem sortitum esse. Etenim si Christo non erat animus singulare quidquam, et neque singulari modo ipsam apostolicam auctoritatem impertiri Petro; cur inprimis Matth. 16, illi nominatim claves regni cœlorum consignat, petræ cognomine donat, Ecclesiam in ipso constituendam prædicit? cur Luc. 22, pro ipso singillatim preces ad cœlestem Patrem fundit : *Ego rogavi, ut non deficiat fides tua;* cur uni illi fratrum curam injungit? *Conversus confirma fratres tuos.* Cur non contentus communi illâ missione, iterùm, et veluti extra ordinem pascendos agnos et oves Petro commendat? cur ad extremum, quam à cæteris confessionem

non petierat, à Petro exigit, et ad profitendum ter amorem, trinâ interrogatione inducit, nec amore vulgari contentus, excellentiorem ab ipso deposcit : *Simon Joannis, diligis me plus his?* « Profectò, ut Bernardus advertit in « Cantica, non erat cur Christus à Petro ma- « jorem dilectionem requireret ad beneficium « commune Apostolis, et missionem omnibus « jam mandatam. » Plus itaque Petro collatum est, à quo plus requiritur : « Idcircò ergo, « Bernardus prosequitur, plus amoris requisi- « vit ab illo, quia Ecclesiam pro quâ sanguinem « fudit, pascendam et regendam commisit. » Quare singulari illâ institutione, singularem illum ac præcipuum in universam ecclesiasticam plebem, ac Apostolos ipsos principatum obtinuisse pro certo habeo : quod eleganter in natali Apost. expressit S. Eucherius Lugdunensis, vel quisquis ille sub Eusebii Emisseni nomine circumfertur : « Priùs, inquit, agnos, « deinde oves commisit ei, quia non solùm « pastorem, sed pastorem pastorum eum con- « stituit : pascit igitur Petrus agnos, pascit et « oves, pascit filios, pascit et matres, regit et « subditos, et prælatos. Omnium igitur pastor « est, quia præter agnos et oves in Ecclesiâ « nihil est. »

Græcus. A privatâ hâc institutione si id supremi juris Petro accessisset in universam Ecclesiam, constituisse non poterat Salvator, Matth. 18, Ecclesiam ultimum summumque tribunal : *Si peccaverit in te frater, corripe eum inter te et ipsum..... si te non audierit, adhibe unum vel duos.... quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quare rectè August. Petrum Ecclesiæ personam illis locis sustinuisse, ejus nomine claves, et cætera supremæ potestatis auctoramenta à Salvatore suscepisse conjecit : « Petrus quando claves « accepit, Ecclesiam sanctam significavit. » Tract. 20 in Joan. Et l. de Agone christiano cap. 30 : « Non sine causâ, inquit, inter omnes « Apostolos hujus Ecclesiæ catholicæ perso- « nam sustinet Petrus, huic enim Ecclesiæ « catholicæ claves regni cœlorum datæ sunt, « cùm Petro datæ sunt ; et cùm ei dicitur : « *Amas me? pasce oves meas.* »

Latinus. Argumentis, quæ nunc attulisti, amant è nostris quidam ad supremam concilii auctoritatem in ipsos etiam Romanos pontifices vindicandam uti : tu, ut diligens es, etiam ad primatum Petri convellendum abuteris. Nil te pessima molientem Augustinus, nil Scriptura adjuvat : loquar cum Aug. Tract. 50 in Joan. : « Si in Petro non esset Ecclesiæ sacra- « mentum, non ei diceret Dominus : *Tibi dabo « claves regni cœlorum.* » Concedam Petrum iis locis typum, figuram ac personam Ecclesiæ subiisse ; verùm an quemadmodùm legati solent principum, an contra, ut princeps populi sui personam ubique sustinet? quæstio inter nos non levis enascitur. Te primùm tueri convenit, si à Petro primatum tollere fixum est : Augustinus mecum disertè tuetur alterum ; si enim ex eo sciscitari libeat, cur Petrum Ecclesiæ personam gessisse iis locis existimet, tibi jam apertus hostis respondet in Psalm. 108 : « Cujus (Ecclesiæ nempe) Petrus Apostolus « propter apostolatûs sui primatum gerebat « figuratâ generalitate personam. » Et rursùs : « Ecclesiæ ille agnoscitur in figurâ gestâsse « personam, propter primatum, quem in di- « scipulos habuit. » Quod Scripturæ textum allegatum attinet, opinor ad eam Ecclesiam Salvatorem judicium supremum detulisse, quam in Petro ædificandam promisit, hoc est, cujus Petrus caput ac gubernator futurus erat. Quid enim est Ecclesia, « nisi, ut Cyprianus « ait Epist. 66, plebs sacerdoti adunata, et pas- « tori suo grex adhærens? »

Græcus. Primatum Petri in Ecclesiâ ex ipsâ Christi institutione, Patrumque sententiâ fluere prope non ambigo. At in ipsos etiam Apostolos Ecclesiæ principes atque columnas, si quid juris Petrus habuisset, hoc adeò Patres latuisse non potuit, ut concordi, et propemodùm unanimi errore æqualitatem inter Apostolos decernerent. Quam non rectè Cyprianus tradidisset lib. de Unitate Ecclesiæ : « Hoc erant utique « et cæteri Apostoli, quod Petrus, pari con- « sortio præditi et honoris et potestatis. »

Latinus. Si ubi aliàs, hìc inprimis fidem in te desidero, cùm concordi sensu Patres ais in Apostolis nescio quam æqualitatem propugnâsse. Ego profectò, præter unius Cypriani, quod produxisti, testimonium, paucos tibi in eamdem sententiam superesse facilè credam, ita omnes in extollendo apostolatu Petri elaborant, ita principatum ejus supra collegas ipsos stabiliunt. An enim æqualem tibi videtur adstruxisse Augustinus dignitatem, cùm serm. 13 de Verbis Domini dicit : « Petrum in Apo- « stolorum ordine primum, esse Ecclesiæ uni- « cæ typum? » An Chrysostomus in illa Christi verba : *Pasce oves meas,* sic scribens : « Id est, « esto præpositus loco mei, et primus in medio « fratrum? » Verùm quid ego à te expectem,

qui neque Cyprianum satis fide retulisti! quare quem tu adversùs me mancum malignè citaveras, plenum ego in meam sententiam dabo. Sic verò lib. de Unitate Ecclesiæ loquitur: « Quamvis Apostolis omnibus post resurrectio-« nem suam parem potestatem tribuat et dicat: « *Sicut misit me Pater....*, etc., tamen ut uni-« tatem manifestaret, unam cathedram consti-« tuit, et unitatis ejusdem originem ab uno « incipientem suâ auctoritate disposuit: hoc « erant utique et cæteri Apostoli, quod fuit « Petrus, pari consortio præditi et honoris, « et potestatis, sed exordium ab unitate profi-« ciscitur; primatus Petro datur, ut una Christi « Ecclesia, et cathedra una monstretur. » Quem Cypriani locum referens Aug. l. 2 de Baptis. c. 1, vide, ut ipse primatum Petri et concludat inde et affirmet; verba ejus sunt: « Ecce ubi « commemorat Cyprianus, quod etiam nos in « Scripturis sacris didicimus, Apostolum Pe-« trum, in quo primatus Apostolorum tam ex-« cellenti gratiâ præeminet. »

Græcus. Hæc verò sunt, quæ me vehementer perturbant: neque satis expedio, ut Patrem contradictione absolvam. Parem ille potestatem à Christo Apostolis omnibus tributam post resurrectionem affirmat, pari ait fuisse præditos consortio honoris et potestatis; quî itaque fieri potest, ut primatum Petro ex animo detulerit?

Latinus. Hoc grandi in speciem dubio ut te denique evolvam, nil mihi aliud opus est, quàm ut audias, quid primatûs, quid apostolatûs nomine apud Patres, atque Cyprianum inprimis et Augustinum veniat. His ducibus explicuit utrumque luculentè cardinalis Perronius c. 58, in responsione ad regem Angliæ. Distinguit is apostolatûs dignitatem ac potestatem, in intrinsecam, sive essentialem, et extrinsecam, sive accidentariam. Ad priorem refert, quòd omnes à Christo vocati et missi sint; omnes ex æquo munus Apostolicum acceperint; cum æquali prorsùs amplitudine potestatis ubique terrarum prædicandi Evangelium, fundandi Ecclesias, ministrandi Sacramenta, Spiritum sanctum tribuendi, aliaque omnia exercendi, quæ ad Ecclesiæ regimen necessaria, aut utilia prævidissent. Atque in his æquales prorsùs fuisse Apostolos statuit. Accidentariam vocat, et extrinsecam, quæ tota quanta sita est in modo et ordine potestatis illius exercendæ: in hâc verò inæquales fuisse Apostolos contendit, et in Petro aliquid supra cæteros eximium: cùm enim Christus apostolica illa munia ubique et ab omnibus, quos vocaverat, exerceri vellet, servatâ unitate Ecclesiæ, ad hanc tuendam decrevit, principium ac radicem ejus in Petro constituere: quod sanè ut impetraret etiam, atque sic schismata ab Ecclesiâ averteret, placuit Petro præ cæteris, et in cæteros singularem potestatis, et dignitatis accessionem tribuere, quo nempe is ceu caput vicarium, omnes fideles æquè ac Apostolos in officio contineret, Ecclesiam ab hæresi omni atque schismate tutaretur.

Græcus. Prope est, ut assequar, quâ tu ratione cum æqualitate apostolici officii primatum nihilominùs conjungas, ac Petro asseras; nec me latet finis, quem aiebas Christo præ oculis fuisse; memini namque hoc planè me olim legisse in Hieronymo, qui in Jovinianum l. 1, c. 14, ita de Petro loquitur: « Inter duo-« decim unus eligitur, ut capite constituto « schismatis tolleretur occasio. » Verùm quale tandem poterat schismatis esse inter Apostolos periculum, quorum corda et actiones omnes divinus ille Spiritus, qui ipsa unio et amor est, moderabatur præsentissimâ assistentiâ: quàm procul Apostoli à periculo erroris, docente eos Spiritu veritatis, abfuère, tam aberant et à schismatis periculo; quàm igitur infallibilitate Petri iis non erat opus, tam nec primatu.

Latinus. Non eguisse Apostolos moderatore, principio, radice ac centro unitatis, facilè et ipse concessero; institui nihilominùs jam tum primatum in omnes, erat quàm maximè congruum: non quòd tali disciplinâ Apostolis opus esset, sed quò forma induceretur in Ecclesiam, salubris, et in primis necessaria Ecclesiæ; atque vel ideò observanda sanctiùs, quòd ex ipsâ Christi institutione processisset, et Apostolorum moribus consecrata esset. Sanè nec eguit Ecclesia à principio conciliis, ad Religionis dubia dissolvenda: afflati enim divino Spiritu Apostoli, fieri nequibat, ut in errorem vel divisi consentirent. Congregantur nihilominùs in unum, ad finem imponendum controversiæ, quæ de usu legalium suscitata est, quo nempe sic posteris commendaretur eorum usus, nemoque sagacitati, aut sapientiæ suæ confideret, cùm Apostolos ipsos licet divinâ luce plenos, ad componendas hujusmodi graves causas in unum convenisse legisset. Christus cùm primatum Petro in Apostolos ipsos detulit, non præsentem, sed futuram Ecclesiæ necessitatem respexit.

Græcus. Primatum Petro ego facilè in Ec-

clesiam, atque ipsos adeò Apostolos deferrem, ita tu multa in hanc rem protulisti ex Patribus, nisi aperta Christi verba, ne dicam præcepta, in adversam partem propè abducerent. Odisse, imò et gravissimis verbis insectari primatum inter discipulos, Christus mihi semper visus est. Nam cùm, Luc. 22, *facta esset inter eos contentio, qui eorum videretur esse major, dixit eis: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur; vos autem non sic.* Et Matth. 20: *Jesu autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur, et qui majores sunt, potestatem exercent in illos; non ita erit inter vos.* Denique Matth. 23, cùm Pharisæorum mores sic ad vivum expinxisset: *Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi,* continuò prohibuit: *Vos autem nolite vocari ab hominibus Rabbi; unus enim est magister vester, omnes autem vos fratres estis.*

Latinus. Egregiè tu hæc omnia hæreticorum è penu deprompsisti; quin et morem eorum secutus, quæ non usquequaque tuo favebant proposito, silentio pressisti. Quod hìc prohibetur, non est primatus, sed ejus abusus, qualis sanè apud gentes, et Pharisæos id temporis erat. Si enim ex Christi præcepto nullus inter discipulos futurus erat major, cur dicit ipse Christus: *Qui major vestrûm est, erit minister vester?* Matth. 23, et Luc. 22: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*, Matth. 20. Cur tot salutaribus monitis obarmat majorem? cur suo exemplo ad modestiam et submissionem incitat? si neque fuit, neque futurus erat quisquam major, frustra, et inutilia hæc erant.

Græcus. Si non quod ante voluit, at dabis certè Petri primatum adhuc non agnovisse Apostolos, quem si collatus erat, nec obniti poterant, ipso supremæ dignitatis auctore præsente, nec ignorare debuerant.

Latinus. Si ergo tunc adhuc in multis cæcutisse dicam discipulos, injurius illis non sum; sed neque Petro, si promissum ipsi, at nondum adhuc collatum id temporis primatum dixero. Non te morabor, utrum mavis, pro responso accipe.

§ VI.

Græcus. Quod dixisti assequor: aiebas nempe, Apostolos aut ad promissionem à Christo factam, nondùm tunc advertisse animum, aut quòd nondùm penitùs stabilitum in Petro primatum censerent, non inutiliter eam inter ipsos quæstionem agitari potuisse. Hæc verò si ita sint, igitur ubi post allapsum divinissimum Spiritum à mente eorum ablata est omnis cæcitas, ubi stabilitus à resurrectione primatus, modestiores se gerere debuerant, quàm ut sibi ministros Ecclesiæ pro voluntate creandos sumerent, et nescio quid auctoritatis in ipsum Petrum arrogarent: creant tamen suo arbitratu diaconos, Actor. 6. Et Petrum ipsum in Samariam destinant, Act. 8.

Latinus. Nihil dubita, post resurrectionem agnovisse Apostolos, reveritosque esse semper in Petro primatum, de quo olim cum ipso in contentionem venerant. Nondùm tibi tamen probationes in hanc rem affero: illud contendo, nihil eorum, quæ tu protuleras, offecisse Petri primatui. Quid enim ei deroget electio illa septem diaconorum non assequor, quando disertè, Act. 6, dicitur et multitudo discipulorum, nutu ac voluntate duodecim, in eam convocata; et qui constituerant diaconos, quique imposuerant manus, erant iidem duodecim; hoc si repugnet primatui Petri, necesse fuerit illum omnia suo ductu, suo suffragio in Ecclesiâ peragere, nihil communi consilio deferre. Absit verò ut talem Petri primatum statuamus. Præcipuam nos Petro, non soli ac uni providendi Ecclesiæ, gubernandique potestatem tribuimus. Ut enim S. Leo papa serm. 3 in annivers. suæ ad pontificatum assumptionis dudùm ante nos observavit, illa Christi verba: *Tibi dabo claves,* Petro quanquàm soli dicta, sic tamen, ut vis potestatis illius in alios quoque Apostolos derivata sit. Verba sancti pontificis sunt, quæ rem omnem in luce collocant: « Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur; Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Monet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod S. Petrus aut solverit, aut ligaverit. »

Græcus. Quod ergo non invito, nec inscio, imò et Petro agente electio illa diaconorum peracta sit, nihil de primatûs excellentiâ detrahit. An verò nullum tibi in Petrum exercuisse jus videntur illi, qui audito, *quòd Samaria recepisset verbum Dei, misêre ad eos Petrum, et Joannem*, Act. 8? Superiorem sanè hæc sapiunt.

Latinus. Mira res, ut ego primatum à Petro abdicem, tu, qui ante æquales illi statuebas Apostolos, nunc etiam superiores vis efficere? quorsùm te denique contentio non abripiet? Ne penitùs à vero devies, inter missionem, quæ fit imperio, quæque rogatu aut consilio perficitur, probè distingue. Misit et Herodes Magos in Bethlehem; at quis propterea superiorem dixerit? id ne tu suspiceris, cogita quod Evangelista dixit: *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Nec Magis ergo Herodes, nec mittentium Apostolorum chorus, major Petro ac Joanne fuit. Quis enim adeò rerum rudis sit, ut ignoret ex Pauli sententiâ, *Petrum et Joannem* magnos dici Apostolos, et præ cæteris columnas? Profectò si Evangelium decurras, hos planè à Salvatore prælatos ubique cæteris Apostolis facilè agnosces; hos Christus gloriæ et mœroris sui testes esse voluit cum Jacobo fratre Joannis, quando coram eis *transfiguratus est*, Matth. 17, et testibus iisdem *cœpit pavere, et mœstus esse*, Matth. 26, ut adeò tandem inter hos de primatu subortam fuisse contentionem, Luc. 22, facilè ipse mihi persuadeam. Quare ut denique, quem rebus suis obstare adhuc unum credebant, Petrum de loco apud Salvatorem principe dejicerent, subornant Salomem matrem, quæ precibus summum filiis suis locum vindicet: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, et unus ad sinistram in regno tuo*, Matth. 20. Verùm repulsa à Christo, audire debuit: *Sedere ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Ita Petro, cui jam Matth. 16 claves decretæ fuerant, non in alios modò, verùm in hos quoque ipsos, si fas est dicere, competitores ac æmulos, primatus à Christo integer conservatus est. Sed ultra quàm volebam processi, qui quàm paucis tibi fecisse satis poteram, si vel negarem missionem factam imperio; quam tamen si etiam permittam, quid tu aliud quàm quod Gallos nostros moliri videmus, efficeres? Eruant hinc illi Apostolorum collegium supra Petrum fuisse, ut papam quoque concilio supponant; verùm integer adhuc per illos stat primatus Petri in Apostolorum singulos.

Græcus. Sentirem tecum, consilio potiùs quàm imperio collegii Apostolici in Samariam Petrum concessisse, nec inde quidquam auctoritati Petri detractum irem, nisi hinc Paulum ad Gal. 2 in faciem ei Antiochiæ resistentem intuerer, audiremque apostolicâ libertate, Cephæ simulationem suam, in quam et Barnabam traxerat, ita palam omnibus exprobrantem: *Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis et non judaicè, quomodò gentes cogis judaizare?* Inde verò, non ab Apostolis tantùm, verùm à Judæorum etiam vulgo Hierosolymæ, imperiosè sanè, familiaris conversationis cum gentibus initæ, severè rationes exquiri à Petro. Verba illorum sunt Act. 11 ad Petrum: *Quare introîsti ad viros præputium habentes, et manducâsti cum illis?* Quis hìc non suspicetur aut nullum, aut vix notum fuisse id temporis Petri primatum?

Latinus. Arduam fuisse temporum illorum conditionem, quibus gentes et Judæi, institutis ac moribus tam oppositi, in unam Christi Ecclesiam componendi erant, vel hinc disce: A Judæis reus peragitur Petrus Hierosolymis, quòd cum gentibus et incircumcisis manducâsset; à Paulo rursùs Antiochiæ arguitur, quòd, adventantibus à Jacobo Judæis, idem qui antea communi mensæ cum gentibus accubuerat, jam veluti personâ mutatâ continuò se subduxerit, atque ab eorum commercio sejunxerit. Quæ res procul dubio gentibus offensioni esse poterat non minùs ac prius illud Judæis. Non vindicabo hìc ego Petri factum; tu memoriâ repete, quæ similia, imò majora de Paulo ipso narrantur: Act. 16 circumcidit Timotheum; Act. 21, consilio Jacobi acquiescens, purificari et ipse sustinuit; verùm alio hæc loco reservantur. Hìc id unum ago, ut quàm non rectè adversùs primatum intuleris, intelligas. Atque ut primùm expediam quod ex Act. 11 objecisti, meminisse te velim, officium boni pastoris, quemadmodùm Petrus Epist. 1, c. 3, exponit, in eo planè collocatum esse, ut *paratus sit ad satisfactionem omni poscenti rationem de eâ quæ in ipso est spe et fide cum omni modestiâ*. Si igitur Petrus facti sui rationem reddidit pastoris boni munus implevit, non primatum deposuit. Quem sanè, neque qui deserti, quod à majoribus acceperat, instituti rationem repetebant, violâsse putandi sunt, quando edocti à Petro de visione, tam promptè tacent, acquiescunt, glorificant Deum, dicentes: *Ergo et gentibus pœnitentiam*

dedit Deus ad vitam! Act. 11. Neque plus evincit correptio illa Pauli, quem Patres etiam, cùm reprehendit, minorem et agnoscunt, et ore uno proclamant. Gregorius Magnus Dialog. lib. 2, c. 12 : « A minore, inquit, suo « reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. » August. epist. 82, aliàs 19, ad Hieronymum : « Ipse verò Petrus, quod à Paulo fie« bat utiliter libertate charitatis sanctæ ac « benignæ pietate humilitatis accepit, atque « ita rarius et sanctius exemplum posteris præ« buit, qui non dedignarentur, sicubi fortè « recti tramitem reliquissent, etiam à poste« rioribus corrigi; quàm Paulus, quò confiden« ter auderent etiam minores majoribus pro « defendendà evangelicâ veritate, salvâ fra« ternâ charitate, resistere. Nam cùm satius « sit à tenendo itinere in nullo quàm in aliquo « declinare, multò est tamen mirabilius et lau« dabilius libenter accipere corrigentem, quàm « audacter corrigere deviantem. Est laus itaque « justæ libertatis in Paulo, et sanctæ humilita« tis in Petro. »

Græcus. Mirum quàm tu mihi aptè ex Patribus ubique occurras obviàm ; quàm occupes omnia, et argumentis undique viam præstruas. Sed enim si primatum Petrus habuit, cur non denique hoc se tuetur scuto? Ut enim Cyprianus epist. 71 ad Quintum ait, « non vindicavit « sibi aliquid insolenter, aut arroganter as« sumpsit, ut diceret se primatum tenere, et « obtemperari à novellis, et posteris sibi potiùs « oportere, nec despexit Paulum. »

Latinus. Me etiam tacente, respondebit Gregorius Hom. 18 super Ezechielem : « Amicus « veritatis laudavit etiam quòd reprehensus « est, seque etiam minori fratri ad consensum « dedit, atque in eâdem re factus est sectator « minoris sui, ut etiam in hoc præiret, quate« nùs qui primus erat in apostolatûs culmine, « esset etiam primus in humilitate. » Ex pari causâ neque Judæis Act. 11 convictum familiarem gentium oppugnantibus, dignitatem opposuit, ut idem ait Greg. lib. 2, ep. 45, aliàs l. 9, epist. 39 : « Si in querelà fidelium « aliquid de suâ potestate diceret, profectò « doctor mansuetudinis non fuisset. »

§ VII.

Græcus. Ut argumentum, quod à correptione Pauli duxeram, nondùm principe loco Petrum dejicit, sic fatendum tibi est, nondùm te confecisse Patrum sententiis, quas adhuc attuleras, ut Paulum sub primatum Petri stetisse confiteri oporteat. Quòd enim *minorem* dixerit Augustinus, quòd *posteriorem* ac *juniorem* alii, id fortassè ad ætatem, aut apostolatûs suscepti tempora retulêre, Cyprianus hanc mihi suspicionem auget et confirmat, quando *novellum* et *posteriorem* vocat ; quin et idem à Petro utcumque removisse videtur primatum, si epist. 71 verba pauiò attentiùs expenderis. Si enim ex mente Cypriani primatum tenebat, fierine potuit, ut eo *se tueretur insolenter,* quid sibi ideò *insolenter vindicâsset, aut arroganter assumpsisset?*

Latinus. Cavillaris, opinor : Augustinum à nobis stare, res in confesso est; verùm hoc in alium tibi locum reservo. De Cypriani mente si quæ tibi supersit dubitatio, ex limpidissimis verbis ejusdem dissolve. Ait is lib. de Unit. Eccl. : « Primatus Petro datur, ut una Christi « Ecclesia, et cathedra una monstretur. » Gregorius etiam hom. 18 super Ezechielem, cùm Paulum *minorem* dixit, non ad ætatem, non ad vocationis tempus respexit. Etenim quâ ratione Petrus primus esset in apostolatûs culmine, si Paulus *minor* esset duntaxat ætate? Primus ad apostolatum Andreas vocatus est; is igitur primus esset ex Patrum mente, si illi eodem, quo tu, respexissent. Audet tamen dicere Ambrosius in 2 Cor. 12 : « Prior Andreas secutus « est Salvatorem, sed primatum non accepit « Andreas, sed Petrus, » ut scilicet noveris, cùm de primatu loquuntur, nec vocationis, nec ætatis ordinem secutos fuisse.

Græcus. Dabis ergo ut minimum, Patres in asserendo Petri supra Paulum primatu aliquantò obscuriùs versatos esse, et fortassè neque unanimi sententiâ id complexos. Mihi enim tot in mentem veniunt, qui hos ex omni parte exæquent, ut unde principium sumam, incertus sim, quanquàm nec desint qui Paulum præferant : ordiar à primis.

Latinus. Imò dissimula, si quos in promptu habes : alibi fortassè opportuniùs eosdem produces. Nunc cœptum argumenti tenorem persequamur, et si quid adhuc ex Pauli factis supersit, quo Petri primatum oppugnes, profer in medium.

Græcus. Salubriter monenti parebo; propè enim erat, ut mente exciderent argumenta, quæ apud me quidem vim obtinent plurimam, adversùs primatum omnem.

Latinus. Et quæ illa, obsecro! ne me diù differ, aut sollicitum retine.

Græcus. Nempe argumentum quod ipsum Augustinum eò denique impulit, ut *petræ*

nomine non Petrum, sed Christum mallet intelligi; quod Hieronymum adduxit ut primatum ad hominum inventum referret.

Latinus. Nisi fallor, hoc illud erit, quod ex 1 Cor. c. 1 et 3 petitur, ubi ad cavenda schismata, sedandosque, qui inter Corinthios exarserant, motus, vehementer Paulus improbat, esse inter ipsos, qui dicerent: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Quàm verò infirmum, et penè nihil est hoc argumentum! Dissensiones ibi, quæ ex tantà varietate nominum provenire in membris poterant, cavere animus fuit Apostolo, nec quidquam præterea; neque approbat quòd nonnulli dicerent: *Ego autem Christi;* an verò idcircò tibi Christi primatum oppugnâsse videtur?

Græcus. Nihil in Christi dignitatem idcircò molitum esse Paulum, ut sapiens es, ex cap. 3 facilè concludes, ubi universos, nullo dempto, vult esse, dicique Christi. Cephæ tamen primatum oppugnari eo loco, non ex vano suspicor: etenim si Cephas caput erat Ecclesiæ, cur non quemadmodùm regna cætera, sic etiam Ecclesia tutò honestissimèque ab ejus se derivâsset nomine, cur Paulus neminem sustineret dici Cephæ?

Latinus. Ut nodum omnem dissolvam, primùm contendo, quod textus ipse c. 1 monet, noluisse Apostolum, ut divinis se nominibus appellarent, et pro varietate ministrorum, à quibus baptismatis fonte lustrati fuerant, varium gererent: id verò rectè et quàm opportunè ad cavenda schismata; prope enim incredibile dictu est, quantùm non disciplinæ modò, sed et nuncupationum ipsarum diversitas, in animos hominum, per se ad factiones propensos valeat. Deinde Apostolum optâsse fateor, ut cuncti se *Christi* appellent, nemo Pauli, nemo Cephæ: cur verò ita? Profectò non quòd in animo haberet detrahere primatui Cephæ; hoc enim commentum vestrum est: sed rationem sinceram reddidit ipse Paulus: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et c. 3 se et quisquis alius baptizat ministrum ait duntaxat esse; minimè verò æquum videri, ut auctore salutis neglecto, à ministris hominibus se ipsi nuncuparent. Hic est germanus Pauli sensus, nec alius; evolve, si lubet, primum et tertium cap. 1 ad Cor. Cæterùm, si etiam Paulus ad primatum Christi ibi respexit, atque quod nôsset Christum Ecclesiæ caput, velletque à suo capite omnes Christianos dici, cavere adhuc rectè poterat, ne se aliquis aut omnes *Cephæ* dicerent, quin idcircò quidquam in primatum Petri peccaret, quando ultrò tibi fateor, prope non sine Christi injuriâ Ecclesiam Petri dici posse; ubi enim aliquando usu receptum novimus, ut sive regna, sive familiæ abjecto primævo nomine, quod à principe aut fundatore sortiti fuerant, in nomen vicarii immigrârint? Si quando, ut sanè apud vos contigit, imperium vetus amisit nomen, et pro Romano audit Turcarum imperium, factum id est quòd omnes, à quibus antea Romanum dici meruerat, penitùs interierint et re, et potestate, quòdque Turcæ non vicarii illorum, sed successores sint, suo, non eorum jure sceptra obtineant. Nihil adhuc tale, quæ Dei est providentia, Ecclesiæ contigit, cujus caput principale Christus hodièque est, nec Petrus, aut hujus successores, quidquam aliud, quàm vicarii Christi, quique non suo, sed Christi tantùm nomine, cujus vices in terris sustinent, Ecclesiæ præsunt. Si ergo etiam Ecclesia more familiarum, ac judaicarum tribuum à capite nominanda sit, minùs rectè illa Petri diceretur; sed Christi dicenda est, cujus nempe et ipse Petrus est.

Græcus. Nodum quem ex Paulo convolveram eleganter dissolvisti. Sed quid ad Augustinum? quid ad Hieronymum? utrumque continenter tibi reddam. Augustin. serm. 13, nunc 79, de verbis Domini, ubi verba Christi: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* ad Christum refert, sic loquitur: « Volentes, inquit ipse, homines ædificare « super homines dicebant: *Ego quidem sum « Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ,* ipse « est Petrus. Et alii qui nolebant ædificari « super Petrum, sed super petram: *Ego autem « sum Christi.* Apostolus autem Paulus, ubi « cognovit se eligi, et Christum contemni: « *Divisus est,* inquit, *Christus? Numquid Pau- « lus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli « baptizati estis?* etc. » Hieronymus verò in Epistolam ad Titum ait: « Idem est ergo pres- « byter, qui episcopus, et antequàm diaboli « instinctu studia in Religione fierent, et di- « ceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, « ego autem sum Cephæ,* communi presbytero- « rum consilio Ecclesiæ gubernabantur; post- « quàm autem unusquisque eos quos baptizave- « rat suos esse putabat, non Christi, in toto « orbe decretum est, ut unus de presbyteris « electus superponeretur cæteris, ad quem « omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schisma-

« tum semina tollerentur..... Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei « qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita « episcopi noverint, se magis consuetudine « quàm dispositionis Dominicæ veritate, pres« byteris esse majores; et in communi debere « Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cùm « haberet solus præsse populo Israel, septua« ginta elegit, cum quibus populum judicaret. »

Latinus. Expendi Patris utriusque dicta; at qui illa labefactent Petri primatum, ne quidem latet penitùs. Sanè quem tu primatum his expugnatum existimas, eodem sermone tam ingenuè profitetur Augustinus, ut dubium nullum supersit; ait enim, « sanctum Petrum « apostolatûs principatum tenere, et Ecclesiæ « figuram portare. » Neque Hieronymo ibidem in primatum Petri quid moliri in mentem venit, cùm memor utique esset ejus, quod lib. 1 contra Jovinianum disertè affirmavit: « Ex « duodecim unus eligitur, ut capite constituto « schismatis tolleretur occasio? » Ne te tamen sine responso hinc dimittam, fatebor Augustinum eo loco maluisse Ecclesiam in Christo quàm Petro fundatam dicere: cùm enim res ipsi adversùs Donatistas esset, qui virtutem ac efficaciam Sacramentorum ex ministri sanctitate, grandi errore repetebant, huic ut nullibi favisse putaretur, imò loco omni convelleret, Christum sicut fundatorem, sic fundamentum quoque Ecclesiæ princeps, ac principale statuit. Verùm quid hæc ad primatum Petri? quem ego, cùm Petro tribuo non illum principalem petram, suâque virtute subsistentem constituo. Id ago, id duntaxat propositum mihi est, quod utrumque Apostolus ad Ephes. 2, v. 20, complexus est: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Quod attinet Hieronymum, vis, nisi fallor, tota adversùs Petri primatum à te reponitur in iis verbis: « Communi presbyte« rorum consilio Ecclesiæ gubernabantur; « postquàm autem unusquisque eos quos bap« tizaverat suos esse putabat, non Christi, in « toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris « electus superponeretur cæteris, ad quem « omnis Ecclesiæ cura pertineret. »

Græcus. Ita prorsùs: hoc enim est illud validissimum fulmen quo Petri, aut qui à Petro ex Christi institutione in Romanos pontifices, hodiè αὐτοκέφαλος descendat primatus, à radice convellitur.

Latinus. Quàm vereor ut ne tu hodiè schismaticum facias Hieronymum, si illum in eum scopum tela hæc collineâsse existimes! Verùm, ut suspicionem conceptam ipse tibi detrahas, repete memoriâ ejusdem in Jovinianum sententiam. Etverò, si hìc Hieronymus ademptum ibat Petro primatum, dicere oportuerat, non *unus de presbyteris*, verùm ut *unus de Apostolis electus superponeretur cæteris.* At probè noverat, à Servatore ante ascensionem institutum vetustiorem esse, quàm ut ejus initia ex occasione Corinthiaci schismatis duci possint. Sed neque iisdem Romanorum pontificum Petri successorum supremam in Ecclesiâ dignitatem oppugnabat; id enim si voluerat, dixisse oportuit: *Decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem* (in toto orbe, omnium Ecclesiarum) *cura pertineret.* At alia verba, mens alia fuit Hieronymo: verba si attentiùs expendas, non de universali Ecclesiam totam gubernandi formâ, sed de modo et disciplinâ regiminis, quæ tum in singularibus Ecclesiis viguit, sermonem habuisse perspicies.

Græcus. Quid igitur Hieronymo dicis fuisse propositum? mihi sanè hæc quatuor tradidisse videtur: Presbyterum et episcopum eumdem esse; episcoporum à presbyteris discrimen in remedium schismatis institutum; primis temporibus communi episcoporum atque presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas fuisse; demùm occasione Corinthiaci schismatis, hoc est, consuetudine magis quàm divinâ dispositione, presbyteris superiores evasisse episcopos.

Latinus. Procul ab eâ mente abfuisse Hieronymum, ut presbyteros nihilò inferiores, pares, et eosdem charactere, jurisdictione, ac radice potestatis, cum episcopis faceret. Hanc Aetii labem, quemadmodùm nonnulli audaciores ante nos egerunt, non audemus S. doctori inurere, à quâ ille injuriâ satis seipsum defendit, atque à nobis vindicari posset, si hic locus esset, istud Hieronymi testimoniis peragere. Itaque duo tantùm sunt quæ affirmat: primum episcopos atque presbyteros, nomine et appellatione, quin et usu aliquo et exercitio jurisdictionis externæ pares initio, atque eosdem fuisse. Verùm exorto subinde schismate, illum jurisdictionis exercendæ modum, normam ac disciplinam antiquatam esse sic, ut cùm antea sollicitudo et cura Ecclesiarum apud plures, et divisa existeret, deinceps omnis ac tota propè ad unum de presbyteris electum, hoc est, episcopum devoluta sit: quare non simpliciter dixit de-

creto factum, *ut unus superponeretur cæteris;* hoc enim divinâ institutione episcopis demandatum noverat: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei,* Act. 20. Verùm cautè ad ipsam superioritatis exercendæ rationem respiciens, dixit: *Ut unus superponeretur cæteris,* sic nempe, eâque disciplinâ, ut ad eum *omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Exercebant nempe primitùs episcopi, quanquàm supremam à Servatore potestatem nacti, hâc peculiari methodo jus suum, ut nihil propè, nisi de communi presbyterorum consilio consensuque agerent, judicarent, decernerent, et viguisse seculo adhuc ante Hieronymum in nonnullis Ecclesiis eam disciplinam, ex Cypriano discimus: verùm et eamdem in episcoporum fuisse arbitrio, eodem auctore pro comperto habemus. Sic enim epist. 6 utrumque expressit: « At id quod scripserunt compre« sbyteri nostri........ solus rescribere nihil « potui, quando à primordio episcopatûs mei « statuerim nihil sine consilio vestro et sine « consensu plebis, meâ privatâ sententiâ ge« rere. » Hunc igitur morem, hanc vetustissimam disciplinam, schismatis Corinthiaci occasione mutatam dixit, in novam ampli oremque juris dicendi formam: hâc novâ formâ, *episcopos presbyteris majores evasisse consuetudine magis quàm dispositionis dominicæ veritate,* rectè affirmavit Hieronymus. Etverò ad hanc tantùm pleniorem, magis liberam, minùsque presbyteris obnoxiam jurisdictionem, quâ suâ ætate fruebantur episcopi, advertisse sanctum doctorem liquet planè ex consequentibus; etenim ad hanc rursùs antiquis cancellis spontè constringendam magno conatu hortatur episcopos, et quanquàm soli habeant præesse, « in commune, ait, Ecclesiam debere regere, « imitantes Moysen, qui cùm haberet solus « præesse populo Israel, elegit septuaginta, « cum quibus populum judicaret. » Quare non egit aliud quàm ut animos adderet episcopis ad revocandum ubique morem pristinum, gubernandamque Ecclesiam, ut olim, communicatis cum presbyterorum cœtu consiliis. Hoc exemplo Moysis persuadere conatus est, hùc studia convertit.

§ VIII.

Græcus. Sermonem, quem ex Hieronymi occasione à Petro deflexeras ad vindicandam episcoporum jurisdictionem in presbyteros, et Romanorum pontificum in omnes, revocabo rursùs ad primatum Petri, quem Paulus, nunc majorem se faciens, aliàs exæquans, aut minorem et subjectum negans, tantùm non evertit. Is ergo, si quis alius, ut mollissimè loquar, non agnovisse mihi videtur in Petro primatum: vereor enim ut dicam, quod agnitum fateri nollet, quodque eidem repugnaret, aut quem Petro injuria detraxit, sibi arroganter tribueret. A summo incipio: vide ergo ut se ille Apostolis cunctis nemine excepto præferat, 2 ad Cor. 11: *Ministri Christi sunt? plus ego.* Atque ne opponas loqui hìc Paulum ut minùs sapientem: *Ministri Christi sunt? ut minùs sapiens dico, plus ego;* appello ad communem Patrum sensum; illi ex vero et merito id dictum agnoscunt omnes, nullisque ambagibus Paulum primo inter omnes loco constituunt. Etenim à Chrysostomo, hom. 1 de Præc. *Apostolorum dux;* et Homil. 2 in Epist. ad Rom., *Apostolorum maximus;* atque ut noveris Petro ipsi prælatum, *primus omnium,* hom. 3 in Matth. dicitur. Hilarius quoque Arelatensis *Apostolorum supremum,* Bernardus *principem,* alii *coriphæum,* Florentini Patres etiam *proto-coryphæum* vocârunt.

Latinus. His tot de Paulo elogiis licuit addere et illud Augustini in Ps. 87: *In corpore Christi præcipuum membrorum;* aut cum Nazianzeno, orat. 1, dixisse poteras πρῶτον ἀπὸ Χριστοῦ. Verùm quid tu his omnibus aliud conficies, quàm quod voluit ipse Paulus dicens: *Plus ego?* Si Patres his locis etiam Petro anteponunt Paulum, in eumdem procul dubio feruntur scopum, in quem Paulus ipse 2 Corint. 11; quid verò est, in quo se ibi præfert *ministris Christi?* audi: aufert ille nubem ex oculis omnium, qui somniant, eum sibi primatum arripuisse, cùm hanc dicti sui rationem continenter reddit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas unâ minùs accepi; ter virgis cæsus sum; ter naufragium feci; nocte et die in profundo maris fui,* etc.; *plus omnibus laboravi.* Hæc igitur illa erant, in quibus se Apostolus Christi ministris præposuit, et, si ita velis, Petro etiam à Patribus antelatus est. Nazianzenus certè non ad dignitatem, sed cruciatus ac ærumnas Pauli respexit; cùm enim loco citato dixisset: *Ut moderatiùs dicam, primus à Christo,* illicò subdit: *Tanquàm impius perpeti aliquid non recusat.* At ne Augustinus, atque Chrysostomus scrupuli aliquid in animo tuo relinquant, meminisse te volo etiam Petrum ab iisdem Patribus, iisdem

prorsùs honoris titulis multòque crebriùs exornatum fuisse; et cùm sermo fuit de potestate auctoritateque, disertis verbis Paulo præpositum. Fecit ita Augustinus epist. 82 ad Hieronymum, ubi minorem et posteriorem Petro satis innuit. Chrysostomus non contentus dixisse utcumque, Petrum, *primum in medio fratrum*, exponens verba illa : *Pasce oves meas*, ita Christum ipsum loquentem inducit : *Id est : Esto præpositus loco meî, et primus in medio fratrum.* Hoc est, quod litem omnem absolvit, sic ut nemo unus cum Petro in auctoritatis contentionem jure venire possit. Sic igitur habe : titulos illos eminentes, vel Paulo, collato duntaxat cum aliis, vel in consortio tantùm Petri tributos, vel certè, qui tribuerunt, ad labores apostolicos, sapientiam, ærumnas Pauli respexisse; et hæc in eo præ cæteris commendâsse. Ex quo etiam factum existimat Abulensis præsul in 3 Regum 20, ut antonomasticè Apostolus audiat : « Cùm dicimus *Apostolum*, non « exprimendo nomen, intelligitur excellens « inter Apostolos, scilicet Paulus, qui fuit « excellentior in doctrinâ, licet non in potes- « tate. »

Græcus. Dabo Abulensi, Paulum potestate non excelluisse; at neque subjectum fuisse, neque inferiorem, tu ut id mihi neges, certè Paulo affirmanti, Patribus confirmantibus vix negabis. Atqui Paulus ad Gal. 2, postquàm à se susceptum iter cum Tito et Barnabâ Jerosolymas ad Petrum, Jacobum, et Joannem commemorâsset, addit versu 5 : *Quibus neque ad horam cessimus subjectione.*

Latinus. Næ tu meam infringis patientiam, si adeò malignè effata Pauli, quasi ad summos ille Apostolos respexerit, cum hæreticis, ex quibus te hæc mutuatum opinor, deflectas. Inspice libero animo c. 2 ad Gal., et 2 Cor 11, ac me etiam silente comperies, uno loco ad pseudo-apostolos, altero ad falsos fratres, qui Paulo prædicationis libertatem ibant ademptum, verba supra à te relata pertinere; quod quidem vel ipsa ratio, quam Paulus subjecit, per se admonet : *Ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Cui enim sano in mentem veniat veritatem Evangelii à Petro aliquando impugnatam dicere?

Græcus. Quando tu rursùs 2 ad Cor. Epistolam in memoriam revocas, patere, ut quod ex cap. 2 ad Gal. non potui, inde denique conficiam. Disertè, ibi Apostolus loquitur de Petro, Jacobo ac Joanne : et nihilominùs ait : *Existimo me in nullo inferiorem esse à magnis Apostolis.* Atque ne hoc Apostolo c. 11 excidisse credas, consultò et propè ad verbum cap. 12, eamdem sententiam repetiit : *Nihil enim minùs fui ab illis, qui sunt supra modum Apostoli.* Expende, ut hìc dixerit, *nihil*, ibi, *in nullo*, ne primatum quidem excipiens. Et suffragatur Chrysostomus hom. 68 in Matth., dicens : *Neminem antistare Paulo cuique petat.* At ne tu pro solemni tuo, in comparationem vocari Petrum inficieris, Ambrosium audi lib. de Spiritu sancto : *Non inferior*, ait, *Petro, non indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, et nulli secundus.* Et eodem libro, cap 12 : *Qui se inferiorem nescit, fecit æqualem.*

Latinus. Evicisti denique ex Apostolo et Ambrosio in comparationem vocatum esse et Petrum ipsum, nec Petrum modò, sed Joannem quoque et Jacobum. Ut enim observat Chrysostomus hom. 23 in eumdem locum, *non simpliciter* Apostolis *dixit, sed* magnis, *Petrum et Jacobum, et Joannem innuens.* Et rectè hactenùs. Amplector deinde et dictum Ambrosii : *Qui se inferiorem nescit, fecit æqualem :* si verò ita, non igitur æqualem se fecit inæqualibus; id enim rectæ rationi adversum et repugnans est; itaque æqualibus, hoc est, in quo ipsi magni Apostoli fuêre invicem æquales : id verò primatum non esse, dabis facilè, si adhuc memoriâ retines, quæ in hanc rem à me pridem dicta sunt : quare neque Paulus se primatu æqualem fecit, neque hunc, uni Petro proprium, in comparationem vocavit, existimans *se in nullo inferiorem à magnis Apostolis.* Eo igitur se solùm contulit, quo magni tres illi pares erant. At si tibi hoc meum argumentum non arrideat, nec sustines, ut te longiùs morer his ratiunculis, adi ipse 2 Cor. 11, et diligenter omnia ad calculum revoca, quæque antecedunt, quæque consequuntur; tunc clarâ luce perspicies quàm primatui nihil deroget, ex quo, se *nihil minus* fuisse dixit. Etenim versibus quidem antecedentibus à revelationum, visionum, raptuumque magnitudine; consequentibus verò, à signis apostolatûs sui factis super Corinthios, à prodigiis, à virtutibus hanc æqualitatem repetit : *Quid est enim,* dicebat, *quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* ad Cor. 12. Quare quemadmodùm hisce Corinthiacam, parem dignitate, auctoritate ac potestate non fecit cæteris per orbem cathedris, quanquàm institutione ac doctrinâ Apostolicâ omninò supparem esse contendat, ita sanè neque alla-

tis à te verbis seipsum auctoritate aut potestate exæquavit : aut si hoc etiam velis, stitit in apostolicâ, communi magnis Apostolis dignitate, ministerio ac potestate : quod innuit Primasius, in c. 2 ad Gal. dicens : *Non illi sum inferior, quia ab uno sumus ambo in unum ministerium ordinati.* Etverò hoc tantùm intendisse Paulum, vel ipsa hodierna textûs lectio admonet ; ea sic habet : *Existimo nihil me minùs fecisse à magnis Apostolis ;* hoc rationes, quas subdit, persuadent : *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ ... gratis evangelizavi vobis... ; in omnibus sine onere me vobis servavi.* Nec plus ultra.

§ IX.

Græcus. Postquàm tu Apostolatûs decus suppar in utroque agnovisti, reliquum est, ut ego primatum paris gradûs utrique evincam : et quanquàm nondùm ipse satis expediam an unitum in solidum ambo tenuerint, an divisum auctoritate pari gesserint, gessisse tamen hâc postremâ ratione eruisse mihi videor ex 2 cap. ad Gal., ubi sic de se Paulus : *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis.* Diligenter nota vim comparativæ particulæ; et si concedis summo jure circumcisionis Evangelium consignatum Petro, da quoque summo jure præputii Evangelium translatum in Paulum. Acquiesce Patrum sententiis, ac in primis Chrysostomi, qui in citatum textum ad Gal. ita commentatur : *Paulus non se comparat aliis Apostolis, sed eorum capiti, ostendens eamdem utrique capitis dignitatem.*

Latinus. Si, quod sæpè jam monui, cùm affers locum Apostoli, ad consequentia etiam animum advertisses, non esset, cur te tuaque semper emendem ; quod quando à te adhuc neglectum est, pone tibi præ oculis, intentâque acie aspice cur id Apostolus dixerit; tam aperta causalis est, ut expositione nostrâ non egeat : *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Hinc omnis similitudo ducitur ; quæ quidem non auctoritatis, aut potestatis, sed missionis modum æqualem indicat ; quare et continuò subdit : *Cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.*

Græcus. Ut verum sit Paulum plurimùm à modo missionis æquali comparationem duxisse, hocque in primis celebret, hoc sibi in gloriam vertat : *Neque enim ego ab homine accepi* (Evangelium), *neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Cap. 1 et 2 ad Galat. : *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt,* tamen si Patres etiam in auxilium vocem, ipsum quoque primatu et capitis honore gloriatum comperio. Etenim, ut dixi, Chrysostomus *eamdem utrique capitis dignitatem* tribuit : quid ad hæc respondes ? equidem *capitis dignitas* primatum planè videtur exprimere.

Latinus. Nolim esse tam severi et illiberalis ingenii, ut nil tibi, nil Chrysostomo deferam. *Dignitas capitis,* quam Paulo tribuit, primatum ejus inter gentes stabilit, hunc damus, si tu modò Apostolorum primatum vicissim Petro non deneges : ita stabit adhuc Paulus caput gentium, sub capite universali Petro. Etverò hoc, neque plus quæsîsse Chrysostomum, ipsa Pauli verba, in quæ commentatur, satis demonstrant. Indicavit hoc etiam Ambrosius in Epist. ad Galat. dicens : *Paulus gratiam primatûs sibi à Deo concessam vindicat, sicut et soli Petro concessa est inter Apostolos.* Sit igitur Paulus caput gentium, habeat sibi earum primatum, quid inde ? Si Apostolorum primatum Petrus obtineat, etiam gentium caput sub Petro futurum est. At inficiaris Petrum esse Apostolormm caput, parùm sollicitus quid Ambrosius dixerit : verùm vide ut contra mentem Pauli etiam id abnuas. Dedit ipse, ut fatebare, circumcisionis primatum Petro ; atqui Apostoli omnes, et Paulus ipse ex circumcisione fuit : *Nos naturâ Judæi, et non ex gentibus peccatores,* ad Gal. 2. Infer jam ipse quod consequens est. Verùm hoc misso, quantùm circumcisionis Evangelium, ac ministerium, quod Petro assignat, supra alterum præputii ac gentium emineat, quantùmque ad supremam Petri dignitatem commendandam valeat, aptè conjicies ex ipsâ ad Rom. Epist., ubi v. 15, idem Christo ministerium adscribit, quod Petro ad Gal. 2 : *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis.* Quid illustrius Petro dari potuit, quàm vel vicaria potestas in ministerio Christi ? Et hanc tam ingenuè confitetur Paulus in Petro.

Græcus. Dùm tu me ita undique petis, inde etiam argumentorum tela in me contorques, unde prorsùs opprimendum te credidi ; acuisti diligentiam meam, ut accuratiùs vestigarem unde denique factum esset ut Petro circumcisionis, Paulo præputii Evangelium sit creditum. Et comperi denique ex Hieronymo, rem in hunc modum explicante lib. 1 in Epist. ad

Gal. 2 : « Principale singulis in Judæos et gen« tes fuisse mandatum, ut qui defendebant « legem, haberent quem sequerentur, qui « gratiam præferebant, non deesset eis doctor « et prævius : in communi verò hoc eos ha« buisse propositi, ut Christo ex cunctis gen« tibus Ecclesiam congregarent. » Ex quo quidem in eam mentem deveni, ut credam Paulum, etsi præcipuis summisque curis gentiles complexus sit, sic ut inde *Apostoli gentium* cognomen tulerit, in Judæos tamen quoque apostolicam sollicitudinem extendisse, atque ita universi orbis pastoralem curam egisse. An verò hoc tibi non probat Apostolum indivisum primatum gessisse? neque enim audeo pastorale Petri officium solâ circumcisione concludere. Sanè si *sollicitudinem omnium Ecclesiarum* primatûs nomine complecteris, obtinuit hunc etiam Paulus, qui eam sibi sollicitudinem apertè 2 Cor. 11 asseruit. Atque ne tu mihi in illo hanc pastoralis et universalis curæ amplitudinem ex decreto et voluntate Petri accersas, audi Paulum, id gravissimis verbis pernegantem ad Galat. 2 : *Qui videbantur aliquid esse, nihil mihi contulerunt.*

Latinus. Sit ita sanè : substinuerit Paulus sollicitudinem omnium Ecclesiarum, neque id ex charitate modò, aut concessione hominum, sed ex apostolico planè officio, et imperio Christi ; nihil tamen inde admodùm proficies, si ad ea quæ ante dixi, animo redeas, et quam dudùm expinxi, apostolatûs imaginem diligenter inspicias. Asserui ibi, imò ex sacris etiam paginis comprobavi, duabus præcipuè prærogativis apostolatum constitui : primùm ex potestatis amplitudine per orbem universum, omnesque latè Ecclesias diffusæ ; deinde ex ejusdem potestatis dignitate à Christo immediatè profectæ. Cum utroque vero hoc, quàm rectè ibi potestatem Petri eminentem supra cæteros composuerim, meminisse te velim, ne in idem quod dixi redire opus sit. Cæterùm, quia tecum versari in deliciis habeo, nolim te mentem Patrum, et, ut videtur, non sat concordes de Paulo sententias celare. Etenim cùm nemo Paulo potestatem amplissimam deportandi per orbem Christi nomen coram gentibus, populis et filiis Israel abneget ; Gregorius tamen Magnus Paulum apostolatûs officium non in universum orbem exercuisse existimat, epist. 38 ad Joannem Constantinopolitanum : « Petrus Apostolus « primum membrum sanctæ et universalis « Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Joannes, quid « aliud quàm singularium plebium capita? Et « tamen sub uno capite omnes membra sunt « Ecclesiæ. » Verùm alii, nulli Apostolum certæ provinciæ alligant, nullis limitibus ejus prædicationem circumscribunt. Hieron. in c. 5 Amos, « percurrisse ait à mari Rubro usque « ad Oceanum, deficiente priùs eum terrâ, « quàm studio prædicandi. » Idem sensus est Ecclesiæ canentis : « Tu es vas electionis, « sancte Paule Apostole, prædicator veritatis « in universo mundo, per quem omnes gentes « cognoverunt gratiam Dei. » Sed nemo rem expressit apertiùs Isidoro Pelusiotâ, epist. 186 dicente : « Apostolorum quisque regionem na« ctus unicam, eam rectè finxit et concinnavit. « At Paulus universum penè orbem, tanquàm « alatus cultor pervagatus est, atque extre« mos ad usque terminos penetravit. » Quare hanc fuisse causam suspicor, ut Chrysologus serm. 6 in Psalm. 99, *collegam pastoris Petri pascendis ovibus* nuncupaverit. Cùm enim Apostolorum reliquis provinciæ suæ descriptæ sint, Petri ac deinceps Pauli apostolatus in universum latissimè patuit ; *apostolatus* dico, quem tu perperam cum primatu confuderas.

Græcus. At mihi Chrysologus plus etiam aliquid voluisse videtur, et pascendarum quoque ovium potestate exæquâsse. Ut enim Ulpianum omittam, qui de v. s. : *Collegarum*, inquit, *appellatione continentur, qui sunt ejusdem potestatis.* Sanè supremi imperii participem videntur [illegible], et in consortium primæ [illegible] Paulum, præter Chrysologum, [illegible] quoque et Cyrillus Jerosolym[illegible]. Audiamus Chrysostomum existimat [illegible] curam universi orbis suscepisse, [illegible] utcumque, sed curam præfectu[illegible] magistratui supremo conjunctam ; verba [illegible] sunt hom. 23 in 1 Corinth. : Παῦλος [illegible] τὴν προστασίαν ἐπεδέξατο. Nec enim [illegible] assequor, quo meliùs nomine summus in Ecclesiâ magistratus apud nos exprimi possit : cùm enim πρωτοκαθεδρία primum nobis sedendi locum significet, προστασία est præfectura cum jure supremo atque imperio. Quare rectè Cyrillus Jerosolymitanus conjunxit Apostolorum principes et Ecclesiæ προστάτας, hoc est, præsides, dixit ; et Greg. Magnus, l. 2, c. 12, in principatu apostolico fratres tenere totius Ecclesiæ principatum. Quibus nisi denique fateare Paulo affirmari, Petrum ipsum primatu evertis. Unde enim ; aut quibus demùm verbis hunc tu probes dilucidiùs Petro?

LATINUS. Ut errorem tibi detraham, ex quo te laborare magnoperè suspicor, initio statim monitum te volo, nunquàm mihi in animo fuisse, Paulo nudum prædicationis, jure ac potestate destitutum assignare ministerium; nec enim id esse ex Apostoli dignitate, probè novi. Habeat per me Paulus sollicitudinem omnium Ecclesiarum, neque ex charitate tantùm, sed officio: habeat etiam cum omni apostolicæ dignitatis amplitudine. An verò προστασία apud Chrysostomum, aut προστάτης apud Cyrillum, plus aliquid tibi significant? nolim ego grammaticam tecum ingredi, et de vocibus conserere: id abundè comperi, ex Cyrilli mente Paulum omnimodâ potestate parem non fuisse Petro: quî enim æqualem undique Petro faceret, qui, catech. 10, Joannem non esse minorem Paulo dixerat? at æqualis Pauli Joannes minor erat, per eumdem Cyrillum, Petro, cui soli pascendas oves à Christo commissas catech. 14 tradidit. Sed, inquis, Chrysologus collegam Petro adjunxit Paulum, etiam in pascendis ovibus: si rectè assequor, hoc tuum argumentum est: Summa potestas Petri est in pascendis ovibus; per Chrysologum in hâc habet collegam; igitur in summâ potestate. Et quoniam *collegæ* nomen identitatem potestatis indicat, habet Paulus potestatem summam, imò prorsùs eamdem cum Petro; ita tu: quasi verò etiam in summâ potestate habere quis nequeat collegam imparem? Odi quæ sunt de voce lites, in quas ne denique tecum descendam hodiè, tu consule Callistum de Jure immunit. et Caium de Collegiis. Aiunt illi collegas dici, non qui tantùm in communionem potestatis sint vocati, verùm et qui ejusdem fuerint collegii aut corporis, qui quanquàm omnes collegæ et sodales sint, tamen nil prohibet quin unus præsit, et jus dicat omnibus. Sed quid ego ad Caium et Callistum te remitto? Adi Gratianum dist. 95, ubi canonem 25 concilii Carthag. II ita refert: « Episcopus in ecclesiâ, in consessu presby« terorum sublimior sedeat: intra domum « verò, collegam presbyterorum se esse cogno« scat. » Poterat itaque Paulus etiam in pascendis ovibus esse collega Petri; poterat esse frater in principatu apostolico; potuit omnium Ecclesiarum *pater* esse et *princeps*, ut eum vocat Augustinus, imò et *caput;* sic tamen, ut Petrus eminentiorem quodam modo, ceu unitatis centrum et fons Evangelii, ipsius adeò Pauli caput esset, ac pastor vice Christi.

GRÆCUS. Improvidè agis, et in caput tuum moliri videris, si tot dilucida Patrum testimonia, tot titulos undique similes, quos adhuc pro primatu Pauli adduxi, semper restringas, et aliò deflectas. Si Patres in Paulo dant verba, et tantùm non fallunt, quis illis, eadem penitùs de Petro asserentibus fidem præstet? Quis ultra verba Petro primatum deferat?

LATINUS. Præstabunt fidem Catholici, et si vim argumenti quod nunc dicturus sum percipias, tu ipse. Sic itaque habe: Patres, quibuscumque demùm titulis cohonestent aut extollant Paulum, primatum tamen illi in Ecclesiam et Apostolos ipsos conferre non poterant; sive tu rei magnitudinem, sive Patrum ætatem spectes, ætate illi inferiores erant Apostolis, neque ejus auctoritatis, ut quanquàm coævi, in Apostolos quidquam possent; si ergo primatum communem cum Petro Paulus gessit, obtinuit hunc à Christo, vel Petro, aut fortè Apostolis. Tu itaque, ut intentum promoveas, vel à Christo institutum, aut à Petro in potestatis supremæ communionem admissum effice, ne operam ludamus.

GRÆCUS. Rem tu æquam quidem, sed quæ vires meas facilè superet, petîsti, non abibo à Patribus; quanquàm enim nil illi Paulo contulerint, aut conferre potuerint, collatum tamen, hoc sive altero modo, satis auctoritate suâ evincunt. Quis enim neget potuisse Patres id traditione accipere? et accepisse etiam confidenter aio, cùm, quæ adhuc produxi ex Patribus elogia, hoc planè efficiant, sive is denique à Christo, sive à Petro ipso in consortium supremæ potestatis immissus sit, quod non decerno.

LATINUS. Nec tu igitur satis expedis, cui suam potestatem supremam Paulus in acceptis referre debeat, quam meliùs dixisses, nulli. Ego si illam, quæ à Christo est, institutionem Pauli in Apostolum, reputem attentiùs, nullum in eâ admodùm primatûs vestigium comperio, aut quod sapiat auctoritatis quidquam supra cæteros Apostolorum. Institutio Pauli, quæ à Christo est, magno Dei beneficio, in Scripturis hodièque extat. Age itaque, et quæcumque loca sunt percurramus. Act. c. 9, Domini verba sunt ad Saulum ipsum prostratum in viâ: *Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Et per idem tempus ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel: ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ananiæ denique ad Saulum:

Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in viâ, quâ veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. Eadem c. 22 Paulus ipse in castris catenis vinctus ad Judæos Hierosolymitanos repetit : *Dominus dixit ad me : Surgens vade Damascum, et ibi tibi dicetur de omnibus quid te oporteat facere. Et Anania dixit mihi : Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et audires justum, et audies vocem ex ore ejus : quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audîsti.* Retulit quoque eadem Act. c. 26, Cæsareæ, audiente rege Agrippâ et Berenice. Ait ergo sibi dictum à Domino : *Exurge, et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi. Eripiens te de populo et gentibus in quas nunc ego mittam te aperire oculos, ut convertantur à tenebris ad lucem.* Quid, quæso, in hâc primâ institutione præter commune apostolatûs officium demandatur Paulo ?

Græcus. Sed fortassè alibi plura; tu si cætera etiam tenes memoriâ, quæcumque ad potestatem faciunt, profer in medium, nec me quidquam cela.

Latinus. Obsequar : cùm igitur primùm à Spiritu sancto destinaretur ad Evangelium inferendum Arabiæ, Asiæ provinciis, ac insulis, Act. 13, dixit Spiritus sanctus ad Antiochiæ congregatos : *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Quod verò hoc fuit? sanè non fuisse aliud à prædicationis opere, evincunt utriusque Apostoli verba ad Judæos Antiochiæ Pisidiæ urbis : *Vobis,* aiebant, *oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus* (Isaiæ 49) : *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Denique et illud quod post prædicationem de reducibus Antiochiam dicitur c. 14 : *Navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleverunt.* Macedo quoque ille, qui in somnis apparuit c. 16, unum defert Paulo laborem apostolicum; en ejus verba : *Transiens in Macedoniam adjuva nos.* Nec Paulus vigil plus sibi tribuit : *Quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocâsset nos evangelizare eis;* Christus quoque ipse cùm per speciem nocte se obtulisset Paulo Corinthi c. 18, aiebat tantùm : *Noli timere, sed loquere, et ne taceas.* Et in duplici illâ quâ eum Hierosolymis Salvator dignatus est visione c. 22, quidem hæc tantùm mandata accipit : *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.* Et c. 23 : *Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet et Romæ testificari.* Retuli hactenùs verba Servatoris ad Paulum ; nunc Pauli quoque de se, deque suo munere accipe. Describit id cum tribus primis locis, ad Rom. 1 : *Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Ad Ephes. 8 : *Cujus factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei quæ data est mihi secundùm operationem virtutis ejus. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes,* etc. Et denique 2 ad Tim. 4 : *Dominus autem mihi adfuit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes.*

Græcus. Verba Christi, quibus Paulus in Apostolum delectus atque institutus est, in unum collecta exprompsisti hactenùs, tum et illa quibus idem in varias orbis plagas evocatus aut ire jussus est; denique et Pauli ipsius, quibus demandatum sibi munus complexus est. Magnum illa quidem Apostolum, at denique, ut fatear, nondùm caput inter omnes efficiunt; quando tamen, ut pridem aiebam, id Patres nec obscurè innuunt, quanquàm non Scripturis, traditione tamen fortassè acceperint. Atque ita planè adhuc existimo, nisi et hinc me dimoveas. Quis enim ferat verba dedisse Patres, cùm *principem, ducem, caput,* et non alia, dixerunt?

Latinus. Si alterutrum duorum affirmandum sit, malim credere verba dedisse quàm Paulo primatum detulisse Patres quem illi sicut Scripturarum non accepêre testimonio, sic neque traditione propagatum, persuadere volebant, si quando eum *principem,* προστάτην, *caput,* aut quovis alio splendidiore titulo nuncupârunt. Verùm, ut sentias denique quàm tu inanem ex PP. locutionibus suspicionem traditionis conceperis, meminisse te primùm volo, ex nudâ titulorum concordiâ ac similitudine, nihil admodùm veræ certæque inter duos æqualitatis confici. Etenim Titum quoque Andreas Cretensis dixit *fundamentum Ecclesiæ,* Athanasius Basilium *Ecclesiarum caput,* quin idcircò ad Pauli mensuram pertigerint. Paulus ipse Act. 2 affirmat in universum, *episcopos à Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei;* et 2 Cor. 5 : *Omnes pro Christo legatione fungi,* quin quisquam nostrûm sustineàt eos aut invicem, aut Paulo pares facere. OEcumenicus,

ut id etiam permittam, est patriarcha Constantinopoleos; œcumenicus Romanus pontifex; num suppar idcircò? quare ut rectum de Patrum sententiis feras judicium, ultrò insuper tibi reflectendus erit animus, videndumque unde illi Paulum cum Petro componant, et si ita lubet, æquiparent. Equidem si illa Scripturæ loca, ex quibus æquiparatio ducitur, nullum primatûs vestigium contineant, neque consimiles tituli, et æqualitas inde ducta, primatum communem ex mente Patrum significant, et tum quidem minimè, cùm in iisdem Patribus loca non obscura existunt, ex quibus Paulum postpositum possis verâ aliquâ ratione consequi.

Græcus. Regulas quas nunc mihi Patres ritè interpretandi, mentemque eorum ex vero conjiciendi tradidisti, laudo vehementer ac approbo; at quantùm te illæ juvent, aut sententiæ meæ derogent, nondùm assequor, nisi tu quidem aut producas loca in quibus disertè Petrum prætulerint, aut certè ostendas, illis etiam Scripturæ locis quibus Patres adducti pares utrique titulos præbuerunt, primatum non probari.

Latinus. Quod petisti, id quidem à me tibi sparsim antea jam est præstitum; quò verò eadem etiam sub conspectu habeas, tuæ id dabo petitioni, ut omnia in unum colligam. Itaque Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Primasius, ut tibi apertè dicam, vel non ducunt primatum Pauli ex locis quæ ejus aliquod indicium faciunt, vel prorsùs ex talibus ex quibus potiori jure subjectio Pauli colligenda concludendaque fuerat. Primasius in c. 2 ad Gal. nomine Pauli sic loquitur: « Non illi « (puta Petro) sum inferior, quia ab uno sumus « in unum ministerium ordinati; qui operatus « est Petro in apostolatum circumcisionis, ope- « ratus est mihi inter gentes. » Ex iisdem quoque Chrysostomus ad Gal. 2: « Paulus, ait, « non se comparat aliis Apostolis, sed eorum « capiti, ostendens eamdem utrique capitis di- « gnitatem. » Tum verò Ambrosius in eumdem locum sic concludit: « Paulus gratiam prima- « tûs sibi soli à Deo concessam vindicat, sicut « et soli Petro concessa est inter Apostolos. » Porrò an tibi videntur hæc esse primatûs veri indicia? primum quidem esse nequit, quia commune omnibus Apostolis; sed neque alterum, quia circumcisionis ministerium multò erat nobilius illo gentium, quippe quod complecteretur ipsum quoque gentium ministrum, cùm et is ex circumcisione fuerit. Hieronymus ex iis verbis Pauli: *Et contuli cum iis Evangelium*, ex quibus subjectio potiùs arguenda fuerat, æqualitatem infert, dùm ait quòd *inter conferentes sit æqualitas*. An Theophilactus, Œcumenius et Chrysostomus ex mutatione nominis Sauli in Paulum feliciùs arguerint primatum, aliàs dicam. Sed quò ad liquidum appareat, nec eos animo designâsse plus quàm tibi nunc tribuimus pro Paulo, afferre possem ex ordine Patres, qui Petrum Paulo præferant, nisi aliàs futurum sperarem, ut aptior se locus det, quo, minori nostro tædio verba Patrum interseram. Nunc, ut opinor, satis, ut ipse, ut sapiens es, percipis, quàm frustra te ac Patres ad traditionem, nescio quam, primatum Pauli referre volueris, atque etiam retuleris, cujus tu neque auctorem, neque testem, neque vadem habeas. Si Patribus animus fuisset persuadere nobis primatum Pauli, quasi quem traditione acceperint, ne dubita, in tanto eorum numero, quos adhuc adduximus, vel unus futurus erat, qui se apertè ad traditionem referret, quemadmodùm non unus, sed propè omnes ad Salvatoris se verba referunt, cùm primatum Petro asserunt.

§ X.

Græcus. Acquiesco, neque jam contendo Paulo primatum; sed neque pervideo unde tu demùm Petro possis verum sincerumque asserere; *verum* aio, qui nempe non totus nudâ honoris prærogativâ finiatur, sed ultrò progressus potestate etiam atque jurisdictione supremâ universos complectatur.

Latinus. Scivi in id denique contentionem nostram deventuram, ut tu honorem duntaxat Petro præ cæteris collatum existimes; de jurisdictionis autem primatu non adhuc disceptationem abrumpas: ast admissâ unâ, ut sopitam etiam agnoscas controversiam alteram, ex honoris prærogativis, supremam quoque Petri in omnes potestatem non grandi negotio conficiam.

Græcus. Manifestiora quàm ut negari possint, honoris Petro supra cæteros semper impensi tenemus indicia. Sanè quoties Evangelistæ Apostolos ex proposito percensent, primum semper locum Petrus obtinet. Marci 2, Luc. 6, à Matthæo insuper etiam verbis disertis, *primus* dicitur. Deinde quando reliqui Apostoli generatim ac velut in cumulo, Petrus singillatim nominatur: *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro*. Marc. 16: *Cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas*, 2 Cor. 12. Neque omittenda

rcor illa, quòd Petro Christus primùm pedes lavet, Joan. 13, et resurgens primùm Simoni apparuit, Luc. 24; quòd soli mortem crucis suæ similem prædixerit, Joan. 21; quòd in fidei confirmationem primum Petrus patret miraculum, Act. 3. Hæc sufficiant : ex mutatione namque nominis *Simonis* in *Petrum,* nihil præcipuum, aut supra Paulum contigisse Petro, Chrysostomus, Theophylactus et OEcumenius rectè observant. Chrysostomi in Ep. ad Rom. hom. 1, verba sunt : « Cùm diceretur « *Saulus, Paulum* nuncupavit, ne in hoc etiam « minus aliis Apostolis haberet, sed quod habuit « eximium discipulorum princeps, hoc haberet « et ipse. » Theophylactus verò in eamdem Epistolam, quærens, « cujus rei gratiâ ex Saulo « Paulus dictus esset? » in eumdem sensum respondet : « Ut neque in hoc Apostolorum « antesignano minor esset. » Consentit utrique OEcumenius in idem caput dicens : « Propterea « verò à Saulo in Paulum immutatur, ut neque « in hoc videretur minus aliis Apostolis habere, « nec ipso Petro. »

Latinus. Non esse prorsùs unanimem Patrum sententiam in statuendis, quæ Pauli nomen attinent, mihi quidem res explorata est. Cùm enim ejus novi nominis Christum alii auctorem fecerint, neque desunt, qui spontè, aut aliorum arbitrio à Saulo id susceptum existiment. Par etiam discordia est in constituendâ nominis suscepti epochâ, causis atque occasione. Chrysostomus. hom. 28 in Acta Apost., Theophilactus, OEcumenius ac Theodoretus in cap. 1 ad Rom., opinantur, Apostolum commutâsse nomen, cùm Antiochiæ initiatus est impositione manuum. Hieronymus in Epistolâ ad Philemonem, Augustinus Confess. l. 8, c. 4, à conversione Sergii Pauli proconsulis id nomen ei accessisse opinantur, Act. 13. Et rectè fortâssè : cùm enim à Salvatore semper antea, quemadmodùm et à Lucâ sacro scriptore in Actis Apostolorum *Saulus* tantùm nuncupatus sit, hoc demùm Actorum capite dicitur : *Saulus, qui est Paulus.* Nullo igitur firmo testimonio, à Salvatore, an homine id nominis susceperit, potest constitui; sed neque, an gratiâ Sergii proconsulis recens ad Christum adducti, an submissionis studio. De utroque, ut videretur, incertus Augustinus, quod lib. 8 Confess. ad conversionem Sergii, hoc idem ad modestiam Apostoli, de Spir. et Litt. cap. 7, et in Psalm. 72, retulit.

Græcus. Omissam à te miror, Origenis, aut Rufini veriùs sententiam in Epistolam ad Rom. Existimat is, Apostolum per omne vitæ tempus utroque eo nomine nuncupatum fuisse; et cùm quidem apud Hebræos Sauli nomine magis cognitus esset, apud gentiles Pauli nomen prævaluisse. Mihi certum est adhærere Chrysostomo, qui ad Salvatorem, et honorem Apostoli id omne retulit : « Ne in hoc minus aliis « Apostolis haberet, sed quod habuit eximium « Apostolorum princeps, hoc haberet et « ipse. »

Latinus. Ut tibi dem Paulum à Christo id nomen accepisse, et fortassè ideò ex æquo parem evasisse cum Jacobo atque Joanne, magnis Apostolis, qui auctore eodem *Boanerges,* sive, ut Hieronymus, *Banereem,* hoc est, filii tonitrûs cognominati sunt. At utrosque Petro pares facere, vel ipsum *Petri,* sive *Cephæ* nomen me prohibet. Igitur cùm insignis omnium istorum Apostolorum supra cæteros ex mutatione nominis eluceat prærogativa, Petrus tamen præcipuas in eo etiam partes obtinet. Etenim Petrus primùm eò præcellit omnibus, quòd nomen summæ potestatis significativum, ac veluti monumentum, imò ipsam summam potestatem cum nomine sortitus sit. Etenim *Cephas* Syriis rupem, petramque, fundamentum ac basim indicat, cùm contra *Pauli* nomen *pusillum* tantùm significet, quanti quidem corpore fuisse Apostolum, testis est Nicephorus lib. 2, cap. 37. Deinde illo etiam præcellit, quòd Petri nomen à Salvatore derivatum, mutatum, ac veluti consecratum sit : *Petra enim erat Christus.* Quare Leo papa rectè intulit, Christum communicato Simoni suo nomine, quo à prophetis sæpè designatus est, communem etiam, et vicariam potestatem in Petrum transtulisse. Ita mutatio nominis *Simonis* in *Petrum,* honoris juxta ac potestatis præcipuæ semper fuit argumentum.

Græcus. Si isthoc sit veri primatûs indicium, erues tu sanè, ut ingeniosus es, idem quoque ex Matth. 14, ubi Petrum cum Christo super pelagus fluctuosum firmo incedentem gradu aspexeris. Et ex Matth. 17, cùm dependendum pro se ac Petro tributum, imperari à Salvatore audieris. Elicies etiam aliquid in rem tuam ex Actor. 12, ubi dicitur : *Pro Petro in carcere oratio fiebat ab Ecclesiâ.* Et denique, ut nihil prætercam, ad Petri primatum referes, quòd Paulus ad Galat. 2, ejus visendi causâ Jerosolymas iter ingressus sit : quasi verò diversa illi à nobis vixerint secula, mores diversos; neque unus profectionem inire visendi alterius causâ potuerit, neque officii, aut ur-

banitatis præstare quidquam, ubi continuò et subjectionem suam testatam fecerit?

Latinus. Eruam equidem, quod audies, at non ego, sed Patres, quorum vos Græci effata magnâ veneratione complecti soletis. Dignissimus est, quem audias, Bernardus l. 2 de Consider. c. 8, ita in illud Matth. 14 disserens: « Discipuli navigabant, et Dominus apparebat « in littore, quodque jucundius erat, in corpore « divino. Sciens Petrus quia Dominus est, in « mare se misit, et sic venit ad ipsum, aliis « navigio pervenientibus. Quid istud? nempe « signum singularis pontificii Petri, per quod « non navem unam, ut cæteri quique suam, sed « seculum ipsum susceperit gubernandum. « Mare enim seculum est, naves Ecclesiæ; inde « est quòd alterâ vice instar Domini gradiens « super aquas, unicam se Christi vicarium de- « signaverit, qui non uni populo, sed cunctis « prodesse deberet, siquidem aquæ multæ, « populi multi. Ita cùm quisque cæterorum « habeat suam, tibi (loquitur ad Eugenium « papam) una commissa est grandissima navis « facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia « toto orbe diffusa. » Nec minori, opinor, voluptate audies, quâ demùm ratione auctor Quæstionum novi et veteris Testam. quæ extant tom. 4 operum August., ex depenso tributo, et verbis illis Christi Matt. 17: *Invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te*, Petri primatum arguat. Ait ergo: « Salvator « cùm pro se et Petro dari jubet didrachmam, « pro omnibus solvisse videtur, quia sicut in « Salvatore erant omnes causæ magisterii, ita « et post Salvatorem in Petro omnes continen- « tur; ipsum enim constituit caput, ut pastor « esset gregis Dominici. » Erat nempe hoc tributi genus, quod solvebatur per capita familiarum, ut expendunt Origenes, Hieron., Chrysost. hom. 59 in Matth. Atque ut omittam ex communibus Ecclesiæ precibus primatum comprobare, cùm id vel consuetudo diptychorum, quæ hodièque apud vos viget, satis superque persuadeat: quam Paulus non urbanitatis, non curiositatis causâ iter Jerosolymam susceperit, præclarè id docuerunt Tertullianus, Hieronymus atque Ambrosius.

Græcus. De quâ tu Pauli profectione hìc sermonem infers? bis illum Hierosolymas adiisse memini: primùm vix elapso ab inito apostolatu triennio. De eâ verò profectione sic ipse ad Gal. 1 disserit: *Deinde post annos tres ascendi Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim.* Non te hæc dierum commoratio in eam, opinor, adducet sententiam, ut suspiceris in hoc accessu plus subesse quidpiam, et ultra honoris officium, quod inter æquales etiam locum habeat. Equidem ne nos ejus adventûs causam comminisci possemus aliam, præclarè cæteras submovit Chrysostomus in eumdem locum sic scribens: *Venisse non discendi studio,* addere potuit, nec potestatis causâ, *sed honoris priori Apostolo deferendi.* Etverò ita prorsùs esse, res etiam ipsa evincit, quando priùs jam per Arabiam omnem sparsisse Apostolum sementem Evangelii pro certo tenemus, nec salutato, nec convento adhuc Petro. Alterum quod sibi imperavit iter, commemorat ad Galat. 2: *Deinde post annos quatuordecim iterùm ascendi Jerosolymam cum Barnabâ, assumpto et Tito.* Tu sive annorum illorum quatuordecim calculum ab ascensione Christi, sive à conversione Pauli, seu denique cum Hieronymo, à novissimo itinere de quo c. 1 verba fecit, ineas, ut sapiens es, facilè pronuntiabis, non discendi, aut potestatis quærendæ studio, non necessitate denique, sed voluntate hoc etiam iter susceptum fuisse. Quis enim sustineat dicere, post longum adeò prædicationis cursum, Paulo denique venisse in mentem, ut jus prædicandi quæreret, veritatem disceret? procul sint hæc ab Apostolo, qui à Servatore missus, divini Spiritûs magisterio omnia didicit.

Latinus. Eruditè utramque Pauli profectionem ad Petrum compendio complexus es. Dabo neutram discendi aut potestatis causâ fuisse susceptam: præterquàm enim quòd id res ipsa persuadeat, Theodoretus quoque ait: « Cùm humanâ doctrinâ non indigeret, ut qui « ab universorum Deo eam accepisset, Aposto- « lorum principi, quem par est, honorem tri- « buit. » Quem verò parem honorem futurum fuisse dices? ego quidem non alium dicerem, quàm qui Apostolorum principi, pastori auctoritatis summæ debebatur. Sanè et Hieronym. in ep. ad August., quæ incipit: *Tres simul epistolas,* ad auctoritatem Petri supremam iter id retulit; ait namque: « Tantæ Petrus auctorita- « tis fuit, ut Paulus in Epistolâ suâ dixerit: « *Post annos tres veni Jerosolymam videre Pe-* « *trum.* » Et mox: « Non enim ascendit, ut genas « vultumque agnosceret, sed ad ipsum venit « tanquàm ad pastorem supremæ potestatis, ut « honorem priori Apostolo deferret. » Audis, ut Hieronymus honorem ad obsequium trahat, et quem Chrysostomus, et ipse *priorem,* eumdem quoque *pastorem supremæ potestatis* nun-

cupet. Nescio quid ad commendandum Petri ex profectione illâ primatum luculentius dici potuerit. Atque ne tu singularem existimes fuisse Hieronymum, accipe aliorum quoque Patrum de re eâdem sententiam. Tertullianus de Præscript. ait : « Ascendit videre Petrum « ex officio, et de jure. » Ambrosius : « Dignum « erat ut iret videre Petrum, qui primus erat « inter Apostolos, cui Christus delegaverat « curam Ecclesiarum. » Hactenùs Patres de primâ Pauli profectione; de alterâ opportuniùs sermo aliàs redibit. Quare nihil aliud est reliquum, quàm ut cum Gregorio IX ad archiepisc. Constantinop. scribente concludam : « Ascendit Paulus, qui in Petro auctoritatis « officium recognoscens, ad eum tanquàm ad « primatum et Evangelii fontem ascendit Jero- « solymam. »

Græcus. Negare haud possum, nisi temerè, præfractèque ingenio tantùm meo confidam, Patres magnâ concordiâ Petro primatum honoris ac auctoritatis ex commemoratis etiam Scripturæ locis asseruisse. Verùm ut jam tuis te armis appetam, primatum, aio, inde Patres eruisse non poterant, qualem ante descripseras, quando neque Christus iisdem locis Petro eumdem contulit. Affer igitur ipsa Servatoris effata, quibus primatûs institutio continetur; ad quæ ego Patres respexisse opinor, quando ea etiam honoris ac venerationis indicia, quæ adhuc attuleras, ad potestatem supremam Petri retulerunt.

§ XI.

Latinus. Quod diu jam cupidè anhelabam præstabo, atque meo æquè tuoque voto morem geram. Si rectè meministi, Matth. 16 promissum, Joan. 21 collatum denique Petro honoris et auctoritatis primatum dudùm pronuntiaveram. Reliquum est ut etiam tibi comprobem. Novi namque è vestris etiam esse, qui ut Petro supra cæteros à Christo honorem impensum concedant facilè, à supremâ nihilominùs potestate honorem eum disjunctum putant, aut ut denique conjunctus esse possit, non satis expediunt.

Græcus. Et me in horum numero eatenùs fuisse fatebor; neque adhuc in totum assequor, quâ ratione suprema illa Petri potestas è metaphoricis ac dubiis sanè verbis *petræ, clavium,* et denique ipso etiam *pascendi* munere elici atque exprimi citra vim ac contorsionem satis possit.

Latinus. Ut metaphorica *petræ* ac *clavium* nomina esse non negem, promitti tamen eâ duplici metaphorâ Petro summum totius Ecclesiæ, et auctoritativum principatum in confesso est. Exequamur singula : susceptis clavibus in summum sacerdotem inauguratus est Eliacim Isaiæ 22 : *Dabo claves domûs David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat.* Quin et suprema Christi potestas eodem clavium nomine, iisdem verbis Apocalypsis 3 designata est. Nec *petræ* nomen commune Christo ac Simoni ad indicandam eamdem supremam, quæ vice Christi esset, potestatem minùs valuit. Quid enim in ædificio petra, quid fundamentum, nisi quod caput in corpore, quod in regno rex? *Petra erat Christus,* Simon quoque, ut vicarium Christi scias, Petri nomen accepit. Eruit id ante nos Leo papa Sermone de Assumptione suâ; ait ergo : « Sicut Pater meus tibi « manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi « notam facio excellentiam tuam : *Quia tu es « Petrus,* id est, cùm ego sim inviolabilis pe- « tra, et lapis angularis, qui facio utraque « unum ; ego fundamentum, præter quod nemo « potest aliud ponere, tamen tu quoque petra « es, quia virtute meâ solidaris, ut quæ mihi « potestate sunt propria, tibi sint mecum par- « ticipatione communia. » Nunc pastoris munus expendam ; quantùm is fallitur, qui alendo grege id definiat. Qui pastor est, ducat insuper, reducat, castiget, tueatur, in summâ præsit, moderetur ac regat gregem demandatum necesse est. Quare etiam sacræ paginæ nullo discrimine pascendi regendique vocibus sæpè usæ sunt, et cùm Servator supremam in omnes potestatem obtineat, pastoris titulos non abhorruit. Etverò neque Joan. 21 : *Pasce oves meas,* aliter à Christo, neque à Græcis olim, quàm pro summâ potestate, acceptum esse, indicio est vel ipsa Græca versio Ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου, quod est pascere præsidendo.

Græcus. Verùm, ne vel ullius apud me dubii reliquiæ utcumque infirmæ supersint, pro certoque habeam iis planè verbis demandatam esse Petro curam universalis Ecclesiæ, ac potestatem, paucos ex innumeris, quos in promptu habes, affer Patres.

Latinus. Chorum ducat Gregorius Magnus. Is lib. 4, epist. 76 : « Cunctis, inquit, Evange- « lium scientibus liquet, quòd voce Dominicâ « sancto et omnium Apostolorum Petro prin- « cipi totius Ecclesiæ cura commissa est ; ipsi « quippe dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Accedat

Gregorio Chrysostomus hom. 54 in Matth.; ait is : « Christus per hæc verba erexit animum « Petri, constituendo illum pastorem totius « orbis terrarum, datisque illi clavibus tradidit « mortali homini cunctorum quæ in cœlo sunt « potestatem. » Atque ne ambigere possis supremam planè potestatem eum in Petro agnovisse, illa Christi verba : *Pasce oves meas*, ita prorsùs exponit : « Id est : Esto præpositus loco « meì, et primus in medio fratrum. » Denique ne cuiquam alteri hanc potestatem communem fuisse suspicari posses, hom. 55 ait : « Jeremiam « uni genti pater, hunc autem universo orbi « terrarum Christus præposuit. »

Græcus. Extra dubium jam tu supremam, et quæ vice Christi sit, Petri potestatem in Ecclesiam universam, apud me collocâsti. Ast, ut, quod res est, fatear, mirari non raró subit, quòd nulla ego, aut illa admodùm dubia tantæ potestatis vestigia in Scripturâ legisse memini.

Latinus. Quæ tu nulla aut dubia admodùm dixisti, ut manifestiùs denique ediscas, age, sacrum codicem mecum ingredere; ubi luce clariùs primatum à Christo acceptum, neque uno loco exercet, et palam manifestat Petrus. Et Act. quidem 1, primus edocet, urgetque, imò imperat agendam electionem Apostoli in locum perditissimi Judæ. *Et exurgens in medio fratrum,* recensito infausto Judæ casu : *Oportet,* ait, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Nonne hæc apertè supremam ejus in Ecclesiâ curam indicant. Si enim locum spectes, dignissimo statuitur : *In medio fratrum.* Si ordinem, et rem ipsam, primus, imò unus est, qui id negotium Ecclesiæ gravissimum infert, ac decernit agendum : *Oportet;* qualemque deceat esse deligendum designat : *Ex his virum.* Quid inter hæc agunt cæteri? *Statuerunt duos, et orantes dederunt sortes eis.*

Græcus. Atqui, quàm prima illa supremam Petri potestatem commendant, tam hæc ultima detrahunt : si enim luculenta adeò in Petro fuit, certaque auctoritas capitis, cur non ille arbitratu suo, aut personas designat, aut electionis modum præscribit? *Illi statuerunt duos; illi dederunt sortes eis.*

Latinus. Et non vereris Petrum è numero orantium excludere? non igitur Petrus oravit, non statuit, non sortes dedit? opinor ego hìc etiam primas obtinuisse Petrum. Quidni, qui eligendi dotes descripsit, finem indicavit, imperavit electionem, modum etiam aut constituit, aut constituisse potuit. Quæ ne ego meo tantùm, aut Latinorum è sensu Patrum decerpsisse videar, juvat audire Chrysost. hom. 3 in Act. : « Quàm est, ait, fervidus! quàm co« gnoscit creditum à Christo gregem! quàm in « hoc choro princeps est!.. » Et infra : « Me« ritò primus omnium auctoritatem usurpat in « negotio, ut qui omnes habeat in manu; ad « hunc enim dicit Christus : *Et tu aliquando « conversus confirma fratres tuos.* » Qui demùm, quod tu objeceras, sic luculentè dissolvit : « An non licebat ipsi Petro eligere? licebat, et « quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui « videretur gratificari. » Atque ne in uno, ubi plura suppetunt, sistamus, consule rursùs Act. 2; rursùs enim *stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam.* Hùc adverte animum, audies grande quid, quodque primatum planè sapiat : hìc denique supremi pastoris munus implet. Etenim vindicat primùm ab injuriâ eos qui afflati divino Spiritu loquebantur variis linguis : *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.* Deinde etiam captâ occasione evangelicam legem aperit, primusque promulgat in vulgus. *Hunc Jesum resuscitavit Deus..., et Dominum eum, et Christum fecit Deus.... Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi.* Quodque hìc in vulgus fecerat, idem Act. 4 in concilio principis sacerdotum, seniorum et scribarum, libertate Apostolicâ planè peragit : ut à Petro apud omnes, et ubique Evangelii apertam prædicationem, noveris, tanquàm capite et fonte Evangelii.

Græcus. Si his, ut aiebas, locis promulgata est primùm à Petro lex evangelica, ubi et à quo demùm censebis antiquatam denique esse Mosaicam et veterem? Etenim si unum, fortassè et alterum erit primatûs indicium.

Latinus. Rectè ais, atque ut tu veterem legem non ab alio rursùs quàm à Petro abrogatam esse pleniùs cognoscas, adi mecum Act. c. 15. Postquàm enim Petrus Actor. 10, cœlesti visu admonitus, primus gentes in Cornelio centurione cohortis Italicæ, Cæsareæ ad Evangelium admisisset, et admissarum causam apud Judæos Hierosolymis, c. 11, vindicâsset, nova gentibus incubuit tempestas Antiochiæ à Judæis; docebant isti Act. 15, nisi gentes etiam circumcisionem admitterent, saluti locum non esse; stabant Paulus et Barnabas pro libertate Evangelii, et quæstio vires flammasque corripuit, cui sopiendæ cùm par non esset aucto-

ritas Pauli, imperavit illi necessitas præsens, et revelatio divina (ad Gal. 2) profectionem alteram Jerosolymas ad Apostolos et presbyteros: *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc.* Atque, ut noveris ad Petrum præcipuè causam omnem delatam, ille tanquàm dux et caput, omnium primus latâ sententiâ definit, *fide purificari corda gentium, et non circumcisione, sed per gratiam Jesu Christi.*

Græcus. Vindicare sanè hæc primatum neque ego inficior; at primatum concilio vindicant, quod quidem ibi celebratum esse, neque tu negaveris, cui, ut cæteros taceam, Paulum etiam lubens suppono.

Latinus. Non te morabor, et concilio, et Petro ipsi primatum vindicant: Petrus namque ubi sit, primatum à Christo acceptum constanter retinet in omnes ac Paulum ipsum, quem tu nuper Petro tantùm non exæquaveras. Atque ut quod dixi, ad liquidum perducam, considera primùm Petrum, Paulum, Jacobum, cæterosque nondùm in concilio positos: quid agat Paulus, satis, nisi fallor, ex verbis ejusmet assequeris: ait is ad Gal. 2: *Et contuli Evangelium, quod prædico in gentibus.* Diligenter notes velim, quæ sequuntur: *Seorsim autem iis* (nondùm igitur in concilio) *qui videbantur aliquid esse.* Cur verò ita? respondet Paulus cap. cit., *ne in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Nolim ego in hæc commentari. Assecutus, et divinè prorsùs mentem Pauli exposuit Hieron. in epist. ad Aug.: « Id fecit, « inquit, ostendens non habuisse securitatem « Evangelii prædicandi, nisi Petri, et qui cum « eo erant, fuisset sententiâ roboratum. » Si hæc primatum Petro extra concilium non efficiunt, quid propè tecum agam, nescio. Cui ne tu etiam in concilio quidquam deroges, expendas, oro, quis in cœtu illo primus dicat sententiam? Adverte deinde quo utatur exordio; verba Petri erant: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.* Pondera singula: propè quot verba tot habes primatûs, nullo loco, nullis circumstantiis definiti, testimonia. In concilio, ad concilium sermonem facit; neque tamen ille concilio, sed sibi uni speciali quâdam ratione id à Deo datum tribuit: *Per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.* Ita inter audire ex ore Petri, et credere, nihil penitùs intercedit; nihil ultra præstolandum; Petrus dixit: ut ergo credas, id satis. « Non enim « frustra Salvator pro Petro precatus est (verba sunt ex tom. 4 operum Augustini q. 79): « *Ecce Satanas expetivit, ut vos ventilet tanquàm* « *triticum, ego autem oravi pro te, Petre, ne de-* « *ficiat fides tua, et tu tandem conversus, con-* « *firma fratres tuos.* Quid ambigitur, pro Petro « rogabat, pro Jacobo, vel Joanne non rogabat, « ut de cæteris taceam; manifestum est in « Petro omnes contineri. »

Græcus. Duo hìc mihi in mentem veniunt: primùm decreti ejus principem fuisse Paulum; deinde Jacobum etiam decreto repugnâsse, nec obtinuisse Petri sententiam.

Latinus. Occurrit jam olim Hieronymus utrique tuo scrupulo, epist. 89 ad Augustinum unâ continentique sententiâ; accipe: « Tacuit, « inquit, omnis multitudo, et in sententiam « ejus Jacobus Apostolus, et omnes presbyteri « transierunt. Hæc non debent esse molesta « lectori, sed et mihi, et illis utilia, ut probe- « mus, ante Apostolum Paulum non ignorâsse, « Petrum principem esse hujus decreti, legem « post Evangelium non esse servandam. »

§ XII.

Græcus. Quando ut tot jam certis indiciis Petro primatum stabilivisti, expedi etiam unde denique in eum errorem orbis propè universus Græci æquè ac Latini devenerimus, ut Paulo dextrum, sinistrum Petro latus daremus. Innumeræ propemodùm sunt icones, quæ eo situ Apostolorum principes hodieque exhibent.

Latinus. Quòd tu ex eâ pictorum licentiâ nullum præsidium sententiæ adversùs primatum Petri quæsieris, laudo magnoperè sapientiam. Quid enim prudentis de eo supersit dubii, quod Christi et Patrum effata in manifesto constituunt; quidquid denique pictores deinceps egerint. At si horum etiam licentiæ auctoritatis quid tribuas, nil profectò inde sapiens quis concluserit, quando nec pictores constanter eumdem morem secuti sunt; sed hi dextro, quem alii sinistro latere collocent; et quando ferè incertum, quod latus cui præferendum sit. Porrò si jam dextrum latus nobilius esse statuas, adhuc manet in ambiguo, unde rerum positio æstimanda sit, an ab ipsorummet, quem invicem gerunt habitu, an à contuentium ex adverso aspectu manuque; an fortè etiam ex locorum ipsâ constitutione? quæ tu omnia ægrè definias. Ego, ne in fluctus inutilium disceptationum te atque me etiam ingredi cogam, rem arbitrio planè tuo relinquo; habe tibi nobilius quod malueris latus,

nihildùm adversùs primatum Petri efficies.

Græcus. Nihil inde quidem aptè adversùs Petri primatum moveri, præter ea quæ à te dicta sunt, persuadent etiam, quæ Nicol. Alemannus diligentissimus Romanorum antiquitatum vestigator aperuit. Vidit is in æde S. Mariæ, vermiculato opere Petrum non jam ad Pauli, sed Jacobi sinistram; et in Laterano juxta Baptisterium Constantini Augustini, ad dexteram Joannis Baptistæ, Evangelistam, in tabulâ è tesserulis compositâ, et in abside Ecclesiæ, S. Theodori conjugem: et ad D. Laurentium in campo Martio itidem ad dexteram S. Sixti III pontificis, Lucinam matronam.

Latinus. Etverò de hâc sanctorum positione antiqua lis est, et jam Innocentii III pontificis ætate agitata; neque tamen aut ipse, aut ejus successor Honorius, à more veterum discedendum putavit. Itaque viâ Ostiensi in ecclesiâ D. Pauli, Andreæ Apostoli dextram Lucam Evangelistam occupare voluit Honorius; et Innocentius Marco et Lucæ dextrum, Matthæo ac Joanni sinistrum assignavit latus.

Græcus. Juniorum pontificum facta nihil hæreticos movent; et si animo perverso sint, ac impudenti, audent comminisci; egisse hæc pontifices, ad faciendum fucum mortalibus; ut quod de Petro à vetustissimis observatum viderant, obtegerent, vimque argumentis eorum qui primatum Petri ex eâ iconum positione oppugnant, adimerent.

Latinus. Insignis sine dubio hæc sit impostura, at non minor hominum protervia, qui vel suspiciones ejusmodi in animum admittant. Quæ posteriores, quos recensui, egêre pontifices, non dolo, sed priorum exemplo egerunt. Neque Romæ tantùm, sed alibi quoque terrarum evenisse olim certum habe, ut digniores sinistrum quandoque latus occuparent. Narratur in vitâ Cyri et Joannis, fuisse iconem pervetustam τρίμορφον: in eâ Christus medium, Virgo mater sinistrum, Joannes Baptista dextrum latus obtinebat. Atque ut multa talia prætercam, tu ipse, ut antiquitatum amator es, percurre nummos veteres; quot ibi imperatores christiani occurrent ad dextrum Deiparæ? Veneti quoque olim, quanquàm devotissimi D. Marco, duces ad dextram statuerunt. Latet itaque mysterium in hoc adeò vetusto more, quod multorum hactenùs studia fatigavit, non fraus pontificum, non error pictorum, quem sanè, si is error fuit, emendari, non usu donâsse oportuit tot sapientes viros, regna et respublicas.

Græcus. Multa in hanc rem primus, quod sciam, omnium Petrus Damianus ad Desiderium abbatem commentatus est, non factum improbat, non refellit, aut in suspicionem vocat; exquirit causam quæ fidelium animis faciat satis. Ejus rationes mysticas et anagogicas affert, et examinat Mucantius, Patrumque auctoritatibus illustrat. Multa quoque leges super hâc ipsâ re elucubrata à divo Thomâ in Epist. ad Gal. lectione 11, Innoc. III, Serm. de Evangelist. apud Bellarminum, atque alios, sed locupletissimè omnium apud Allatium in Confessione Eccl. c. 6. Ego paucis dicerem, olim sinistram digniorem fuisse.

Latinus. Hoc verò si etiam permittatur, nodum non solvit, sed implicat, quando idem Petrus, pro quo mota est ea controversia, non uno in loco Pauli dexteram occupat. In opere segmentato, apud S. Laurentium, in campo Verano, jam Pelagius II et Paschalis I in æde S. Praxedis in Exquiliis eâdem dispositione Petrum collocavit. Ut alia omittam quæ congessit in hanc rem copiosissimè vester Leo Allatius, ubi digniores dextram obtinuisse manifestè ostendit.

Græcus. Hinc sanè concludo, nec fraude egisse pontifices, neque ad pictorum errorem patere confugium: neque quidquam momenti habere, qui ad aulicam urbanitatem Petri, Paulum ut domi suæ honestiore loco dignantis confugerunt. Et frustra esse video, id vocare in controversiam, quæ dignior sit, dextrane, aut sinistra: commodiùs mihi rem composuisse videntur, qui cùm Petrum sinistro loco vident, id ejus notissimæ modestiæ ac voluntati apponunt: habent enim Epiphanium sibi suffragantem; is in Ancorato sic ait: *Paulus Apostolus, cui dextram concessit summus Apostolorum coriphæus.* Et cùm rursùs eumdem dextro collocatum aspiciunt, ad dignitatem ac potestatem supremam curatores respexisse volunt.

Latinus. Habeat hoc suum pondus, quemadmodùm et illud quod nonnulli putant, circumcisionis Apostolum eo loco statuendum fuisse, quo facturi rem divinam primum Evangelium collocamus; gentium verò magistrum in eâ parte in quam Evangelium ritu ac more vetusto Ecclesiæ transfertur, quando certum est, id ad gentes à Judæis translatum esse. At propiùs ad rem mihi accessisse videntur Nicolaus Alemannus et Allatius, qui dextræ modum inter sacra receptum, non ad habitum sanctorum, quem habent invicem, ne-

que ad nostri corporis situm, qui ex adverso stamus, metiendum putant, sed ad ipsam templorum dextram atque sinistram composuerunt.

Græcus. Quod verò illis est dextrum, quod sinistrum templorum latus, an idem semper, an varium? sanè ecclesias antiquorum, prout nempe locorum commoditas permittebat, diversæ structuræ fuisse nemo ignorat. Alias quidem eopylas, hoc est, pylis ac porticu ad exorientem vergentes; alias contra eotholas, hoc est, tholo ac sacrario ad eumdem solem projectas, res est extra controversiam. Fierine igitur potuit, ut contrariarum licet positionum ecclesiæ idem semper dextrum, atque idem semper sinistrum latus habeant?

Latinus. Idem semper mysterium hoc ne tibi videatur, explicationem admitte. Majorum more australe latus semper dextrum, boreale sinistrum fuit. Illud episcopi, hoc presbyteri, illud viri, hoc mulieres occupabant; quare cùm promiscuè in antiquis tabulis, nunc dextrâ, aliàs sinistrâ parte Petrum Paulumque cernamus, existimandum est, nonnullas earum, ad eopylarum, alias ad eotholarum basilicarum structuram accommodatas esse : quin et ea religio fuit hominum, ut id etiam honoris iconibus exhiberent in ipsis adeò privatis ædibus, situmque darent, ad cujus normam formatæ videbantur.

Græcus. Fuerit ea religio hominum, atque cùm apud Græcos eotholæ ecclesiæ essent, ut quidem constat ex Clemente Alexandrino, l. 7 Stromatum : Petrus quanquàm ad sinistrum vulgari modo loquendi positus, ritu Ecclesiæ adhuc dextrum occupavit. At tu non negabis, apud Latinos, ac Romæ in primis, ubi eopylarum basilicarum usus erat, evenisse tamen, ut Petrus etiam vulgari more latus sinistrum obtineret, quin etsi morem spectes ecclesiæ ignobiliori parte statueretur, septentrionali nempe, non australi.

Latinus. Id si quando occurrat in ecclesiis Latinis, ac Romæ etiam, non Latinis, sed Græcis tribuendum est pictoribus, qui domestico more assueti pingere, non observato eo eotholarum atque eopylarum ecclesiarum discrimine, morem retinuêre etiam in Occidente, et quemadmodùm in Græciâ rectè pinxêre, ad eotholarum nempe ecclesiarum structuram, sibi dextrorsùm nobiliores sanctos, ita etiam in Occidente eumdem morem secuti, disceptationis nobis ansam præbuêre.

Græcus. Unde tu mihi Romam, atque in Occidentem Græcos pictores accersis? quæ illos fortuna eò compulit? quibus indiciis ad Græcos refers icones eas?

Latinus. Indicio quidem sunt maximo Inscriptiones Græcæ : ΑΓΙΟΣ ΠΕΤΡΟΣ· ΑΓΙΟΣ ΠΑΥΛΟΣ· ΜΡ ΘΥ· ΙC XC., quæ passim occurrunt. Causa verò quæ pictores monachos Græcos in Occidentem magno numero emigrare compulit, in promptu est, Iconoclastarum hæresis, quæ Orientem omnem latè miserèque depasta est. Initio illa accepto in Leone Isauro, sub filio hujus Constantino Copronymo ad summam crudelitatem evasit; perduravit sub Leone IV, hujus filio : at demùm Irenes imperatricis piis studiis, per Adrianum successorem D. Petri, cujus adhuc primatum propugnavimus, in œcumenicâ synodo VII, Nicænâ II, anno septingentesimo octogesimo septimo debellata est.

Colloquium secundum.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

§ I.

Græcus. Ecclesiam Christi ab exortu suo ad usque Petri obitum visibili capite, ac moderatore, à quo supremâ regeretur potestate, nequaquàm destitutam fuisse, disertis adhuc rationum momentis persuasisti. Age nunc, scrutemur eædemne post Petri etiam è terris abitum Ecclesiæ rationes constanter fuerint. Etenim nondùm satis exploratum habeo an non à Petri morte ita orba ac sibi relicta sit Ecclesia, ut cùm multorum quidem particularibus dirigeretur studiis, nullius tamen universali gubernio, ductuique subesset. Id verò si ita sit, primatus Petri nil te juverit, ut cujus majestas ac amplitudo, quam tantis hactenùs celebrâsti, simul cum Petro in tumulum illata sit.

Latinus. Scrupulum hunc tibi procul dubio injecerunt Nilus Thessalonicensis, Michael Anchiali, Macarius Ancyranus, Theodorus Balsamon, Doxapatrius, Blastarius, et quotquot apud vos censentur hostes primatûs acerrimi. Hunc verò tibi ut ex animo evellam, non admodùm operosum existimo, si modò ad primævam Petri institutionem oculos, animumque advertas.

Græcus. Quam ais, institutio primatûs tota,

nisi fallor, illis Christi verbis continetur: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, Joan. ult. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. Hæc verò omnia, quàm certam Petri, tam oppidò nullam ejus successorum in christianæ reipublicæ magistratu memoriam inferunt.

Latinus. At si tu ad verba illa hæc etiam adjungas: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. 16; *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, Luc. 22; *Alias oves habeo, quæ non sunt de hoc ovili, et illas me oportet adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor*, Joan. 10; tum verò certissimis argumentis comperies, ita ex Christi decreto tunc Petro Ecclesiæ universæ gubernacula demandata esse, ut etiam ad successores transmitti debuerint.

Græcus. Non satis dispicio quod tu argumentandi genus hìc sequaris. Meâ quidem sententiâ, iis oraculis, quanquàm Petrus Ecclesiæ fundamentum et pastor omnium ovium atque agnorum sit constitutus; munus confirmandi fratres acceperit, et Ecclesiam fidemque Petri perpetuis duraturam temporibus Christus prænuntiaverit, ne verbulo tamen Petri successorum meminit.

Latinis. Imò verò nil ea prædictio certius potestatis summæ successione complectitur; cùm enim fieri penitùs nequeat ut Ecclesiæ ædificium, ut ovile absque pastore et fundamento quod Christus posuit, subsistat; Petrus verò depositis mortalitatis exuviis, præsidendo ac moderando visibilis pastor et fundamentum per se esse nequeat; oportuit sanè ut per successores æternâ serie duraturos, pastoris et petræ munere defungatur; sic, ut quemadmodùm in Petro, ita in his etiam æternùm firma et inconcussa Ecclesia subsistat, ipsos etiam inter persecutionum, hæreseon atque schismatum fluctus nunquàm obruenda.

Græcus. Si ita se res habent, Apostolis etiam suos successores necesse est assignemus: etenim ipsi quoque pastores, ipsi etiam fundamenta fuerunt: *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, ad Eph. 2. Da mihi igitur, qui Pauli, da qui Thomæ provinciam obtineat; quis hodiè eorum sibi dignitatem, quis privilegia vendicat?

Latinus. In episcopatûs munere, ex vi cujus fundamenta Ecclesiæ erant Apostoli, suos cæteris quoque Apostolis posteros, ac veluti hæredes datos esse, atque divinâ planè providentiâ dispositum, ut nunquàm defuturi sint Ecclesiæ pastores atque doctores, eâdem potestate ordinis cum Apostolis prædili, pro certo habeo, et id in controversiam vocare contra apertum Apostoli effatum foret; ad Ephes. 4: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam verò prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi;* etenim si quæras ad quæ usque tempora se ea Salvatoris dispositio porrexerit, responsum incontinenti subditur: *Donec occurramus omnes in unitate fidei et agnitionis Filii Dei.* Paulo, si lubet, adde Cyprianum epist. 27 ad lapsos: « Per temporum et « successionum vices episcoporum ordinatio « et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super « episcopos constituatur, et omnis actus Ec- « clesiæ per eosdem præpositos gubernetur. »

Græcus. Episcopos, nisi fallor, Apostolorum in locum immigrâsse defendis; at si isti in ordinis tantùm, non in jurium amplitudinem, excellentiæ ac prærogativarum cæterarum, communionem cum antecessoribus venerunt, nescio quid nos tandem cogat ut primatum, præcipuum illud Petri decus, veluti per manus in alios quoque deinceps transmittamus.

Latinus. Quanquàm, ut dixi, in Apostolorum officium suffecti sint episcopi, eorum tamen jurisdictionem æquè ac potestatem suos limites habuisse, ex Petri Paulique testimoniis in confesso est. Petrus Epist. 1, quam inscripsit: *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ*, sic earum provinciarum seniores, hoc est, episcopos, exhortatur: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Nec aliter Paulus ad majores natu Ecclesiæ, quos Epheso Miletum advocaverat: *Attendite*, ait, *vobis, et universo gregi*, *in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ita cùm Apostolorum sollicitudo ad universum orbem Ecclesiasque omnes se porrigeret, successorum tamen episcoporum pastorales curæ ac vigilantia regionibus, certâque gregis portione definita est.

Græcus. At cur non Petri successoribus idipsum evenisse potuit, ut quanquàm Petri imperium in universos agnos et oves patuerit, horum tamen intra Romanæ urbis mœnia vis omnis atque auctoritas conclusa sit, nemo unus in primatu successerit?

Latinus. Et finis qui ad primatum in Petro instituendum Christum movit, et largissimæ

illæ promissiones quæ Petro atque Ecclesiæ factæ sunt, ne id eveniret, obstabant. Finge enim, ut volebas, Petri etiam successores certis regionum finibus adstringi, definito gregis numero pascendo præfectos esse, agnorum quidem tot pastores quot episcopos censebimus; at ovium ipsarum, hoc est, episcoporum, ut Bernardus interpretatur, nemo unus pastor futurus est. Deinde sic etiam fortassè adhuc unum ovile esse poterit, at non unus pastor. Denique neque unquàm satis expedies, quâ tandem ratione Ecclesiæ universæ, quæ nunquàm desitura est, ovium atque agnorum omnium præsentis futuræque deinceps ætatis, aut Christus demandare curam, aut demandatam Petrus suscepisse, exercereve possit; si cum hâç mortali vitâ Petri suprema illa potestas desiit, neque in alios deinceps propagata est.

Græcus. Sunt inter vos etiam, qui ex dilectione quâ Christus Ecclesiam suam complexus est, et merito fidei quâ hominem Deum confessus est Petrus, perpetuam Petri in Ecclesiâ gubernationem intulerint. Mihi præ cæteris effatum M. Leonis arridet; ita verò ille in Anniv. die Assumpt. serm. 2, loquitur: « *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum* « *principe est laudata, perpetua est, et sicut* « *permanet quod in Christo Petrus credidit, ita* « *permanet quod in Petro Christus instituit.* « *Manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus* « *in acceptâ fortitudine petræ perseverans, sus-* « *cepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit.* » At quis fuerit ejus instituti finis, quàmque fini illi assequendo necessarius primatus esset, lubens ex te intelligam.

Latinus. Instituti primatûs non fuisse finem alium quàm ipsam perpetuam Ecclesiæ incolumitatem felicitatemque, præter Christi dilectionem, quâ hanc complexus est, Augustinus etiam non obscurè indicat, cùm non Ecclesiam propter Petrum, sed hunc propter Ecclesiam fuisse contendit: quid verò, quantùmve ad eum finem commodet primatus, expediam, postquàm felicitatis Ecclesiæ præcipuos duos hostes ob oculos paucis posuero; sunt ii hæresis atque schisma; adversùs utrumque hunc hostem, ut Ecclesiam communiret, tutamque præstaret, uni Petro fratres confirmandi auctoritatem tribuit: « Inter « duodecim unus eligitur (verba sunt Hiero- « nymi), ut capite constituto, schismatis tol- « leretur occasio. » At sic adhuc errandi in fide periculis nondùm occurrerat; idcircò perennem, nec defecturam fidem, eidem à Patre exorat, cui auctoritatem capitis, fratresque confirmandi munus imposuerat: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Etenim neque fidei integritas in Petro, destituta potestate capitis, ad unitatem profutura fuerat; neque hæc, si ab illâ disjuncta esset, ab errore Ecclesiam satis defenderet.

§ II.

Græcus. Successores Petro negare in supremâ illâ potestate propè id vereor, ne Ecclesiæ felicitatem in periculum adducam; ut enim monet etiam Chrysostomus, « malum « est, ubi non existit primatus, et multarum « cladium occasio, et confusionis turbarum- « que principium. » At enim velle unum tantùm semper esse, qui suo nutu moderetur omnia, res sanè invidiosa est, neque, ut opinor, saluti Ecclesiæ necessaria. Rectè itaque Cyprianus ecclesiasticæ libertatis vindex, divisit in omnes per orbem episcopos, quod tu in unum solum confers; verba illius sunt lib. de Unitate Eccl.: « Episcopatus unus est, « cujus in solidum pars à singulis tenetur. »

Latinus. Res profectò mira, quòd tu mihi Cypriani eum locum audeas opponere, et inde successorum Petri primatum convellere, unde ille ipsum Petri primatum in omnes ipsosque adeò Apostolos, quamcumque amplissimâ potestate à Christo instructos, duxit. Sed jam audi quâ demùm ratione ex mente S. martyris, episcopatus unus sit, et ut in solidum à singulis pars ejus teneatur: « Episcopatus unus « est... Ecclesia una est..... (explicatio est « Cypriani). Quomodò solis radii multi, sed « lumen unum, et rami arboris multi, sed « robur unum tenaci radice fundatum, et cùm « de fonte uno rivi plurimi defluunt, numero- « sitas licet diffusa videatur exundantis copiæ « largitate, unitas tamen servatur in origine. » Quis verò unquàm aut rivum fonti, aut ramos arbori, ex quo vigor omnis in ramos dimanat, contulit, aut eodem loco habuit? Inter certas primatûs prærogativas, est necessitas communionis cum capite; hanc eo loco Cyprianus firmare voluit, non primatum oppugnare, nisi fortè commentitium ac superbum illum, qui omnem potestatem in uno primate concludat, neque cæteros episcopos aliud, quàm nudos executores faciat. In quem errorem jamdudùm Bernardus scripsit ad Eugenium papam, lib. 3 de Consid. c. 4: « Er-

« ras, si ut summam, ita et solam institutam « à Deo vestram apostolicam auctoritatem « existimes. »

Græcus. At id saltem dabis, ex mente Cypriani, satis consultum fore saluti Ecclesiæ, quanquàm in nemine uno suprema auctoritas subsistat, sed in solidum et æqualis penes omnes sit, modò ex uno, veluti origine promanet, et veluti radice progerminet.

Latinus. In origine suprema vis et potestas est, nec ei æqualis esse potest, quæ ex ipsâ defluit, et vigorem accipit, atque id ex ipsius Cypriani mente esse dictum, pro certo habe: ait enim loco supra cit.: « Unum tamen caput, « et origo una, et una mater fœcunditatis suc« cessibus copiosa; » etverò nisi ita prorsùs sit, majorque in origine potestas, nondùm satis Ecclesiæ malis consultum est. Quod ne à me duntaxat dictum existimes, accipe verba Cypriani ex epist. 55 ad Cornelium papam: « Non aliunde, ait ille, obortæ sunt hæreses, « aut nata schismata, quàm inde, quòd sacer« doti Dei non obtemperatur, nec unus in Ec« clesiâ ad tempus sacerdos, et ad tempus ju« dex vice Christi cogitatur, cui secundùm « magisteria divina, fraternitas obtemperet « universa. » Unum igitur ex mente Cypriani, ad mala avertenda esse oportet, atque eum talem, *cui fraternitas obtemperet universa.*

Græcus. Cypriano suffragari opinor etiam Chrysostomum, hom. 34 in Epist. ad Hebr: « Magistratum, inquit ille, ducemque et recto« rem non habere, malum est, et argumentum « multarum calamitatum, et principium defec« tûs ordinis, et perturbationis, et confusio« nis. Nam sicut chori coryphæum et ducem « si sustuleris, non erit ampliùs chorus con« gruus et ordinatus, et si à phalange exerci« tûs amoveris imperatorem, non erit ampliùs « numerosa et ordinata acies; et si navigio ade« meris gubernatorem, navem demerges: ita « etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia « evertisti et delevisti. » In eamdem sententiam conspirat etiam Hier. epist. 4 ad Rusticum: « Singuli, ait is, episcopi, singuli ar« chipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis « ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In « navi unus gubernator, in domo unus domi« nus, in quàmvis grandi exercitu, unius si« gnum expectatur. » At dic, obsecro, quid si aliter, ac unius ductu, quid si multorum pari imperio, ac diviso veluti labore regatur Ecclesia, num idcircò aliquod additura est periculum? Ita tu quidem si existimas, sapientiam divinam in arctos admodùm fines compingis; nec sine gravi injuriâ omnipotentiæ vires detrahis; omnes denique florentissimas per orbem respublicas, quæ non unius è nutu pendeant, sed multorum auctoritate pariter ac consiliis reguntur, exitio facis proximas.

Latinus. Neque divinæ sapientiæ, neque potentiæ metas modumque statuere mihi est animus; neque eam regendi normam, quam variæ respublicæ multâ laude magnisque commodis tuentur, damnare; aut nescio quos sinistros casus ominari, nisi se unius submittant imperio: id unum contendo, sapientissimum, potentissimumque Deum, cùm multis modis posset, eâ maluisse, quam dixi, regiminis formâ suæ Ecclesiæ consultum. « *Ecclesiæ sa« lus* (verba sunt Hieronymi in Dialogo adver« sùs Luciferianos) *in summi sacerdotis dignitate « pendet, cui si non exors quædam, et ab omnibus « eminens detur potestas, tot in Ecclesiâ efficiun« tur schismata, quot sacerdotes.* » Etverò quid eâ unius in omnes supremâ auctoritate, ad stabiliendam animorum consensionem, ac pacis vinculo continendum christianum populum; quid ad tot tantasque gentes, moribus, sermone, terrarum spatiis, indoleque ipsâ disjunctissimas, in eâdem fidei doctrinâ, in iisdem sacrorum ritibus, uno veluti fœdere deviciendos, esse potuit præstabilius? Hæç est illa forma quam Christus primùm in Petro instituit, quam Ecclesiæ suæ ab ipsis incunabulis præscripsit, quam denique perpetuò duraturam prædixit. *Erit ovile unum et pastor unus.*

Græcus. Regendi forma quæ in Petro inchoata est, atque deinceps per alios propagata, nonne tot seculorum lapsu antiquari, aut utcumque everti potuit? nôsti rerum vicissitudines, et quam labentibus seculis ipsam etiam Ecclesiam facies varia exceperit.

Latinus. Ut hìc etiam aliqua, sive fidelium necessitate, seu temporum fato, consenescere atque immutari nonnunquàm contigerit, præstitutum tamen à Christo regimen, ut integrum atque incolume semper persisteret, ad divinæ mentis consilia pertinuit. « Manet disposi« tio veritatis, ait Magnus Leo, et B. Petrus in « acceptâ fortitudine petræ perseverans, sus« cepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit. »

Græcus. Quando te totis eò conniti studiis perspexi, ut Petro in suis successoribus dignitatem primatûs integram vindices atque conserves, sic, ut quemadmodùm ab initio, ex decreto Christi apud unum Petrum cœpit, ita deinceps eadem per singulares individuosque

longâ serie propagata sit : effare jam, quis ille, aut cujus demùm throni sit pontifex, cui ea prærogativa contigit, ut unus ex merito supremum sibi jus in orbem christianum vindicare possit.

§ III.

Latinus. Hâc in re, quod diù multùmque circumspiciam haud erit : uni Romano pontifici decus id et prærogativa debetur; nemo est qui cum eo in contentionem venire possit.

Græcus. Unde hæc tibi tanta fiducia? ad asserendum quidem Petro primatum fidenter, ad hunc ipsum etiam per successiones ac series æternas ducendum in uno aliquo, Scripturæ auctoritas diserta animos tibi addidisse potuit. At eâdem tacente, et neque verbulo id indicante, unde denique sine justo metu dices, supremam eam dignitatem in Romanâ cathedrâ domicilium fixisse? si rectè habeo, sic tecum disseris, ut quod vis, inferas : Successoribus Petri à Christo in perpetuum delatum esse id fastigium Scriptura tradit; Romanos verò pontifices Petro in cathedrâ successisse, docet traditio : hæc sunt duo momenta ex quibus concludis. At infirmum hoc argumenti genus mihi semper visum est, quando res mihi certa est, sedem inter Petri atque primatum non esse communionem eam, ut duo hæc invicem disjungi nequeant.

Latinus. Neque ego communionem eam contendo. Etenim probè novi Petrum inito quidem quinquennio, aut ipso sexennio, obtinuisse primatum, quin ulli speciali cathedræ se addixerit, et deinceps annis septem Antiochiæ consedisse, quin in eâ cathedrâ hodiè quisquam primatum quærat aut suspicetur. Atverò inter successorem Petri et primatum, summus est arctissimusque nexus : hoc est quod contendo.

Græcus. Quid verò in eam rem plus pro Româ vos affertis? sedit ibi Petrus, non diffiteor, sedit et Antiochiæ, neque tu diffiteris : aut uterque igitur successor Petri est, aut neuter; utrumque dicere nequis : dic igitur neutrum.

Latinus. Non tu igitur negas Romæ sedisse Petrum, nec in dubium id revocas, quod multi horum inprimis temporum homines cavillati sunt. An tibi ignotus est Angli poetæ hæsitantis aut nugantis versus :

An Petrus Romæ fuerit, sub judice lis est;
Simonem Romæ nemo fuisse negat.

Græcus. Nugari poetam, et æquivocâsse opinor; id verò si etiam cum asseclis ex animo controvertit, ludibrio apud me est, in tantâ scriptorum veterum Patrumque consensione. Non hìc moremur, ex hoc capite paucis te et me expedi. Petri mihi successores, et veluti ex asse hæredes, Romanos ostende.

Latinus. Iidem, qui aiunt Petrum sedisse Romæ, Romanos etiam ejus successores nuncupant, atque ut silentio præteream Tertullianum in Carm. contra Marcionem l. 5, c. ult.; Irenæum l. 3, c. 3; Epiphanium hæresi 27; Augustinum contra Epist. Fundamenti c. 4; Optatum l. 2 contra Parmenianum, Romanorum pontificum syllabum inde à Petro ad sua tempora texentes : « Factus est, ait Cyprianus « epist. 52 ad Antonianum, Cornelius episco« pus..., cùm Fabiani locus, id est, cùm locus « Petri, et gradus cathedræ sacerdotalis vaca« ret. » Nil hìc præter unam *successoris* vocem desiderare potes, rem dixit : atque ut et vocem ipsam disertè habeas, audi Optatum Milevitanum; ita ille fidentissimè l. 2 adversùs Parmenianum pronuntiat : « Negare non potes scire « te, in urbe Româ Petro cathedram episcopa« lem esse collocatam, in quâ sederit omnium « Apostolorum caput Petrus..., cui successit « Linus, » etc. Hoc tibi prorsùs à me dictum existima : *Negare non potes.*

Græcus. Neque ego negare unquàm in animo habui Romanos pontifices esse Petri successores, neque id nostri solent : in episcopatu successisse hos damus, de primatûs successione nobis lis est. Quare rectè monuit Nilus Thessalonicensis, qui ejusdem mecum propè est sententiæ : « Cùm duo circa papam conside« randa sint, quòd et Romæ episcopus sit, ut « et synodi testantur, et præterea quòd sit « primus aliorum episcoporum : prius illud à « Petro accepit, quòd scilicet sit Romæ episco« pus. » Equidem et vos ipsos de Evodio, aut quemadmodùm alii volunt, Ignatio, primo post Petrum episcopo Antiochiæ, sic loqui pro certo habeo; cur igitur, ut plus demus Romano, instatis tantoperè?

Latinus. Evodius in primatu succedere Petro non potuit continuò atque in sedem successit : cùm enim ex ipsâ Christi institutione, et propè ex rei naturâ primatus, supremaque ea dignitas apud duos simul consistere nequeat, aut apud Evodium esse non cœpit, aut in Petro esse desiit : in Petro desiisse non poterat : cùm enim id Petri privilegium personale planè ex divino præcepto fuerit, cum eodem de Antiochenâ in Romanam sedem

commigravit, in quâ denique et adhæsit: igitur rectè in Evodio nunquàm id privilegii cœpisse dicimus, rectè eum episcopalis duntaxat potestatis successorem vocamus.

Græcus. Cur verò Romanæ sedi adhæsisse primatum dicis? Is quidem, si, ut aiebas, personale privilegium erat, aut cum Petro penitùs desiit, aut nisi mutatâ naturâ, etiam locale evasisse fingas, adhærere sedi non potuit.

Latinus. Nugaris; cùm id ego Petri personale privilegium dixi, ne me privatum dixisse id puta; personale erat et publicum, quòd nempe in omnes successores Petri commigraret ex Christi institutione primariâ; idem verò si dicimus ex facto Petri etiam locale evasisse, quam hinc erues chimæram?

Græcus. Mittamus hæc levia, et quod rei caput est, petamus; dic tandem, cur tu Romanos pontifices etiam in primatûs successionem voces? Petrum episcopum Romanum fuisse, et in suâ personâ episcopatum hunc primatui sociâsse, non inficior, quin et eodem in theatro gloriosam pro Christo subiisse mortem, profiteor; at hæc nondùm propositum efficiunt, quin neque magnoperè in id conferunt.

Latinus. Nihil tu igitur ex Petri in Romanâ sede decessu, in rem meam concludi putas, et communi nobiscum errore lapsus est Innocentius I, cùm de Antiochenâ urbe loquens, dixit: « *Quæ urbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gauderet.* »

Græcus. Equidem non assequor quid mors Petri, quamvis Romæ obita, vobis commodet; posuit et reliquit illa urbi sacri pignus corporis, non dignitatem supremam: nisi jam et Jerosolymorum episcopus Jacobus, si mors quid possit, Apostolorum ex vestrâ sententiâ caput sit; quis enim nescit, in eâ planè urbe Christum Ecclesiæ caput exuvias corporis in arâ crucis deposuisse, atque mortalem vitam consecrâsse?

Latinus. A morte solâ Petri Romæ obitâ, nemo unus est nostrûm qui argumentum ducat. At si hæc etiam ad cætera accesserit, tum demùm Romanos pontifices veros Petri successores in ipso adeò primatu efficiet. Vitam quidem Christus mortalem posuit Jerosolymorum in conspectu; at neque ipse ullâ peculiari ratione ejus urbis episcopatum gessit, neque in potestate suâ principalis capitis successorem quemquam nancisci potuit; vicarium verò vivens adhuc Petrum designavit; quare quemadmodùm Jacobus Jerosolymarum episcopus sub Petro stetit, sic ejus deinceps successores sub Romanis steterunt. Postquàm enim ex divinâ Christi institutione, Petrus atque ejus successores supremâ vicariorum potestate donati sunt, et Petrus, quod unum ipsius arbitrio relictum fuit, cum episcopatu singulari vicarii Christi dignitatem voluntate conjunxit, neque deinceps duo hæc disjunxit unquàm, imò verò morte ipsâ veluti testamento quodam roboravit; fieri nequibat aliter, quàm ut idem, qui in episcopatu, in primatu quoque successor esset. Id nisi ita planè sit, successorem in primatu interiisse necesse est.

Græcus. At salvâ atque integrâ manente Christi institutione, Petrus quanquàm voluntate suâ primatui Romanum episcopatum in personâ propriâ conjunxerit, et utrumque obtinens, Romæ vitam posuerit, poterat voluntate ultimâ ea duo disjunxisse; unde tu verò non disjunxisse ostendes? mihi quidem etiam disjuncta fuisse, vel illud argumento est, quòd Romani deinceps episcopi, non ab universali Ecclesiâ, ut sanè decuisset, si primatum in omnes obtinerent, sed à Romano duntaxat clero delecti sunt.

Latinus. An Petrus ab episcopatu primatum voluntate suâ distrahere potuerit, nunc quidem in controversiam non vocabo; demus potuisse; at ita etiam distraxisse, successionis electionisque modus non probat, quando hunc determinare non ad ipsum corpus Ecclesiæ, sed Petrum duntaxat pertinuit. Poterat is aut Romano clero, aut Ecclesiæ universæ electionis libertatem facere; poterat etiam per se successorem designare: utcumque verò id fieret, idem Romanus semper episcopus, et Christi vicarius futurus erat.

Græcus. Fatebor eo argumento, aut veriùs indicio, probatum non esse, à Petro ultimâ voluntate ea duo munia disjuncta esse; at nisi tu etiam disjuncta non esse probes, æquum, opinor, erit, ut neque ego negare deinceps, neque tu statuere pro certo debeas, episcopos Romanos Petri in primatu successores esse. Ita hoc caput in medio relinquendum erit, dùm lux uberior affulgeat.

Latinus. Mihi quidem, qui Patrum traditionem sequor, ut id pro certo statuere audeam, uberiori luce non opus est. Habeo nempe ex eâ, unam tantùm semper personam Petro successisse, ex quo sic adversùm te infero: Igitur vel eadem in episcopatu simul Romano et pri-

matu successit, et hoc est quod statuo ; vel primatus, contra ac Christus promiserat, per seriem propagatus non est; si caves hoc impium dicere, amplectere alterum, et denique consenti, eumdemque Petri in Romano episcopatu simul ac primatu successorem adora.

Græcus. Non sum is qui traditioni nil deferam; si Patrum consensio, si conciliorum monumenta in idem ducant, non invitus sequar ; profer igitur traditionis testes.

Latinus. Coronatum traditionis testem primum tibi statuo Valentinianum; scribit is ad Theodosium Juniorem in hunc modum : « Debemus... dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare : quatenùs beatissimus Romanæ civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat, et facultatem de fide et sacerdotibus judicare. » Huic traditioni innixus et Leo, cujus gratiâ Valentinianus eas litteras dederat, ita de se ipso serm. 2 in Anniv. assumptionis suæ loquitur : « Celebratur hodierna festivitas, ut in personâ humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodiâ perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. » Neque Cyprianus utroque vetustior, ad alium quàm Cornelium Romanum episcopum respexit, cùm huic uni, sicut *Romani episcopi,* sic et titulos *judicis ac vicarii Christi* adscripsit.

Græcus. At nemo istorum explicuit, neque Leo ipse rationem reddidit, cur id summæ auctoritatis dignitatisque ex Petro traxerit: ea verò, si rectè antea statuimus, alia non est, quàm quòd ipse Romanam Petri cathedram successor occupet. Age itaque, et primùm ostende fastigium illud dignitatis constanti Patrum sententiâ Romanæ sedi delatum esse; tum et factum id non aliâ quàm Petri causâ. Nôsti enim esse apud nos qui utrumque hoc caput in disceptationem vocent, nec leviter perturbent. Evolve per partes utrumque.

Latinus. Primatum in Romanâ sede disertis verbis professus est Prosper lib. 2 de Voc. gent., c. 16 : « Roma per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis. » Didicit id nempe Augustini magisterio, qui epist. 42, aliàs 162, de Romanâ Ecclesiâ loquens, « in quâ semper, ait, Apostolicæ cathedræ viguit principatus. » «Habet nempe, ut Theodoretus epist. 116 dixit, habet sanctissima illa sedes, Ecclesiarum, quæ in toto orbe sunt, principatum. » Quem ne tu in nudâ honoris eminentiâ duntaxat colloces, audire juvat Irenæum, qui lib. 3 adversùs hæreses c. 3, honori potestatem sociat universalem in Romanâ Ecclesiâ, et « ad hanc, ait, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. »

Græcus. Tam perspicuis isti sententiis Romanæ Ecclesiæ primatum asserunt, ut dubitationi ægrè locus sit. Petri verò, an aliâ causâ id egerint, nullo produnt indicio ; fortassè ad imperatorum sedem, ad urbis splendorem, animo respexerint.

Latinus. Vana suspicio, quam innumera Patrum loca refellunt. Prosperum de ingratis audi, c. 2, canentem : silet is splendorem urbis, silet imperantium majestatem, ut religione omnia obtinere Romam evincat, et caput mundi; satis illi est sedem Petri nuncupâsse :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet.

Hieronymus cùm se in gravissimo illo Antiochenæ Ecclesiæ schismate Damaso adhærere profitetur, Christi et Petri solius meminit : « Quanquàm tuî me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas; à pastore præsidium ovis peto : cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri consocior ; super illam ædificatam Ecclesiam scio : quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. » Optatus quoque Milevitanus, quem paulò priùs adduxi, cùm de Romanâ sede ait, « in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ... unica est, quæ est prima de dotibus, » hanc tantùm causam reddit : « Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, » etc. Et D. quoque Petrus Chrysologus in Epist. relatâ p. I Concilii Chalced., cùm Eutychen ad parendum Leoni hortaretur, quo alio usus est argumento? « In omnibus, inquit, hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo papâ Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas; » cur ita? quoniam « B. Petrus, qui in propriâ sede et vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. »

Græcus. Ex eo Chrysologi effato didici, Romanam sedem non modò supremo honore ac observantiâ, Petri causâ olim cultam esse,

verùm et eò progressos Patres, ut quæ Romanorum pontificum facta dictaque erant, ea Petro ipsi assignarent; si quæ tibi sic loquentium suppetunt exempla, lubens audiam.

LATINUS. Philippus sedis Apostolicæ legatus, in pleno Patrum tertiæ synodi consessu, sic locutus est: « Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quòd sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps, caput, fideique columna, et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à D. N. J. C. Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus itaque secundùm ordinem successor, et locum tenens, sanctus beatissimusque papa noster Cœlestinus episcopus. » Paschasinus quoque itidem legatus, in IV generali synodo, in hunc modum sententiam dixit in Dioscorum act. 3: « Unde sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnæ et senioris Romæ, per nos et per præsentem sanctam synodum, unà cum ter beatissimo et omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, nudavit eum tam episcopatûs dignitate, quàm etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio. » Quos loquendi modos ipsæ etiam synodi complexæ sunt; etenim synodi IV Patres, post lectam Leonis papæ Epistolam ad Flavianum, conclamârunt: « Hæc Patrum fides; hæc Apostolorum fides; omnes ita credimus.... Petrus per Leonem ita locutus est. » Neque aliter Constantinopolitanum III concilium, in Prosphonetico ad imperatorem scripsit: « Charta, aiunt, et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur. » Prosper quoque definitiones Zozimi papæ factas adversùs Pelagium defendens ab errore, contra Collatorem eâdem loquendi methodo usus est: « Erravit, inquit Prosper, sacrosancta B. Petri sedes, quæ ad universum orbem B. papæ Zozimi ore loquitur. »

§ IV.

GRÆCUS. Quæ adhuc produxisti testimonia, ut etiam extra dubium omne collocent Romanæ sedis primatum, et arctissimo fœdere cum episcopatu devinctum efficiant, non pauca tibi dissolvenda supersunt, quæ seu nostrorum infelix industria, sive hæreticorum temeritas, ingeniosiùs fortè quàm efficaciùs, invenit: quod è Scripturâ, aut potiùs silentio D. Pauli ducunt, vulgatius est quàm ut longo sermone egeat. Aiunt ergo videri Paulum ad Eph. 4, v. 11, et ad Cor. 12, v. 28, numerare voluisse gradus hierarchiæ ecclesiasticæ, ubi quando nullam mentionem injecerit capitis visibilis, consequens esse, ut ad Ecclesiæ hierarchiam non pertineat ea suprema præ cæteris et supra cæteros potestas. Hieronymum deinde in rem suam allegant, qui epist. 85 ad Evagrium, omnes episcopos inter se æquales tradit, quin vel Romanum excipiat: « Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii. » Demùm, si Romani episcopi primatum obtineant, dandus idem et Paulo Apostolo est, contra quàm egimus; etenim D. Paulum quoque Romanum fuisse episcopum, multa sunt quæ fidem faciant.

LATINUS. Neque apud te ea argumenta momentum habere, vel inde metior, quòd strictim attigisti singula, et pluribus in locum unum congestis, veluti tenuitati eorum à numero pondus videbare velle accersere; at licet congesta in cumulum, naturam non exuunt, levitatem nativam retinent; respondebo tamen singulis. Paulus citatis locis charismata potiùs divini Spiritûs, quibus Ecclesia surgens latè propagata est, quàm ecclesiasticæ hierarchiæ gradus in animo describere et complecti habuit; quid enim ad hanc faciunt prophetæ, evangelistæ, virtutes, gratiæ curationum, genera linguarum, quæ salvis, et integris rebus Ecclesiæ, desinere possunt? Deinde, si etiam ecclesiasticam hierarchiam respexit, imaginem ejus exactissimam molitus non est, satisque habuit sub Apostolorum nomine generatim etiam Apostolorum caput et principem attigisse. Hieronymum de æqualitate potestatis ordinum et meriti loqui in confesso est; neque jurisdictionis inæqualitatem in controversiam vocâsse vel inde apparet, quòd singulis patriarchis, quorum amplas diœceses probè noverat, infimarum propè civitatum episcopos apponat: quare aliud non voluit, quàm quod à te recitatis verbis, continuò sic adjecit: « Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. » Quod et ipsi ultrò amplectimur. Quod tertio loco induxisti, latiùs explicabo, ubi tu indicia, ex quibus D. Paulum Romanæ urbis episcopum fuisse colligis, produxeris.

Græcus. Rem totam compendio exequar, nec loquar obscura, cùm non desint clarissima. Etenim, ut omittam Tertullianum, Irenæum et alios qui testantur à Petro ac Paulo fundatam esse Romanam Ecclesiam, ordinatum Linum, mox Cletum, et denique Clementem successisse; utque nil dicam de Romanis pontificibus, qui cathedram Romanam, Apostolorum thronum, sedem, cathedram; Ecclesiam suam, Petri et Pauli; bona Ecclesiæ, patrimonium; auctoritatem suam, B. Petri et Pauli auctoritatem nuncupârunt; plumbeis etiam sigillis Apostolorum capita inciderunt; iidem etiam disertè se utriusque Apostoli successores profitentur. Verùm ne effugio locus sit, Epiphanium unum proferre statui; is hæresi 27 contra Carpocratianos ita scribit: « Primi enim Romæ Apostoli et episcopi fuerunt Petrus et Paulus, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens ætate suppar Petro et Paulo, » et rursùs successionem ex proposito recensens, ait: « Romanorum episcoporum successio ita se habet: Petrus et Paulus, Linus et Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xistus, » quem nos Sixtum dicimus.

Latinus. Si tibi darem, Petrum et Paulum communi episcopatu Romanæ urbi præfuisse, nil adhuc adversùs Romanorum episcoporum primatum efficeres. Etenim primatum Romanis episcopis non eo nomine, quòd Romani sint, sed quòd Petri successores, detulimus. Paulum verò quis Petri successorem affirmat fuisse? nemo unus; quis coepiscopum? unus, quod sciam, Epiphanius in Panario, qui quidem ex quo id fonte hauserit, incertum, quod hæresi 68 Meletian. ait: « Nunquàm Alexandria duos habuit episcopos, quemadmodùm aliæ civitates. » Etenim legitimè duos simul nunquàm uni Ecclesiæ præsedisse aut præsidere potuisse, disertè tradit Cyprianus seculo vetustior. Agit is de ordinatione Cornelii pontificis, et sic adversùs Novatianum, qui thronum apostolicum invaserat, scribit ad Antonianum: « Cùm post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est. » Et ad Maximum ac confessores Romanos, rationem addit: « Gravat enim me, atque contristat, et intolerabilis perculsi, et penè prostrati pectoris molestiâ perstringit, cùm vos illius comperissem, contra ecclesiasticam dispositionem, contra evangelicam legem, contra institutionis catholicæ unitatem, alium episcopum fieri consensisse, id est, quod nefas est, nec licet fieri, Ecclesiam alteram institui, Christi membra discerpi, Dominici gregis animum, et corpus unum, discissâ simulatione lacerari. » Quod verò lege evangelicâ interdictum fuit, hoc tu credes egisse Ecclesiæ principes Apostolos?

Græcus. Memini his similia legisse me apud Theodoretum l. 2, c. 17; cùm enim imperator Liberium ab exilio revocatum, Romam redire, et cum Felice antipapâ communi potestate Ecclesiam moderari jussisset, plebs ipsa sententiæ iniquitatem detestata, lectis imperialibus in circo litteris, per ludibrium æquam esse imperatoris sententiam dixit, ut quemadmodùm ipsi ex colorum varietate bifariàm divisi essent, ita his unus, alter episcopus aliis præesset; tum uno ore acclamavit: « Unus Deus, unus Christus, unus episcopus. » Atque ne id denique eveniret, ait Sozomenus lib. 4, cap. 15: « Non sine providentiâ divinâ factum est, ne sedes Romana à duobus præsulibus gubernata, quæ est planè nota dissidii, et sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena, ullâ infamiæ maculâ aspergeretur. » Non erat procul dubio, cur id tantoperè abhorrerent, si Petrus ac Paulus Romanam cathedram episcopi ambo urbis ejusdem aliquando gubernâssent. At cùm non gubernârint, non erat etiam cur Romani pontifices eorum se successores scriberent, et quæ alia ad hoc tempus egerunt, agerent, dicerentque.

Latinus. Mos is summorum pontificum quorsùm tenderet, explicuit Nicol. pontifex epist. 36 ad Tul. episcopum: « Dei omnipotentis, et BB. Petri et Pauli Apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui dispositione divinâ præsumus, est consecrata. » Cùm igitur communi labore fundata, et sanguine utriusque Apostoli rigata urbs esset, quanquàm unius Petri potestate supremâ gubernata fuerit, jure pontifices, iis scribendi, loquendique formulis usi sunt; neque plus designare in animo habuerunt, imò neque plus mos ille, non antiquissimus, probare potuit. Etenim primus qui decretis suis litterisque Pauli nomen Petro adnexuit, notatur fuisse Agatho in Anaphorâ synodicâ ad imperatorem Constantinum. Et cùm monumentis è vetustate erutis, eruditè probet Dominicus Rainaldus, teste Allatio l. 1, c. 6, jam Sylvestro papâ usum plumbi fuisse, sub Honorio tamen tantùm II SS. Apostolorum capita insculpi cœpta sunt, cùm antea nomen solùm pontificis gubernantis præferrent,

§ V.

GRÆCUS. Argumenta, quæ adhuc adversùs primatum commemoravi, levia sunt: nunc gradum facio ad gravissimum, quoque nostri nituntur plurimùm; induam, pace tuâ, eorum non indolem, sed arma, et locum subibo, quanquàm non hostili sum, ut ipsi, animo. Primùm igitur aio, primatui Romano obsistere magnoperè concilia: Nicænum, Constantinopolitanum, atque Chalcedonense; etenim primum illud, Alexandrinum patriarcham parem Romano, posteriora duo Constantinopolitanum æqualem exhibent.

LATINUS. Quàm firma producturus sis, inde conjicio quòd primatum hinc uni, inde alteri pares evincere, quasi is arbitrii nostri sit, aut levis adeò, ut pro hominum voluntate quaquaversùm circumferri possit.

GRÆCUS. Falleris, non hoc ago, nec tu me id sequi putes, ut patriarchas nunc hunc, nunc illum ad fastigium, de quo disceptamus, eveham; id unum propositum habeo, ut rationum momentis, quibus id Romano vindicâsti, diversis quoque viis occurram, et nullum talem in Ecclesiâ esse, cui summa rerum commissa sit, concludam. Id verò è Nicæno, Constantinopolitano, Chalcedonensique conciliis ut efficiam, spes non vana affulget. De Nicæno primùm agamus: ex canone ejus sexto argumentum ducam; is ex antiquâ versione probâque Dionysii Exigui sic habet: « Antiqua « consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam « et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus « horum omnium habeat potestatem, » quia « et urbis Romæ episcopo parilis mos est. « Similiter autem, et apud Antiochiam, cæte« rasque provincias sua privilegia serventur « Ecclesiis; illud autem generaliter clarum est, « quòd si quis præter metropolitani sententiam « fuerit factus episcopus, hunc magna synodus « definivit episcopum esse non oportere. »

LATINUS. Eo quidem canone, cùm disertè statutum sit de terminis Alexandrini patriarchæ, deque privilegiis ejus, Antiochenæ, et Ecclesiarum majorum urbium, more veteri conservandis, Romanæ verò Ecclesiæ nulli prorsùs termini præfixi sint, nescio quâ vos tandem ratione ex primatu deturbari Romanam Ecclesiam existimetis; quem multò aptius vel inde conclusit Nicolaus papa, epist. 8 ad Mich. imperatorem, et citatus ab ipso Bonifacius; accipe verba pontificum, et altè in animum demitte: « Sed animadvertendum est, quia « non Nicæna, non denique ulla synodus, « quodquam Romanæ Ecclesiæ contulit privi« legium, quæ in Petro noverant eam totius « jura potestatis pleniter meruisse, et cuncta« rum Christi ovium regimen accepisse; sicut « B. præsul Bonifacius testatur, universis epi« scopis per Thessaliam constitutis scribens: « Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de B. « Petri sumpsit honore principium, in quo re« gimen ejus, et summa consistit. Ex ejus enim « ecclesiasticâ disciplinâ, per omnes Ecclesias « religionis jam crescente culturâ, fons emana« vit. Nicænæ synodi non aliud præcepta tes« tantur, adeò ut non aliquid super eam ausa « sit constituere, cùm videret nihil supra me« ritum suum posse conferri, omnia denique « noverat huic Domini sermone concessa. »

GRÆCUS. Nullam tu igitur eo canone comparationem inter Romanum et Alexandrinum institutam agnoscis? Nescis è vestris eruditos, concordi propè sententiâ fateri, eo canone componi ratione quâdam, et parem fieri cum Romano Alexandrinum, quanquàm adhuc in eo discordent, in quo denique potestatis genere ac gradu componantur. Etenim Launoius censuit duntaxat componi unum cum altero, atque exæquari in jure tantùm metropolitico ordinationum, ut quarum canon idem, conceptis verbis mentionem injecit, quasque Meletius Lycopolitanus episcopus, qui canonis condendi fuit occasio, facto schismate invaserat adversùs S. Petrum Alexandrinum. Verùm Sirmondus, Valesius, de Marca, Natalis, magna apud eruditos nomina, etiam in patriarchicis juribus collatos exæquatosque, Alexandrinum cum Romano contendunt; et juribus patriarchicis in universum eo sexto canone provisum esse, eruditè demonstrant.

LATINUS. Equidem, ut hìc tu meam ritè assequaris mentem, paucis exponam, in quo summis illis viris consentiam: neque enim in totum dissideo. Igitur accedo ipsis lubens adversùs Launoium, et do confirmari eo canone in universum, et cuncta patriarchica jura Alexandriæ et Antiochiæ episcopis; quanquàm enim hoc adhuc nominis in usu non erat, res tamen ipsa, et jura insigniora quàm quæ sunt simplicium metropolitarum, duo illi episcopi obtinebant. Ultra enim quod proprium metropolitis erat, ad ipsas etiam diœcesanas synodos cogendas, aliaque pertractanda horum se porrigebat potestas, cùm metropolitarum solâ ferè ordinatione definiretur. Quare duo illi episcopi, non utcumque, sed diœcesis metropolitæ in

canone dicuntur, ad discrimen à metropolitis provinciarum. Quod igitur non approbo, atque in quo ab illorum sententiâ discedo, id unum est, quòd nullam eo loco Romanum inter atque Alexandrinum comparationem institui existimem, ne quidem in potestate patriarchicâ. Etenim verba canonis : *Quoniam episcopo Romano parilis mos est,* ex quibus ferè et unicè argumentum ducunt, nullam ostendunt, me judice, comparationem : quare eo quidem loco Romani episcopi patriarchica auctoritas, et disciplina, neque ut typus, neque ut causa exemplaris profertur, cujus ad modum se auctoritas sacra Alexandrini per Lybiam, Ægyptum, atque Pentapolim componat atque exerceat.

Græcus. Propendes fortè animo in Baronii atque Spondani breviatoris ejus sententiam ; aiunt ipsi canonis sensum esse, ut quoniam episcopus Romanus id Alexandriæ episcopo tribuerit, jus ille ac potestatem per Ægyptum, Lybiam atque Pentapolim exerceat.

Latinus. Quanquàm pro certo habeam ex Leone, Gelasio, atque Gregorio ad Eulogium, tres sedes, Romanam, Alexandrinam ac Antiochenam, institutione Petri ad patriarchicum fastigium conscendisse, eumque, quem hodiè obtinent, ordinem meruisse ; procul tamen inde sum, ut ejus rei à Nicæno canone, vel tacitam mentionem fieri velim. Itaque sensum planum, facilem, pronissimumque eorum verborum accipe, nempe duplicem consuetudinem, unam communem provinciarum, alteram Romanam, quæ communi consentiat, pro ratione allegant Patres, quâ efficiant potestatem patriarchicam Alexandrino deberi in tres illas regiones, nec quidquam aliud : hoc se ipsis, et veluti suâpte naturâ verba Patrum indicant ; in hunc sensum ducit et textus Græcus : Τοῦτο συνῆθές ἐστιν, *hæc consuetudo est.* Hoc demùm et Nicolaus, et ab eo citatus Bonifacius loquuntur : « Si Nicænæ synodi instituta diligenter « inspiciantur, invenietur profectò, quia Ro- « manæ Ecclesiæ nullum eadem synodus con- « tulit incrementum, sed potiùs ex ejus formâ, « quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, par- « ticulariter sumpsit exemplum. » Sensus enim est, ex disciplinâ ac more Romanæ Ecclesiæ, cum ipsâ provinciarum disciplinâ ac more conspirante, veluti formâ quâdam, seu formali ratione id egisse Nicænos Patres, quod denique eo canone præstiterunt. Verùm ne te hâc interpretatione diù fatigem atque detineam, ad utiliora properantem, alteram etiam, quam complexi sunt Sirmondus et quoscumque citâsti, non refugio, quando inde etiam Romano primatui in universam Ecclesiam nil prorsùs periculi imminet.

Græcus. At patriarchatui Romano non levis inde fortè diminutio continget, si in patriarchicâ dignitate collatos sustineas, et insuper vetusto interpreti ejus canonis Rufino stare velis. Etenim cùm is lib. 11 Hist. eccles. c. 6, canonem eum sic interpretatus sit : « *Ut apud* « *Alexandriam, et in urbe Româ vetusta consue-* « *tudo servetur, ut ille Ægypti, hic suburbicaria-* « *rum Ecclesiarum sollicitudinem gerat,* » fiet ita non levi injuriâ Romani, ut suburbicarias tantùm Ecclesias ejus patriarchatui subjungas, Occidentem verò reliquum, quin et magnam Italiæ partem detrahas. Nôsti enim urbicarias provincias eas tantùm fuisse, quæ vicarii urbis imperio parebant, quas quidem non excessisse decimum numerum, Sirmondus auctor est. Valesius ad centesimum ab urbe lapidem restringit; his tu ergo finibus arctabis jura patriarchica Romani ?

Latinus. Qui patriarchatum Alexandrinum eo canone collatum et exæquatum volunt cum Romano, repudiant Rufinum interpretem, nec ejus fidem scientiamque molliùs quàm Hieronymus olim insectantur : in horum numero Alexander Natalis est. Qui verò Rufino nihil detrahunt, statuunt coæquationem factam inter utrumque, quoad solas provincias, in quibus metropolitarum ordinationem per se Romanus exercebat, liberamque et plenam tam synodorum quàm cæterorum administrationem obtinebat. Etenim Marcâ teste, ultra suburbicarias decem provincias, ea libera plenaque potestas pontificis se non porrigebat, sed iis omninò finibus continebatur ; quare ait sapienter Rufinum comparationem iis finibus coercuisse. Etenim Romanus plures insuper ampliores que diœceses habuit ; ad hæc idem et principatum totius Ecclesiæ gerebat ; in quibus duobus componendos non censuit Rufinus, sed in eo tantùm quòd Alexandrinus Ægyptiacæ diœcesis ἐξουσίαν habere debeat jure eodem quo Romanus in diœcesi urbicariâ, sive suburbicariis Ecclesiis , quæ decem provinciis continebantur. Pagius denique ex Valesio opinatur suburbicariarum Ecclesiarum nomine commodè posse intelligi non solas suburbicariarum provinciarum, sed universi Occidentis Ecclesias; quemadmodùm enim suburbicariæ provinciæ dictæ sunt, quæ in vicarii urbis potestate erant, sic quoque totius Occidentis

Ecclesias suburbicarias à Rufino dici potuisse, ut quæ omnes urbis patriarchæ diœcesim conflabant. Tam varius cùm à variis modus repertus sit conciliandi Rufinum cum jure patriarchico Romani in universum Occidentem, fortassè nec abs re fuerit id adnotâsse in tantâ quæ hodiè est, opinandi licentiâ, Rufinum eo loco, sicut universas partes diœcesis Alexandrinæ non recenset, sic neque in animo habuisse cunctas Romani patriarchatûs regiones percensere; et quemadmodùm exempli potiùs causâ unam attigit Ægyptum, Lybiâ ac Pentapoli silentio præteritis, sic hìc suburbicariis nominatim dictis, cæteras tacitè subintellexisse, atque ita universum utriusque patriarchatum in comparationem vocâsse. Quare, quemadmodùm nemo dixit Rufinum, Libyam ac Pentapolim detraxisse Alexandrinæ diœcesi; sic neque Romanæ cæteras, quas silentio prætermisit. Verùm quoniam neque mihi hìc defendendum Rufinum sumpserim, neque eos ex eruditis, qui comparationem eo canone factam censent patriarchatuum, nec denique fines ipsos, aut amplitudinem Romanæ diœcesis, abstineo pluribus; tu interim id habe, quidquid de Rufino sit, canone certè sexto Nicæno, neque gloriæ patriarchatûs Romani latissimè diffusi detractum quidquam, quando is ne leviter Ecclesiarum suburbicariarum meminit; minimè verò principatui apostolico in universam Ecclesiam, quippe qui neque in comparationem vocari debuit, aut vocatus est : quin potiùs, si in examen et ad calculum voces omnia, audeo dicere, esse atque suppetere, unde ex eodem canone principatum Romanum universalem stabilias.

Græcus. Equidem, ut tibi fatear, è nostris etiam Zonaras, Nilus, et ante eos Balsamon, comparationem eo loco institutam volunt Romanam inter atque Alexandrinam diœceses; neque tamen ideò patriarchatum Romanum ad universum Occidentem porrectum diffitentur. At quoniam iidem primatum inde etiam non segniter oppugnant, votis omnibus totoque animo ex te cognoscere expeto ut tu tandem, aut quæ inde ad firmitatem primatûs argumenta elicueris.

Latinus. Compendio accipe, unde Romani primatûs certa indicia ex canone 6 duci possint. Primùm ex te quæro, si Patribus Romani episcopi universalis potestas certa non fuit, cur quemadmodùm Alexandrino aliisque, non etiam Romano suæ metæ limitesque constituuntur? cur non ad coercendam Meletii, jurium Alexandrinorum invasoris, temeritatem, argumentum ducunt potiùs à consuetudine et more, qui per Antiochenam diœcesim viguit? cur Ecclesiæ Romanæ formam in exemplum trahunt? Indicant hæc nempe, imò loquuntur, agnovisse Patres, Romam exemplar etiam esse debere potestatis Alexandrinæ atque Antiochenæ, quemadmodùm fons et origo fuerat, et tunc solùm ex more ac consuetudine domesticâ firmum potestatis argumentum duci, cùm Romana quoque consuetudo faverit domesticæ; quæ quidem certissima universalis primatûs sunt argumenta; quibus fortassè moti Chalcedonensi in concilio imperatorii judices, relecto act. 16 Nicæno sexto canone, continuò fidenter nullâque hæsitatione dixerunt : « Ex his quæ gesta sunt, et ab unoquo« que deposita, perpendimus omnem (ut si ad « Græcum, πρὸ πάντων, pressiùs velis reddere, « *ante omnia*, vel, *pro omnibus*) quidem prima« tum, et præcipuum honorem secundùm « canones antiquæ Romæ Dei amantissimo « archiepiscopo conservari. » Ut sanè jam sæpè mirari subeat, vestros etiam in eo cum hæreticis consensisse, ut hinc eversum irent, unde sapientissimi judices stabilitum conservatumque intulerunt primatum omnem, seu universalem, tam honoris nempe quàm jurisdictionis. Sanè utrumque verba illa continent.

Græcus. Avocabimus sermonem à Nicæni concilii sexto canone, atque ipso adeò Alexandrino patriarchâ, si adhuc tantùm indices, ex quo denique tantâ fiduciâ imperatorii judices primatum Romanæ Ecclesiæ integrum conservari intulerint. Etenim probè tenes, non eâdem penitùs verborum sententiâ atque tenore, à Græcis Latinisque eum canonem productum esse. Paschasinus legatus Apostolicus, sic conceptum retulit : « Trecentorum « decem et octo Patrum canon sextus : *Quòd « Ecclesia Romana primatum semper habuit. « Teneat autem et Ægyptus, ut episcopus Ale« xandriæ* etc. » Græcorum contra lectio talis fuit : « Regula sexta trecentorum decem et « octo Patrum : *Antiquæ consuetudines teneant « in Ægypto, ut Alexandrinus episcopus omnium « habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo « hæc consuetudo est.* »

Latinus. Ut judices denique sententiam quam dixi pronuntiarent, varietas lectionum nihil oberat. Primatum namque, quem conceptis verbis affirmabat canon à Paschasino recitatus, eumdem causalis adjecta in Græcorum canone non obscurè designabat. Quare utcum-

que legeretur, primatum semper jure optimo ex Nicæno canone intulisse poterant. Neque modò ex hoc, verùm et ex ipso Constantinopolitani concilii canone tertio, qui pariter eo loco relectus est; quid enim manifestius primatu præcipuo Romani pontificis, continent hæc verba canonis? « Episcopum tamen Constantinopolitanum habere primatùs honorem « post Romanum episcopum, propterea quòd « sit nova Roma. »

GRÆCUS. Hoc non ita diu post, pace tuâ, in examen vocabo: tunc dices, prositne an plus obsit Romano primatui Constantinopolitanus atque Chalcedonensis canon; nunc id adhuc unum decerne, cui tu lectioni Nicæni sexti canonis adhærendum putes.

LATINUS. Rem arduam injunxisti, neque proposito nostro necessariam; ne te tamen absque responso dimittam, ita habe: Eruditos magno numero ac assensu in lectionem quæ hodiè in usu est, atque cum Græcâ consentit, propendere; quare eò feruntur plerique omnes, ut quod Paschasinus in canone præterea recitavit: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, inscriptionis loco habendum putent, aut etiam cùm olim fortè in margine adscriptum id esset, subinde, ut fieri amat, in textum ipsum irrepsisse existiment; id quod sanè verosimile facit tum textus Græcus, tum et vetustissima Dionysii Exigui Latina versio, multique codices eo additamento destituti, quod non modò lucis affert nihil, sed et perturbare cætera canonis, nonnullis visum est. At nullam tu idcircò, ut sapiens es, fraudem suspicabere, nec Græcis Latinos obrepere voluisse dices, quod quidem neque judicibus vel leviter in mentem venit.

GRÆCUS. Edic igitur, quid hinc mihi demùm concludendum sit; fraudem enim suspicari illiberale fit, nec in viros graves sive fraus, sive suspicio cadit.

LATINUS. Concludes nimirùm primùm, eum Nicæni canonem à Latinis ita semper ab initio intellectum fuisse, ut Romani pontificis primatum eo etiam stabilitum existimaverint; quod tibi quidem mirum non videbitur, si advertas ipsos etiam Constantinopolitanos Patres, penes quos codex absque eo additamento fuerat, sic tamen eumdem Nicænum canonem, ut Latini solebant, accepisse, interpretatosque esse. Etenim si non illis Romanus primatus à Christo institutus, à Nicæno utcumque confirmatus, persuasus planè certusque fuisset, eamdem, si rectè conjicio, subitura erat Roma vetus fortunam, quam Alexandria atque Antiochia expertæ sunt: cùm enim toti quanti augendæ Constantinopolitanæ sedi intenti essent, aut exæquâssent se undique Romano, aut fortè etiam, quemadmodùm cæteros patriarchas, sic et hunc infra se deturbâssent, nec dicerent, *episcopum tamen Constantinopolitanum habere primatûs honorem post Romanum.*

GRÆCUS. Hæc cùm ita sint, rectè fortè advertit Dupinus, quanquàm non maximus, neque sincerissimus Romanorum pontificum fautor, ante Constantinopolitanum I nullius alterius œcumenici concilii sanctione certâ, primatum Romanum disertis verbis expressum fuisse; atverò, cùm idem ait eo canone nihil de primatu Romano decretum, nec sedi Romanæ recens quidquam inductum, sed privilegium quo ab olim fruebatur, sartum tectumque conservatum: cùmque insuper addit, ibi Romanam Ecclesiam supponi primam omnium potiùs quàm affirmari, neque ejus obesse primatui honorem, qui Constantinopolitano delatus est: tum enim verò à Græcorum sententiâ, fortè et ab ipsâ rei veritate magnoperè abludit. Etenim Barlaamus, Nilus, atque magno numero è nostris alii, non posthabitum, sed exæquatum eo canone, Romano Constantinopolitanum defendunt; tum et jura primatûs Romani, Patrum decreto, atque imperatorum beneficio tribuunt, neque id Petri causâ, sed ob urbis imperium et splendorem.

§ VI.

LATINUS. Sunt hæc nimirùm, infelices schismatis vestri reliquiæ, quod ut denique honestaretis, abneganda fuit Romano pontifici dignitas supremi et à Christo constituti capitis; utque jam non esset schisma dedecori, aperta etiam hæresis adjungenda fuit, quam Evangelia, Traditio, Patrumque unanimis consensio, me tacente, confutant.

GRÆCUS. Cave ne tu hodiè Chalcedonenses, atque ipsos etiam primi Constantinopolitani concilii Patres schismatis atque hæresis reos facias. Quod nostri adhuc sunt tuiti adversùs Romanam sedem, ducibus his synodis propugnârunt: quæ Constantinopolitana I, eadem IV Chalcedonensis sanxit, et eadem nostri sequuntur; quid verò de utrâque sede, Romanâ nempe atque Constantinopolitanâ, edicunt illi divino Spiritu afflati Patres, tacebo ipse; loquatur Chalcedonensis synodus: « Sanctorum « Patrum, aiunt illi canone 28, decreta ubique

« sequentes, et canonem nuper lectum clarissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus, ac statuimus de privilegiis sanctæ Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eâdem ratione moti clarissimi Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno, æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes urbem quæ et imperio et senatu honorata sit, et æqualibus cum antiquissimâ reginâ Româ privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secùs ac illam extolli, ac magni fieri, secundam post illam existentem : ut et Ponticæ, et Asianæ, et Thraciæ diœcesis metropolitani soli; præterea episcopi diœcesium quæ sunt inter barbaros, à prædicto throno Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur, unoquoque scilicet prædictarum diœcesium metropolitano, cum provinciæ episcopis, provinciæ episcopos ordinante, quemadmodùm divinis canonibus est traditum: ordinari autem sicut dictum est, à Constantinopolitano archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus, et ad ipsum relatis.» Quibus quid, obsecro, clarius, aut ad Patrum sententiam pernoscendam, aut jura Constantinopolitanæ Ecclesiæ firmanda, aptiùs dici potuit æquiusque? Profectò nullis verbis disertiùs sedes illæ duæ potuerunt exæquari.

Latinus. Felices vos, et procul à schismate omni atque hæresi, si quam aiebas claram Patrum sententiam, ut oportebat, aut rectè percepissetis, aut perceptæ animus insistendi esset! non erat cur toties cum Græciâ pro primatu in universam Ecclesiam Romanis vindicando, arma consereremus. Adversùs quem cùm vos ex Chalcedonensi synodo auctoritatem mutuamini, quid aliud agitis quàm ut sanctissimorum Patrum cœtum in eamdem vobiscum impietatem trahatis, aut denique canonem, vim vestræ intelligentiæ effugisse prodatis? Sed omittamus hæc, et verum sincerumque Patrum sensum vestigemus; quod ut præstem commodiùs, non una in Romano pontifice distinguenda est dignitas. Igitur alia in eo episcopalis est, fortè non ultra centesimum ab urbe lapidem in ambitu porrecta. Altera archiepiscopalis, seu metropolitica, suburbicarias decem provincias complexa. Patriarchalis tertia, quæ per universum Occidentem latè diffunditur. Suprema denique dignitas, et potestas Apostolica, quâ universo christiano orbi præsidet, eumque tanquàm pastor universalis et Christi vicarius ex ejusdem instituto moderatur. Habet verò idem Romanus pontifex communia omnia cum episcopis ut episcopus, cum metropolitis ut metropolita, cum patriarchis denique ut patriarcha; nec plus ipsi in eos facultatis est, quàm cuicumque episcopo in episcopos, et patriarchæ in patriarchas; quorum quidem sicut dignitas jure divino instituta non est, sic neque certam jure divino, constantemque jurisdictionem obtinent, sed eam pro temporum occasionumque diversitate, ex decreto vicarii Christi ac Ecclesiæ variant, aut variare possunt. Hæc cùm ita sint, nescio quid Chalcedonensis canon adversum supremæ illi Romani pontificis dignitati continere possit, qui cùm sola patriarchica privilegia, æqualia Constantinopolitano tribuat, prorsùs intacta jura vicarii Christi reliquit.

Græcus. Ut tibi hoc effugium semel præcludam, atque non in patriarchicâ tantùm potestate, verùm in primatu ipso, Constantinopolitanum Romano exæquatum exhibeam, nudo primi honore ei relicto, recitanda mihi tantùm sunt verba canonis tertii Constantinopolitanæ synodi; ea verò ad finem sic habent : *Episcopum tamen Constantinopolitanum habere primatûs honorem post Romanum episcopum, propterea quòd sit nova Roma;* diligenter mihi nota *primatûs* nomen : igitur in Constantinopolitano illo canone de primatu ipso agebatur, non de quâcumque inferiore dignitate, de patriarchicâ verò minimè, ut quæ tum adhuc ignota fuit; atqui, si rectè ad Chalcedonensis canonis verba advertisti, Constantinopolitani Patres novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt; igitur æqualia non alterius cujuscumque dignitatis minoris, sed primatûs ipsius Romani.

Latinus. Tam pressè urgentis more, et syllogismo minimè obvoluto cùm rem agis, videris prorsùs velle ad oculum evincere, parem in Constantinopolitano primatum; at actum agis, neque quid aliud, quàm ut tuam, verbo da veniam, imò tuorum potiùs ignorantiam in publicum prodas : non enim diffiteor in primatu paria cum Romano privilegia Constantinopolitanum tunc sortitum esse; at *primatûs* nomine, quid tu ibi venire existimas? equidem non aliud quàm quod hodiè patriarchicam potestatem vocamus; id ut tibi etiam ad oculum pateat, relege totum canonem secundum ac tertium ejusdem Constantinopolitanæ synodi. Ii sic habent : « Episcopi autem super diœcesim, quæ trans finem sunt, Ecclesiarum

« non transcendant, neque confundant Ecclesias; sed secundùm regulas, Alexandriæ « quidem episcopus ea solùm quæ sunt in « Ægypto disponat. Orientis autem episcopi, « solum Orientem gubernent, servatis autem « *primatibus*, secundùm canones Nicænos, « Antiochenæ Ecclesiæ. Et episcopos Asianæ « diœcesis, Asianam diœcesim tantummodò « gubernare; et Ponticos Ponticam; et Thraciæ Thraciam solùm. Invocatos autem episcopos super diœcesim, vel pro ordinatione, « vel pro aliis ecclesiasticis ordinationibus, « nullatenùs advenire. Servatâ autem suprascriptâ de provinciis vel regionibus regulâ, « manifestum est quia secundùm unamquamque provinciam, ejusdem synodus provinciæ « gubernatura est secundùm ea quæ in Nicæâ « sunt constituta. Eas autem, quæ sunt in « barbaris gentibus, Dei Ecclesias gubernari « oportet secundùm hanc, quæ per Patres « consuetudo tenet. Episcopum autem Constantinopolitanum habere *primatûs* honorem « post Romanum episcopum, propterea quòd « sit nova Roma. » Vides jam plures *primatus*, et suum etiam Antiochiæ concedi; quemadmodùm verò Constantinopolitanum concilium, ita sanè et Leo papa *primatûs* nomen sumpsit epist. 54: « Superbum est... antiquitate calcatâ alienum jus velle præripere, atque ut « unius crescat dignitas, tot metropolitanorum « impugnare *primatus*. » Et rursùs epist. 59: « Non convellantur, ait, provincialium jura « *primatuum*, ne privilegiis antiquitùs institutis, « metropolitani fraudentur antistites. » Et rectè, ita namque prorsùs et Nicæni Patres eodem *primatûs* nomine usi sunt can. 6: « In Antiochiâ, et aliis provinciis *primatus* habeant « Ecclesiæ civitatum ampliorum. »

GRÆCUS. Si *primatûs* nomen eâ ætate, eoque canone non supremam, sed patriarchicam duntaxat potestatem ac dignitatem indicabat, procul dubio neque actione 16 Chalcedonensis synodi, cùm à judicibus Romano tribuitur, aliud significâsse poterat; malè tu itaque dudùm ex eâ judicum, sive acclamatione, seu potiùs sententiâ, pro Romani pontificis supremâ potestate argumentum duxisti, nec sine fallaciâ.

LATINUS. *Primatûs* nomen æquivocum prorsùs fuisse id temporis, pro certo habe, et quanquàm in canone Constantinopolitano, nil ultra patriarchicam Constantinopolitani dignitatem significet, imò et in ipsâ sententiâ judicum, cùm de Constantinopolitano actione 16 loquuntur, adhuc tamen supremam dignitatem in pontifice Romano designat. Etenim si ad judicum verba attendas, tribuunt illi Romano episcopo πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμήν. Cùm contra Constantinopolitano nihil aliud deferant, præter τὰ ταυτὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Accipe Latinè integram judicum sententiam, et discrimen cognosce. « Ex his, « quæ gesta sunt, et ab unoquoque deposita, « perpendimus pro omnibus quidem (vel ante « omnia) primatum et honorem præcipuum « secundùm canones antiquæ Romæ, Dei amantissimo archiepiscopo conservari. Oportere « autem sanctissimum archiepiscopum regiæ « Constantinopolis novæ Romæ eisdem primatibus honoris et ipsum dignum esse, et potestatem habere ordinare metropolitas in « Asianâ, et Ponticâ, et Thraciâ diœcesibus. » Equidem utrique duo deferuntur à Patribus, primatus et honor; at Romano primatus *omnis sive universalis, ac pro omnibus, honorque præcipuus*; quæ sanè duo sunt ipsa suprema Romani pontificis potestas. Constantinopolitano contra primatum quidem seu potestatem, ast in Asianam duntaxat, Ponticam et Thraciam diœceses, eamque multis clausulis, veluti septis quibusdam circumscriptam, et post Romanum tantùm deferunt.

GRÆCUS. Jam et mihi nonnulla lux affulget, ac propè teneo, canonibus iis synodorum, sicut et judicum sententiâ, patriarchicam duntaxat dignitatem Constantinopolitano in diœceses sæpè dictas barbaricasque collatam, et proximum à Romano honoris ac sessionis locum. Hæc sunt illa æqualia privilegia, quibus etsi utcumque Romanum patriarcham, ut patriarcham adæquet, quàm longissimè ab eo ut Christi vicario, et universali Ecclesiæ totius, omniumque Christi ovium pastore abest; tantùm nempe, quantùm ovis à pastore. At si tibi argumenta adhuc nonnulla suppetunt, in unum collige, et ad liquidum demonstra iis canonibus, Patres intactum planè reliquisse Romani in omnes primatum, neque molitos unquàm, ut hunc ad Constantinopolitanum etiam transferrent, et in hujus communionem admitterent.

LATINUS. Æquissimæ tuæ petitioni nequeo, nisi ut morem geram. Vindicemus itaque universalem Romani pontificis primatum, et Chalcedonenses Patres, et ipsum Anatolium absolvamus à gravissimâ injuriâ, quam eis incautè imponunt, quotquot ex dicto sæpè canone supremam Romani pontificis dignitatem

labefactare sunt aggressi. At enim non egent nostris vindiciis; satis illi superque seipsos litteris, manu suâ exaratis, à tanto scelere, quantùm est invasio summæ potestatis, defendunt, et quæ sua mens fuerit in condendo canone, quæ sententia, etiam ab eo condito, de Romano pontifice, ubertim explicant. Etenim postquàm exposuère, quibus rationum momentis adducti, canonem 28 condiderint, tam magnificis Leonem exornant titulis *capitis, patris, summitatis,* ut nemo, nisi Patres insanire fingat, aut ipse insaniat, seriò possit in animum inducere, eversionem Romani primatûs canone illo Patres quæsîsse, aut molitos esse; quæ deinde ea esset dementia, canoni, quo Romanum primatum evertis, à primatûs ejusdem confessione, ac beneficio robur, vigoremque velle accersere! Hoc verò egère Patres, quando ipsius etiam canonis 28 confirmationem à Leone multis precibus deposcebant.

Græcus. Ex multo jam tempore synodicas illas Patrum litteras audire gestio; desiderio meo, tuisque rebus probè consules, si me illarum, ut scriptæ sunt, ad apicem participem facias : sæpè tibi opportuna inde præsidia subsidiaque provenient. Age itaque, et mecum quidquid illud est communica ; alacrem auditorem me habebis.

Latinus. Synodica Patrum, quam optâsti, incipit : *Repletum est gaudio os nostrum,* tom. 3 Concil. part. 3, p. 1774. Hanc aggredior dicere, ubi primùm canonis 28 meminisse incipiunt; aiunt ergo : « Indicamus verò, quia et alia « quædam pro rerum ipsarum ordinatâ quiete, « et propter ecclesiasticorum statutorum defi- « nivimus firmitatem, scientes quia et vestra « sanctitas, addiscens, et probatura, et confir- « matura est eadem. Eam namque consuetudi- « nem, quæ ex longo jam tempore permansit, « quam habuit Constantinopolitanorum sancta « Dei Ecclesia, ad ordinandos metropolitanos « provinciarum, tam Asianæ, quàm Ponticæ et « Thraciæ, et nunc synodali decreto firmavi- « mus, non tam sedi Constantinopolitanæ ali- « quid præstantes, quàm metropolitanis urbi- « bus quietem congruam providentes, eò quòd « frequenter episcopis vitam finientibus, multæ « turbæ nascuntur, clericis ac populis, qui per « easdem sunt civitates, absque rectore rema- « nentibus, et ecclesiasticum ordinem confun- « dentibus, quod nec vestram latuit sanctita- « tem, maximè propter Ephesios, unde quidam « vobis sæpiùs importuni fuerunt. Confirmavi- « mus autem et centum quinquaginta SS. Pa- « trum regulam, qui in Constantinopoli con- « gregati sunt sub piæ memoriæ Majore Theo- « dosio, quæ præcepit, post vestram SS. et « Apostolicam sedem, honorem habere Con- « stantinopolitanam, quæ secunda est ordinata; « confidentes, quia lucente apud vos apostolico « radio, et usque ad Constantinopolitanorum « Ecclesiam consuetè gubernando, illum spar- « gentes, hunc sæpè expanditis, eò quòd absque « invidiâ consueveritis vestrorum bonorum « participatione ditare domesticos : quæ igitur « ad interemptionem quidem totius confusionis, « confirmationem verò ecclesiasticæ ordinatio- « nis definivimus, hæc sicut propria et amica, « et ad decorem convenientissima, dignare am- « plecti, sanctissime ac beatissime Pater. Qui « enim locum vestræ sanctitatis obtinent, san- « ctissimi episcopi Paschasinus et Lucentius, et « qui cum iis est reverendissimus presbyter « Bonifacius, his ita constitutis vehementer « resistere tentaverunt; procul dubio à vestrâ « providentiâ inchoari et hoc bonum volentes, « ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis « deputetur effectus. Nos enim curantes tam « piissimos et Christi amicos imperatores, qui « super hoc delectantur, quam charissimum « senatum, et totam, sicut dicere convenit, « imperii civitatem, opportunum credidimus « esse, honoris ejus confirmationem ab uni- « versali concilio celebrari, et velut hæc à tuâ « sanctitate fuerint inchoata, eò quòd fovere « semper studeas, roboravimus, præsumentes, « dùm noverimus quia quidquid rectitudinis « sit à filiis, ad patres recurrit facientes hoc « sibi proprium. Rogamus igitur, et tuis de- « cretis nostrum honora judicium, et sicut nos « capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic « et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat; « sic enim et pii principes complacebunt, qui « tanquàm legem, tuæ sanctitatis judicium « firmaverunt, et Constantinopolitana sedes « suscipiet præmium, quæ omne semper stu- « dium vobis ad causam pietatis explevit, et « semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo « conjunxit : ut autem cognoscatis, quia nihil « alicui donando per gratiam facimus, aut per « inimicitias adversando, sed ut nutu gubernati « divino, omnem vobis gestorum vim insinua- « vimus, ad comprobationem nostræ sinceritа- « tis, et ad eorum, quæ à nobis gesta sunt « firmitatem et consensionem. » Hactenùs verba Patrum.

Græcus. Eademne verò Anatolii etiam fuerit de Romano pontifice sententia in posterum,

postquàm à Leone graviter reprehensus ob citatum sæpè canonem, cujus ipse ferebatur auctor, spem jam omnem impetrandæ assensionis pontificiæ posuit, hoc est quod lubens ex te cognoscam.

LATINUS. Acriter reprehensum, spem omnem posuisse Anatolium, at non etiam modestiam, venerationemque adversùs Leonem pontificem, responsio, quam ad papam dedit, luculenter admonet; exhibet hanc Allatius lib. 1 de Perp. Cons. c. 23, ad finem. Cùm tota prorsùs insignem submissionem sapiat, paucula tamen inde decerpemus; ait ergo : « Cuperem vestris « potiri afflatibus, ut illa vobis obediendo com- « plerem, quæ vestris omnifariàm perfectissi- « mis sensibus placita videbantur. Nam penitùs « absit, ut ego, quæcumque mihi fuissent « mandata per litteras, adversarer... De hoc « autem, quæ Constantinopolitanæ sedis gratiâ « sancita sunt in Chalcedonensi nuper synodo « universali, pro certo beatitudo vestra hoc « habeat, nullam esse culpam in me, homine, « qui semper otium et quietem, in humilitate « me continens, ab ineunte meâ ætate, dile- « xerim. Sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ « reverendissimus clerus est, qui hoc habebat « studium, et istarum partium religiosissimi « sacerdotes, in hoc, qui fuêre concordes, et « sibi pariter adjutores, cùm et sic gestorum « vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ « beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur benè « compertum sanctitas vestra cognoscat, nihil « ex me istius causâ factum esse negotii, qui « semper omnis jactantiæ levitatem, et aliena « appetendi cupiditatem mihi vitandam credi- « derim. »

GRÆCUS. Hæc sanè esse nequeunt hominum primatum Romani pontificis evertentium, nisi eos mendaces aut amentes fingamus; est enim genus quoddam amentiæ, in re gravissimâ à se ipso eodem propè momento temporis dissidere, sibique ipsi in unâ veluti paginâ contradicere, quæque statuerit, suâ manu eadem convellere. Do itaque puram innocuamque prorsùs fuisse mentem Chalcedonensium Patrum, atque Anatolii, à scelere, cujus alii propè reos peragunt. Verùm Leo fortassè impugnari suum primatum senserit, quando cum canoni illi 28 acerrimè restitisse tenemus.

LATINUS. Restitisse, quin et in irritum B. Petri auctoritatem misisse, extra dubium est; neque destitisse pontificem, donec ab incœptis quievisset Anatolius, testantur epistolæ ejus 59 et 71, et Gelasii 13. At quæ causa eum tantoperè commoverit, nunc accipe ex Epistolâ ejusdem 56. Acerbè quæritur læsos Nicænos canones, « *quòd secundi honoris privilegium* « *sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena* « *proprietatem tertiæ dignitatis amiserit;* » mox subdit : « *Non convellantur provincialium jura* « *primatuum, ne privilegiis antiquitùs institutis* « *metropolitani fraudentur antistites. Nihil Ale-* « *xandrinæ, sedis ejus, quam per Marcum Evan-* « *gelistam B. Petri discipulum meruit, pereat* « *dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia in pa-* « *ternæ constitutionis ordine perseveret.* » Evolve, si lubet, epistolas omnes Leonis, at inprimis 57, 58, 63, 66; plenæ querelarum sunt et indignationis adversùs eam Chalcedonensis concilii sanctionem. At ne vestigium quidem ullum suspicionis de læso suo primatu : quid igitur? aut nempe Leonem, quem facta dictaque sapientissimum probant, hebetem dicamus, oportet; atque suorum incurium, qui jurium alienorum vindex fuit acerrimus; aut ultra modum sagaces Græculos illos, qui ex canonibus Chalcedonensis concilii, ruinam Romani primatûs struxerunt, videntque periculum, quod nemo alius.

GRÆCUS. Chalcedonensis concilii canone, itemque Constantinopolitani, nihil infirmatum, nihil detractum esse de Romani pontificis auctoritate supremâ, facilè jam cedo; at eos nondùm satis assequor, qui ex iis etiam argumenta, et veluti subsidia quædam ducunt, ad ejusdem primatûs robur ac firmitatem. Si, quemadmodùm conjicio, in eâdem es sententiâ, id etiam expedi; atque arma, quibus nostri in primatum malè utuntur, tu meliùs in ejusdem defensionem converte.

LATINUS. Ad utriusque synodi canones animum reflecte, et quos probè jam memoriâ tenes, tecum ipso rursùs expende : habent ii quædam Romani primatûs indicia, communia nempe cum Nicæno sexto canone; quæ illa sint, jam dixi, tu cogitatione ad illa redi; habent etiam nonnulla ipsismet propria, paucis illa verbis, sed manifestum primatum Romano vindicant.

GRÆCUS. Nova illa indicia, quæ Romanum primatum stabiliant, ex iis, nisi fallor, vocibus ducis, quibus in Constantinopolitano quidem concilio episcopus ejus urbis *post* Romanum primatûs honorem habere dicitur; et in Chalcedonensi *secundo* ab eodem loco constituitur. At hæc infirma prorsùs esse, egregiè nostri ostenderunt; Alexius Aristenus ex privilegiis æqualibus, quæ canon Chalcedonensis disertè

Constantinopolitanæ Ecclesiæ asseruit, non abs re sic intulit : « *Post,* præpositio hìc non « honoris, sed temporis est significativa ; quasi « diceret : Post multos annos, parem honorem « cum Romano Constantinopolitanus episcopus « habuit. » Balsamon quoque multis idem probare conatus est. Quod locum Constantinopolitani secundum attinet, ita Barlaam monachus in libello de papæ Primatu c. 7, disserit : « Quemadmodùm enim novæ Romæ episcopus, « à papâ secundus ordine, est ita planè Ale« xandrinus huic secundus, deinde Alexandrino « proximus Antiochenus, Jerosolymitanus de« nique Antiocheno ; » ex quo concludit, solum honoris et præcedentiæ primatum, non potestatis aut jurisdictionis in Romano. Et aptè fortassè : si enim, licet secundus Constantinopolitanus, nil sibi juris vindicat, aut vindicare ex merito debet in Alexandrinum tertium, atque ita deinceps, cur Romanus in eos jure quidquam possit, quamvis primus sit omnium ?

Latinus. Aristenus nugas agit, et ridendus prorsùs videtur, cùm μετὰ de temporis posteritate interpretatus est; quasi verò cavendum etiam fuerit Patribus, ne Constantinopolitanus, qui par honore et jurisdictione decernebatur Romano, si omissum fuisset μετὰ, etiam tempore prior, aut æqualis evaderet; tum, si μετὰ, *post*, etiam tempore posteriorem indicat, erit sanè Constantinopolitanus, non post Romanum modò Patriarcham, sed et cæteros omnes, ut in confesso est. Verùm mittamus hæc nugacia. Liberaliùs egit Barlaamus cum Romanis Pontificibus, dùm eis saltem ordinis honorisque primatum præ Constantinopolitano tribuit. At ne is quidem probatur vel ipsi Zonaræ, quanquàm ejusdem farinæ homini, minimèque cætera æquo in Romanos pontifices. Igitur audiamus. Is postquàm oppositum Barlaamo probâsset ex Novellâ Justiniani, et Trullani concilii canone 36, sic demùm concludit adversùs utrumque : « Quo ex loco de subje« ctione, non temporis solius ordine, et de « inferiori honoris gradu canonem accipien« dum esse, facile est intelligere. » Et mox contra Aristeni disputans sententiam, ait : « Cùm alioqui præsertim honoris æqualitas in « utrâque sede retineri nullatenùs queat; nam « sive ipsa præsulum nomina recitanda, sive in « eodem utrique concessu assidendum, sive « utriusque chirographo eadem syngrapha sit « firmanda, alterum certè præferri necessum « est. Quicumque ergo particulam *post* solam « temporis seriem, non inferiorem quoque di« gnitatis gradum significare contendat, is et « vim huic loco afferat, et sententiam neque re« ctam neque bonam eliciat. » At non opus erat Zonaræ ad Trullanum canonem et Novellam recurrere, ut contra Barlaamum triumphum ageret; etenim è canonum particulis ipsis, *post Romanum , secundum post eum existentem,* minorem etiam ipsâ jurisdictione significari Constantinopolitanum , judices sapientissimi Chalcedonensis concilii, ut jam aliàs docui, agnoverunt et testati sunt.

Græcus. Agnovisse nil moror, et testatos esse; at unde, aut quo demùm ratiocinio id assecuti sint, auditis tantùm canonibus Constantinopolitano et Chalcedonensi, id adhuc expedi.

Latinus. In eam mentem apertè ducebat Constantinopolitanus canon secundus et tertius. Etenim inde legitimâ planè consecutione fluebat, soli primo patriarchæ, Romano nempe pontifici, in omnes jus esse, quando huic uni nullus limes, nulla regio, intra quam se contineat, præscripta sit; Alexandrino contra su limites, quos non exeat, definiti sunt, Antiocheno sui, ut de Constantinopolitano taceam, cujus fortassè gubernio, eo canone nulla adhucdùm regio aut diœcesis demandata est committenda duntaxat per Chalcedonenses. Ex quo quidem jam in aperto est, non eâdem prorsùs ratione Alexandrinum secundum à Constantinopolitano esse, quo hìc ipse à Romano secundus est; nec voces illas : *Post Romanum , secundum post eum existentem,* nisi lites vanas serere sit animus, aliter quàm de subjectione verâ erga Romanum accipi posse aut debere. Et ita quidem à judicibus intellectas esse in confesso est.

§ VII.

Græcus. In ambiguo relinquis an Constantinopolitanus tertio canone Constantinopolitani concilii, plus quàm nudi honoris eminentiam supra tres reliquos patriarchas obtinuerit cur verò ita ? opinabar adhuc ego eo canone potestati Constantinopolitani episcopi Asiam, Thraciam, Ponticam, barbaricasque universim regiones supponi.

Latinus. In medio relinquo, non quòd ipse fluctuem, in quam me partem tradam ; sed nè novis semper, neque in rem nostram magnoperè profuturis, litibus me implicem ; novi enim quantis inter eruditos discordiis, ea, quam insinuâsti, quæstio agitetur. Mihi cui

propositum est synodis in primis fidem adjungere, earum auctoritatem, quoad licet, tueri, et quantò minori fieri potest tumultu, res componere, illorum semper sententia præplacuit, qui in Constantinopolitanâ jam synodo, non honorem modò secundum, sed et jurisdictionem in regiones quas hodièque obtinet, hoc est, Asianam, Thraciam, ac Ponticam, barbaricasque decretam è Patrum mente sustinent. Etenim quanquàm id disertè canon ipse Constantinopolitanus non explicet, et Chalcedonenses Patres in Synodicâ datâ ad Leonem profiteantur, se consuetudinem eam, quam ex longo jam tempore Constantinopolitana Ecclesia habuit ad ordinandos metropolitanos, provinciarum Asianæ, Thraciæ, ac Ponticæ, nunc synodali decreto firmâsse, et inter causas, quibus ad id firmandum impulsi sunt, non afferunt Constantinopolitanæ synodi decretum: imò quanquàm de hoc, veluti re penitùs distinctâ, neque nexum habente cùm jurisdictione illâ in provincias recensitas, videantur locuti, atque canone Constantinopolitano non insinuent, hìc quidquam plus delatum ei sedi, quàm secundum post Apostolicam sedem honorem; si tamen et alia in considerationem vocem, neque disertis multorum dictis mendacia affingere, et fidem abnegare velim, facilè apparet jurisdictionem illam Constantinopolitano, primùm ex synodi Constantinopolitanæ decreto accessisse, quanquàm ea firma fortè nondùm fuerit: in quam rem testes inprimis appello Chalcedonenses Patres: satis disertè illi hoc ipsum tradunt canone suo 28, quando se ad decreta Patrum referunt; eadem sequi testantur, eadem cum illis de privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ decernere. Lucentium præterea Apostolicæ sedis legatum appello testem: affirmat is, episcopos jam tunc pronuntiàsse, quæ Chalcedonensis canon 28, de quo lis mota fuerat, constituit jam ante annos propè 80 (meliùs 70) constituta fuisse. Denique Eleutherius Chalcedonensis episcopus, cùm inter cæteros interrogaretur, liberène subscripsisset canoni 28, in hunc modum, et è nostrâ prorsùs sententiâ respondit: « Sciens, « quia et per canones, et per consuetudinem « præcedentem, habet hæc jura Constantino- « politana sedes, cum voluntate subscripsi. » Plus aliquid ausus est affirmare Eusebius episcopus Dorylæi; verba ejus sunt: « Spontè sub- « scripsi (canoni nimirùm 28), quoniam et hanc « regulam (hoc est, canonem Constantino- « politanum) sanctissimo papæ in urbe Româ « ego relegi præsentibus clericis Constantino- « politanis, eamque suscepit. »

Græcus. Digna se nobis hìc jam offert, veluti ex re nata, quæstio. Tribuisne aliquid Eusebio Dorylæi? is relectum à se, et susceptum à Leone pontifice canonem Constantinopolitanum disertè palàmque asserit; nec modica ejus dictis auctoritas accrescit ex Paschasini apostolici legati, ex Diogenis Cyzici episcopi dictis. Etenim cùm actione primâ Chalcedonensis concilii, relegerentur pseudo-synodi acta sub Dioscoro celebratæ, et Flaviani nomen quinto loco lectum esset, exclamantibus Orientalibus: « Flavianus in « proprio loco quare non sedit? (intellige « *secundo*), » Paschasinus continuò dixit: « Ecce « nos Deo volente dominum Anatolium (Con- « stantinopolitanum) primum habemus (nempe « post legatos Leonis), hi quintum posuerunt. » Cui Diogenes Cyzici episcopus dixit: « Quoniam « vos regulas scitis. » Ignorâsse itaque Constantinopolitanum canonem non poterat Roma, quem legati nôrant; neque improbâsse videtur Leo papa, quem Paschasinus ejusdem legatus, eo dicto satis approbâsse laudâsseque videri potest.

Latinus. Cui vis plus deferam, Eusebio Dorylæi, an Leoni papæ, ejusque in throno successoribus? Experiamur verò, quantùm te juvent, quos citâsti; equidem ex Paschasini dicto plus non eruo quàm quòd non invitis legatis pontificiis, secundum locum obtinuerit Chalcedone Anatolius; neque ex Diogenis dicto aliud quàm quòd is canon, quo secundus Constantinopolitano locus assertus est, ignotus legatis non fuerit; et neque Leonem ignorâsse, pro certo habeo, quin etiam eo audiente relectum Romæ ab Eusebio fuisse eumdem canonem, facilè dedero. At unde susceptum à papâ idem audeat asserere, aut quâ fide, nescio, nisi fortè id ex Leonis silentio, dissimulationeque concluserit. Ea verò pontificis ipsius ac legatorum dissimulatio, non approbationis loco, sed ad summum velut prudens quædam œconomia habenda est, quam id temporis multa suasisse poterant, imperatorum præcipuè in Constantinopolitanos favor ac propensio; tum et ipsum patriarcharum, quos res attinebat, silentium; quòdque, ut oportebat per synodicas litteras insinuatus non esset, proinde reprobatio suspendi potuit; denique suadebat adhuc silentium cura justa ac sollicitudo pontificum, ne si acriùs his minoribus obstitissent, majoribus quæ à

Dioscoro illata fuerant, Ecclesiæ malis, ægriùs remedium adhiberi posset. At enim ubi res Ecclesiæ meliorem faciem induerunt, et communis patuit in fide consensio, postquàm etiam de more synodus ipsa approbandum transmisit canonem, visumque est Constantinopolitanorum rapinis acriùs obsistendum, totis se denique viribus opposuit Leo, quemadmodùm in posterum dicturi sumus.

Græcus. Cave rapinas dicere, quæ synodorum consensione Constantinopolitanæ Ecclesiæ accreverunt, sive jura in alios, seu honores, nemineque propè, præter Romanam sedem, obnitente, consentientibus, quos res ipsæ attingebant.

Latinus. Natales, ac progressus Constantinopolitani patriarchæ, quo alio meliùs compellarem nomine, non habui. Is enim cùm simplex antea esset episcopus, Metropolitæ Heracleensi obnoxius, imperialis urbis splendore, quasi vertigine quâdam sibi ereptus, Cæsarum potentiâ veluti armis quibusdam, in Ecclesiarum jura, sacris Nicænis canonibus stabilita, bellum commovit, multos læsit, ac primùm juri Heracleensis se subduxit, neque jam eo contentus, hunc per Thraciam, Cæsareensem per Ponticam, Ephesinum per Asianam diœcesim, ἀυτοκέφαλος omnes sub jugum misit, honoreque per Nicænos canones, ex vetustâ consuetudine stabilito exuit; neque minùs gradu suo Alexandrinum, atque Antiochenum dejecit.

Græcus. Hoc postremum, opinor, est, quod acriùs Romanos pontifices ussit, hoc dolorem eorum, irasque accendit, quòd eâ ratione despectum divi Petri honorem ducerent, cujus causâ ad fastigium evectas Alexandrinam, atque Antiochenam Ecclesias, ex veteri traditione habebant. Idcircò Leo epist. 56 inculcat: « Nihil Alexandrinæ ejus, quàm per B. « Marcum Evangelistam S. Petri discipulum « meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque « (in quâ nempe D. Petrus ipse sedit) Eccle« sia, in paternæ constitutionis ordine perse« veret. »

Latinus. Eâ sedium conversione læsum esse D. Petri honorem, et veluti sibi id injuriæ factum reputâsse pontifices, ex Gregorio papâ l. 6, epist. 37, ad Eulogium Alexandrinum, non vanè conjicio; verba ejus sunt: « Itaque « cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen « principatu sola Apostolorum principis sedes « in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis, « unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in « quâ etiam quiescere, et præsentem vitam « finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, « in quam Evangelistam discipulum misit. Ipse « firmavit sedem, in quâ septem annis, quam« vis discessurus, sedit. Cùm ergo unius, atque « una sedes sit, cui ex auctoritate divinâ tres « nunc episcopi præsident, quæ ego de vobis « audio, hæc mihi imputo. »

Græcus. Abducamus jam sermonem à causâ quæ Romanos pontifices impulit maximè, ut Constantinopolitani progressibus obsisterent. Certum mihi Leo locutus videtur, qui ad Nicænorum canonum integritatem tuendam se recepit totum; sanè Gregorium hìc nimiùm dixisse opinor, cùm Romanum, Alexandrinum atque Antiochenum ex divinâ auctoritate præsidere dixit, id, quod tu vel de Romano pontifice ægrè sustineas adversùs tot argumenta, tantumque hostium numerum, quantum ea thesis habet.

Latinus. Sic planè hìc accipiendum esse opinor Gregorium, cùm ex auctoritate divinâ præsidere Alexandrinum atque Antiochenum dixit, quemadmodùm Paschasini citra offensionem omnem acceperas hoc dictum in Chalcedonensi synodo: « Ecce nos Deo volente « dominum Anatolium primum habemus, hi « quintum posuerunt B. Flavianum. » Etenim neque hic: *Volente Deo,* neque ibi: *Ex divinâ auctoritate,* jure divino præsedisse, hoc aut illo loco patriarchas Alexandrinum, Antiochenum atque Constantinopolitanum significat, quando nec ipsam eorum patriarchicam auctoritatem divini juris esse sustineri potest. Id sanè si ita fuisset, neque unquàm Constantinopolitanus ad id fastigium assurgere suo conatu, neque evehi à Patribus, nec demùm firmari ab Innocentio III in Lateranensi IV synodo, canone 5, poterat his verbis: « Anti« qua patriarchalium sedium privilegia reno« vantes, sacrâ universali synodo approbante, « sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ « disponente Domino super omnes alias ordi« nariæ potestatis obtinet principatum, utpote « mater universorum Christi fidelium, et « magistra, Constantinopolitana primum, Ale« xandrina secundum, Antiochena tertium, « Hierosolymitana quartum obtineant, servatâ « cuilibet propriâ dignitate. »

Græcus. Quot hostibus, quàm validis argumentorum telis tu te objicis, si vel de Romanâ sede solâ sustineas, jure eam divino ex Christi dispositione Ecclesiarum omnium caput esse, ac præsidem! Nilus Thessalonicensis,

Balsamon, Macarius Ancyranus, Gabriel Philadelphiensis, Georgius Coresius, sed acerrimè omnium Doxapatrius argumentorum acies in te educent.

Latinus. Neque tela, neque hostium numerum reformidat veritas, si etiam concordes fingimus; at ii, quorum tu aciem in me ducis, non mecum tantùm, sed et invicem, quin et secum ipsimet depugnant, ut nihil facilius sit, quàm eos suis armis conficere. Verùm rem nostram agamus, et quid, quantùmque argumenta eorum probent, disquiramus; tu rursùm, in hoc etiam altero disceptationis capite, personam eorum sustine, nec quidquam dissimula, in quo vim colloces.

§ VIII.

Græcus. Omnes quoscumque dixi, censent humanis tantùm conciliorum institutis, et favore principum, Romanis pontificibus supremam Ecclesiarum curam demandatam esse. Cur id verò concilia et principes ita egerint, non una omnium et concors est sententia. Etenim Doxapatrius, Balsamon, et Macarius Ancyranus ex canone 28 Chalcedonensi arguunt Romanis pontificibus primatum per Patres concessum, quòd *Roma regina esset*, quòd rerum urbs illa potiretur; itaque per hos, non ob venerationem Petri, Romano ea suprema potestas à Patribus ac Augustis delata est: quare, ut Doxapatrius intulit, « cùm « Roma regina esse desiit, cessitque in prædam « gentium Gothicarum (Francos intelligit), « nemoque à Constantinopolitanis imperatori- « bus ad eam gubernandam destinabatur, « sicut imperio, ita quoque primatu excidit; « primique throni honor Constantinopoli, urbi « nempe imperanti, obvenit. » Hæc iste. Paulò mitiùs alii; ob venerationem Petri, qui in eâ urbe sedit, ac martyrio glorioso vitam finiit, id supremæ auctoritatis datum Romanæ sedi volunt à Patribus ac imperatoribus. Denique Nilus Thessalonicensis sic eâ de re sententiam suam explicat: « Cùm duo circa papam « consideranda sint, quòd et Romæ episcopus « sit, ut et synodi testantur, et præterea quòd « sit primus aliorum episcoporum, prius illud « à Petro accepit, quòd scilicet sit Romæ « episcopus, alterum verò à SS. PP. et piis « imperatoribus multo post tempore; » et rationem non quam alii, sed hanc reddit, « quòd « æquum esset in ecclesiasticis quoque rebus, « et multò quidem magis quàm politicis ordi- « nem statui. »

Latinus. Miseratione, non irâ digni mihi visi sunt, qui in dogmate adeò aperto, adeò obvio adhæserint; accepisse à Petro concedit Nilus, quòd sit Romæ episcopus, cur ita? si quæram, respondere debet quia et Petrus talis erat, et fuisse talem disertè testantur Patres ore uno, et Romanum in episcopatu successisse Petro, constans est traditio: hactenùs rectè, jam verò quæro quid Romano pontifici desit horum, ne etiam successisse in primatu dicatur? Petrus primatum à Christo habuit, Petrus hunc, ut minimum voluntate suâ cum particulari episcopatu Romano in suo individuo conjunxit; neque scitur unquàm deinceps disjunxisse, aut voluisse disjunctum in successoribus, et traditio Patrum constans, cui episcopatum Romanum, eidem et primatum vindicat; cur ergo, qui ex voluntate Petri et à Petro accepit, ut sit Romæ episcopus, non etiam acceperit, ut sit Ecclesiæ caput? hæc duo postquàm voluntate Petri in Petro conjuncta sunt, neque unquàm disjuncta, sic cohærent, ut qui uni et alteri idem dignitati succedat, et voluntate eâdem uni, quâ alteri.

Græcus. Negasne igitur à Romano pontifice, qui hodiè est, disjungi posse episcopatum Romanum à primatu? sanè Petrus poterat, postquàm etiam in eâ cathedrâ sedit, quanquàm etiam ibi finiret, primatum aut alteri sedi affigere, aut nulli; sed quemadmodùm ipse primitùs eum gessit, nulli Ecclesiæ speciatim addictus, sic alteri relinquere.

Latinus. In eam litem supervacaneam non descendam; id certum, quanquàm sic pontifex, qui eâdem penitùs cum Petro dignitate ac potestate est præditus, facere posset, non tamen posse id quemquam alium; hoc tibi satis sit. An verò etiam Petrus, atque hujus deinceps successores, delectâ semel Romanâ sede potuerint id divortium facere, quæstio nec utilis, et satis controversa est, quando non parva doctorum pars eò inclinat, ut credant ex imperio Christi Petrum Romæ sedem primatûs sui collocâsse.

Græcus. Qui sic loquuntur, facilè procul dubio sustinent, primatum in Ecclesiâ Romanâ divini juris esse, Romanum episcopum divino jure obtinere primatum; at obscuris nituntur et incertis scriptorum testimoniis: quis probus id scripsit? qui Patres dixerunt, ex decreto, ex voluntate aut imperio Christi Romæ figendum fuisse primatum, aut fixum esse?

Latinus. Ne tu incerta vocaveris, dubia,

obscura, apocrypha, quæ plurium Patrum sententiâ probata sunt, et doctorum calculo roborata. Marcellus papa ad Antiochenos scribit : « Petri sedes primitùs apud vos fuit ; « postea jubente Domino Romam translata est. » Hegesippus seculi quarti scriptor, lib. 3 de Excidio Jerosolymitano c. 2, modum etiam narrat, quo ea Christi voluntas innotuit; cùm enim solutus carcere, urbe exîsset, ait, Christum Petro videndum se præbuisse, rogante-que isto, quò iter intenderet, respondisse : *Vado Romam iterùm crucifigi.* Hoc responso, aiunt, Petrum intellexisse, Romæ sibi pro Christo ponendam vitam, et in eâ planè sede supremum pontificatum stabiliendum. Urget hoc Gelasius papa in decreto de Scripturis apocryphis, complexus eamdem sententiam. Ambrosius quoque visionem eam Petri et reditum à Christo imperatum narrat lib. 5, epist. 32, et Oratione contra Auxentium ; D. Athanasius in Apolog. pro fugâ suâ ; denique D. Gregorius in expositione psal. 4 Pœnit., conjunctionem sedis Romanæ cum primatu ad Christi imperium referunt. Augustinus ad extremum, Leo, et alii peculiari Dei ordinationi id deputant. Verùm non his innitar, et dabo tibi liberâ Petri voluntate factum, ut episcopatus Romanus cum primatu unitus sit : at tu mihi, ut debes, vicissim da, voluntatem hanc Petri perstitisse, morte ipsâ roboratam, ac veluti testamento consignatam esse. Hoc semel statuto, et primævâ institutione divinâ suppositâ, consequens prorsùs est, ut qui in Romanâ sede successit Petro, idem primatum etiam ejus consecutus sit, perpetuâ serie, ac jure eodem ad reliquos Romanos pontifices derivandum.

Græcus. Ex voluntate Petri coaluisse primatum, atque episcopatum Romanum, neque immutâsse eam voluntatem, imò morte roborâsse, dabo. At numquid ideò Romanus pontifex jure divino primatum obtinere dicendus erit, an non humano potiùs ?

Latinus. Ne nos inanibus litibus implicemus, atque aerem verberemus, duo mihi in primis hìc secernenda puto : primùm quæri potest, an jure et divinâ institutione Romanus pontifex sit successor Petri ; deinde, an postquàm, sive ex Christi voluntate, seu ex facto Petri, supremi Ecclesiæ principis, designatus successor est ; jure et institutione divinâ, aut ex decreto duntaxat Petri, vel solâ Ecclesiæ voluntate obtineat privilegia cum Petro prorsùs æqualia. Primum caput à Catholicis ipsis in controversiam vocatur ; secundum confitemur omnes adversùs hæreticos æquè ac schismaticos. Aio itaque ex ipsâ Christi institutione, ac voluntate, à Christo ipso obtinere eadem prorsùs privilegia Romanos pontifices, quæ Petrus obtinuit, cujus sunt successores ; quare licet de jure divino non sit, Romanum, quà Romanus est, esse successorem Petri, esse tamen eumdem de jure divino caput, quatenùs succedit Petro, et ab eodem sortiri, à quo Petrus ipse, supremam in Ecclesiam potestatem sortitus est. « Animadvertendum est « (verbis Nicolai utor iterùm) quia non Nicæna, « non denique ulla synodus, quodquam Ro- « manæ Ecclesiæ contulit privilegium, quæ « in Petro noverat eam totius jura potestatis « pleniter meruisse, et cunctarum Christi « ovium regimen accepisse, omnia denique « huic noverat Domini sermone concessa. » Concordat Basilius in Const. Monast. c. 22 : « Hoc, inquiens, à Christo ipso docemur, « dùm Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se « constituit, *Petre*, inquit, *amas me plus his ?* « *pasce oves meas* ; et omnibus præterea dein- « ceps pastoribus ac magistris eamdem tribuit « potestatem. »

Græcus. Negas igitur per Petrum ipsum, negas per synodos Romanæ Ecclesiæ pontificibus privilegia collata?

Latinus. Captiosæ interrogationi, parce si cauto responso occurram : quemadmodùm inter dignitates, quas papa sustinet, sic inter privilegia distinguendum opinor. A Christo ipso Romanæ Ecclesiæ pontificibus per Petrum, qui eos successores suos designavit, collatam esse supremam potestatem affirmo ; præit mihi in hoc responsum Nicolaus papa, Ep. 8 ad Michaelem imperatorem ; ait is : « Nam et inter cætera is, per quem nobis præ- « cipuè ista sunt privilegia collata, *tu aliquando* « *conversus*, audivit à Domino : *Confirma fratres* « *tuos*..... Ista igitur privilegia huic sanctæ « Ecclesiæ à Christo donata, à synodis non « donata, sed solummodò celebrata et vene- « rationi habita. » Etenim privilegium potestatis, quod Petrus à Christo accepit, non privatum, sed publicum, non uni ejus personæ, sed omnibus ab eo in locum ejus designandis successoribus, collatum est.

Græcus. Propositum tibi esse hactenùs indicâsti, synodorum atque conditorum ab iisdem canonum, quoad posses, dignitati nihil derogare, neque eorum auctoritati quidquam detrahere ; at si ita, ut velle videris, pergas,

cœptoque tenori insistas, mendaces nobis adhuc hodie Chalcedonenses Patres facies; duo illi disertè canone 28 affirmârunt: primum, quod rem ipsam attinet, privilegia urbis Romanæ à Patribus initium duxisse; deinde, quod causam attinet, non aliam proferunt, quàm urbis illius imperium; non igitur institutionem Christi, non Petri meritum, auctoritatem aut voluntatem. Canonem ipsum dudùm è memoriâ deprompsi, nunc paucula in quibus vis omnis est, sed clarissima, accipe: « Etenim antiquæ Romæ throno, quòd urbs « illa imperaret, jure Patres privilegia tribue- « runt. »

Latinus. Consto mihi in proposito, neque ego, quemadmodùm multos egisse ante me video, Chalcedonensibus Patribus nescio quæ falsa aut pugnantia imputabo. Id ut præstem, privilegia patriarchica, quæ per universum Occidentem obtinent, à prærogativâ supremæ potestatis distinguo; et quanquàm hæc fons sit, ac origo, ex quâ cætera omnia privilegia scaturiunt, suos tamen habet episcopalis potestas limites ac gradus, suos patriarchica; sola suprema potestas omnem Christianum orbem, populum, ac nomen complectitur, et quanquàm ipsa non sit omnis ac sola potestas, omnem tamen, quia suprema, et supra omnes, moderatur, non perturbat. Elegans ejus rei Leo papa dedit exemplum apud Theodorum Forojuliensem episcopum, qui metropolitano, ut videtur, neglecto, instrui petierat, neganda ne pœnitentia et communio sit iis qui sunt in vitæ exitu; sic autem epistolam ad eum 91 ingreditur: « Sollicitudinis quidem tuæ is ordo « esse debuerat, ut cum metropolitano tuo « primitùs de eo quod quærendum videbatur « esse, conferres, ac si id quod ignorabat di- « lectio tua etiam ipse nesciret, instrui vos « pariter posceretis. »

Græcus. Assequor penitùs quid velis; ais nimirùm eo canone Patres de solâ patriarchicâ potestate Romani episcopi, de patriarchalibus duntaxat ejusdem privilegiis, sermonem intulisse; hæc verò tu, quemadmodùm et ipsam illam dignitatem humani tantùm juris facilè concedis, nec refers ad divinam institutionem, quemadmodùm primatum ipsum. At nonne hoc est pro voluntate sensum dare atque adimere canonibus? Canon indefinitè disserit de privilegiis, tu ea ad patriarchica coarctas, et quo id tandem jure?

Latinus. Sapienter mentem meam conjecisti, neque aliud jam mihi fecisti reliquum, quàm ut certis indiciis efficiam, nec Patres aliò respexisse, quàm ad patriarchica Romanæ urbis jura. Eo canone Chalcedonenses Patres non detulisse Constantinopolitano nisi patriarchica jura, non ita dudùm statuimus; hæc æqualia eum cum Romani pontificis privilegiis habere voluerunt; æqualia esse non poterant cum privilegio primatûs ipsius à Christo instituti; igitur æqualia duntaxat esse poterant cum juribus patriarchicis Romani; de his igitur solis eo canone locuti sunt, hæc sola à Patribus tributa sedi Romanæ, et imperii causâ dixerunt. En unum argumentum. Alterum ducamus è sententiâ judicum imperialium, quæ extat actione 16 concilii Chalcedonensis: sententiam judicum, verbis quibus concepta fuit, non multò antea recitavi, insuper et statui eo loco, primatûs nomine judices ipsam supremam vicarii Christi potestatem intellexisse; hanc verò illi non per Patres tributam, sed per canones conservari dixerunt. Quare nisi fingamus eos Patrum canoni 28, quem reipsà confirmabant, contraivisse, dicendum sanè vel ex hoc loco est, agnovisse eos, Patres de solâ patriarchicâ Romani pontificis dignitate loqui, cùm aiunt per Patres tributam.

Græcus. Præclara hæc sunt in rem tuam argumenta; at suspicor, cùm tam fidenter rem agas, neque uberiora certioraque tibi deesse, quibus denique ad liquidum perducas, nunquàm eam Patrum mentem fuisse, ut primatum Romani pontificis, auctori non divino, decretis humanis adscriptum vellent.

Latinus. Id sanè luce meridianâ fit clarius ex eorumdem Synodicâ ad papam; ibi sic alloquuntur Leonem: « Quam tu (intellige fidem) « veluti auream catenam præcepto legislatoris « deductam usque ad nos servâsti, vocis B. « Petri omnibus constitutus interpres ἣν αὐτὸς « ὥσπερ χρυσῆς σειρὰν τῷ προσταγάματι τοῦ θεμένου « καταγομένην εἰς ἡμᾶς διεφύλαξας πᾶσι τῆς τοῦ μακα- « ρίου Πετρου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος. » Et rursùs, ubi Dioscori audacissimum facinus contra Leonem commemorant, sic aiunt: « Et post « hæc omnia insuper et contra ipsum, cui « vineæ custodia à Salvatore commissa est, « extendit insaniam, id est, contra tuam quo- « que sanctitatem, et excommunicationem « meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ « unire festinas. » Conc. t. 4, p. 1775. Sic cùm de Leonis primatu locuti sint, eumque apertè ad Salvatorem retulerint, nisi eos prorsùs à mente alienos, ipsi insipientes fingamus,

contitendum denique est, in canone cùm *Romæ reginæ à Patribus privilegia tributa tradunt,* de patriarchicis duntaxat eos cogitâsse, ad hæc sola animo styloque respexisse.

Græcus. Et verò ita prorsùs, eoque tantùm sensu, à Leone quoque papâ id acceptum, mihi quidem jam extra omne est dubium; postquàm lectis ejus Epistolis, intelligo nihil Leonem huic Chalcedonensium Patrum sententiæ repugnâsse, quod sanè acerrimè facturus fuerat, si primatûs sui institutionem, quam ipse tot locis, pro certo divinitùs, tanquàm ex verâ origine ducebat, impugnari, aut ad humana Patrum decreta detrudi sensisset: « Memor sum, ait Leo Ep. 32, ad Marcianum et Faustum presbyteros, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino Jesu Christo est glorificata confessio, et cujus fides omnes hæreses destruit; » et Ep. 87 ad Africæ episcopos: « Cùm de ordinationibus sacerdotum quædam apud vos illicitè usurpata, crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit, ut pro sollicitudine quam universæ Ecclesiæ, ex divinâ institutione dependimus, » etc. Sit igitur in tuto institutio divina primatûs Romani, neque à quoquam lacessatur. At si vel patriarchica jura Romanæ etiam sedi tribuerunt Patres ob urbis imperium, nescio quam fidem merebuntur effata Nicolai, aliorumque pontificum, qui universa ad Petri meritum, ad Petri voluntatem retulêre, quorum tu jam sæpè sententias in medium produxisti.

Latinus. Leo papa, Ep. 53, ad Anatolium, dignitatem patriarchicam non Romanæ modò, verùm et Alexandrinæ, atque Antiochenæ Ecclesiæ duxisse videtur ex merito Apostolorum principis: « Nihil Alexandrinæ sedi, ejus, quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis.... Antiochena quoque Ecclesia, in quâ primùm prædicante beato Apostolo Petro christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata nunquàm se fiat inferior. » Et Epist. ad Marcianum: « Habeat, ait, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, et protegente dextrâ Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio; alia tamen ratio est rerum secularium, alia divinarum..... non dedignetur regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec ultrò speret modò (loquitur de Anatolio) quòd per aliorum possit offensiones augeri; privilegia enim Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari. » Disertiùs adhuc trium patriarchalium sedium institutionem atque ordinem D. Petro assignavit Gregorius l. 6, Ep. 37, ad Eulogium Alexandrinum, cujus verba supra dedimus. Innocentius I, Ep. 18, loquens de Antiocheno patriarchatu, et Nicænâ synodo, quæ explicuit mentem sacerdotum, et custodiendam duxit necessarium, addit: « Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentiâ hoc attributum eidem, quàm quòd prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit Religio christiana, et quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit. » Nicolaus I, in Epistolâ ad Michaelem imperatorem, ait: « Ecclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesiâ ipsâ disposita, antiquitùs observata, et à sanctis universalibus synodis celebrata, atque à cunctâ Ecclesiâ jugiter venerata, nullatenùs possunt minui, nullatenùs infringi, nullatenùs commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus...... Ista igitur privilegia huic sanctæ Ecclesiæ à Christo donata, à synodo non donata, sed solummodò celebrata, et venerationi habita.... Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profectò, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum, sed potiùs ex ejus formâ, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum. » Gelasius papa ad episcopos Dardaniæ scribens, mendacii etiam insimulat eos qui ex profano urbis Romanæ imperio primatûs apostolici causam ducunt; verba ejus sunt: « Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri et Nicomedia multis temporibus imperii sedes fuerunt, quibus cùm nihil plus juris, dignitatis et prærogativæ ecclesiasticæ eâ de causâ concessum fuerit, non immeritò mendacii arguuntur, qui dicunt prædictâ de causâ Romanam urbem ad fastigium apostolici muneris evectam esse. »

Græcus. Quorsùm verò tu hæc tanta summorum pontificum testimonia congessisti, nisi ut constantem non fuisse ipsorum sensum palam facias? Equidem si mecum ea reputem, comperio pontifices neque in assignando institutore patriarchalium sedium, juriumque, neque in ipsâ institutionis causâ statuendâ,

ex æquo concordes esse. Gregorius D. Petro Romanæ sedis et cæterarum patriarchalium provectionem assignat; Nicolaus primæ cathedræ privilegia ad Christum auctorem refert, atque ad ejus normam cæteras patriarchales Ecclesias compositas affirmat Leo; atque Innocentius à Patrum canonibus, decretis atque constitutionibus Ecclesiarum jura repetunt. Quod causam attinet, Gelasius apertè inficiatur, Romanam Ecclesiam conscendisse ad hoc fastigium causâ profani imperii, et Leo non esse eamdem ecclesiasticorum ac secularium rationem admonet. Ab utroque paululùm deflexit Innocentius; etenim quanquàm ad honorem ac meritum Petri patriarcharum sedium eminentiam referendam potiùs existimet, nec tamen penitùs abnuit, magnificentiæ, splendorisque civilis urbium rationem nonnullam fuisse habitam. Ex quo quidem apparet, in causâ assignandâ Innocentium favere aliquantùm 28 canoni, at repugnare Leonem atque Gelasium; in auctore verò constituendo, neque invicem, neque cum canone in totum concordare pontifices. Etenim cum Gregorius auctorem Petrum privilegiorum insinuet, cæteri aut Christum, aut Patres auctores fecisse videntur potiùs.

Latinus. Ut te denique hoc labyrintho educam, in quem sponte tuâ ingressus es, primùm mihi monendus es, pontifices omnes unanimi prorsùs sententiâ, primatum Romanæ Ecclesiæ ad Christi institutionem constanter retulisse, sic, ut hoc in controversiam jam venire nequeat; deinde, quod cætera patriarchalium Ecclesiarum privilegia attinet, primum ac principalem eorum institutorem, et ex vero auctorem fuisse divum Petrum; secundarios verò, ut qui scripto complexi sint jura Ecclesiarum, fuisse Patres; Petrum in delectu trium sedium, Romanæ, Alexandrinæ atque Antiochenæ, ad urbium etiam earum majestatem amplitudinemque respexisse: quare Patres, qui scriptâ institutione, hoc est, canonibus, jura sua Ecclesiis illis tribuerunt, aut veriùs confirmârunt, commodum ad tria advertisse poterant: ad Petri institutoris honorem, ad urbium majestatem, ac denique ad consuetudinem inde ab Apostolis manantem; ex quibus quidem institutio, et honor D. Petri causa principalis condendorum canonum fuerit; urbium majestas, veluti occasio remota, cùm proxima esset ipsa vetus consuetudo, cujus tuendæ atque reducendæ causâ conditum esse Nicænum sextum canonem dicturi sumus aliàs. Ita habes negotium omne compositum, et tam pontifices invicem, quàm cum Chalcedonensibus facilè in concordiam adduces; sunt etenim ex ipsis alii qui de principali causâ, primoque institutore loquantur, rursùs alii, cùm de secundâ, hoc est, scripto consignatâ institutione agant, quæ fuerit occasio remota, quæ proxima, insinuant.

Græcus. Modum quem tradidisti Patrum dicta mutuo fœdere conciliandi, atque in eamdem sententiam colligandi, ex animo complector; in eo verò adhucdùm hæreo, quo tu vade, quo duce, quibusque momentis adductus statueris, Petrum ipsum in patriarchalium sedium designatione, ad urbium splendorem, majestatemque oculos advertisse.

Latinus. Petrum, « de cujus honore, ut ait « Bonifacius, institutio universalis nascentis « Ecclesiæ sumpsit principium, » tres orbis partes, ut tum quidem divisio fuit, secutum; primùm, Occidentem universum Romæ, Orientem sive Asiam prope omnem Antiochiæ, et demùm Ægyptum, Lybiam, ac Pentapolim Alexandriæ, nobilissimis ac præcipuis earum orbis partium urbibus, tribuisse, res ipsa monet, et Græci, atque inter hos Nilus Archimandrita cognomento Doxapatrius, tractatu de quinque thronis patriarchalibus, profitentur. Ad civilem normam, sive ab initio statim, sive tractu temporis, per Patres ac synodos, ecclesiasticum quoque regimen, cæterarum quoque metropolitanarum, atque auctocephalarum Ecclesiarum compositum fuisse, satis innuit canon 6 Nicæni concilii. Is enim, prout à Paschasino in Chalcedonensi conventu refertur, sic habet: « Et in cæteris provinciis, « primatus habeant Ecclesiæ civitatum amplio- « rum. » Etverò non abs re penitùs; quanquàm enim eadem non sit prorsùs ratio divinorum atque humanorum, nullusque civilia inter ac ecclesiastica nexus, nec urbis majestas, aut decor, lege sibi vindicare possit auctoritatem ecclesiasticam; Ecclesia tamen primis præcipuè temporibus, non ex vano, sed multis omninò, gravibusque causis id institutum sequendum sibi duxit. Et cessit ex voto planè consilium, quando ex perpetuo hominum in maximas eas urbes commeatu atque confluxu, et fides vera latiùs propagata est, et gloriosiùs de erroribus ac idolis egit triumphos, debellatâ in conspectu nobilissimarum urbium impietate.

Græcus. Si in metropolitanis, auctocephalis, atque ipsis patriarchalibus thronis designandis

eum morem secuti sunt Apostoli, fortassè non temerè dicerem, ipsum quoque universalem primatum idcircò Romæ in urbe orbis dominâ à Petro collocatum esse, atque in successoribus stabilitum.

Latinus. Si divinum scrutari fas sit consilium, et ad humanam rationem expendere, facilè hìc quoque tibi assentior; favet nempe, et præit nobis in hanc mentem Valentinianus imperator, qui ex duplici planè capite supremam Romanorum pontificum potestatem repetiisse videtur, cùm inquit: « Cùm igitur « Apostolicæ sedis primatum sancti Petri me- « ritum (qui princeps est episcopalis coronæ) « et Romanæ civitatis dignitas, sacræ etiam « synodi firmavit auctoritas; ne quid præter « auctoritatem sedis istius illicitum præsumptio « attentare nitatur; tunc enim demùm Eccle- « siarum pax ubique servabitur, si rectorem « suum agnoscat universitas. » Itaque, si rectè assequor, cur ubi Romanæ præ cæteris sive Christi imperio, sive Petri decreto, summa illa atque apostolica dignitas adhæserit; cur eadem Patrum decretis firmata sit, duplicem hanc causam Valentinianus insinuat: Petri meritum et dignitatem urbis. S. Leo papa aliam quoque præterea indicat, Serm. 1 de SS. Petro et Paulo dicens: « Ut lux veritatis, « quæ in omnium gentium revelabatur salutem, « efficaciùs se ab ipso capite per totum mun- « dum corpus diffunderet: hìc conculcandæ « philosophicæ opiniones, hìc dissolvendæ erant « terrenæ sapientiæ vanitates; hìc confutandi « dæmonum cultus; hìc omnium sacrilegiorum « impietas destruenda, ubi diligentissimâ su- « perstitione habebatur collectum, quidquid « usquàm fuerat vanis erroribus institutum. » Quare Prosper, aut quisquis est auctor libri de Voc. Gent. l. 2, c. 6, rectè dixit: « Credi- « mus providentiâ Dei, Romani regni latitudi- « nem præparatam, ut nationes vocandæ ad « unitatem corporis Christi, priùs jure unius « consociarentur imperii: quamvis gratia chri- « stiana non contenta sit eosdem limites ha- « bere, quos Roma, multosque jam populos « sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos « armis suis ista non domuit, quæ sic per « apostolici sacerdotii principatum amplior fa- « cta est arce Religionis, quàm solio potestatis. »

Græcus. Nihil igitur, quod antea non habuerit ex Christi institutione, aut Petri decreto, accessit, novoque favore delatum est Romanæ Ecclesiæ, sive synodorum canonibus, sive Augustorum decretis ac constitutionibus? Hìc equidem, si ubi aliàs ægrè assentior, nec nisi invitus in tuam concedo sententiam. Etenim si ex præcellentissimâ illâ institutione omnia sacra Romanæ Ecclesiæ emanâssent privilegia, fierine poterat, ut Osius præses Sardicensis concilii, utique gnarus optimè Romanorum decorum, jus appellationum, è præcipuis prærogativis unum, Patrum veluti arbitrio relinqueret, diceretque: « Si vobis « placet, sancti Petri Apostoli memoriam ho- « noremus, ut scribatur ab his qui causam « examinârunt, Julio Romano episcopo, et si « judicaverit renovandum esse judicium, re- « novetur. »

Latinus. Honorare memoriam S. Petri non est idem, quod concedere novam legem; sed consuetudinem vetustam appellationum, inde ab Apostolis manantem, scripto etiam canone complecti. Id verò facere liberum fuisse Patribus quis neget? Quare hoc solum fuisse in arbitrio Patrum indicavit Osius, ad hoc unum peragendum, memoria D. Petri eos animabat, ipsum verò jus appellationum probè noverat, vel ex ipso vetustissimo, perpetuoque more, ad integritatem apostolici primatûs pertinere, nec in hominum esse voluntate.

Græcus. Si ex primatûs naturâ jus appellationum per se fluebat; si etiam primatus æquè ac ejus natura cognita fuit omnibus, nullique dubium, hunc à Christo descendere, quid, quæso, opus fuit, tot Augustorum decretis, edictisque ad ejus robur ac firmitatem? Cur imperatores non dicunt se *confirmare* duntaxat, sed sæpè *sancire, decernere?* atque cùm etiam confirmare se testantur, cur ad canones provocant? Imò cur ipsi pontifices maximi, cùm jura sua prosequuntur, ad canones inprimis se applicant, hos identidem oppugnatoribus suis opponunt, ex horum memoriâ observantiam sibi suisque decretis conciliant? Ad extremum, quâ fide ipse etiam Æneas Sylvius, postea Pius II, dixisse poterat, Ep. 288: « Ante « Nicænum concilium sibi quisque vivebat, et « ad Romanam Ecclesiam parvus habebatur « respectus? » Hæc sanè ut singula relinquant rem dubiam, collecta tamen, atque in unum collata, utcumque efficiunt, probabilem esse Barlaami sententiam, nec aspernandum prorsùs, cùm dixit c. 4, « Romanam sedem multis se- « culis post Petrum, sanctorum Patrum, piis- « simorumque imperatorum beneficio, primas « fuisse nactam. »

Latinus. Moderanda, non abjicienda penitùs damnandaque esset ea Barlaami sententia, si

de facto tantùm, ipsâque externâ jurium executione, non de ipso jure procederet. Etenim quanquàm ab initio statim fundatæ Ecclesiæ, eadem prorsùs, quæ hodie fuisset Romanorum pontificum auctoritas atque potestas, hinc tamen urgentibus imperatorum persecutionibus, inde gentilium, ac paganorum immani obstante numero, veluti nubibus quibusdam involuta prohibebatur, ne plenâ majestate luceque effulgeret, radiosque quaquaversùm dispergeret. Hoc est, nec aliud, quod Pius II et ipse fassus est, de cujus mente ne ullum supersit dubium, adi, quam citâsti ejusdem Epistolam; in eos planè scripta est, quos communis cum Barlaamo error implicat; initium litterarum sic habet: « Sunt nonnulli « nationis tuæ homines parùm pensis habentes, « quibus Romani pontificis auctoritas neque « necessaria esse videtur, neque à Christo in« stituta, contra quos scribere hanc Epistolam, « et tibi transmittere decrevimus. » Legeres in eâ quot apices, tot primatus à Christo profecti testimonia. Neque tamen eâ etiam primâ Ecclesiæ ætate, quàmcumque perturbata ac aspera, sic Romanorum pontificum suprema potestas delituit, ut non aliquando veluti radiis longiùs emissis se proderet, et ad imperatorum etiam, quamvis gentilium, cognitionem fama perveniret; nam, ut omittam quæ de Philippi imperatoris in Fabianum pontificem veneratione prodit Eusebius, tantam tamque singularem fuisse liquet, ut non ex vano Augustum illum complures hodieque christianum fuisse suspicentur. Aurelianus, quanquàm ex omnium sententiâ paganus, eam nihilominùs Romanorum pontificum in ecclesiasticos prælatos potestatem confessus videtur, quando de patriarchali æde subortam inter Paulum Samosatenum bis exauctoratum et successorem Domnum litem ad tribunal Romani pontificis exeuti, hujus auctoritate componi, finirique jussit, teste Eusebio, l. 7, cap. 30. At hæc tunc adhuc veluti in umbrâ agebantur: ubi verò Augustis fidei lux plena affulsit, edictis illi, decretisque suis plenum usum Romanis suorum jurium, quæ à Christo per Petrum acceperant, impeditum eatenùs, expedierunt, et veluti è latebris in publicum proluxerunt.

Græcus. Nihil tu igitur plus indulges Constantino Magno, Valentiniano, Phocæ, et Constantino Pogonato? Equidem sanctiones eorum, quas in commodum Romanæ Ecclesiæ vulgârunt, plus etiam aliquid ipsos egisse, argumento sunt. Constantinus edicto suo « privilegium Romanæ Ecclesiæ pontifici con« tulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita « hunc caput habeant, sicut judices regem; » cap. pen. d. 96, Valentinianus decrevit, « ut « omnibus pro lege sit, quidquid sanxit Apo« stolicæ sedis auctoritas. » Justinianus Novellâ 131: « Sancimus, inquit, secundùm « definitionem synodorum, sanctissimum se« nioris Romæ papam primum esse omnium « sacerdotum. » Phocas quoque imperator, teste Bedâ de Temporibus, rogante papâ Bonifacio, statuit, « Sedem Romanæ et Apostolicæ « Ecclesiæ, caput esse omnium Ecclesiarum. » Platina demùm in Vitis pontificum narrat, « Constantinum Pogonatum, Benedicti sancti« tate permotum, sanctionem emisisse, ut « quem clerus, populus, exercitus Romanus, « pontificem elegisset, eumdem statim verum « Christi vicarium esse omnes crederent. » Hæc sunt, quæ multos in eam mentem impulerunt, ut ex imperatorum beneficio, aut Patrum humanitate, Romanorum pontificum auctoritatem supremam profectam vellent.

Latinus. Cùm beneficia multa, nec vulgaria, à christianis imperatoribus in summos pontifices profecta, grati profiteamur, ne tamen supremam etiam potestatem elargiri possent iidem, prohibuit dignitatis hujus sanctitas, amplitudo atque majestas, et ipsa etiam ejusdem vetustas. Etenim tam illa vetusta est, ut seculis imperatores christianos prævertat; adeò sacra, ut profanorum hominum se dedere non possit voluntati; adeò demùm augusta, eminens, ac supra homines posita, totque ac tam insignibus privilegiis munita, ut solum immortalem Deum auctorem agnoscere possit. Etenim, ut cætera prætercam, *Petra* est, in quâ ad finem seculi perstabit Ecclesia; estne verò inter mortales rerum potens adeò, qui hoc spondere largiri, aut præstare possit? Quod igitur imperatorum beneficio adscribunt grati pontifices, est religiosa defensio ac tutela, quam præstant adversùs hostes, qui in eam insurgunt. Constantini Magni edictum nominâsse te, qui eruditionem sectaris, minimè decuit; quando edictum ejus, atque donatio, jam à vulgo ipso exploditur, et inter commenta otiosorum hominum, neque satis ad fingendum cautorum, meritò refertur; cui si tu etiam fidem præstare velis, habebis in eo luculentè à Christo instituti primatûs testimonia; pauca ejus hæc accipe: « Quantam potestatem idem « Salvator noster suo Apostolo B. Petro con-

« tulit in cœlo ac in terrâ, lucidissimè nobis « idem venerabilis pater Sylvester edixit. » Valentiniani sententiam de primatu Romano ex ejusdem litteris ad Theodosium exhibuimus jam aliàs. Justinianus quid egerit, explicat Joannes papa in litteris ad eumdem datis: « Romanæ sedis, ait is, reverentiam conser« vatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus de« ducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, « Apostolorum primum Domino loquente præ« ceptum est: *Pasce oves meas,* quam esse om« nium verè Ecclesiarum caput, et Patrum « regulæ, et principum statuta declarant, et « pietatis vestræ reverentissimi testantur affe« ctus. » Phocæ constitutione, ut quidem narrant Paulus Diac. l. 4, de gest. Longob. c. 11, et Anastasius atque Platina, nihil aliud actum est, quàm ut fastus Constantinopolitani episcopi Cyriaci deprimeretur, qui more præcessorum, in quos Pelagius atque Gregorius Magnus frustra adhuc depugnaverunt, titulos vanos *universalis*, ac *œcumenici* patriarchæ, usurpabat. Pogonatus egit quod principem christianum decuit, decessitque jure confirmandi electiones pontificum Romanorum, quod liberatâ à Gothis Româ primus eripuerat Justinianus, seu potentiâ seu pontificum indulgentiâ.

Græcus. Petram tu fidei, Ecclesiæque, Romanam cathedram à Christo constitutam, ais, sicut perennitatem suam, sic jura quoque primatûs, neque canonibus, neque imperatorum placitis debere, quanquàm utrisque magnoperè adjuvetur. Quantùm verò hæc tua, imò et mea, à nostrorum hominum abest sententiâ? qui Romanam Ecclesiam ut non inficientur primatum olim gessisse, hodie denique à multis jam inde seculis in ordinem redactam, supremi præsulatûs gloriâ excidisse volunt; quanquàm hanc grandem ejus ruinam, neque ad eadem omnes tempora, neque eidem omnes causæ assignent.

§ IX.

Latinus. Probè novi Doxapatrium, Annam Comnenam Alexiadis l. 1, et Joannem Cinnamum, ab amisso imperio, supremæ auctoritatis jacturam accersere; et tunc ex eorum sententiâ Christi vices, supremamque pastoralem curam ad Constantinopolitanum transîsse, cùm Romanorum imperium Romæ esse desiit. At quàm hos suî puderet, si hodie viverent, et neque jam Romæ ex ipsorum sententiâ, neque Constantinopoli, aut ullibi terrarum Romanum imperium cernerent. Non persequar horum opinionem pluribus, quando vanitatem ejus ipsi etiam è schismate Græci derident; neque ideò ab obedientiâ ac veneratione sui patriarchæ decedunt, quòd urbs barbaris serviat: imò primas adhuc in Ecclesiâ ei deferant, quanquàm Mahometanorum jugo fastus eorum prope oppressus sit. Age itaque, et unde alii ruinam primatûs Romani duxerint, expedi.

Græcus. Michael Anchiali, Barlaamus, et Nilus Thessalonicensis ad violatam fidem et corruptos Ecclesiæ Romanæ mores, primatûs in eâ sede dispendia revocant: « Absit, ait « Barlaamus, ut eò nos insaniæ unquàm deve« niamus, ut orthodoxum, Patrumque vestigiis « ubique inhærentem, eo, quem Patres ipsi « detulerunt, honore spoliemus. Sin papa « vester divinarum legum ac decretorum vio« lator existit, cur damnum ducitis, si nos « vobiscum unà perire nolimus? » Nilus Thessalonicensis in summâ sic ait: « Quamdiu « quidem papa ordinem servat, et cum veritate « stat, à primo et proprio principatu non re« movetur, et caput est Ecclesiæ, et summus « pontifex, et Petri reliquorumque Apostolo« rum successor, omnesque ei obedire oportet, « nihilque est, quod ipsius honori detrahat; « si verò cùm semel à veritate recesserit, ad « eam redire noluerit, damnatorum pœnis erit « obnoxius. » Neque aliter Simon Thessalonicensis, in Dialogo de rebus Ecclesiasticis, qui ita suos admonet: « Latinis, qui primatum « adstruunt, contradicere opus non est, neque « id lædit Ecclesiam. Ostendant tantummodò « ipsum in Petri fide, et illius successorum « persistere, et habeat sibi Petri omnia et pri« mus sit, et vertex, et caput omnium, et su« premus antistes; id enim de patriarchis « Romanis, qui pro tempore fuerunt, scriptum « est, et apostolicus hic thronus, et qui in eo « insidet, pontifex, rectam fidem tenens, suc« cessor dicitur Petri, nullusque rectè sen« tientium ac loquentium oppositum affirma« bit. »

Latinus. Si Græcorum omnium, qui Romanis pontificibus obedientiam denegant, ea foret sententia, laborum susceptorum esset, cur pœniteat. At divisos sicut à Latinâ Ecclesiâ, sic et ab invicem, sentiendi licentia in scopulos undique agit. Ex his, quos longissimè temeritas provexit, primatum, supremamque auctoritatem nunquàm in Ecclesiâ Romanâ fuisse audent dicere, unius nudi honoris eminentiam concedunt. Qui medio gradiuntur

tramite, honori illi quidem sociant potestatem, at quæ originem suam ex placito Patrum ac imperatorum ducat, urbisque splendori se totam debeat. Atque in hos arma hactenùs strinximus, et, si placet superis, errorem utrumque debellavimus. Nunc ad postremos hos accedamus, et Romanæ Ecclesiæ primatum, neque aliquando amissum esse, neque posse amitti ostendamus.

Græcus. Si vera sint, uti quidem verissima esse non ambigo, quæ tu de primatûs institutione in Petro et successoribus, de privilegiis, quibus hunc communiit Salvator, ubertim dixisti; in confesso est, Romanos pontifices veros Petri successores, neque in fide errâsse hactenùs, neque credendum Ecclesiæ universæ proposuisse, quod errorem sapiat. Vanissimum itaque effugium, putidumque schismati obtendi velum existimo, cùm à Romanâ sede amissum primatum ad Constantinopolitanos transferunt, ut inobedientiam suam utcumque excusent.

Latinus. Sapienter et prorsùs catholicè à te nunc dicta læto animo suscipio. At ego in iis non sistam : edici etiam mihi postulo, quæ fœda cooptaverit in mores suos Romana Ecclesia : quibus erroribus doctrina ejus scateat : tempora etiam atque annos, quibus his tantis illa malis succubuit, ad calculum revocari cupio. Equidem ante septem synodos œcumenicas peractas, Romanum pontificem primatu excidisse, nemo sanus dixerit : quando eædem ipsæ synodi luculentissima Romani primatûs indicia exhibent paginis prope singulis. Constantinopolitani I concilii Patres, se in Epistolâ ad papam, membra Damasi vocant : « Quoniam vos, nos veluti membra per Dei « amantissimi imperatoris litteras accersivi« stis. » Coram Ephesinis Patribus apostolicus legatus Arcadius Actor. 2, dixit : « Ex litteris « Cœlestini Apostolicæ sedis episcopi, vestra « beatitudo agnoscere poterit, qualem omnium « Ecclesiarum curam gerat. » Et postquàm Patres lectis litteris papæ acclamâssent : « Cœ« lestino custodi fidei, Cœlestino universa « synodus gratias agit, » reddidit vicissim grates Philippus legatus : « Gratias agimus sanctæ « synodo, quòd litteris sancti, beatique papæ « nostri vobis recitatis, sancta membra, san« ctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis « etiam vestris exclamationibus vos adjunxe« ritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, « totius fidei, vel etiam Apostolorum caput « esse beatum Apostolum Petrum. » Chalcedonenses Patres in allocutione ad Marcianum imperatorem, de Leone papâ ita aiebant : « Unde nobis impenetrabilem in omni errore « propugnatorem Deus providit, et Romanæ « Ecclesiæ papam ad victoriam præparavit, « doctrinis eum per omnia veritatis accingens, « ut quemadmodùm fervens affectu Petrus, « et hic affectu ferventiore decertans, omnem « ad Deum sensum, intelligentiamque perdu« cat. » Et in Synodicâ ad Leonem : « Sicut « nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, « sic et summitas tua filiis, quod decet, adim« pleat. » Concilii II Constantinopolitani coll. 7, refertur episcoporum ad Vigilium in colloquio quodam responsum, quod sic habet : « Si « secundum, quod scriptis placuit, inter nos « et vestram beatitudinem, et SS. Patriarchas, « et religiosissimos episcopos jubetis conveni« re, et pro tribus Capitulis disceptare, et « formam cum omnibus dare rectæ fidei con« venientem, sicut et sancti Apostoli, et « sancti Patres, et quatuor concilia fecerunt, « communi quæstione exortâ, et caput, et « patrem, et primos vos habemus. » Quare ubi dissipatis discordiis suffragio suo accessit decretis Patrum, *caput, pater, et primi subsellii sacerdos* continuò est habitus; et Græci, ne quando dubitari posset de quintæ synodi auctoritate, decretum Vigilii in Acta retulerunt continenter post definitionem synodi. Id quidem nec Photius, quanquàm acerrimus Romanæ Ecclesiæ hostis dissimulat; verba ejus sunt lib. de septem Synodis, hæc : « Ad« erat præsens in urbe, sed non intererat sy« nodo; etsi verò non adeò prono animo esset « erga sacri concilii cœtum, nihilominùs tamen « communem Patrum fidem libello confirma« vit. » Ut mirum sit, Michaelem Cerularium Photiani schismatis discipulum, ac hæredem, hoc ignorâsse, aut malignè occulere voluisse : qui quidem, ut repudiatæ per summum scelus communionis Romanæ à se amoliretur infamiam, inde à Vigilii temporibus, papæ nomen ex sacris Diptychis deletum fuisse, ausus est comminisci, datâ Epistolâ ad Petrum Antiochenum episcopum.

Græcus. Verùm Michaelis errorem, et chartophylacis ejus ignorantiam, an oscitantiam, egregiè Petrus castigavit; proferam autem ipsa Petri verba, ex ejus epistolâ ad Michaelem, quoniam non solùm, quid de Vigilii negotio Petrus sentiret, sed tempus etiam designat, ex quo Constantinopolitani patriarchæ, nomen Romani, Diptychis expun-

xerunt, quod est certum defectionis argumentum; Epistola Petri sic habet : « Sacris sanctitatis tuæ litteris continetur, famâ ad te « perlatum, me in sacra Diptycha papam retulisse, idemque præstitisse cæteros patriarchas, quæ culpa à me præter cæteros abesse « debuerat, quippe qui noverim, quòd à temporibus sextæ synodi, usque ad hanc ætatem, papæ nomen è Diptychis excisum fuerit, quoniam Vigilius synodo interesse noluit, neque damnare, quæ adversùs rectam « fidem et duodecim capita Cyrilli scripserat « Theodoretus, atque ex illo tempore præcisum esse papam à vestrâ sanctissimâ Ecclesiâ. » His ex epistolâ Michaelis, suæ insertis, supinam scriptoris ignorantiam sic refellit, sic errorem convincit : « Quæ ad Vigilium « spectant, quantam præ se ferunt religiosi « chartophylacis tui oscitantiam : licet enim « in rhetoricâ arte, ut ferunt, sit apprimè « versatus, attamen in hâc ejus adolescentiâ, « nondùm satis callet res ecclesiasticas : Vigilii « tempus refertur ad quintam, non autem ad « sextam synodum; intervallum autem duarum « synodorum est centum et viginti novem annorum : accidit autem ut ad pauxillum temporis ab ejus recitatione abstineretur, ob « dissidium ejus cum Mennâ sanctissimo patriarchâ, quem ille suspensione mulctaverat, « donec sacerdotes ad invicem in pacem redierunt. Papa autem erat sextæ synodi temporibus Agatho, vir clarissimus, et in rebus « divinis exercitatus : lege verò, quæ sextam « synodum spectant, quæ quidem solent relegi « die Dominicâ post festum Exaltationis venerabilis crucis. Etenim invenies prædictum « Agathonem à sanctâ illâ synodo summis « laudibus efferri. Præterea verò ego sum testis « omni exceptione major, plurimi quoque « mecum è gremio Ecclesiæ præstantes viri, « quòd sub beatissimo domino Joanne Antiocheno patriarchâ, Joannes ejusdem nominis « papa Romanus, in sacris Diptychis recitabatur, quin etiam ante annos quadraginta « quinque, cùm ad urbem Constantinopolim « accessissem, sub beatissimo patriarchâ domino Sergio, inveni prædictum papam, unà « cum aliis patriarchis inter divina mysteria « recitatum. Quomodò verò deinceps ejus re- « citatio præcisa fuerit, quamve ob causam, « penitùs ignoro. » Hæc Petrus Antiochenus ad Cerularium patriarcham.

Latinus. Egregia sanè epistola, dignaque, quam ex te audierim, præsulis nempe æquè docti ac catholici, cui ægrè faciebat, consortium cum Ecclesiâ Romanâ nullâ causâ abrumpi: in hoc igitur restituere Cerularium conatus, operam lusit; at quod alteri non poterat, sibi retinuit : datis etenim fidei suæ et ordinationis testibus ad Leonem IX, desiderii sui compos factus est, ut probè constat ex Leonis responsione : nolim tamen hic cuncta ejus tueri, omniumque vadem agere. Etenim Eutychio, jam sedente et terminatâ, ut videtur, synodo V, cùm continuò non accessisset Vigilius, simul in exilium actus, simul nomen ejus Diptychis exemptum est. Primum Anastasius, alterum ipsa imperatoris littera, eâ de re ad Patres exarata, quæ id imperabat, nos admonet. At verò brevissimam sicut exilii, sic alterius ignominiæ injuriam fuisse, rectè Petrus asseruit ; confirmatâ enim per Vigilium synodo, lætam omnia faciem induere, paxque reddita Ecclesiis. Agathonem à sextâ synodo celebratum ex vero asseruit : addidisse poterat, et VII synodi Patrum elogia, dicta papæ Adriano; neque minùs in rem meam commemorâsse poterat, sub Photio interruptum, at mox per S. Ignatium, et synodum octavam, instauratum obsequium erga Romanos pontifices, quod sanè commodè perduxisse potuit ad Sergii usque tempora, qui circa annum 1019 obiit; quin et ad ipsius Michaelis Cerularii infaustum regimen, qui Photianum schisma, decem ac septem patriarcharum ferè catholicorum successione, prope collapsum, magnis viribus instauravit, atque ad summum infelicitatis apicem perduxit, relegandus in exilium ab Alexio Comneno ad annum 1059, atque à suâ divellendus, qui ante Orientalem ab Occidentali Ecclesiâ, maximo bonorum luctu et nullâ causâ separavit, expuncto Romani pontificis nomine, ut rectè conclusit Petrus Antiochenus, dicens : « Quomodò verò deinceps « ejus recitatio præcisa fuerit, quamve ob « causam, penitùs ignoro; » sanè si causa schismatis fuisset aliqua, neque potuit, neque ignorari debuit à Petro Antiocheno coævo Cerularii.

Græcus. Nullâ prorsus causâ dissensionem molitum Michaelem Cerularium, cave dixeris ; luculentissima sunt, et omninò quindecim accusationis capita, quæ ille adversùs Ecclesiam Latinam congessit.

Latinus. Probè novi omnia, audeo tamen nulla dicere ; quando quæcumque ipse numerat, aut sunt ejusmodi, ut calumniis meritò accenseas ; aut nihil fœdum, nihil depravatum, nil hæreticum contineant ; aut denique

talia, quæ non cum Cerularii ætate exorta, sed multis retrò temporibus in Ecclesiâ Romanâ constanter usurpata, neque à Græcis orthodoxis, sive qui Photium antecesserunt, sive qui deinceps secuti sunt, reprehensa, aut ad primatûs pontificii abnegationem adhibita. Quare fucum facit rudibus Cerularius, et quàmcumque sceleri adeò atroci, quale schisma est, paret velum obducere, velum tantùm, et fucus est, quem multis, ac sæpè jam celebratis conciliis detraximus. Verùm, quæ nunc adhuc strictim et levissimè attigi, uberiùs tunc dicturus sum, cùm ad schismatis originem, progressus infaustos, et necessitatem communionis cum Romanâ Ecclesiâ, sermonem perduxero; quod in finem, atque ad calcem colloquii nostri servo.

Colloquium Tertium.

DE JURIBUS ROMANI PONTIFICIS.

§ I.

Græcus. Generatim adhuc in primatu Romanis pontificibus asserendo versatus es. Et quanquàm præter honorem præcipuum, potestatem etiam auctoritatemque in omnes Christi fideles primatûs nomine complexus videaris, juvabit tamen luculentiorem ejus imaginem expungere, atque oculis omnium animisque objicere. At vereor magnoperè, ne tu mihi ex papâ merum absolutissimumque monarcham ipsis etiam œcumenicis Patrum synodis superiorem, suopte ac planè personali privilegio supremum ac infallibilem controversiarum judicem, sic, ut ipse vicissim agnoscat neminem, efficias; in episcopis verò, atque ipsis adeò patriarchis delegatam tantùm potestatem constituas. quousque pontificios nonnullos processisse probè novimus. Si ubi, hìc quidem, atque inprimis moderatum te esse cuperem. Nôsti quàm difficiles sint Græcorum animi ad credendum æquè ac parendum: et longæ libertati, quin et dominationi in Ecclesias assueta Constantinopolis ægrè colla supponet jugo Romanæ Ecclesiæ.

Latinus. Ne te quidquam celem, cùm in scholis versor, mirum mihi arridet, et confidenter tueor regimen Ecclesiæ monarchicum, non quòd vim ullam, aut potestatem omnem ordinariam in uno solo conclusam sapiat, sed tamen tale, quod sicut à Christi solius pendet arbitrio, ita neque legibus cujusquam hominis, aut cœtûs humani pró voluntate limitari possit. Libenter itaque et singularum, et universæ Ecclesiæ in synodo collectæ, papam superiorem, ac caput facio, atque cum suâ etiam particulari Romanâ Ecclesiâ judicem controversiarum fidei infallibilem defendo. At enim cùm probè sciam scholasticas inter lites, atque dogmata magnoperè interesse, habebo satis, si quod nemo Catholicorum, neque tu negare velis: gaudebo si hodie ex Græco horum temporum, te vel Francum fide atque doctrinâ efficiam: et sic adhuc Romano-Catholicus in sinu complexuque Ecclesiæ futurus es.

Græcus. Ut tu nunc innuisse videris, atque ex aliis sæpè antea me audiisse memini, Franci Romano-Catholici cum Sorbonensi scholâ, propiùs aliquantùm nostris favent, et potestatem supremam papæ cum Ecclesiarum libertate utcumque componunt. Horum tu igitur mihi sententiam explicatiùs propone. Deliberatum enim mihi est, atque omni Græciæ, non plus Romanæ sedi deferre, quàm quod tutâ ac integrâ fide negari nequeat.

Latinus. Equidem hìc ego te liberalem, quàm avarum esse mallem, ut in re ad communem Ecclesiæ utilitatem magnoperè conducente, et piissima majorum potiùs exempla sequi, doctrinamque vetustam, et hodie in scholis tritissimam, quàm illam nonnullorum ex Francis, quæ initia sua non ante Pisanam synodum habuit. At quoniam ipsa sedes Romana in magnis lucris reputat, si vel catholicis Sorbonensium articulis libertatique Gallicanæ ex animo accedatis, accipe quæ ab illis universim tribuantur, atque à Catholico quovis tribui oporteat. Igitur illi Romanum pontificem Christi vicarium, D. Petri successorem, summum, verum, proprium atque visibile caput constituunt, centrum unitatis, vinculum catholicæ communionis et originem, sic ut nulli fas ducant, à legitimo Romano pontifice quovis colore quæsito secessionem facere, et ab omnibus ejus decretis reverentia præstanda sit, dùm universæ Ecclesiæ ultimum ac definitivum interveniat judicium.

Græcus. Ex hâc Sorbonensium doctrinâ, quam compendio tradidisti subtili sanè atque acutâ, plura mihi consequi videntur: ac primùm, si rectè habeo, quanquàm illi Romanum pontificem singulis episcopis atque Ecclesiis præponant, submittunt tamen etiam judicio universæ Ecclesiæ, sicque monarchicam papæ potestatem utcumque aristocratiâ temperant. Deinde quanquàm etiam eidem infallibilitatem

propriam, atque, ut sic dicam, individualem non attribuant, cavent tamen etiam hæresibus ac schismati; et quanquàm dent Ecclesiæ reclamandi facultatem, tamen etiam observantiam atque obedientiam pontificiis decretis, legibus ac definitionibus sartam tectamque utcumque tuentur. At ne mihi perpetuò illationibus utendum sit, age, et jura, in quibus illi primatum Romanum constituant, paucis, sed luculentè expedi.

Latinus. Ad quinque, nisi fallor, capita promptè omnia reduces, quæ illi omnesque Catholici papæ attribuunt. Ex his ordine primum est jus cogendi, ac moderandi synodos. Alterum ad legislativam ejus potestatem pertinet. Tertium judicis munus complectitur. Quartum jus revisionis est, atque è nostrâ sententiâ appellationum quoque. Postremum est ipsa communionis necessitas cum Romanâ cathedrâ; hoc verò in alium locum tempusque dilato, jura cætera primatûs Romani exequemur.

Græcus. Si lubet, decurramus cuncta suo ordine: tuum erit, exemplis singula stabilire; meum, si quid in adversum occurrat, apertè proferre. Aggredere jus cogendi ac præsidendi synodis, et quis quam coegerit, quis præsederit, dic è tuâ sententiâ. Non erit sermo longus, quando septem tantùm œcumenicas nos Græci adstruimus.

§ II.

Latinus. Ne in alia deflectam, nolo hìc tecum inire pugnam de synodorum numero. Ex septem œcumenicis, quas admittis, Nicænam I, imperante Constantino ad annum 325, in causâ Arii convocâsse aio Sylvestrum papam, quem etiam per Osium Cordubensem, Vitum et Vincentium presbyteros præsedisse disertè testatur Gelasius Cyzicenus lib. 2 Hist. concilii Nicæni c. 5, et Cedrenus vester.

Græcus. An legisti aliquando Launoium Sorbonensem doctorem? catervam ille historicorum adversùs te producit, qui convocationem Nicæni omnes Constantino asserunt. Euseb. lib. 3, c. 6; Socr. l. 1, c. 5; Theodoret. l. 1, c. 7; Sozomenum lib. 1, c. 16; Rufinum l. 10, c. 1, à quibus nulla fit Sylvestri memoria; et ne tu id à Constantino ex consensu Sylvestri coactum, ut vobis est solemne, dicas, adde his, si lubet, ipsam synodicam Nicæni concilii epistolam ad Ecclesiam Alexandrinam, quam descripsit Theodoretus l. 1, c. 11. Quod Osium attinet, præsidem præfuisse dabo, at quid vetat cum Launoio dicere, id munus ipsi, non mandato pontificis, sed præstantiâ sapientiæ ac meritorum contigisse.

Latinus. Quos adduxisti scriptores, nil me terrent, quando eorum nemo unus negat, et Rufinus disertè affirmat, Constantinum ex sententiâ sacerdotum concilium indixisse. Quod quidem Rufini testimonium frustra Launoius ad unum Alexandrinum patriarcham restrinxit: quanquàm enim ex Epiphanio hæresi 68, satis constet, Alexandri Alexandriæ episcopi studio et hortatu à Constantino Nicææ congregatos esse Patres, nemo tamen exclusit Sylvestrum; et Damasus in Pontificali apertè ait, ejus planè consensu Nicænam synodum coaluisse. Cui et sexta synodus generalis, act. 8, suffragatur, dicens: « Arius divisor « Trinitatis insurgebat, et continuò Constan« tinus semper Augustus, et Sylvester lauda« bilis magnam et insignem synodum in Nicæâ « congregabant. » Communi itaque studio pontificis ac imperatoris coaluit synodus, nisi plus referas Launoio, quàm synodo. Osium mediocris in Hispaniâ Ecclesiæ episcopum, cæterosque presbyteros alio quocumque nomine præsedisse, quàm Romani pontificis, merum commentum esse facilè cognosces, si tu primùm advertas in conciliis non tam celebritatem nominis, quàm hierarchicum ordinem observatum, et cogites conspicuos præ Osio multos Nicæno eidem adfuisse.

Græcus. Memini adfuisse Eustathium patriarcham Antiochenum, Alexandrum Alexandrinum, de Ecclesiâ, in causâ quæ tum agebatur, meritissimum, S. Nicolaum Myræ in Liciâ episcopum, Jacobum Nisibis in Mesopotamiâ, quem Theodoretus, l. 1, c. 7, suscitâsse mortuos, aliaque stupenda edidisse memorat. Omitto cæteros prophetiæ dono clarissimos, atque alios toleratis pro Christo tormentis insignes, qui magno numero illi cœtui astiterunt. Quare nec mihi Launoii sententia placuit, cùm se ille ad celebritatem nominis Osiani reduxit. Sit igitur ut volebas, de Nicæno. At certò Constantinopolitanum I nec convocavit Damasus, neque per legatos moderatus est.

Latinus. Constantinopolitanum I Theodosio seniore imperante, et Damaso papâ, anno 381 celebratum adversùs Macedonium, alii è nostris convocatione nationale fuisse tradunt, proinde dent facilè pontificem id non convocâsse, aut præsedisse per legatos, sed Nectarium Constantinopoleos episcopum. Verùm

rectiùs alii, propiùsque veritati, à Damaso convocatos Romam aiunt universos, sed Orientales Constantinopoli substitisse, et moram suam ibi excusâsse, tum ex angustiis temporis præstituti, tum et ex Orientalium Ecclesiarum discrimine, quo non leviter laborabant. Ita ex Romanâ simul ac Constantinopolitanâ unam œcumenicam evasisse, animis nempe ac sententiis Occiduorum, Orientaliumque Patrum in idem conspirantibus. Verùm ut ut id sit, tantùm abest, ut ejus synodi factum papæ juribus quidquam detrimenti afferat, ut hinc eadem etiam magnoperè confirmari existimem. Si tibi est otium, lege Synodicam Patrum ad Damasum; refert eam Theodoretus l. 5, c. 9; apertissimè testatur affirmatque pontifici jus cogendi concilia: « Mandato, aiunt, litterarum superiore anno à vestrâ reverentiâ ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus. » Damasi quoque litteras ad idem concilium datas inspice: ex utrisque cognosces facilè, indixisse quidem Theodosium, at Damasi potiùs quàm suis auspiciis synodum. Quare verissimè dictum à Patribus sextæ synodi in Prosphonetico ad imperatorem Act. 18: « Theodosius et Damasus per secundam synodum obstiterunt Macedonio, sicut Sylvester et Constantinus, congregato Nicæno concilio, Ario obstiterant. »

Græcus. Ephesinum I, ordine III, condixisse Juniorem Theodosium ad annum 431, adversùs Nestorii Constantinopolitani insaniam, auctor est Evagrius, l. 1, c. 2.

Latinus. At etiam coaluisse idem Cyrilli industriâ, ac Cœlestini auctoritate, Prosperi Chronicon notat; cujus etiam vice præfuisse Cyrillum ex Evagrio, Liberato, ac Photio, tum et ipsâ Cœlestini ad Cyrillum epistolâ manifestum est. Neque de legatione Cyrillo injunctâ apud Græcos dubitatum est, ut id etiam summo semper honori ac gloriæ verterint, ideòque Cyrillum orbis universi judicem appellatum testatur Nicephorus l. 14, c. 34, ut nihil dicam de accepto Româ phrygio, quo deinceps in sacris solemnibus per omnem vitam usum ferunt. Cyrillo in legatione socii postea additi sunt Arcadius et Projectus episcopi cum Philippo presbytero.

Græcus. Chalcedonense I, ordine IV, jussu Marciani imperatoris piissimi convenisse ad annum 451, auctor est ipse Leo papa Ep. 43; Photius l, de septem Synodis, Anatolium Constantinopoleos patriarcham etiam præsidem facit; quanquàm neque possim, neque negare velim Paschasinum præcipuum Leonis legatum, præsidem quoque fuisse; id enim nimis quàm apertè monet ipsa ejus subscriptio: « Paschasinus vice beatissimi, ac apostolicæ universalis Ecclesiæ papæ, sanctæ synodo præsidens subscripsi. »

Latinus. Leonis papæ legatos summo jure ac prærogativâ subsellii æquè ac suffragii præfuisse congregatis Patribus, sic ut totius concilii προέδραν haberent ex actione etiam tertiâ in manifesto est. Etenim cùm facinora Dioscori in examen vocata essent, præsidii nomine cognitionem eorum sibi cum primis deberi dixerunt: « Nostram parvitatem huic sancto concilio pro se præsidere præcepit (Leo), ideòque necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. » At quod denique rem omnem extra controversiam collocat, sunt ipsa Patrum verba: sic illi in Synodicâ ad Leonem fatentur: « Tu episcopis judicibus sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant locum; imperatores verò ad ordinandum decentissimè præsidebant. » De Anatolio præside quanquàm nulla hìc mentio fiat, dabo tamen id Photio, Cedreno, Zonaræ et Nilo Rhodiensi, ut neque hunc ex præsidum numero penitùs excludam, quando et alios patriarchas Photius eodem titulo ac nomine honoravit. Nempe triplici sensu in præsidum nomen usurpatum invenio. Primi ordinis erant, qui Romani pontificis nomine præsidebant; etenim ii soli, ut caput membris, præerant. Alio rursùs sensu imperatores, alio patriarchæ: hi nempe ut summi in episcoporum ordine judices; illi ceu Ecclesiæ defensores, quibusque incumberet tueri judiciorum ordinem, vim omnem arcere, avertere turbas, aut subortas suâ majestate componere. Sic tantùm cùm Chalcedonensi præsedisset imperator, neque auctoritate suâ convocâsse ex omni orbe Patres putandus est. Etverò docet id Marciani ipsius littera præfixa concilio. Ea ipse indicturus concilium, rogat pontificem adesse ne gravaretur, aut, si id nollet, per litteras doceret quidquid agendum videretur, ac demùm sic concludit: « Ut ad quemdam destinatum locum, ubi vobis placuerit, omnes sanctissimi episcopi debeant convenire, et quæ christianæ Religioni, et catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua, secundùm ecclesiasticas regulas definivit, suâ

« dispositione declaret. » Quare jure optimo secundæ Mœsiæ episcopi in epistolâ ad Augustum dixêre : « In Chalcedonensium civitate « multi sancti episcopi convenerunt per jus- « sionem Leonis Romani pontificis, qui verè « caput est episcoporum. » Nec à vero aberrâsse Gelasium ad episcopos Dardaniæ scribentem, « solam Apostolicam sedem suâ auctoritate « effecisse, ut synodus Chalcedonensis fieret, » dabit facilè, quisquis summa Leonis papæ studia, conatusque expenderit; quos, quàm asperè repulit, frustratusque Theodosius Junior fuerat, tam clementer admisit, promovitque Marcianus piissimus imperator.

Græcus. At concilium Constantinopolitanum II, ordine V, non à P. Vigilio, sed imperatore Justiniano in causâ trium Capitulorum indictum ad annum 553, non sub alterius, quàm Eutychii patriarchæ Constantinopolitani præsidio decursum fuisse, nisi longum ac supervacaneum esset, manifestis testimoniis docere possem.

Latinus. Parce tempori : equidem si tu omnia quæ antecessêre, quæque consecuta sunt eam synodum, libero animo inspicias, fatendum sanè erit, hìc etiam præcipuas in convocatione æquè ac decursu V synodi partes fuisse Vigilii R. P. De quo si ambigas, absolvent te dubio omni Patres sextæ synodi, qui in Prosphonetico ad imperatorem Constantinum aiunt : « Vigilius et Justinianus quintæ « synodi conventum celebrant, vel ut vulgata « habet lectio : Vigilius post hæc Justiniano « piissimo consonuit, et quintum concilium « constitutum est. » An tu id negabis?

Græcus. Equidem negare vereor; at neque hæc Patrum dicta satis concilio cum iis quæ sacri historici narrant de Vigilio. Ac initio quidem infectum fuisse Vigilium Eutychianâ labe mihi certum est. Deinde ubi causa trium Capitulorum agitari cœpta est, acrem eorum defensorem extitisse adversùs imperatorem Justinianum, graves propterea calamitates perpessum, quòd edicto Justinianæo adversùs præfata capitula nollet accedere. Etenim evenit, ut Constantinopoli in ecclesiâ vis ei manusque admotæ sint, necessumque habuerit Chalcedonem se fugâ eripere. Nec felicior fuit à terminatâ synodo; etenim cùm ad eam assensu suo tergiversaretur accedere, mandato irati imperatoris in Proconesum exul deportari jussus est; quin et è tabulis ecclesiasticis nomen papæ erasum. Quæ cùm ita sint, nescio, quâ fide dici possit à quoquam, studio Vigilii, aut de ejus consensu convenisse synodum, papæque Romani auctoritatem, et præcipuas in eâ partes fuisse.

Latinus. Vigilium quod attinet, tria tempora in eo aptè distinxisti : atque ut omnia ejus gesta in plano sint, primùm non diffiteor eumdem malis artibus, dejecto Sylverio papâ, ad pontificatum evasisse; atque ad hujus legitimi papæ usque decessum, sive ex animo, sive fictè Eutychianis favisse. Sed enim decedente ex humanis Sylverio, postquàm certus jam pontifex erat, è vestigio animum larvamque posuit, divinoque Spiritu sedem Petri gubernante, quæcumque antea adversùs sanctam fidem Chalcedone stabilitam ad Theodoram impiè exaraverat solemni fidei testimonio delevit, litteris datis ad Justinianum. Romæ adhuc erat Vigilius, cùm, ut Pagio videtur, ad annum 544, Justinianus primum emisit edictum adversùs tria Capitula, hoc est, adversùs Theodorum Mopsuestenum, ejusque scripta, adversùs Theodoreti Cyrensis libros contra duodecim S. Cyrilli Capitula, seu Anathematismos, et denique adversùs Ibæ Edesseni ad Marium Persam epistolam. Et ex Orientalibus quidem multos perpulerat, sive metus exauctorationis, sive reverentia majestatis ad subscribendum edicto. Mennas tamen Constantinopolitanus eâ tantùm conditione subscripsit, ut reciperet chirographum, si hæc Romanus episcopus non probâsset. Quanta hæc fuit observantia in Romanam sedem, quam tu impugnas! Quod Vigilium attinet, Romæ in libertate constitutus, edicto tum ipse, tum reliquus Occidens subscribere renuit. Imperator ergo, ut in suam sententiam pertraheret Vigilium, Constantinopolim accivit. Iter id periculi plenum papa propè invitus suscepit, lentèque peregit, ferè malorum præsagus. Et verò in quamcumque se partem daret, plenam periculi aleam subibat; cùm hinc universus Occidens pro Chalcedonensis synodi auctoritate depugnaret, eâque integrâ ac salvâ, damnari Capitula haud posse existimaret; inde verò imperator cum multis ex Oriente, quos jam in sententiam pertraxerat, damnationem Capitulorum urgeret.

Græcus. Nunquàm satis in cognitionem pervenire potui, unde id demùm factum sit, ut Vigilius, multique tam Orientalium, quàm Occidentalium Patrum, ex Capitulorum trium damnatione, periculum fieri Chalcedonensi synodo suspicari potuerint. Equidem Theodori Mopsuesteni neque persona, neque scripta,

nec causa expensa, judicatave, minùs probata aut reprobata fuit Chalcedone. Theodoretus susceptus quidem, at non antequàm dixisset Nestorio anathema, quo sanè sua quoque adversùs Cyrillum scripta pro Nestorio sententiâ eâdem confixit. Nisi Ibas sit causa tot morarum ac motuum, nescio quid aliud.

Latinus. Qui damnatione Justinianæâ trium Capitulorum grave vulnus infligi reverentiæ et auctoritati Chalcedonensis synodi opinabantur, et ipse existimo præcipuè ad Ibam Edessenum respexisse. Noverant quippe, relectâ ejus ad Marium Persam epistolâ, act. 10, orthodoxum voce conciliis proclamatum. Quin et Maximi Antiocheni dictum : *Orthodoxa est ejus* (Ibæ) *declarata dictatio*, multorum obversabatur animis, quanquàm immeritò, quando in Ibæ personam, quam orthodoxam dixit IV synodus, nil severius à V decretum est. Et ea, de epistolâ Ibæ, Maximi sententia, concilii non fuerat. Peregrinum ad hæc atque insolens videbatur, si Theodorum Mopsuestenum jam vitâ functum, cui vivo parcitum fuisset, in judicium revocarent, et non opuscula modò, sed et hominem ipsum condemnarent. Suborta quoque est nonnullis suspicio, ne his fortè machinis, veluti ex occulto Eutychiana hæresis rursùm erigeretur : neque erant pauci, ad quos scripta dictaque Theodori, Theodoreti, Ibæque minimè pervenerunt. Omnibus verò, sed inprimis Vigilio papæ magnoperè displicebat, quòd Augustus potestatis limites egressus, sacris seculares manus immisceret, jura Apostolicæ sedis sibi arroganter invasisse videretur. At hæc nec placebat retractari, aut rursùm disceptationi committere, quæ à synodo Chalcedonensi tractata, aut utcumque judicata fuissent. Inde factum, ut Mennam patriarcham Constantinopolitanum, qui edicto condemnatorio subscripserat, atque alios etiam ad subscribendum impulerat, reprehenderit, et urbem ingressus anno 547, à communione suspenderit, neque ipse vi ullâ adigi potuerit ad subscribendum. Et hactenùs quidem summo strictissimoque jure egerat, et ad omnem, ut videbatur, rigorem canonum. Dein cùm temperamento ac remissioni locum dare placuit, ob unitatis pacisque bonum, consensit, ut anno 548 episcoporum septuaginta conventus fieret, quorum suffragiis ad se in scripto delatis, ipse demùm judicatum emisit ad Mennam, quo tria Capitula damnabat, adjectâ clausulâ : *Salvâ in omnibus reverentiâ synodi Chalcedonensis*. Ita mediam ingressus viam, ut Orienti Occidentem conciliaret, ab utrisque offensionem iniit. In Occidente namque famâ omnia in pejus majusque efferente, ob judicatum deplorabatur synodi Chalcedonensis auctoritas, quasi per Vigilium prodita ac depressa, gravesque inde tumultus ac schismata extitêre. Oriens contra clausulam removeri optabat, ipsamque adeò personam Theodori Mopsuesteni condemnari. Tot tumultuum fons imperator, ut remedium faceret, tentavit synodum cogere ex omni orbe, hortante inprimis Vigilio. Verùm cùm detrectantibus obsequium Illyricianis atque Africanis episcopis, concilium non processisset, ad edicta rursùs animum applicuit, quibus pontifex cùm acerrimè totisque viribus obniteretur, et præbentes consensum, ac Mennam inprimis patriarcham communione suspendisset, acerba multa, sedisque suæ sanctitate indigna pertulit : sic, ut neque inter sacra adyta basilicæ Petri in Hormisdâ, tutus à vi atque injuriâ esset.

Græcus. Incidêre hæc luctuosa, parumque nostris decora in annum 552. Et Mennas quidem cæterique episcopi eluisse eas injurias deprecatione humili videri possunt. At edic etiam, quis hanc Vigilii constantiam eventus secutus sit?

Latinus. Nempe ut refixis edictis, imperator discussionem trium Capitulorum integram synodo futuræ relinqui consenserit. Hic fuit fructus tot certaminum. Etenim mortuo Mennâ, Eutychius, qui successit, oblato fidei libello petivit à Vigilio, ut communi tractatu finis denique controversiæ optatus imponeretur, et respondit pontifex : « Annuimus, ut « de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata « est, facto regulari conventu, servatâ æqui« tate, mediis sacrosanctis Evangeliis, colla« tionem cum unitis fratribus habeamus, et « finis placitus Deo, et conveniens his quæ « sanctis quatuor sunt definita synodis, de« tur. »

Græcus. At fidem datam non præstitit, nec dictis facta responderunt. Etenim nescio quo metu aut suspicione adesse per se noluit, satiusque duxit sententiam suam ad principem in scripto transmittere. Ea venit *Constituti* nomine, quod integrum recitat Baronius. In hoc denique disputationem de tribus Capitulis aggreditur, et Theodori 60 sententias, ut ad se missæ sunt, damnat; personam tamen ac nomen damnari haud posse, multis argumentis contendit; Theodoreti scripta speciali damna-

tione non egere, postquàm ipse palam synodo, Nestorio anathema dixerit, quod unum Patres Chalcedone ab eo poposcerunt. Denique nec Ibæ epistolam, veluti ejus partum proprium, damnandam censet, quando is et negavit id suum opus, et Leonis P. litteris, et decretis ejus synodi subscripsit, cujus synodi incolumitatem ac reverentiam tueri sibi semper fuisse propositum, ex Judicato ad Mennam à se transmisso, comprobat. At neglectim id Patres congregati habuêre; et Theodori etiam personam, et Theodoreti scripta, et Epistolam, quæ dicitur ad Marium Persam, anathemate ferierunt, cunctosque defensores Capitulorum. Quare factum opinor, ut papa obstinato animo assensum præbere decretis concilii repugnaverit, exilio tantùm emolliendus.

Latinus. Causam germanam cur adesse synodo nollet, explicuit in Constituto Vigilius; ea erat, quòd imperator pacta conventa non observâsset; neque exæquato Latinorum episcoporum cum Græcis numero, ut conventum fuerat, utque pacis negotium poscebat, synodus agebatur. Quare imperatoris vitio, non pontificis inconstantiâ factum, ut devictam fidem non teneret. In Constituto ipso nil prorsùs peccati est, quando pressè et ad apicem Chalcedonensi concilio insistendum putavit, instititque. Constituti rationem non habuisse Patres synodi V mirari nil opus est; quam enim ejus rationem habere poterant, cujus ne apicem, supprimente Augusto, legissent? Exilium quod attinet, non desunt docti ac graves, qui in dubium revocent; ex his Norisius cardinalis, atque Alexander Natalis præcipui. Id utut sit, non continuò assensum præbuisse Patribus Vigilium fateor, at non quòd in eorum decretis quidquam improbandum sibi duceret, sed quo schismatum periculis, aversis adhuc Occidentalium animis, eâ cunctatione occurreret, quòdque conventum eum Patrum synodi nomine haud dignaretur. Ita nempe, ut rem in pauca capita contraham, tu ex omnibus neque errorem adversùs fidem aliquem in Vigilio deteges, neque ex inconstantiâ qualicumque levitatem meritò argues, nec demùm contempta pontificis decreta à synodo ipsâ ostendes: quæ potissima sunt adversùs majestatem Romanorum pontificum ex hâc V synodo argumenta. Quin contra potiùs, si collationem 7 inspexeris, in eo licet imperatoris cum pontifice dissidio, invenies hoc uno veluti validissimo argumento usum Augustum, ut ad properandam Capitulorum damnationem synodicam Patres adduceret; quod idem jam præstitum esset à Vigilio: equidem in hunc finem, hoc consilio, neque alio, varia monumenta Vigilii ab imperatore producta sunt, et Constitutum retentum.

Græcus. Sint ita prorsùs omnia, ut narrâsti, nec sequantur ea incommoda, quæ novatores inde in pontificiam sedem ducunt. At certè ex his ipsis in aperto est Vigilium, neque coegisse V synodum, neque ab initio eidem, decretisque acquievisse, neque per se, aut legatos præfuisse.

Latinus. Ex iis quæ adhuc statuimus, per se fluit, magnis studiis incubuisse pontificem in id, ut synodus œcumenica cogeretur; hinc etiam Eutychio roganti annutum præbuisse, testis est ipsa etiam Justiniani Epistola ad congregatos Patres coll. 1. Indicta est itaque planè de consensu et voluntate Vigilii. Verùm cùm eadem non iisdem, quibus institutum fuerat, pactis coaluisset, non præsedit, neque suo suffragio, nisi seriùs ad eam accessit. Quid verò tu hinc elicis? Ego sanè nil aliud, quàm convocatione œcumenicam fuisse, at non re atque decursu: neque talem antea evasisse, quàm decreto Vigilii stabilita fuit. Cæterùm, ut neque id dissimulem, et eâ quæ collatione 7, producta sunt, et quæ Patres ipsi allegant, collatione 8 manifesto sunt indicio Vigilium Patribus, quamvis absentem corpore, facem prætulisse, Patresque summum decreti sui in eo momentum collocâsse, quòd Vigilius in Urbe degens omnibus interfuisset, quæ de tribus Capitulis annotata sunt, quòdque eâdem voce, ac in scripto sæpè condemnâsset. Neque aliud dant vitio, quàm quòd interesse noluisset, quanquàm illustri legatione invitatus. Quare meritò quis dicat, per litteras Vigilium præsedisse. At utcumque sit de facto, de jure certo nemo sanus ambigit, si in animum induceret, potuisse Vigilium eidem synodo præsidere. Etenim hoc conceptis verbis Eutychii atque aliorum episcoporum litteræ ad Vigilium et continebant, et orabant: « Et ideò petimus « præsidente nobis vestrâ beatitudine, sub « tranquillitate et sacerdotali mansuetudine « propositis sanctis Evangeliis, communi tra- « ctatu eadem Capitula in medio proponenda « quæri, et conferri, et finem quæstioni imponi « *Deo* placitum, et convenientem his quæ à « sanctis quatuor conciliis definita sunt. » Quibus Vigilius respondit: « Poposcit vestra « fraternitas, ut nobis præsidentibus de tribus « Capitulis, » collat. 2.

Græcus. Concilium Constantinopolitanum III, sextum œcumenicum, adversùs Monothelitas coactum à Constantino Pogonato ad annum 680, eumdem etiam præsidem habuit. Sanè à primâ actione ad undecimam usque Augustum præsedisse Acta ipsa loquuntur: « Præsidente piissimo, et Christo amabilissimo « magno imperatore Constantino. » Et confirmat Leo II, in epistolâ ad eumdem Constantinum. In Nicæni II, quod coaluit adversùs Iconoclastas ad annum 785, fuitque ordine ultimum, præside constituendo, discordes sumus; Photius et post illum alii è Græcis, Tarasio patriarchæ Constantinopolitano id vindicant præ vicariis Apostolicis: at is honor actione 8, manifestè imperatrici Irene, ejusque filio Constantino defertur.

Latinus. Postquàm imperatores cum Romanis pontificibus commisisti, quid reliquum erat, quàm ut etiam jus idem convocandi ac præsidendi synodis, ad mulieres quoque, et principem in matris tutelâ positum, ipsosque adeò Constantinopolitanos patriarchas deferres, colore undecumque quæsito? Verùm quàm illa quæ adduxisti, sint levia, quàm rebus nostris auctoritatique pontificiæ nihil detrahant, subinde disces; nunc accipe veros præsides. Igitur qui Agathonis pontificis nomine sextam synodum moderati sunt, fuêre Theodorus et Georgius presbyteri, ac Joannes diaconus. Nicæno II, sive œcumenico VII, Adrianus I, per vicarios Petrum archipresbyterum et Petrum S. Sabbæ abbatem præfuit; nusquàm imperator, nusquàm alius. Et verò quantùm sibi piissimus Constantinus tribueret in concilio, satis ejus verba produnt, quæ Grægorius II suæ ad Leonem Isaurum epistolæ inseruit; verba imperatoris Constantini erant: « Neque « cum illis (synodi Patribus) tanquàm impe- « rator sedebo, sed tanquàm unus ex illis, et « prout statuerint pontifices, exequar. » Irenem suis imperiis, ductuque concilium non temperâsse, satis vel Apostolus evincit, qui mulieri ne loqui quidem in templo integrum vult esse. Et quâ tandem ratione in matris potestate constitutus princeps id præstitisse poterat? aliud equidem verba utriusque principis in Divali ad Adrianum P. insinuant: aliud ipsa Adriani ad Augustos responsio. Et verò quis plus auctoritatis tribuat infirmo ac tenello principi, quàm ipse sibi Constantinus Magnus tribuerit? Is verò Patres in Prosphonetico deprecatus legitur in hunc modum: « Suscipiat ergo me « sincerissimum sanctitatis vestræ concilium, « nec mihi sanctissimam Ecclesiam, et com- « munis omnium nostrûm, castæque matris « portas opponere sustineatis. »

Græcus. Age ut lubet, et versa te in quamcumque partem, at certum est, fatentibus conciliis ipsis, imperatores convocâsse synodos; imperatores præsedisse. Hoc Nilus Thessalonicensis, hoc Macarius Ancyranus egregiè ante me demonstrârunt, hoc Patres, et acta conciliorum loquuntur. Synodus generalis VI, act. 18, de convocatione per imperatores semper factâ, dubium tibi omne absterget. Unde rectè Hier. l. 2 Apologiæ contra Rufinum disputans de concilio quodam ait: « Dic quis imperator « jussit hanc synodum convocari. » Et profectò si id juris ad imperatores non pertinuisset, neque à pontificibus eos rogari, quod sæpè factum est, sed reprehendi oportebat, cùm convocarent.

Latinus. Neque ego adhuc me negâsse memini, imperatores convocâsse concilia; vindicabam duntaxat id jus Romanis pontificibus contra Nilum et Macarium, qui id juris solis, aut certè potiùs imperatoribus tribuendum putârunt. Itaque cogebant imperatores synodos, neque injuriâ, quin et laude suâ maximâ, ut rogari meritò à pontificibus, non reprehendi potuerint. At quâ demum ratione, hoc est, an auctoritativè, et ut Ecclesiæ capita, supremique judices, arbitri ac diribitores sacrorum fidei dogmatum, id præstiterint; an humiliore quodam modo, et more administri manu omnia exequentis, ut quidem defensoribus Ecclesiæ convenit? id verò ex ipsis imperatoribus necesse est discamus. Constantinus Magnus, nil sibi præter ministri officium in convocando tribuit: audiatur ejus sermo, quem ad synodum de pace habuit: « Postquàm de vestro discessu « præter omnem spem audivi, non posthaben- « dum duxi, quod relatum est; sed rogatus « huic etiam rei adhiberi remedium per mini- « sterium meum, omnes absque morâ accer- « sivi. » Theodosius ac Valentinianus quàm nihil sibi juris in synodis, et præcipuo earum negotio, quod est causas dirimere, arrogarent, monet eorum sacra ad synodum Ephesinam per Candidianum comitem imperialem vicarium delata: « Candidianum præclarissimum reli- « giosorum domesticorum comitem ad sacram « nostram synodum abire jussimus, sed eâ lege « ac conditione, ut cum quæstionibus et con- « troversiis quæ circa fidei dogmata incidunt, « nil quidquam commune habeat; nefas est « enim qui sanctissimorum episcoporum cata-

« logo adscriptus non est, illum ecclesiastici « negotiis et consultationibus sese immiscere. » Quod ne tu mihi ad profanos, à splendore imperiali alienos circumscribas, lege Sozomenum l. 6, c. 7; refert is responsum quod Valentinianus urgentibus Orientis pontificibus convocationem synodi pro instaurandâ fide consubstantialitatis, edidit præclarum. Dignum est, quod exscribam; aiebat: « Sibi, qui unus è « laicorum numero erat, non licere se ejus- « modi negotiis interponere; et ideò sacerdo- « tes, quibus hæc curæ sunt, seorsùm per se « ubicumque ipsis lubitum fuerit, in unum « conveniant. »

GRÆCUS. Effata quidem imperatorum nihil admodùm sacra ab iis auctoritate potestateque in synodis gestum utcumque ostendunt: at facta ipsa supremam potestatem etiam in divinis sapiunt. Sanè Constantinus in Nicænâ ipse disquisitionem veritatis suscepit, vocem ὁμοούσιον exposuit, discordes sententias conciliavit, formulas rejecit alias, alias comprobavit. Theodosius et Valentinianus Ephesinos Patres deserere formam disceptationis præscriptam vetuère. In Chalcedonensi ad occurrendum hæreticorum fraudibus, perfecerunt constantiâ suâ judices, ut definitioni adderentur mutuata ex Leonis epistolâ: *Inconfusè, inconvertibiliter, indivisibiliter, inseparabiliter.* Denique Constantinus *placitis synodi, suo suffragio auctoritatem addidit.* Theodosius, quæ acta essent in Constantinopolitanâ primâ, suo suffragio comprobavit. Theodosius Junior in Ephesinâ, in Nestorium constituta roboravit, infirmavit acta pro Nestorio. Marcianus « sacro suo edicto venerabilem Chalce- « donensem synodum confirmavit. » At irritare synodos, confirmare, formulas admittere, præscribere, dubia explicare, manifestè auctoritatem supremam in ecclesiasticis sacrisque sapiunt; et nisi hoc sit auctoritate agere, nescio unde comprobaturus sis denique vel papam summo jure synodos aliquando moderatum esse.

LATINUS. Hæc et quæcumque tu alia ab imperatoribus usurpata unquàm produxeris, non aliter, quàm à me dictum, gesta esse, hinc documentum cape, quòd potestas illorum, quàmcumque ampla, profana tantùm complectatur; nec in sacris possint aliud, quàm ut horum incolumitatem veluti brachio validissimo sustentent duntaxat, non gubernent; quando hoc solis episcopis datum est, Act. 20: *Attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quare suggerere illi, ut sapientes, multa poterant opportunè Patribus; poterant discordes istorum animos, sententiasque, sive majestate componere: poterant, ut sagaces ac providi, hæreticorum fraudes ac molitiones detegere, ut propugnatores fidei atque Ecclesiæ pseudo-synodis, hæreticisque vim et existimationem adimere; sinceris Ecclesiæ placitis, decretisque robur ac firmitatem addere suffragio atque consensione suâ poterant; mirum namque quantùm regum inprimis majestas, atque suprema illa in humanis potestas accessione, exemploque, in quamcumque se partem dederint, apud animos populi valeat. Quin etiam, ut sunt defensores Ecclesiæ, eorum planè fuit, ostentato etiam armorum robore, metuque quomodolibet injecto, arcere, prohibere noxias, complecti salutares doctrinas, hisque tantùm locum dare in imperio. Ut enim imperatoris Theodosii sententiâ utar, quâ ille Sacram ad Cyrillum exorditur: « Pen- « det à Religione, quâ Deus colitur, nostræ « reipublicæ status; multarum inter hunc et « illam cognatio ac familiaritas intercedit: « nam et connexa inter se sunt, et utrumque « prosperis alterius successibus incrementa « sumit. » At enim reprobare noxias, rectas doctrinas fidei approbare, iisque robur aut pondus more supremi judicis ac arbitri addere, ad imperatoris officium minimè spectâsse, vel ex ipso rursùs imperatore disce; sic enim ille in eâdem Divali loquitur: « Cæterùm nos ci- « vitates et Ecclesias conturbari nequaquàm « sinimus, sed neque eam quoque doctrinam « indiscussam manere patiemur, cujus oportet « eos esse judices, qui sacerdotiis ubique præ- « sident, et per quos ipsi in veritatis sententiâ « sumus et erimus. » Si imperator neque sacrorum judicem se constituit, quâ fronte tu illi supremi judicis, et arbitri sacrorum divinorumque officium trades? hoc verò est præsidere conciliis.

GRÆCUS. Quâ itaque fide ausus est Socrates de christianis imperatoribus hæc consignare: « Res Ecclesiæ ab ipsis dependerunt; et maxi- « ma concilia ex ipsorum arbitrio habita sunt; » et quâ fiduciâ Eusebius l. 4 de Vitâ Constantini c. 37, de illo scripsit: « Tanquàm communis « episcopus à Deo constitutus, ministrorum « Dei cogebat concilia? »

LATINUS. Effata hæc plana sunt, nec sacri juris quidquam imperatoribus, quanquàm laboris et ministerii plurimùm, ad tuendam sacrorum incolumitatem tribuunt. Cæterùm quò nôris, ut tandem Eusebius Constantinum

communem episcopum dixerit, atque alii Patrum deinceps hunc morem secuti, Augustos *sacerdotum* aliquando titulis, nullo scrupulo honestârint, adi ipsummet Eusebium l. 4, c. 24. Factum ait, ut aliquando Constantinus episcopos convivio acceperit, atque inter læta seriam eam sententiam protulerit : « Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo episcopus « constitutus sum. » Cur ita ? quia nempe, ait Eusebius, « animum in omnes qui ejus sub« erant imperio, intentum habuit, hortatus pro « virili, ut piam omnes vitam colerent. »

Græcus. At non hoc unum fuisse, quo sacerdotii munus, honorque apud imperatores absolvebatur, facta Constantii declarant, quibus recensendis supersedeo.

Latinus. Arrogâsse sibi plus nimio Constantium, manumque misisse in alienam messem audaciùs, reprehensio, quâ eum convenit Osius, persuadet. Retulit verba Athanasius in Epistolâ ad solitariam vitam, agentes in hunc modum : « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, « nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed « à nobis potiùs hæc ediscas; tibi Deus impe« rium tradidit, nobis ecclesiastica credidit; « ac quemadmodùm qui tibi imperium subripit, « Deo ordinanti repugnat, ita metue ne si ad te « ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus « fias. » Et cùm aliquando Leo Isaurus arrogantiùs de se dixisset : *Imperator sum et sacerdos*, egregiè eidem respondit pontifex, paucisque complexus est sententiis, in quo munus id imperatorum verteretur : « Qui ante te fuerunt, « aiebat Gregorius, imperatores hoc opere, ac « sermone demonstrârunt, qui condiderunt, ac « curam gesserunt Ecclesiarum, unà cum pon« tificibus cupiditate zeloque incensi, rectæ « fidei veritatem pervestigantes, Constantinus « Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus « Magnus, et Constantinus Justiniani pater, qui « sextæ synodo interfuit. Imperatores isti re« ligiosè imperârunt, et cum pontificibus uno « consilio ac sententiâ synodos congregantes, « et veritatem dogmatum perquirentes, sanctas « Ecclesias instituerunt et ornârunt. »

Græcus. Sic igitur tu imperatoribus sacerdotum et episcoporum nomen ac honorem tributum ais? sic concilia convocâsse, præsedisse, confirmâsse, ut tamen in sacra ejusmodi nil auctoritatis, nil potestatis, ministerium duntaxat, executionem et defensionem committas?

Latinus. Si ego, qui sacris addictus sum, id apud te solus contenderem, jure fortassè in uspicionem vocare poteras; at imperatores sunt ii ipsi quorum causam agis, qui nil sibi plus tribuunt; pone ergo præposterum zelum, nec illis obtrude, quod sine raptu absque sacrilegio obtinere nequeunt. Aspice concilium apostolicum, quod forma semper fuit omnium; quis id imperator indixit? quis illi adfuit ? Œcumenicum tamen ex omnium consensu est, quòd Petro auctore et præside coaluit, consummatumque est. Atque ut te tuarum molitionum jam pudeat, nihilque prætereat, quod ad commendationem Augustorum facit, expende apud te ipsum, quem in sedendo locum, quem in subscribendo ordinem, moremque secuti sint. Et de Constantino quidem proditum est, extremo eum post episcopos omnes loco subscripsisse; qui mos ad Imperatoris usque Basilii tempora valuit : qui in octavâ synodo cùm is honor delatus esset per legatos pontificios, ut primus subscriberet, piè admodùm respondit : « Nostra serenitas imitata ma« jores nostros Constantinum Magnum, Theo« dosium, Marcianum et cæteros, vult illa qui« dem post omnes episcopos subscribere; sed « quoniam nos vestra sanctitas tali honore di« gnatur, post omnes demùm sanctissimos vi« carios subscribemus. » Neque subscribunt more Patrum definiendo, quod sanè judicum est, sed definita suscipiunt consentiendo, quod plebis est. Exemplum cape ex VI synodo, cui sic in Prosphonetico post omnes episcopos subscripsit imperator : *Constantinus in Christo Deo rex et imperator Romanorum, legimus et consensimus.*

Græcus. At quo subsellio eos in synodis constituis? Palæologum sanè nôsti in Florentino cum Eugenio ipso de loco principe in contentionem venisse.

Latinus. Novi id equidem, atque etiam vehementer miratus sum, rebus imperii propè jam collapsis, eò fastûs processisse principes, cùm qui fundator ejus fuit imperii, inter magnos maximus Constantinus, rebus florentissimis, Theodoreto teste, l. 1, c. 7, humiliore tantùm sellâ considere voluerit, neque priùs consederit, quàm episcopi innuissent affirmante Sozomeno : « Qui cùm, ut verbis Ge« lasii ex Theodoreto utar, doctrinæ apostolicæ « consensum stabilire moliretur, tanquàm fi« lius patris amantissimus, episcopis et sacer« dotibus velut patribus proposuit. » At non perduravit imperatoribus, quanquàm religiosis, in synodo IV, ea modestia. Jam enim Marcianum præsentem act. 1, et Constantinum in sextâ, principem inter omnes locum insedisse

compertum est, sive humanitate pontificum id, sive aliter factum sit.

GRÆCUS. Hæc cùm de imperatoribus ita se habeant, cui tu igitur auctoritatem, et potestatem principem cogendi Patres in synodum, cui præsidendi jus attribuis ? Si Romano pontifici id adstruis, nolo mihi testes pontifices alleges. Probè novi Pelagium II, ad Orientales Ep. 1, dixisse : « Generalium synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio tradita est. » Et Sixtum papam disertè affirmâsse itidem ad Orientales : « Suâ (Sixti) auctoritate Valentinianum convocâsse concilium. » Gelasium papam ad episcopos Dardaniæ : solam Apostolicam sedem suâ auctoritate effecisse, ut synodus Chalcedonensis fieret. Alios tu mihi profer, qui ea jura pontificibus vindicent, in quorum fide tutò acquiescam.

LATINUS. Admiror tuam diffidentiam, cui ut cedam, auctoritatem primùm Valentiniani et Marciani produco; ii sic ad Leonem pontificem de quartâ synodo scripserunt : « Sanctitatem tuam principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem sacris litteris in principio justum credimus alloquendam... Quatenùs omni impio errore sublato per celebrandum te auctore, et dominium exercente, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicæ fiat. » Et Patres ipsi ita præfuisse Leonem fatentur in Synodicâ ad eumdem : « Tu episcopis judicibus sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant locum. » Et episcopi Mœsiæ ad Leonem imperatorem disertè aiunt : « In Chalcedonensium civitate multi sancti episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani pontificis, qui verè caput est episcoporum. » Et ne etiam testimonium patriarchæ Constantinopolitani desideres, audi patriarcham Nicephorum; is libro de inculpatâ Christianorum Fide, ita disserit : « Decisum est enim hoc potissimùm jurium canonumque præscripto, quando juxta ab antiquitùs divina decreta in eâ primas obtinebat et præsidebat, quod ex occidentalibus locis advenerat, sive senioris Romæ pars non contemnenda, quorum absque consensu dogma, quod in Ecclesiâ movetur, uti legibus, canonibus et sacris consuetudinibus præscriptum ab antiquo est, probationem non habebit, vel finem unquàm aliquem sortietur : illis enim in rebus sacris principatum obtinere concessum est, et principum inter Apostolos dignitatem sortiti sunt. »

GRÆCUS. Manifestè hæc quidem Romano pontifici, sicut convocandi auctoritatem supremam, ita etiam per legatos præsidendi jus asserunt, neque utcumque, sed juxta divina decreta, quæ tu apud Matthæum et Joannem contineri pridem docuisti : at enim ubi, aut quo canone Ecclesiæ id constitutum sit, me quidem latet.

LATINUS. An legisti Socratem? testatur is exstare his verbis canonem : « Non debet sine scitu Romani episcopi congregari Ecclesia : » quem Marcellus papa ad episcopos Antiochenæ Ecclesiæ, appellat apostolicum.

GRÆCUS. Parce, si interloquar : legi Socratem : at is non utitur *congregari* verbo, sed *canonizari*, accipe Græcum ejus textum : Μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Quod Latinè sic reddes optimè : Non licet sine scitu Romani episcopi canonizare Ecclesias. Et fortè canonizare nil aliud fuerit, quàm consecrare, dedicare.

LATINUS. Sic planè est, si malis Magdeburgenses audire, quàm Marcellum et Julium pontifices, ac Cassiodorum, qui Socratem et Sozomenum Latinè reddidit, ut nos. Verùm ne te pontificum interpretis vetustissimi fide atque auctoritate vexem, dubium tibi de voce subortum adimet satis, nisi fallar, vel res ipsa; adducit Socrates eo loco Julii Epistolam, quâ reprehendebat Orientales, non ob nescio quam ædem Deo consecratam, sed ob id unum, quòd sine consensu suo Antiochiæ concilium indixissent; et pro ratione reddit μὴ δεῖν : quod quàm insulsum foret clarè prospicis, nisi *canonizare Ecclesias* sit cœtus Ecclesiæ convocare.

GRÆCUS. Fuit igitur ea olim Græcorum ac Orientis religio adversùs Romanos pontifices, ut pœnâ dignos crederent, qui absque eorum voluntate aut scitu egissent concilium?

LATINUS. Ita quidem olim fuisse manifestum facit etiam Chalcedonensis synodus, in quâ Dioscorus à Leonis papæ legatis accusatur, quòd personam judicis arripuisset, quam non habebat, *et synodum celebrare ausus esset absque auctoritate sedis Apostolicæ;* verba sunt synodi, *quod nunquàm factum est, nec fieri licet.* Non se tuetur Dioscorus imperio Theodosii, quo evocatus, judicis munus susceperat; ut vel hinc rursùm discas, imperatorum auctoritatem in cogendis synodis à voluntate pontificis Romani tantùm vim obtinere, ac mutuare robur omne.

GRÆCUS. Pro œcumenicis igitur multò minùs haberi poterant, quæ Romani pontificis aucto -

ritate, consensuve non coaluissent, aut sub præsidio papæ non fuissent?

Latinus. Id quidem testimonia Græcorum facilè evincunt. Refert Theodorus Lector, lib. 2, Macedonium patriarcham Constantinopolitanum, cùm olim urgeretur ab Anastasio imperatore vehementiùs, ut exemplo Hierosolymitani episcopi, synodo collectâ, damnaret et ipse Chalcedonense concilium, respondisse : « Sine « universali synodo, cui magnæ Romæ præsi« deret episcopus, nihil se facturum. » Narrat etiam Metaphrastes de Stephano Juniore, hæreticis tumultuantibus, quòd eorum synodum, quam ipsi œcumenicæ titulis ornabant, non reciperet, Stephanum dixisse : « Quomodò au« tem œcumenica nuncupabitur, cui suum « beneplacitum Romanus antistes non dedit, « sine quo fieri non potest, ut res ecclesiasticæ « determinentur? » Nec prætereunda est Theodori Studitæ ad Leonem pontificem epistola : convocaverat Nicephorus imperator synodum in causâ Josephi OEconomi, et Josephus in communionem receptus est : non acquievêre Plato et Studita; igitur Theodorus concilium legitimum à Leone pontifice convocandum orat, et rem omnem, quam voluit, conficit : accipe verba : « Si enim isti, arreptâ sibi au« ctoritate, hæreticam synodum cogere veriti « non sunt, qui ne orthodoxam quidem absque « cognitione vestrâ, ut antiquus mos obtinuit, « cogere potuerunt; quantò æquiùs necessa« rium fuerit à divino tuo principatu legitimam « synodum convocari, ut orthodoxum Ecclesiæ dogma excluderet hæreticum? » Pro coronide sit, quod actione sextâ synodi VII responsum datum est objicientibus pseudo-synodum Constantinopolitanam, quam Iconomachi perperam œcumenicam dicebant; id verò sic habet : « Quomodò magna et generalis Iconoma« chorum synodus, quæ non habuit cooperan« tem illius temporis papam, vel sacerdotes « ejus, neque per legatos, neque per encycli« cam epistolam, ut postulat lex concilio« rum? »

Græcus. Si ea quidem œcumenicarum synodorum lex sit, ut sine Romani pontificis interventu fieri nequeant, fortassè quoque ad ejusdem naturam pertinebit, ne et cæteri patriarcharum desint; sanè sollicitè evocatos semper omnes novimus.

Latinus. Et hos, quippe lumina, præcipuosque Ecclesiæ Patres prætereundos non esse lubens profiteor. At enim si soli adsint, œcumenicam haud efficient, neque si desint, ei quidquam detrahent. Aderant Ephesino II Alexandrinus Dioscorus, Domnus Antiochenus, Hierosolymorum Juvenalis, et Flavianus Constantinopoleos, quem reum in tribunal produxerant : ea tamen nulla fuit, ac pseudosynodus, quòd Romanus suo defuisset suffragio.

Græcus. Indulge, in re manifestâ exerras : an tu enim synodo illi Julianum episcopum, et Hilarium diaconum Leonis papæ vice adfuisse negabis, quod acta omnia docent?

Latinus. Missos quidem eos legatos à Leone, res est indubia; at neque receptos manifestè monent acta Chalcedonensis synodi tomo 4 Conc. Cùm enim actione primâ hoc ipsum, quod tu adduxeras, inter acta in defensionem ejusdem pseudo-sydoni legeretur atque laudaretur adfuisse Julianum vice Leonis, Orientales, et qui cum ipsis erant, Episcopi conclamârunt : « Ejectus est, nullus suscepit nomen « Leonis. » Et rectè, etenim Epistola Leonis, quæ synodo facem præferre debuerat, ne legi quidem permissa est. Quemadmodùm verò ea synodus Dioscori, destituta Romani pontificis auctoritate, nulla fuit, sic sexta atque septima, quòd assensu pontificum Romanorum roboratæ essent, pro œcumenicis semper sunt observatæ, quanquàm tres Orientis Patriarchæ ab ipsis abfuissent. Adi, si lubet, septimam synodum : recitatæ sunt ibi litteræ Alexandrini, Antiocheni atque Jerosolymorum episcopi ad Tarasium Constantinopolitanum. Excusant ii suam absentiam è synodo, ob Saracenorum tyrannidem, per eas orbis plagas latè dominantium : et in rem meam sic denique aiunt Patres act. 3 : « Ne molesta nobis appa« reat trium apostolicarum sedium almorum « patriarcharum, et sanctissimorum episcopo« rum qui sub ipsis degunt, absentia, non ex « proprio eorum accidens proposito, sed domi« nantium illis terribilibus minis, et mortiferis « pœnis. Hoc autem subtiliùs est consideran« dum, etiam ab ipsâ sacrâ universali sextâ « synodo, in quâ nullus eorum, qui per id « tempus in his partibus episcopi erant, con« venisse repertus est, propter execrandam « dominationem; sed nullum ex hoc sanctæ « adhæsit synodo præjudicium, neque vires « habuit prohibitio aliqua statuendi et manife« sta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè « cùm sanctissimus et Apostolicus papa Roma« nus concordaverit, et in eâ inventus sit per « Apocrysiarios suos : et nunc, sanctissimi, hoc « cum auxilio Dei similiter fiat. Nam si tunc

« illius fides in orbis terræ personuit fines, ita « et synodi, quæ nunc per gratiam Dei con- « greganda est, per interventionem vestram, « et ejus, qui moderatur Apostolorum principis « sedem, prædicabitur in omni loco, qui sub « sole est. »

Græcus. Si adeò quidem ampla sit Romani pontificis in cogendis æquè ac moderandis approbandisque synodis auctoritas, ut neque imperatorum, neque patriarcharum prope consortio egeat; frustra igitur tantâ sollicitudine, totque impendiis coguntur ex omni orbe patriarchæ summa Ecclesiæ lumina.

Latinus. Paucis responsum accipe. Cùm episcopi universim sint judices, atque inter hos patriarchis ipsa dignitas sua, quâ supra cæteros pollent, plus auctoritatis in omnes, melioremque publicarum Ecclesiæ necessitatum cognitionem tribuat, æquissimum sanè dignumque est curare ut, quoad fieri potest, adsint, præcipuè quando ea nobis forma relicta est ab Apostolis in Hierosolymitano illo concilio, Act. 15 : *Convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc.* Imperatorum quemadmodùm eadem non est conditio, sic neque necessitas.

Græcus. Eccur igitur ab ipsis etiam Romanis pontificibus rogati sæpè sunt, ut vellent adesse? cur concessum, ut synodos cogerent, et cùm per se non possent, per judices ac magistratus adessent?

Latinus. Non una, sed multiplex utilitas ex Augustorum consortio præter splendorem in Ecclesiam provenit. Nempe valet eorum auctoritas ad removendam plebem inutilem, ad cavendum turbis ac motibus; quin et factiones Patrum, quæ non rarò summo synodorum incommodo exurgere possunt, promptè et veluti in herbâ comprimendas componendasque. Ad extremum ad alacriùs mandanda executioni, quæ æquissimo, saluberrimoque Patrum judicio sive pro Ecclesiis ipsis, sive in hæreticos, seu pervicaces decreta, constitutaque fuerint: verbo, ut quorum animis sacra divinaque auctoritas non est satis, horum oculos mentesque imperatoria majestas percellat. Potestas denique cogendi Patres iisdem tributa est, utque convocarent, sæpè rogati sunt, quòd Ecclesiæ id temporis, neque urbis, neque provinciæ obtinerent imperium; neque enim tunc *respublica erat in Ecclesiâ, sed Ecclesia in republicâ*, ut ait Optatus. Quare imperatorum favore assignanda urbs erat, alimonia præstanda, expensæ publicæ constituendæ, quibus deducerentur, reducerenturque episcopi : quòd illi quidem Tractoriarum beneficio præstabant. Itaque, ut præsens caput denique concludam, concilia cùm plurimùm semper commodi à piis imperatorum fidelium studiis ac protectione acceperint, vim tamen atque robur decretorum suorum nunquàm ab iis mutuata sunt : quæro enim ex te cum Athanasio : « Quando unquàm « judicium Ecclesiæ ab imperatore auctoritatem habuit? » Ex cathedrâ solâ Petri, cujus auctoritate coalescunt synodi, vigorem etiam, firmitatemque trahunt. Huic namque uni dictum est: *Confirma fratres tuos.* Cujus oraculi memores Chalcedonenses Patres ita Leonem per Synodicam alloquuntur : « Rogamus igitur, « et tuis decretis nostrum honora judicium, « et sicut nos capiti in bonis adjecimus con- « sonantiam, sic et summitas tua filiis, quod « decet, adimpleat. »

§ III.

Græcus. Si Romanus pontifex Patrum caput sit, ut Chalcedonenses quidem professi videntur, atque ideò assensus ejus apprimè sit necessarius ad firmitatem, roburque conciliorum; procul dubio etiam jus decernendi, confirmandi recens statuta, reprobandi, quin et laxandi veteris disciplinæ canones stabit penes Romanorum pontificem, cùm rectus ordo, reique momentum id suaserit. Hoc verò exactiùs à te stabiliri cuperem. Ego namque in eâ ad hoc tempus mente fui, ut crederem, condi ab uno episcopo canonem non posse. Sanè id mihi didicisse videor ex Basilii canone 49, ubi subortâ controversiâ de Marcianistis, sacrone iterùm fonte lustrandi essent, ita respondit : « Si hoc placuerit, oportet plures « convenire episcopos, et sic canonem expo- « nere. » Sententiam eamdem disertiùs adhuc Photius complexus est, tit. 1, c. 4 : « Non ab « uno episcopo, sed à communitate canones « eduntur. »

Latinus. Ut verum id sit de episcopis cæteris, in Romano locum non habet; cui Valentiniani imperatoris Novella expressis verbis jus sanciendi affirmat. Illis (puta Gallicanis episcopis) omnibusque cæterarum nempe provinciarum, pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas.

Græcus. Valentinianum adolescentem principem, artibus matris corruptum, remotis arbitris, ruenteque imperio id jus majestaticum Leoni pontifici assignâsse, nostri obloquuntur:

at mihi in mentem venit Novellæ illi in Occidente solùm locum esse, ad quem se tantùm Valentiniani porrexit imperium. Ostende verò id juris Romano pontifici in universum orbem convenire.

LATINUS. Aptiùs modestiùsque, atque alii ante te, Novellæ respondisti; sit ita, non habent illa robur per Orientem, jus tamen manet integrum Romano pontifici, ut quod nos non ad hominem, sed auctorem Christum, cujus universus orbis est, referimus. Dic enim, quod concilium, quis imperator lege primùm sanxit, ut Alexandrinus atque Antiochenus honore atque auctoritate supra cæteros episcopos Orientis et Ægypti emineant? equidem Nicæni concilii Patres ad antiquos mores se in eo referunt, jubentque tantùm, ut ii vim obtineant. At quis auctor ejus moris fuit? Leo quidem ep. 53, omne id ad Petrum primum earum fundatorem refert.

GRÆCUS. Sinamus hæc vetera Petri aliorumque Romanorum episcoporum decreta, qualia probè novi in promptu tibi esse plurima, quando ex iis non pauca in dubium revocantur, nec tuta singulorum est fides. Mallem ex te audire, an et quas denique leges Romani tulerint Ecclesiæ, postquàm œcumenicorum conciliorum esse usus cœpit. SanèTertullianus l. de Pudicitiâ, id jus pontificum ludibrii loco habere mihi visus est: « Audio, inquit c. 1, « esse edictum propositum, et quidem peremptorium, pontifex maximus, quod est, episcopus episcoporum, edicit: Ego, et mœchiæ, et fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. »

LATINUS. Facilè dabo hæresi Montanistarum jam infectum Tertullianum ludibrio hæc protulisse: at prolatum ejusmodi edictum quis neget? quod cùm solo Tertulliano reluctante cæteræ Ecclesiæ complexæ sint, vel hinc Romani pontificis elucent jura. Et verò nec dubita eum fuisse perpetuum sensum Ecclesiæ, ut quæ decreta sunt à pontificibus, legis instar haberent, et tanquàm sacra, veneratione magnâ complecterentur Patrum cæteri, neque sibi sine piaculo ab iis discedere fas putarent. Sanxerat Cœlestinus pro supremâ suâ potestate, epistolâ datâ ad Cyrillum, ut nisi spatio dierum decem resipuisset Nestorius, abscinderetur, et sede ipsâ patriarchicâ pelleretur, meliori in pessimi locum suffecto: et rursùs epistolâ ad Ephesinum concilium, directos à se memorat legatos, « qui iis quæ aguntur, « intersint, et quæ ab se statuta ante fuerant, « exequantur. » Et Patres magnis studiis obsequuntur justis Cœlestini decretis, ita enim act. 1, in Nestorium pronuntiant: « Coacti per « sacros canones, et epistolam sanctissimi Patris nostri et comministri Cœlestini Romanæ « Ecclesiæ episcopi, lacrymis subinde perfusi « ad lugubrem hanc contra eum sententiam « necessariò venimus. »

GRÆCUS. At Chalcedonensis concilii act. 1, frustra legati pontificii vires omnes in id contenderant, ut Dioscorus è consessu Patrum ablegaretur, atque rei habitu in conspectum synodi produceretur, gestorum rationem redditurus. Frustra Paschasinus legatus Leonis mandata opposuit: « Beatissimi atque apostolici viri, papæ urbis Romæ, quæ est caput « Ecclesiarum omnium, præcepta habemus « præ manibus, quibus præcipere dignatus « est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. » Frustra etiam Lucentius legatus alter: « Non patimur, aiebat, tantam injuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste « sedeat, qui judicandus advenit. » Etenim residente per voluntatem imperialium judicum Dioscoro, accusationem denique adversùs ipsum exorsus est Eusebius Dorylæi episcopus.

LATINUS. Quid pro te hæc faciant nondùm assequor, nisi fortè existimes, quoties parere detrectant homines, toties etiam potestatem legislatori abrogari. Non paruerunt judices, ita est, at cur? mihi quidem id, eâ tantùm causâ egisse videntur, quòd nulla adhuc publica in Dioscorum accusatio præcessisset: et legatos Romanos mallent potiùs judicis, qui neutrarum partium esse solent, quàm accusatoris officio fungi; quare ita etiam ad extremum allocuti feruntur Lucentium: « Si judicis « obtines personam, non ut accusator debes « prosequi. » An verò hoc est Romano pontifici ademptum ire potestatem statuendi et præcipiendi quod æquum sit? Profectò illi quos objeceras, eâdem actione satis superque testati sunt, quâ veneratione, quæ decreta sunt à Leone, complecterentur; quando iidem judices Theodoretum dudùm per canones ejectum, ad sedem inter Patres capiendam evocârunt: « Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, « quia et restituit ei episcopatum sanctissimus « archiepiscopus Leo. » Quamcumque obniterentur, et graviter reclamarent Ægyptii, Illyriciani et Palæstini episcopi: « Fides perit,

« istum canones ejiciunt, magistrum Nestorii « foràs mittite. Cyrillus cur ejicitur, qui ab « isto est anathematizatus? Cyrillum ejicimus, « si Theodoretum accipimus. » Vicit nihilominùs Leonis sententia, et judices dignissima, quæ altè in animum demittas, verba ediderunt: « Theodoretus reverendissimus episcopus pro- « prium recipiens locum à sanctissimo episcopo « inclytæ urbis Romæ, in locum nunc accusa- « toris ingressus est. »

Græcus. Uno hoc Theodoreti læto eventu effecisti apud me quidem, ut non modò præcipiendi potestatem papæ non abnegem; verùm et laxandi canones jus apud ipsum esse prope fatear. Habesne plura, quæ in hanc rem proferas exempla?

Latinus. Ex innumeris pauca deligam. Cœlestinus in canone XV Nicæni, et I Sardicensis dispensavit, cùm Proculum ex Cyzicenâ in Constantinopolitanam sedem transtulit. Nec à clero urbis regiæ receptus est antea Anatolius, vitio ordinatus, quippe per Dioscorum, dùm Leo papa precibus Marciani Augusti cessisset. Verba Leonis sunt: « Vestræ fidei, et inter- « ventionis habentes intuitum, cùm secundùm « suæ consecrationis auctores, ejus initia titu- « barent, benigniores circa ipsum, quàm jus- « tiores esse voluimus. » Maximus quoque Antiochenus, in locum Domni per Dioscorum condemnati, ab Anatolio consecratus fuerat in Antiochenæ Ecclesiæ episcopum *contra statuta canonum,* ut ait Leo, qui cùm id pro jure posset, pacis studio non retractavit. Et cùm hoc, in concilio rursùs Chalcedonensi, objectum fortè esset Maximo, in hæc verba pro eo respondit Anatolius: « Leo eum in communionem « recipiens, præesse eum Antiochenæ judicavit « Ecclesiæ. » Ita turba omnis conquievit.

Græcus. Abstine te pluribus; mihi namque vel unum Theodoreti adeò luculentum exemplum abundè fuerat. Depositus erat Theodoretus, et post varias ærumnas, à sede Apostolicâ Cyrensi Ecclesiæ restitutus; jam etiam palam synodo locum obtinet. At nondùm expedio, cur episcopi tanto numero, quâve fronte obsistere audeant, si illi quidem id potestatis unquàm in Romanis pontificibus agnoverunt.

Latinus. Meminisse te volo, episcopos qui adversati sunt, fuisse Ægyptios, Illyricianos atque Palæstinos, eodem nimirùm malo cum Dioscoro afflatos. Orientales quorum integra, minimèque suspecta fides erat, alacres, summoque nisu in pontificis sententiam concessêre, et planè concordes legatis apostolicis, in Theodoreti favorem, odiumque Dioscori conclamârunt: « Orthodoxum synodo: homi- « cidam Dioscorum foràs mittite. »

Græcus. Utcumque hìc res cesserit Leoni pontifici, memini ego sæpè aliàs viros etiam sanctissimos Romanorum decretis non stetisse, quin et acerrimè eorum sanctionibus repugnâsse. Ad annum Christi 167 de paschatis celebrandi die, exortâ lite gravissimâ, cùm Asiani decimâ quartâ lunâ id agendum decrevissent, Anicetus papa se primùm opposuit, mox recrudescente post annos triginta lite, Victor pontifex gravissimis contra eum morem decretis adnisus est. Verùm, sicut primùm Aniceto Polycarpus Smyrnæ episcopus, ita postea Victoris conatibus Polycrates Ephesinus obluctatus est. Sanxerat quoque Stephanus papa ne hæretici ad gremium Ecclesiæ se recipientes denuò baptizarentur; verba ejus in Rescripto ad Cyprianum dato hæc erant: « Si « quis ergo à quâcumque hæresi venerit ad « nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, « ut manus illi imponantur ad pœnitentiam. » An verò Cyprianus acquievit decreto, aut morem gessit imperanti pontifici? Cypriano quidem vivo, mos iterandi Baptismum nunquàm ereptus est: hunc ille ritum nihilominùs, cum Africanis, hunc etiam Firmilianus ac Helenus cum Asianis, multùm diuque postea secuti sunt.

Latinus. Magnoperè admiror, ad subruenda Romanorum pontificum jura in medium ea à te proferri, quibus inprimis summa illa potestas stabilitur. Certè potestatem jus dicendi Ecclesiæ, quam nos vindicamus papæ, neque illa qualiscumque S. Cypriani, Firmiliani, ac Heleni in causâ Baptismi adversatio; neque Polycarpi et Polycratis in causâ paschatis, infringit, aut obest quidquam; quin et illustrat magnoperè, in tantâ aliorum episcoporum ad Romanum morem accessione, quanta post decreta illa pontificum contigit.

Græcus. Si ea Patrum quos adduxi renitentia non infringat jus illud, dandum certè est, Patres qui adeò acriter obluctati sunt, id juris, ut minimum in Romano pontifice non agnovisse, nisi malis grandi tot sancta capita adstringere piaculo, et ceu rebelles ac contumaces traducere, quos sua satis à tanto crimine defendit sanctitudo.

Latinus. Perspectum eis fuisse jus Romani pontificis decernendi, legesque sanciendi, tu quidem vel exinde obvio ratiocinio concludes,

quòd in tanto æstu, quanto utraque illa causa agitata fuit, nemo unus sit repertus, qui jus decernendi Romano pontifici abnegandum putaverit; quod quidem erat quàm pronissimum, si non prorsùs certa, explorataque esset ea Romani pontificis potestas. At persuasis, certisque de auctoritate pontificiâ, nil tale in mentem venit, nihil tale excidit. Quò se igitur applicant? coguntur toto orbe concilia, magnis studiis in rei veritatem inquiritur, atque cùm se jam plurimæ Ecclesiæ Romano mori decretisque addixissent, hi pauci quos retulisti non se adhuc supponunt; sive quòd disciplinæ hanc tantùm esse litem, non fidei crederent, in quâ solâ concordes omnes esse oporteat; cùm Ecclesiarum disciplina, quemadmodùm non una ab initio ubique terrarum obtinuit, sic tutò, salvisque rebus fidei omnibus, varia pro locorum varietate obtinere possit. Ut enim ait Gregorius Magnus l. 1, ep. 43: « In unâ fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ « consuetudo diversa. » Et Hieron. epist. 52: « Unaquæque provincia abundet in suo sensu, « et præcepta majorum, leges apostolicas ar« bitretur. » Hùc et illud faciebat, quòd obscura et nondùm penitùs eliquata ea controversia meritò videri posset, pro quâ utrinque traditio proferebatur. Ne tamen ea qualiscumque obluctatio rebellionis speciem haberet, Firmilianus quidem legationibus papam sibi demerendum putavit: Polycarpus etiam ipse Romam adiit, teste Eusebio atque Nicephoro. Omnes denique, atque inprimis Cyprianus, si Augustino fides, l. de unic Bapt. c. 14, in unitate consistendum duxit. Et si quid ab eo peccatum sit, purgandumque fuerit, *gloriosâ martyrii falce purgatum est,* ut ait S. Augustinus.

Græcus. Steterintne Cyprianus atque alii in unitate Romanæ Ecclesiæ, minutiùs aliàs exquiremus; nunc, ut quod sentio liberè proloquar, si quis alius, Cyprianus certè Romano pontifici judicandi episcopos potestatem abnegâsse videtur verbis illis quæ referuntur in præfatione concilii Carthaginensis tertii, quod in eâdem causâ ad annum 256 celebravit.

Latinus. De judicandi juribus adhuc non agimus: alio id differt, quod volebas, neque te interim capiat Cypriani verborum oblivio. Nunc stabilitâ satis superque, ut opinor, sanciendi potestate in Romanis pontificibus, dispiciamus, an quid possint alii, nisi Romani suffragio adjuventur.

Græcus. De eo à te ambigi miror vehementer, quando ipsi Romani pontifices synodorum œcumenicarum canones summâ semper veneratione complexi, prosecutique sunt, seque totos et ex animo definitionibus decretisque earumdem subjecêre. Et Vigilius quidem papa in Constituto suo: « Quæcumque, ait, tam de « fide, quàm de aliis omnibus causis, judiciis, « constitutionibus aut dispositionibus definita, « judicata, vel constituta, sive disposita, in« concussa, inviolabiliter, sine adjectione, vel « imminutione aliquâ nos promittimus secutu« ros.... Et quæcumque communi consensu « dicta sunt, ea orthodoxa veneramur atque « suscipimus. » Gregorius verò Magnus, ep. 25, l. 1, ad Joannem Constantinopolitanum: « Si« cut, inquit, sancti Evangelii quatuor libros, « sic quatuor concilia venerari et suscipere me « fateor.... quia dùm universali sunt consensu « constituta, se et non illa destruit, quisquis « præsumit, aut solvere, quos religant, aut « ligare, quos solvunt. »

Latinus. Quæ è Gregorii papæ, atque Vigilii effatis eruuntur rectè, neque te juvant, neque nobis officiunt quidquam. Gregorius decretis standum contendit, quæ à pontificibus superioribus robur accepissent; neque à consequentibus pro libidine innovanda, majores sapienter sanxêre; quid enim æquius quàm ut exemplo etiam suo canonum observantiam stabiliat, cui potestas eos tuendi apud alios pro munere pastorali inprimis incumbit? Vigilius toto illo Constituto, nil egit aliud quàm ut testaretur se more majorum robur dare firmitatemque, quæ probè à Patribus decreta essent. At tu ostende, posse leges ferri, et latas obtinere robur, quanquàm suffragio Romanorum pontificum firmatæ non sint.

Græcus. Canonem III Constantinopolitani I, quo patriarchæ Constantinopolitano secundus à Romano locus ac honor constituitur, receptum non esse à Damaso, res in confesso est. Et diffusè id ostendit Baronius tomo 4, ad annum 381. Idem fatum subiit etiam canon 28 Chalcedonensis concilii, quo et jura patriarchica, decreta olim Constantinopoli, confirmabantur, et insuper jus ac potestas dabatur Constantinopolitano in diœceses Thraciæ, Ponti, Asiæ atque barbaricas ditiones, Alanorum nempe, atque Russorum aliorumque; etenim et legati Leonis act. 16 eidem intercesserunt palam, et Leo papa, re cognitâ, rejecit eumdem, ac infirmavit, ut constat ex litteris datis ad ipsum Anatolium patriarcham, Marcianum imperatorem, synodum Chalcedonensem, ac Pulcheriam Augustam, quâ au-

ctoritate B. Petri canonem in irritum misit. Quid verò sive eâ reclamatione legatorum Leonis, sive ipsius pontificis irritatione effectum est? Perstitit uterque canon controversus in suo robore, et patriarchæ Constantinopolitani contra Damasum æquè ac Leonem, cæterosque deinceps Romanos pontifices, secundum sibi locum, et diœceseon prædictarum administrationem jure patriarchico retinuêre. Vis exemplis utar? primi quidem præbet ipsa hæc synodus Chalcedonensis: sanè scimus in eâ Anatolium patriarcham primo post vicarios Leonis loco sedisse, atque subscripsisse, qui mos deinceps obtinuit perpetuò: alterius verò idem patriarcha documentum exhibuit teste Nicetâ Nicæno, cujus verba reddo: « Sub « Marciano cùm certior factus esset papa Leo « Constantinopolitanum paulatim alienas sedes « rapere, et propriæ potentiæ addere, litteras « dedit papa Anatolio, licet nihil egerit: ex eo « enim tempore Constantinopolitani antistites « propria augere: et ob similem raptum dissi- « dium ortum est. » Quin et ante Anatolii tempora id juris exercuisse Constantinopolitanos, liquet ex confessione episcoporum, act. 16.

Latinus. Placet quòd inde rebus tuis præsidium quæras, unde maximè Romanorum pontificum auctoritas elucet. Rejecit, non approbavit Damasus Constantinopolitanæ I synodi canonem 3; id ipse etiam fateris. Leo etiam Chalcedonensem 28 epistolâ præcipuè ad Pulcheriam datâ, luculentâ gravissimâque sententiâ irritavit: « In irritum mittimus, et per « auctoritatem B. Petri Apostoli generali pror- « sùs definitione cassamus. » Cùmque Anatolius se tueretur canone 3 synodæ Constantinopolitanæ, ita ei respondit: « Persuasioni tuæ in « nullo penitùs suffragatur quorumdam episco- « porum ante sexaginta, ut jactas, annos, « facta subscriptio, nunquàmque à prædecesso- « ribus tuis ad Apostolicæ sedis transmissa « notitiam, cui ab initio suî caducæ, dudùm- « que collapsæ sese, nunc et inutilia subjicere « fulcimenta voluisti, eliciendo à fratribus « speciem consensionis, quam tibi in suam in- « juriam verecundia fatigata præberet. » At tu ex factis arguis obtinuisse robur eos canones? edic ergo, à quonam obtinuerint; facta enim te nuda nil adjuvant. An ab imperatore Marciano, aut alio ante hunc? an à Leone papâ, aut alio ante hunc? an à patriarcharum cæterorum assensu? an episcoporum faventium et subscribentium, spontèque se dedentium Constantinopolitano, consensu?

Græcus. Si dicerem Romanum pontificem Leonem assensisse Constantinopolitano canoni, nescio, unde me convinceres: duo in hanc rem mihi argumenta suppetunt. Primum quidem testimonium Eusebii Dorylæi episcopi, qui act. 16, cùm à legatis pontificiis in examen vocaretur canon 28 Chalcedonensis concilii, relecto etiam canone Constantinopolitano III, ex Synodico primi concilii, de hoc in hunc modum dixit: « Spontè (nempe Chalcedonensi 28) sub- « scripsi, quoniam et hanc regulam (canonem « videlicet III Constantinopolitani concilii) « sanctissimo papæ in urbe Româ ego relegi « præsentibus Constantinopolitanis, eamque « suscepit. » Alterum Paschasini apostolici legati dictum act. 1. Cùm enim ibi legerentur acta Ephesi sub Dioscoro, et Flaviani nomen ultimo inter patriarchas loco recenseretur, Orientales conclamârunt: « Flavianus ut adju- « dicatus ingressus est. Flavianus in proprio « loco quare non sedit? Constantinopolitanum « episcopum quare quintum posuerunt? » Ubi diligenter advertendum opinor, ad Paschasini legati dictum; subjecit enim continuò: « Ecce « nos Deo volente dominum Anatolium primum « habemus, hi quintum posuerunt B. Flavia- « num. » Cui Diogenes Cyzici episcopus respondit: « Quoniam vos regulas scitis. » Aut igitur papa, ut quidem infert Eusebius, assensum præbuit; aut Constantinopolitani concilii canon eam per se reverentiam obtinuit, ut Patres Chalcedonenses ei obsequendum putarent. Sanè et Dioscorus Alexandrinus, cujus agebatur tunc causa, et Maximus Antiochenus, et Juvenalis Hierosolymitanus, ut videtur, non inviti cessêre, faventibus et Romanis legatis, nec quidquam obnitentibus.

Latinus. Ut neque Eusebium mendacii reum faciam, neque Paschasinum adulationis aut ignaviæ, dabo tibi Leonem initio non repugnâsse canoni tertio Constantinopolitani concilii, et loci supra cæteros eminentiam permisisse, pacis majorumque honorum amore; fortè etiam quòd cæteros patriarchas non invitos assensisse diceretur. At ubi fraus patuit, ubi de novo rursùs Chalcedone alia patriarcharum privilegia lædi sensit, ubi Maximi Antiocheni legatio adfuit rogantis pro conservatione privilegiorum sedis Antiochenæ adversùs Anatolii Constantinopolitani, et Juvenalis Hierosolymitani ambitum, acerrimè, epistolisque multis, ac variis sese opposuit, et unum, et alterum canonem irritum declarans: in quâ comparatione animi deinceps

Romanos pontifices perstitisse, testis est, vel Gregorii Magni Epistola ad Eulogium Alexandrinum, et Anastasium Antiochenum 31, l. 6: « Romana Ecclesia eosdem canones (Constantinopolitanos) vel gesta synodi illius hactenùs non habet, nec accipit; in hoc autem eamdem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. » Igitur à Romanorum quidem pontificum auctoritate frustra iis canonibus robur quis accersat, quin neque ab assensu patriarcharum: Dioscorus enim et Juvenalis, rei in concilio eo fuerant, et Juvenalis idem paris rapinæ adversùs Antiocheni ditionem reus; Maximus si in speciem consensit, per legatos apud pontificem se opposuit. Et Nicetas Scevophylax, sicut ob Chalcedonensem canonem turbas exstitisse, ita etiam ob canonem Constantinopolitanum testis est; verba ejus partim dedi, partim accipe: « Sub Theodosio Magno imperatore, cùm thronus Constantinopolitanus à centum quinquaginta episcopis evectus esset, in secundâ synodo, cui locum tenentes Romani pontificis non adfuerunt, divisio et turbæ exortæ sunt. »

Græcus. Novi quidem quòd eâ acri Leonis renitentiâ effectum sit denique, ut et Marcianus imperator destiterit à rogando pontificis assensu, et Anatolius ipse litteris datis, quas exhibet Allatius l. 1, c. 23, ad finem rejectâ in alios culpâ conatus sit se excusare apud pontificem, atque in ejus gratiam redire: verba Anatolii audi: « De hoc autem, quæ Constantinopolitanæ sedis gratiâ sancita sunt, in Chalcedonensi nuper universali synodo pro certo beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me homine, qui semper otium et quietem in humilitate me continens ab ineunte meâ ætate dilexerim: sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ reverendissimus clerus, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes in hoc qui fuêre concordes, et sibi pariter adjutores, cùm et sic gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur benè compertum sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causâ factum esse negotii, qui semper omnis jactantiæ levitatem, et aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. »

Latinus. Si teste ipso Anatolio confirmatio papæ reservata auctoritati fuit; si, ut liquet, quæsita multis modis obtenta nunquàm est, robur eorum canonum aut nullum, aut plenum nondùm erat; et pontifici sicut approbandi potestas, sic reprobandi incumbit, præcipuè cùm canones ejusmodi procusi fuerint, qui veteribus institutis, moribus, decretis canonibusque adversantur, aut certè non ex æquo conveniunt, quales quidem fuisse canones, 3 Constantinopolitanum, et 28 Chalcedonensem, satis cuique apparet, diligentiùs ad Nicænum componenti, atque expendenti utrosque. Rectè itaque egit Leo improbando, rectè etiam Anatolius cedendo; qui quanquàm à pontifice in gratiam receptus est, censuram tamen ejus non effugit, frustra facti totius invidiam in clerum deflectere conatus. Etenim verba Leonis hæc sunt ad eumdem ex epist. 71: « Illam autem culpam, quam de augendâ potestate, alienâ, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficaciùs atque sinceriùs tua charitas diluisset, si quod tentari sine tuâ voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses; quia sicut in malâ suasione delinquitur, ita et in malâ consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater charissime, est, quòd dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ, et attestatio principis christiani. Nec videtur tarda correctio, cùm tam venerabilis assertor accessit. Abjiciatur penitùs inconcessi juris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt. Ut quieta sit suis meritis, et antiquis privilegiis dignitas omnium sacerdotum, super omnia autem fraternâ charitate hortor et moneo, ut ea, quæ ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum canonum, Ecclesiæ pacem servantia decreta custodias. Sic enim inter Domini sacerdotes inviolata charitas permanebit, si paribus studiis, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, serventur. » Post Leonem audi etiam Gelasium; is, ep. 13, ita scribit: « Audiant Marcianum...., sanctæ memoriæ papam Leonem summis laudibus prosecutum, quòd canon regulas violari nullâ fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium.... clerum potiùs Constantinopolitanum, quàm se talia tentâsse confitentem, atque in Apostolici præsulis totum dicentem positum potestate. »

Græcus. Ita res quanquàm essent, Liberatus tamen, qui claruit inprimis anno 595 et eo circiter tempore, ante V tamen synodum Breviarium suum clausit, testatur disertè,

perstitisse in usu canones controversos; verba ejus sunt : « Cùm Anatolius consentiente concilio primatum obtinuisset, legati verò Romani episcopi contradicerent, à judicibus et episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est : et licet sedes Apostolica nunc contradicat, quod in synodo firmatum est, imperatoris patrocinio permanet. »

Latinus. Instaurante nimirùm præclarè, si superis placet, jura sua Acacio sub hæretici Zenonis imperio. Hic modus fuit, quo Constantinopolitani maximè post Novellam 131 Justiniani c. 2, se in usu patriarchicæ potestatis retinuerunt, atque loco secundo; verba Novellæ sunt : « Ideòque sancimus secundùm earum definitiones, sanctissimum senioris Romæ papam, primum esse omnium sacerdotum. Beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem; aliis autem omnibus sedibus præponatur. » At verò, quàm nullam vim hæc lex obtinere jure potuerit apud viros Deo devotos, satis constat, cùm eadem et opponatur legibus approbatis c. 2, et decreta imperatorum vim nullam adversùs canones obtineant in rebus præcipuè Ecclesiarum juri præjudicantibus. Quod quidem ipsi etiam imperatores Valentinianus atque Marcianus in Chalcedonensi per judices, act. 4, ratum gratumque habuisse videntur, cùm pragmaticas sanctiones, contra ecclesiasticos canones, gratiâ et ambitione expressas, firmitate ac robore prorsùs omni nudàrunt. Quare hinc nihil aliud agis, quàm ut multiplici injuriâ ostendas patriarcham Constantinopolitanum et natum et conservatum, quod an vobis majori dedecori, an nobis sit dolori, non discepto.

Græcus. At quis deniqueRomanis pontificibus ea jura dedit improbandi canones, licet summâ Patrum consensione constitutos, licet gravissimis momentis subnixos, precibusque ac intercessione tot summorum Ecclesiæ prælatorum commendatos? Legi, miratusque sæpè sum relationem synodicam Chalcedonensium Patrum ad Leonem. In eâ primùm, quæ in rebus egerint, exponunt : tum ad canonem quoque 28 sermonem deflectunt. Quibus initiis, quibus causis atque momentis ad condendum, imò ad confirmandum stabiliendumque Constantinopolitanæ synodi canonem adducti sint, quanta ejus fuisset necessitas, quantaque futura in posterum utilitas, copiosè edisserunt. Quàm in eo negotio maturè modestèque, nullius odio, nullius gratiâ versati essent, iterùm iterùmque contestantur; neque omittunt hinc fiduciâ quam de pontificis propenso animo conceperint, inde imperatoris ostentatis desideriis, in sententiam suam pellicere; in quam denique, ut etiam ejus animum inclinent, magnificis sanè elogiis Leonem exornant, tum omnia prorsùs ejus voluntati decretoque subjungunt. Initium litterarum erat : *Repletum est gaudio os nostrum*. Quas tu aliàs ad verbum mihi reddidisti. At quo hæc omnia proventu scripta gestaque sunt? vereor dicere; durum Leo se Patribus præbuit. Verba ejus ex Epistolâ : « Olim quidem, sic habent, de custodiendis quandoque sanctorum Patrum statutis, quæ in synodo Nicænâ inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo; ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem et octo Patribus divinitùs inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantùmlibet enim extortis assensionibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum canonibus discrepaverit. » Quæ quidem adeò severa repulsa, quàm gravem in Patrum animis mœrorem, luctumque suscitaverit, facilè quisque cogitando consequitur.

Latinus. At immeritò, quando id quidem à Romano pontifice et veneratio sedium, meritaque Alexandrinæ atque Antiochenæ, et motuum periculum, quod inde imminere, Ecclesiamque perturbare poterat, et denique licentia Constantinopolitanorum, quæ flammæ in morem ex aliorum detrimentis in dies compendia faciebat, et denique officium suum capitis ac pastoris, cui canonum custodia à Deo commendata est, exposcebat. Atque hanc quidem postremam rationem, veluti virtute complexam cæteras, ita Leo papa eâdem Epistolâ reddidit : « Quorum (nempe Nicænorum Patrum) regulis Apostolica sedes, quàm reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, et me, auxiliante Domino nostro, et catholicæ fidei, et paternarum traditionum esse custodem. » Et epistolâ 77, ad Marcianum Augustum : « In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dis-

« pensatio mihi credita est, et ad meum « tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicænâ ad totius « Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt « conditæ, me, quod absit, connivente violen- « tur; et major sit apud me unius fratris vo- « luntas, quàm universæ domûs Dei communis « utilitas. »

Græcus. Nullumne verò locum apud Leonem invidentiæ dabis? Ægritudo in ejus animo suscepta propter res secundas Constantinopoleos, aut ipsa invidentia, aut familiaris ac soror ejus fuit; fortassè et metus aliquis pectus Leonis Magni occupaverit, ne his gradibus Romanæ quoque majestati periculum strueretur.

Latinus. Neque in superiorem cadit invidentia, neque metus in eum qui jus omne suum, ac potestatem non humanis decretis, sed divinis placitis unicè tribuit, atque munus suum in petrâ fundatum probè noverat, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt. Acris adeò adversationis ac renitentiæ finis fuit, sola tuitio custodiaque sacrorum canonum adversùs ambitionem cujuslibet, sive is Constantinopolitanus, sive Hierosolymitanus sit. Expressit id eleganter Epistolâ ad Maximum Antiochenum, quæ incipit: *Quantùm dilectioni,* tomo 3 CC., p. 1828; questus is per legatos fuerat apud Leonem de Juvenalis Hierosolymitani invasionibus, cui sic respondit Leo: « Nunc autem ad omnia generaliter pro- « nuntiare sufficiat, quòd si quid à quoquam, « contra Nicænorum canonum statuta, in quâ- « cumque synodo vel tentatum est, vel ad « tempus videtur extortum, nihil præjudicii « potest inviolabilibus inferre decretis. Et fa- « cilius erit quarumlibet consensionum pactum « dissolvi, quàm prædictorum canonum regu- « las ex ullâ parte corrumpi; subrependi enim « occasiones non prætermittit ambitio, et quo- « ties ob intercurrentes causas generalis con- « gregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est, « ut cupiditas improborum non aliquid su- « pra mensuram suam moliatur appetere. Si- « cut etiam in Ephesinâ synodo... Juvenalis epi- « scopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ « principatum, credidit se posse sufficere, « et insolentes ausus per commentitia scripta « firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Ale- « xandrinus episcopus meritò perhorrescens « scriptis suis mihi quid prædicta cupiditas au- « sa sit, indicavit, et sollicitâ prece multùm « poposcit, ut nulla illicitis conatibus præbe- « retur assensio. Nam cujus Epistolæ ad nos « exemplaria direxisti, sanctæ memoriæ Cy- « rilli, eam in nostro scrinio requisitam nos « authenticam noveris reperisse. Hoc tamen « proprium definitionis meæ est, ut quantùm- « libet numerus sacerdotum amplior aliquid « per quorumdam subreptionem decernat, quod « illis trecentorum decem et octo Patrum con- « stitutionibus invenitur adversum, id justitiæ « consideratione cassetur; quoniam universæ « pacis tranquillitas non aliter poterit custodi- « ri, nisi sua canonibus reverentia intemerata « servetur. » Declarat demùm nullius roboris fore, si quid secùs à legatis suis peractum sit. Et quanquàm præter res fidei, alia quævis dijudicare, quæ referuntur, ad synodos planè pertineat, si tamen illi in occupata definitaque per Nicænam synodum jura se immittant, hæc perturbare attentent, nullo apud se loco fore eorumdem decreta; « nam quod ab illorum re- « gulis constitutisque discordat, Apostolicæ se- « dis nunquàm obtinebit consensum. »

Græcus. Probè jam teneo episcopos, utcumque magno numero collecti fuerint, utcumque etiam imperator favorem eis præstet, nihil adversum sacris canonibus posse constituere. Id nempe recta ratio exigit, quando Deus in ædificationem, non destructionem Ecclesiæ, potestatem hominibus indulsit. At enim cùm nova, et præter canones vetustos, constituenda quædam sunt, id posse synodos neque ipse Leo diffiteri videtur.

Latinus. Posse quidem, at non sine interventu, auctoritate, aut suffragio Romani pontificis; id enim honoris et pastoris universalis officio prorsùs debetur, et jam veteris Ecclesiæ canonibus constitutum esse, testis est Socrates l. 2, dicens: « Cùm canon ecclesiasticus ju- « beat, non oportere absque sententiâ episcopi « Romani, decreta Ecclesiis sancire. » Et Sozomenus l. 3, c. 9: « Legem esse ad res sa- « cras spectantem, quæ pronuntiat, acta illa « irrita esse, quæ præter sententiam episcopi « Romani efficiuntur. » Et Nicephorus l. 9, c. 10: « Extare ecclesiasticum canonem, auctori- « tatem omnem eis abrogantem, quæ præter Ro- « mani antistitis sententiam peracta essent. » Quod tu jus ne Romano pontifici à Patribus in conciliis datum primùm existimes, multò antiquius et ab altiore potestate profectum, discere potes ex ipsâ synodo Nicænâ, quæ ita Sylvestrum deprecatur: « Quidquid constitui- « mus, precamur, ut vestri oris consortio « confirmetur. » At quoniam ea Patrum Syno-

dica ab eruditis non immeritò in suspicionem vocatur, certius, quodque rem omnem conficiat testimonium ex Romanâ synodo, quæ Nicænam mox secuta est, accipe : ait ibi Sylvester papa : « Quidquid in Nicæâ Bithyniæ « constitutum est... nostro ore conformiter « confirmamus. » Quod quâ demùm ratione gestum sit, explicuit papa Felix III, in hunc modùm, ep. 4 : « Domino ad B. Petrum Apo« stolum dicente : *Tu es Petrus*, etc., eam vo« cem sequentes trecenti decem et octo Patres « apud Nicæam congregati, confirmationem « rerum atque auctoritatem S. Romanæ Eccle« siæ detulerunt. » Verùm de legislativâ potestate satis superque; quare ad judicialem sermonem transferamus.

§ IV.

Græcus. De auctoritate judicandi episcopos, fideique ac morum causas, cùm sermonem aggredimur, vereor ne in immensum excrescat colloquium, tam sunt multa, varia, quæ ad officium judicis præeunt, consequuntur aut pertinent. Ac primùm, ad judicem causæ referendæ sunt; ejusdem verò partium erit, delatas cognoscere, tum et sententiam dicere, damnare, absolvere, pœnas censurasque infligere, quin et sede movere, aut iniquè motos in integrum restituere. Hæc cùm omnia judicis munus in se complectatur, ordine de singulis quàm paucis agendum erit, postquàm initio generatim prærogativam Romanis pontificibus vindicaveris.

Latinus. Ut quod à me proposuisti summo quàm possum compendio decurram, primùm me provoco ad Ephesinam synodum; vide, quàm ibi confidenter act. 3, Philippus apostolicus legatus in coronâ tot Patrum pronuntiet : « Nulli dubium, imò seculis omnibus notum « est, quòd sanctus beatissimusque Petrus Apo« stolorum princeps, et caput fideique co« lumna, et catholicæ Ecclesiæ fundamentum, « à Domino nostro Jesu Christo Salvatore hu« mani generis ac Redemptore claves regni « accepit, solvendique ac ligandi peccata pote« stas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus « semper in suis successoribus vivit, et judicium « exercet. » Quemadmodùm verò Philippus judicium, ita Lucentius legatus Leonis in Chalcedonensi synodo act. 16, sententiam pontifici reservat. Verba ejus sunt : « Sedes Apostolica « præcepit nobis præsentibus omnia fieri, et « ideò humiliari non debet, et quæcumque in « præjudicium canonum vel regularum hes« ternâ die gesta sunt nobis absentibus, subli« mitatem vestram petimus, ut circumduci ju« beatis; sin aliàs contradictio nostra his ges« tis inhæreat, ut noverimus, quid Apostolico « viro universalis Ecclesiæ referre debeamus, « ut ipse aut de sedis suæ injuriâ, aut de ca« nonum versione possit ferre sententiam. »

Græcus. Novi solemne id fuisse legatis, ipsosque etiam pontifices constanter id sibi juris asseruisse. Innocentii I ad Felicem Nucerianum episcopum verba sunt : « Mirari non pos« sumus dilectionem tuam sequi instituta majo« rum, omniaque, quæ possunt aliquam reci« pere dubitationem, ad nos quasi ad caput « atque apicem episcopatûs referre, ut videli« cet consulta sedes Apostolica, ex ipsis rebus « dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. » Zozimus quoque cùm jussisset Gallicanæ Ecclesiæ causas ad Arelatensem referri, sic hujus potestatem circumscribit : « Nisi magnitudo « causæ etiam nostrum requirat examen. » Leo papa epistolâ 12, ad Anastasium Thessalonicensem : « Si fortè inter ipsos qui præsunt, « de majoribus, quod absit, peccatis causa na« scatur, quæ provinciali nequeat examine de« finiri, fraternitatem tuam de totius negotii « qualitate metropolitanus curabit instruere, « ut si coram positis partibus nec tuo fuerit « res sopita judicio, ad nostram cognitionem, « quidquid illud est, transferatur. » Et rursùs : « Si autem in eo, quod cum fratribus tractan« dum definiendumque credis, diversa eorum « fuerit à tuâ voluntate sententia, ad nos omnia « sub gestorum testificatione referantur. » Verùm, ut hæc per Occidentalem patriarchatum valeant, cujus tum et Thessalonica pars fuit, in Oriente vix locum obtinent.

Latinus. Obtinere hæc ubique terrarum, atque ad universos episcopos pertinere et verba legatorum, et ratio ipsa, quâ Innocentius papa nititur, satis admonet; ne tamen clariora desideres, audi Vigilium papam epistolâ 2, unius quidem Eutherii consultationibus, at pro omni orbe respondentem. Ait ille : « Quamobrem « sancta Romana Ecclesia (Petri) meritò, Do« mini voce consecrata, et SS. Fratrum aucto« ritate roborata, primatum tenet omnium « Ecclesiarum, ad quam tam summa episcopo« rum negotia, atque querelæ, quàm et majo« res Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput « semper referendæ sunt. »

Græcus. Tot oracula pontificum, tot effata legatorum magnoperè veneror, nec contraire audeo, quando Patres in synodo collecti, ea

quoque silentio transmisêre, nemo his dictis repugnavit. At mallem alios ejus prærogativæ testes, et qui idem senserint audire.

Latinus. Ut hâc te diffidentiâ expediam, coronatos tibi testes proferam, hoc est, Valentinianum Augustum, atque pariter Augustam ejus matrem Gallam Placidiam. Cùm enim Ephesi à Dioscoro fides perturbata esset, et Flaviani innocentia oppressa, Valentinianus Theodosium enixè deposcebat, ut Romano pontifici Leoni judicium causæ totius permitteret; verba ejus sunt, tomo 4 Conc. p. 822 : « Debemus et dignitatem propriæ venerationis « B. Apostolo Petro intemeratam, et in nostris « temporibus conservare, quatenùs beatissimus « episcopus Romanæ urbis, cujus sacerdotium « supra omnes antiquitas exhibuit, potestatem « et facultatem habeat de fide et sacerdotibus « judicium ferre. » Disertiùs adhuc in eâdem causâ scripsit Galla Placidia in hunc modum : « Ad concilium Apostolicæ sedis judicium « transmittatur, in quâ primus ille, qui cœlestes « claves dignus fuit accipere, principatum epi« scopatûs ordinavit. »

Græcus. Epistolæ eæ, si rectè habeo, ad Leonis papæ preces emissæ sunt; neque iis aliud à Theodosio flagitabatur, quàm ut veniam faceret, causæ judicium transmittendi ad concilium ex omni orbe Romæ cogendum. Ego verò conciliis judicandi potestatem ultrò indulgeo.

Latinus. Concilium quidem rogâsse Augustos non diffiteor, at concilio ejusmodi quale petebatur, convenire ac deberi judicium supremum, quo demùm argumento conantur evincere? Nonne ad dignitatem Romani pontificis, et in Petro acceptas claves à Christo, se totos applicant. Huic igitur dignitati debetur supremum fidei ac episcoporum judicium, sive deinceps in concilio, sive extra illud peragendum. Utroque modo egisse Romanos pontifices judicia, pro comperto habemus.

Græcus. At illum extra concilia judicandi modum impugnavit, quin et pernegâsse videtur Romano pontifici Cyprianus, quàmcumque sanctitatis famâ inclytus. Vertebatur ipsum inter atque Stephanum papam celebris illa de hæreticis rebaptizandis quæstio; et Stephanus definiverat : « Nihil esse innovandum, » etc.; quin et rebaptizantibus separationem comminatus fuerat. Quid verò inter hæc egit, aut sensit Cyprianus? Coegit nempe Carthagine concilium anno 256, et quàm nullam judicandi potestatem Romano deferret, apertè testatus est; verba ejus in Præfatione ad concilium erant : « Superest, aiebat, ut de hâc ipsâ re « singuli quid sentiamus proferamus, neminem « judicantes, aut à jure communionis aliquem, « si diversum senserit, amoventes; neque enim « quisquam nostrûm, episcopum se esse episco« porum constituit, aut tyrannico terrore ad « obsequendi necessitatem collegas suos adigit, « quando habeat omnis episcopus pro licentiâ, « libertatis et potestatis suæ arbitrium, tam« que judicari ab alio non possit, cùm nec « ipse possit alterum judicare, sed expecte« mus universi judicium Domini nostri Jesu « Christi. »

Latinus. Non respexisse iis verbis Cyprianum ad facta sententiamque Stephani, neque habuisse in animo hunc tacitè vellicare aut perstringere, vel viri sanctitate persuadeor, et divinant, qui in eam partem Cypriani verba deflectunt. August., cui Cypriani mens multò notior esse potuit, non adeò perversè id Cypriani dictum exposuit; etenim iisdem quæ tu objecisti, verbis recitatis, subdit continuò l. 3 de Bapt. c. 3 : « Quid mansuetius, quid humi« lius? » Quare ex Augustini quidem sententiâ Cyprianus eo loco significabat tantùm, unicuique per se liberum integrumque fore, intima animi sensa detegere, se non esse eum qui aut ullam sibi in ipsos auctoritatem arroget, aut necessitatem sentiendi cuiquam imponat.

Græcus. Difficilè hìc Augustino assentior, mihique ægrè persuades, eo qualicumque effato, non etiam aculeum in Stephanum, Cyprianum emisisse; quem enim invidiosus ille *episcopi episcoporum* titulus designat alium? Sanè eodem etiam Tertullianus olim suggillavit Zephyrinum papam lib. de Pudicitiâ, c. 7.

Latinus. Ægrè fero, quòd tu S. episcopum cum Tertulliano Montanistâ conferas; at sit ita, suggillaverint ambo Romanos pontifices : Tertullianus Zephyrinum, Cyprianus Stephanum : an ideò judicandi potestatem etiam Stephano detractum ibat? Equidem per verba illa, si severè etiam expendas, immaturum fortè, præcipitemque summæ potestatis usum in Stephano improbâsse potuit, non ipsam judicandi potestatem. Igitur, ut multùm tribuam, non probabatur Cypriano, quòd Stephanus unâ traditione confisus, magnum per orbem episcoporum numerum, usu antiquo, Scripturis et rationibus, ut ipsi quidem tunc videbatur, gravissimis nixum, in suam sententiam adigeret; et malebat in re adeò implexâ

et convolutâ, quæque ad disciplinæ potiùs quàm fidei rationes pertineat, suam cuique relinqui sentiendi agendique licentiam. Existimabat nempe veritatum, in quarum cognitionem humana diligentia nondùm se penetrat, soli Deo reservandum esse judicium. Certè inducere in animum nequeo, ut credam zelo æstuque abreptum Cyprianum Stephano detraxisse judicandi auctoritatem, quam tam disertè Cornelio, Stephani antecessori, dudùm attribuit. Digna sunt, quæ sæpè repetantur. Ait ergo epist. 55 ad Cornelium, loquens de schismate Novatianorum: « Non aliunde obortæ « sunt hæreses, aut nata schismata, quàm inde, « quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec « unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos, et ad « tempus judex vice Christi cogitetur, cui se« cundùm magisteria divina obtemperet fra« ternitas universa. »

Græcus. De Cypriano adhuc nobis redibit sermo: si verò ex ejus mente pontifex Romanus vice Christi judex est, si eam potestatem, ut Valentinianus aiebat, per B. Petrum nactus est, edic, obsecro, quis, quando, quas demùm causas, aut quos episcopos sibi judicandos sumpserit? Et quoniam, quæ ad judicium spectant, arctam ut plurimùm inter se communionem habent, non seorsim singula, sed, ut res tulerit, ætatum temporumque ordine, si lubet, sive recurrentes ad papæ judicium, sive judicatos, seu absolutos aut damnatos, pœnisque affectos profer in medium. Ita namque fiet, ut in rem eamdem identidem revolvi necesse nobis futurum non sit.

Latinus. Sapienti huic tuo consilio facilè morem gererem, nisi vererer, ne ea rerum actuumque judicialium perturbatio, quæ necesse est eveniat, si temporum sequamur ordinem, tibi mihique voluptatem omnem eripiat. Rerum igitur potiùs seriem insistamus, et primùm experiamur, an ad Romanum tribunal hæreses, dubia fidei, hæretici suspectique aut ultrò se stiterint, aut sint adesse jussi, aut deferri debuerint. Mihi quidem certum est, causarum ejusmodi cognitionem ad hoc planè forum pertinere, quanquàm etiam alibi cœptæ sint, tractatæque.

Græcus. Age, ut lubet; id modò cave sis, ne ingratâ rerum earumdem repetitione aures obtundas; ut enim nova oblectant, sic iterata creant fastidium. Doce igitur primùm, ad Romanam sedem debuisse referri causas, quascumque percensuisti, quasque majores uno nomine nuncupamus.

Latinus. Qui pro me loquatur, Alexandrinum episcopum Cyrillum sisto: diu jam inter ipsum et Nestorium Constantinopolitanum agitabatur de fide, atque cùm obstinatiorem comperisset, sensit sibi injectam necessitatem exquirendi à Cœlestino consilii, et quid demùm in eâ re agendum videretur, siscitandi. En verba Cyrilli tomo 3, pag. 890: « Si in rebus adeò ne« cessariis, ubi recta fides malè à quibusdam « depravata, distortaque periclitatur, citra no« tam silere, et cuncta quæ hactenùs mota « agitataque sunt, citra morositatis vitium pie« tatem tuam celare liceret, dixissem utique « mihi: Bona ac periculi expers res est silen« tium. Et illud rursùm: Præstat quietam « vitam agere, quàm turbis operam dare. Quo« niam verò Deus hisce in rebus vigilantiam à « nobis exigit, et vetus Ecclesiarum consue« tudo suadet, ut ejusmodi res sanctitati tuæ « communicentur, scribo planè necessitate « adactus, Satanam omnia miscere, contraque « Dei Ecclesias insanire.... »

Græcus. Postquàm tu luculento adeò testimonio propositum evicisti, non te celabo, quæ ante Cœlestinum Africanorum Patrum synodus Milevi in urbe Numidiæ ad annum 416 coacta ad Innocentium I perscripsit in eamdem sententiam; vertebatur inter Patres gravissimum Cœlestii atque Pelagii hæreticorum negotium; Epistolæ synodicæ hic ingressus est: « Quia te « Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in « sede Apostolicâ collocavit, talemque nostris « temporibus præstitit, ut nobis potiùs ad cul« pam negligentiæ valeat, si apud tuam vene« rationem, quæ pro Ecclesiâ sunt suggerenda, « tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiosè, « vel negligenter accipere, magnis periculis « infirmorum membrorum Christi pastoralem « diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. « Nova quippe hæresis, et nimiùm perniciosa « tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi... « Hæc ad sanctitatem tuam de concilii Numi« diæ scripta direximus, imitantes Carthagi« nensem Ecclesiam, et Carthaginensis Ec« clesiæ episcopos nostros, quos ad sedem « Apostolicam, quam beatus illustras, de hâc « causâ scripsisse comperimus. » Et altera Epistola episcoporum quinque, in quorum numero et Augustinus fuit, sic papam alloquitur: « Non agitur de uno Pelagio...... aut « ergo à tuâ veneratione accersendus est Ro« mam, et diligenter interrogandus, quam « dicat gratiam......, et cùm inventus fuerit « hanc dicere...... absolvendus est. »

Latinus. Ne tu rem arcanam mihi detexisse videare, habe insuper et responsum pontificis, quod rem omnem absolvit; ait is : « Diligenter « ergo et congruè Apostolici consulitis honoris « arcana, honoris, inquam, illius, quem, præter « illa quæ sunt extrinsecùs, sollicitudo manet « omnium Ecclesiarum super anxiis rebus, « quæ sit tenenda sententia : antiquæ scilicet « regulæ formam secuti, quam toto semper « orbe nôstis esse servatam. Verùm hæc missa « facio : neque enim hoc vestram credo latere « prudentiam, qui id etiam actione firmâstis, « scientes quòd per omnes provincias de « Apostolico fonte petentibus responsa semper « emanent, præsertim quoties fidei ratio ven- « tilatur; arbitror omnes fratres et episcopos « nostros non nisi ad Petrum, id est, sui no- « minis et honoris auctorem referre debere, « velut nunc retulit vestra dilectio. »

Græcus. Ex te jam etiam nôsse cuperem, quem res denique eventum cum Pelagio, Cœlestioque sortita sit; an se illi Romano tribunali stiterint, quid, aut quantùm eidem detulerint; absoluti denique, an condemnati sint.

Latinus. Eorum causam apud duos pontifices Innocentium atque Zozimum versatam diligenter esse, pro comperto habeo. Ac Innocentius quidem datis rescriptis ad Carthaginensem atque Milevitanam synodum, dogma nefarium condemnavit, tum et ejus auctores à communione ecclesiasticâ abstinuit, dùm ad saniorem mentem redirent. Mansuetiùs Zozimus cum utroque initio procedendum sibi duxit. Cùm enim libellum à Pelagio ex Oriente transmissum ad Innocentium, ipse ejus successor suscepisset, Cœlestius verò Romam continuò advolâsset, magnam de utroque in rectam viam reducendo spem pontifex optimus concepit. Uterque in speciem catholicæ sentire, aut velle ex animo videri potuit; uterque placita sua apostolico judicio substernebat. Pelagii verba erant : « Hæc est fides, etc..., in quâ si minùs « peritè, aut parùm cautè aliquid positum est, « emendari cupimus à te, qui Petri et fidem, « et sedem tenes. Sin autem hæc nostra con- « fessio apostolatûs tui judicio comprobatur, « quicumque me maculare voluerit, se imperi- « tum vel, malevolum, vel etiam non catholi- « cum, non me hæreticum comprobabit. »

Græcus. At probè nôsti, quos ea Zozimi papæ in impios facilitas motus adversùs Romam in Africâ suscitaverit, quæ incendia; tunc, si quando, in periculum adducta mihi videtur Romanorum pontificum dignitas. Cùm enim causam doctrinæ eorum, dudùm hæreseos convictæ, damnatæque rursùm suscitari, et in judicium revocari iterùm audîssent, propensumque nimiùm Zozimum papam ad homines absolvendos, sive intelligerent, sive etiam experirentur, obstitêre acriter, ne denique ad sententiam progrederetur Zozimus.

Latinus. Nil periculi adiisse tum Romanorum pontificum auctoritatem, si quando Patrum inspexisti litteras, tibi ipsi fatendum est. Ægrè ferebant causam retractari, fateor : at cur? quoniam à synodo atque auctoritate Innocentii definitam terminatamque nôrant. Quare nihil egêre insolenter, sed obtestando; intercesserunt, non restiterunt, ne locus daretur sententiæ, dùm plenam causæ totius, actorumque cognitionem ex Africâ legatus Patrum Romam portaret. Et detulit Zozimus justæ Patrum obtestationi, sic tamen, ut etiam suæ potestatis admonitos vellet. Verùm legato vix Romam ingresso, cùm se Cœlestius, cui dies in defensionem constituta fuerat, clam urbe eripuisset, patuit continuò sive mala conscientia, sive fraus hominis, et decreta severa in utrumque hæreticum à Zozimo etiam, multâ Africanorum Patrum lætitiâ, instaurata, atque per universas Ecclesias vulgata sunt.

Græcus. Venia, quæ Cœlestio Pelagioque, si resipuissent, offerebatur à Romanâ sede, nescio, an etiam dari potuerit? id sanè videntur Africani Patres in controversiam vocâsse.

Latinus. Ab eâ mente procul Patres abfuisse ne dubita, neque eis ignota erant, quæ non ita olim, Julio nempe papâ, in Valente atque Ursacio effectui mancipata sunt. Utrumque Sardicensis synodus sede episcopali ejecerat, tum quòd Arii doctrinam sectarentur, tum quòd athletam Christi fortissimum Athanasium dirè insectati, sæpèque innumeris calumniis propè obruissent. Tot tamen tantisque sceleribus, postquàm pœnitentiam egêre, Julius concessit veniam, communionem restituit. Preces eorum refert Epiphanius hæresi 68 : « Valens et Ursacius, pœnitentiâ ducti Julio Romano pontifici libellos obtulerunt, quibus errorem suum deprecabantur : Calumnias, inquiebant, contra Athanasium struximus; tu verò ad « communionem et pœnitentiam nos admitte. » Et admisit sanè, ut testis est ipse Athanasius, apologiâ 2, ubi eos ad Julium sic loquentes inducit : « Recepimus Athanasii communio- « nem, quia tua in Deum pietas veniam, se- « cundùm suam genuinam probitatem, nostro « errori impertiri dignata est.

GRÆCUS. An plures adhuc hæreticos habes, qui Romanam sedem adiverint? de Fortunato quidem presbytero, et pseudo-episcopo Felicissimo, aliisque presbyteris hæreticis, atque schismaticis mirari mihi visus est Cyprianus, quòd fiduciâ sumptâ Romam adierint; verba ejus sunt ep. 55, ad Cornelium: « Post hæc « insuper pseudo-episcopo sibi ab hæreticis « constituto: navigare, inquit, audent et ad « Petri cathedram, atque ad Ecclesiam prin« cipalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, « à schismaticis et profanis litteras ferre, nec « cogitare eos esse Romanos, quorum fides, « Apostolo prædicante, laudata est, ad quos « perfidia non possit habere accessum. »

LATINUS. Id nunc non agimus, an rectè ad sedem Romanam appellaverint, quid miratus sit, quid ægrè tulerit Cyprianus in epistolâ illâ ad Cornelium; accessisse tamen ad Romanam sedem liquet: et infinitus sim si causas omnes fidei, quin et disciplinæ, quæ ad tribunal papæ auditæ sunt, indè à principio Ecclesiæ ad nostra tempora persequi velim. Id generatim habe, morem fuisse perpetuum, ut hæretici ad Romanum præprimis tribunal ablegarentur: id sanè illa communis Patrum sententia in Chalcedonensi synodo act. 5, satis edocet: « Reve« rendissimi episcopi Illyrici dixerunt: Qui con« tradicunt, manifesti fiant; qui contradicunt, « Nestoriani sunt; qui contradicunt, Romam « ambulent. » Et quem morem indicâsse videtur hæc quarta synodus, illum planè secuta est sexta, quando, ut narrat Constantinus Pogonatus in suâ epistolâ ad Leonem papam, Macarium Antiochenum, et socios hæreticos transmisit ad papam.

GRÆCUS. Nihilne tu dices de Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Monothelitarum atque Iconoclastarum hæresibus? poteris hæc tanta præterire silentio?

LATINUS. Hæc, ut pervagata, atque in vulgus notissima, intacta relinquam; id generatim tibi in memoriam revoco, tam graves capitalesque, quàm erant istæ hæreses, omnes sanè Romæ primùm pontificum severitatem expertas, censuram subiisse, dirisque devotas, quàm ab œcumenicis synodis ferirentur, et synodis ipsis pontificum litteras ad rectam fidem tuendam, veluti faciem constanter prætulisse.

GRÆCUS. Scrutemur itaque, quæ à vulgo paulò remotiora sunt, neque ita obvia, omniumque oculis exposita. An ergo ad Romanorum pontificum tribunal auditæ quoque sunt causæ ac dubia, sive quæ occasione aucti Trisagii universum Orientem confuderant, sive quæ monachos Scythas atque Acæmetas diuturnis ac pertinacibus odiis exercuerunt? Erant Acæmetæ Constantinopoli monachorum cœtus, inde sic dicti, quòd in eorum ecclesiis, cursu nunquàm interrupto, noctes diesque, per horas omnes, divinæ laudes ducerentur.

LATINUS. Exarsit ea lis acerrima in Oriente ad annum 477; cùm enim piissimè à multis retrò annis in Ecclesiis usurpatum esset, quale à Seraphinis acceptum fertur, Τρισάγιον, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis; miserere nobis*, Petrus Fullo Antiochenus episcopus, Theopaschitarum afflatus malo, auxit Trisagium, intersertâ post, *immortalis*, hâc appendice: *Qui crucifixus es pro nobis.* Hæc una lis à Fullone commota: altera Acæmetarum fuit, *qui unum è Trinitate incarnatum, et carne passum,* et B. Virginem, proprietate ac naturâ vocum servatâ, *Dei Genitricem* dici posse pernegabant, cùm contra omnibus viribus niterentur Scythæ monachi. Atque hæ causæ, inferentibus eas ipsis imperatoribus, atque patriarchis Romam, magnâ sollicitudine auditæ, excussæ ac judicatæ pro tribunali sunt, quin et finem acceperunt.

GRÆCUS. Simplicius papa, nisi fallor, Petri Fullonis additionem proscripsit datis litteris, quarum initium est: *Quis dabit capiti meo?*

LATINUS. Quin et dispositionis sententiam exequendam in Fullonem demandavit idem Acacio Constantinopolitano; teneo hæc ex Gelasii papæ commonitorio ad Faustum; dignus locus est, quem audias, quando paucis ille verbis in tres summos patriarchas primatum à Simplicio papâ uno eodemque veluti actu gestum, exhibet. Verba commonitorii sunt: « In hâc ipsâ « causâ Timotheus Alexandrinus, et Petrus « Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, et « cæteri non solùm unus, sed plures utique, « sacerdotii nomen præferentes, solâ sedis « Apostolicæ auctoritate sunt dejecti; cujus « rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui « præceptionis hujus exstitit executor. » Tantâ verò licet severitate usus esset Simplicius, non ita tamen malo finem imposuit, ut non idem vires resumpserit, favente inprimis hæresi Anastasio imperatore, cujus adeò pertinax fuit impietas, ut ne arma quidem à Vitaliano mota, multusque sanguis restinguendæ par esset.

GRÆCUS. Alteram monachorum causam ad Hormisdam papam delatam per Justinianum imperatorem memini; aiebat imperator ad Hormisdam: « Nisi enim precibus ac diligentiâ « vestrâ hæc quæstio soluta fuerit, veremur « ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax « provenire. » At Hormisdas quanquàm repetitis precibus à Justiniano fatigatus ipsisque adeò Scythis monachis Romam advolantibus, definitivâ sententiâ abstinuit.

LATINUS. Verùm cùm suo atque patriarchæ nomine urgeret negotium imperator, atque ad Joannem papam ita scripsisset: « Petimus « paternum vestrum affectum, ut vestris ad nos « destinatis litteris, et ad sanctissimum almæ « hujus urbis patriarcham fratrem vestrum, « quoniam et ipse scripsit ad vestram sancti- « tatem, festinans in omnibus sequi sedem « Apostolicam beatitudinis vestræ, etc., cau- « sam absolvatis » Joannes papa, frustra obnitentibus itidem per legatos Acæmetis, ad optatam metam litem perduxit, et ad extremum definivit: « Unum è Trinitate incarnatum, et « carne passum, atque B. Virginem verè Dei Genitricem esse, ut testis est Liberatus Breviarii c. 20. Quod deinceps synodus etiam V, coll. 8, can. 4, complexa est, et confirmavit Vigilius.

GRÆCUS. Quando approbatam Scytharum monachorum assertionem audio, rectè, nisi fallor, concludam, nil eos commune habuisse, sive cum Theopaschitis et blasphemâ Fullonis additione, sive etiam cum Eutychianis. Ut quid igitur doctissimus Annalium ecclesiasticorum parens traducit innocentes Scythas, et invidioso nomine Eutychis atque Fullonis discipulos appellat? Equidem, ut tibi fatear, neque ego satis Scytharum inter articulum atque Fullonis additionem discerno, mirorque sæpenumerò, cùm unum damnatum esset à Simplicio, potuisse approbari alterum à Joanne.

LATINUS. Scytharum monachorum assertionem in varios posse sensus distrahi, locupletissimè ostendit Lupus in notis ad synodum Ephesinam. In pejorem partem vertit omnia, notamque eam quam dixisti, Scythis monachis inussit Baronius. At eamdem doctissimè propulsavit cardinalis Norisius l. 2 Hist. Pelag., c. 18. Et quanquàm ea Scytharum monachorum assertio additioni Fullonis, si verba spectes, magnoperè affinis sit, sensu tamen toto discrepabat. Fullo namque Filium Dei in substantiâ Deitatis, aut Trinitatem ipsam crucifixam contendebat, cùm contra monachi Filium carne passum dicerent. Et de impiâ Fullonis mente jam ab initio non levis fuit suspicio: hoc eum probi omnes animo designâsse, non ex vano conjiciebant quando ex more perpetuo, usuque, Trisagion ad Trinitatem ipsam pertinebat, ideòque ore omnium τριαδικὸν vocitabatur. At postea, hoc denique fuisse Fullonis consilium, plenâ luce apparuit, cùm, ejecto Callendione, rursùs in sedem Antiochenam invasit. Callendio in sedem Antiochenam evectus, cùm invectam usuque donatam impiam additionem Fullonis eximi posse desperâsset, emendandum putavit, et intersertis ante additionem Fullonis hisce, *Rex Christe*, catholicum sensum Trisagio restituit. At sedi redditus Fullo, ut impium sensum retineret, quem primò invexerat, adjecta per Callendionem rescidit, et hæreticum se denique ex animo probavit.

GRÆCUS. Satis jam hæreticorum fortunam secuti sumus; Romæ causas eorum ut plurimùm excussas, judicatas, abundè vidimus; inde in eos contorta fulmina, excommunicationes, depositiones dictatas: spem etiam veniæ inde factam, cùm de se pœnitentiæ spem fecerant, quin et in Ecclesiam receptos, cùm se suaque emendârunt, compertum habeo. At cur eum morem universa Ecclesia secuta sit, causas etiam lubens cognoscerem: quid erat quod eos ad Romanum inprimis tribunal traheret?

LATINUS. Agathonis Epistola ad imperatores, quæ prostat synodo VI, tomo 6 Conc. act. 4, causas omnes dilucidè explicat; hujus tu itaque partem accipe: « Petri adnitente præsidio, hæc « Apostolica ejus Ecclesia nunquàm à veritatis « viâ in quâlibet erroris parte deflexa est, « cujus auctoritatem, utpote Apostolorum om- « nium principis, semper omnis catholica « Christi Ecclesia, et universales synodi fide- « liter amplectentes in cunctis secutæ sunt, « omnesque venerabiles Patres apostolicam « ejus doctrinam amplexi. » Eamdem causam suggerit Basilius in Epistolâ Sabino diacono datâ ad Romanum pontificem: « Pietati, ait, « tuæ donatum à Domino, ut quod adulterinum « est, à proprio et legitimo discernas, ac fidem « Patrum sine subtractione ullâ prædices. » Idem insinuat, eodemque argumento Petrus Chrysologus Eutychem ad obediendum Romano pontifici invitat: « Hortamur te, frater venerabilis, « ut his quæ à beatissimo papâ Romanæ urbis « scripta sunt, obedienter attendas, quia B. « Petrus, qui in propriâ sede vivit et præsidet,

« præstat quærentibus fidei veritatem. » Bernardus ad extremum ep. 190, ad Innocentium, causam, quam optabas, verbis disertissimis complexus est : « Oportet, ait, ad vestrum « referri apostolatum pericula quæque, et « scandala emergentia in regno Dei, ea præser- « tim, quæ de fide contingunt. Dignum nam- « que arbitror, ibi potissimùm resarciri damna « fidei, ubi non possit fides sentire defectum : « hæc quippe prærogativa hujus sedis. Cui « enim aliquando dictum est : *Ego rogavi pro « te, Petre, ut non deficiat fides tua;* ergo quod « sequitur à Petri successoribus exigitur : *Et tu « aliquando conversus, confirma fratres tuos,* etc. »

Græcus. Si te longiùs sinam procurrere, prope est, ut etiam Romanorum pontificum infallibilitatem mihi persuadeas. At enim quoniam istud non habes propositum, et unum id egisti, ut causas fidei Romani pontificis supremo judicio submissas esse ostenderes; age nunc etiam, et doce, disciplinæ quoque ac morum rationes Romanis pontificibus curæ semper fuisse; in summâ, inde judicium, inde sententiam, causas omnes majores tulisse.

Latinus. Æquissimæ petitioni tuæ subscribo, atque ut primùm testimoniis, tum et exemplis summorum episcoporum palam faciam, disciplinæ etiam causas ad Romanum tribunal pertinuisse, et relatas constanter esse, juvat inprimis audire, quæ de tribus præcipuis patriarcharum sedibus varii pronuntiârunt. Imperator Constantinus Pogonatus Leonem II precatus est, ut more veteri destinaret Apocrisiarium, qui papæ nomine res Ecclesiæ moderaretur; verba ejus sunt : « Hortamur « porrò vestram sanctissimam summitatem ut « quamprimùm mittat, quem designare solet, « Apocrisiarium, ut is in regiâ, et à Deo con- « servatâ nostrâ urbe degat, et in emergenti « bus, sive dogmaticis, sive canonicis, ac « prorsùs in ecclesiasticis omnibus negotiis « vestræ sanctitatis personam referat. » Quid verò sit referre personam pontificis, etsi res ipsa satis explicet, juvat tamen audire Nicetam Paphlagonem in vitâ S. Ignatii patriarchæ; is rem ipsam videtur paucis complexus, ubi de S. Ignatio patriarchâ Constantinopolitano sic loquitur : « Romanis enim pro antiquâ ec- « clesiasticâ traditione, judicandi potestatem « permittebat. » Quem morem valuisse in Ecclesiâ quoque Antiochenâ disertè perhibet Juvenalis Hierosolymorum episcopus, in concilio Ephesino ita loquens : « Mos invaluit, ut « sedes Antiochena ex Apostolicâ quâdam con- « suetudine et traditione à Romano episcopo « disponeretur, et judicium acciperet. » Neque aliam fuisse consuetudinem Alexandrinæ sedis manifestè liquet ex Socratis l. 3, c. 17, ubi narrat Eusebianos Julii papæ litteris acriter reprehensos, quòd pendente Romæ causâ Athanasii, ipsi contra canones ecclesiasticos indicium occupâssent, sive odiis in Athanasium, sive ambitione abrepti. Verba pontificis erant : « Non decuit novos istos modos contra « Ecclesiam induci.... Cur igitur, et inprimis « de Alexandrinâ civitate nihil nobis scribere « voluistis? An ignari estis hanc consuetudi- « nem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc « quod justum est, definiri possit... Non ita se « habent Pauli ordinationes, non ita Patres « docuerunt, sed fastus iste, et novum stu- « dium est. »

Græcus. Testimoniis dilucidis, si exempla etiam junxeris, rem absolvisti.

Latinus. Audîsti Julium Romanum pontificem, ut perstrinxerit Eusebianos violatorum canorum reos : an adhuc igitur dubium tibi esse potest ad ipsos planè non fidei modò, sed et disciplinæ rationes semper pertinuisse. Atque ut nôris, non vi, sed jure optimo id sibi asseruisse pontifices, Cyrillum inprimis Alexandrinum in memoriam tibi revoca. Tulerat in hunc et Memnonem, amicus Nestorio Joannes Antiochenus depositionis sententiam. Ea temeritas, is furor, gravissimè synodo III œcumenicæ displicuit, atque ad vindictam meritam Patres provocâsse potuit; abstinent se tamen, nec severiùs quidquam decernunt, et quanquàm in aperto crimen multiplex esset, judicio papæ rem omnem reservant. Verba eorum sunt : « Verùm ut Joannis teme- « ritatem longanimitate vinceremus, deposi- « tionem ejus reservavimus judicio pietatis « tuæ... Inde sanctitas tua convenienti indi- « gnatione concitetur; nam si volentibus « licebit etiam majores sedes afficere contu- « meliis, et sententias adeò iniquas contra « præscripta canonum ferre in eos in quos « nihil juris habent, in extremam confusionem « delabentur res ecclesiasticæ. »

Græcus. Dissidium id inter Antiochenam ac Alexandrinam Ecclesiam prope triennium à peractâ synodo Ephesinâ perduravit. Cœlestinus papa in responsione datâ ad synodum, quia se mitiùs aliquantò gessit, tam in sectatores Nestorii, quàm in Joannem Antiochenum, alienarumque diœceseon invasores, quam

optâsse synodus videbatur, eâ clementiâ, nisi fallor, audaciam Dioscoro Alexandrino, paucis post temporibus aspiravit, ut in supremam sedem, temerario prorsùs facto, excommunicationis sententiam contorqueret; secutus nempe Joannis Antiocheni exemplum, qui in Cyrillum Alexandrinum, majoris sedis episcopum, idem, inulto crimine, tentaverat.

Latinus. Neque id, quod tu ais, exemplo fuit Dioscoro, neque esse potuit, ut in Leonem sententiam ferret : hùc illum sua impietas impulit, quæ furore potiùs quàm exemplis ducitur. Cœlestini illa clementia, quæ elucet totâ Epistolâ responsoriâ ad synodum : *Tandem malorum*, Conc. tomo 3, p. 1590, satis tibi documento esse potest, pontificiæ potestatis limites nullos prope esse. Et severitas Leonis in Dioscorum idem quoque evincit. Quis enim, quâ de causâ, si quæras, sacerdotio moverit Dioscorum? respondet Anatolius Constantinopolitanus act. 5 synodi Chalcedonensis : « Propter fidem non est damnatus Dioscorus, « sed quia excommunicationem fecit Domino « archiepiscopo Leoni, et tertiò vocatus non « venit, ideò damnatus est. » Legati Apostolici plura ejus delicta aperiunt, et sententiam, quæ in ipsum dicta est, ad Leonem referunt. Tomo 4 Conc., p. 1303 : « Manifesta facta « sunt, quæ à Dioscoro quondam Alexandriæ « magnæ Ecclesiæ episcopo commissa sunt ad- « versùm sanctarum regularum ordinem, et « ecclesiasticam disciplinam.... Hic etenim, ut « plurima intermittamus, Eutychem regulariter « à proprio damnatum episcopo, id est, sanc- « tissimo Patre nostro et archiepiscopo quon- « dam Flaviano, præsumens sibi primatum, « irregulariter in communiones suscepit, prius- « quàm consideret in Epheso cum Dei aman- « tissimis episcopis. Sed illis quidem Aposto- « lica sedes veniam præstitit, de iis quæ ibi « non voluntariè ab eis gesta sunt, qui et hac- « tenùs permanserunt obedientes sanctissimo « archiepiscopo Leoni, et omni sancto et uni- « versali concilio : hujus gratiâ, et in suâ com- « munione eos sicut confideles suscepit. Hic « autem, et hactenùs permansit glorians... « super hæc verò, neque epistolam legi permi- « sit beatissimi P. Leonis, scriptam ad sanctæ « memoriæ Flavianum; et hoc frequenter ro- « gatus à portitoribus recitari eam, et cum « juramento fieri lectionem promittens, quâ « non lectâ scandalum et læsionem sanctæ « Dei Ecclesiæ per totum orbem terræ pertu- « lerunt... Præsumpsit et excommunicationem « dictare adversùs sanctissimum et beatissi- « mum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. « Insuper et multi libelli, multis ejus pleni « iniquitatibus, contra eum in sancto et magno « concilio oblati sunt; et semel et secundò, et « tertiò regulariter vocatus, minimè voluit « obedire. Et hos qui à diversis conciliis regu- « lariter damnati sunt, contra divinas leges « suscepit, ideò ipse contra se elicuit senten- « tiam, et sæpius ecclesiasticos conculcans « canones. Unde sanctissimus et beatissimus « archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo « per nos et præsentem sanctam synodum, « unà cum ter beatissimo, et omni laude di- « gno B. Petro Apostolo, qui est petra et cre- « pido Ecclesiæ catholicæ, et rectæ fidei fun- « damentum, nudavit eum tam episcopatûs « dignitate, quàm etiam ab omni sacerdotali « alienavit ministerio. »

Græcus. At hæc pontificis sententia, suffragio licet totius concilii comprobata, vim suam in Alexandrinâ Ecclesiâ obtinuisse non videtur; quando Timotheus Solophaciolus episcopus catholicus, qui Alexandriæ sedit tertius à Dioscoro, recitabat adhuc ad altare nomen Dioscori inter sacra.

Latinus. Recitâsse quidem, at ab Eutychianis compressis gladiis adactum; quorum metum ubi posuit, datis ad Simplicium papam litteris, qualicumque huic suo delicto aut scandalo enixis precibus veniam deprecatus est, rogans, ut Petrum Mongum ab hæreticis intrusum, insidiantem sedi procul arceret; in quem finem pontifex binas ad imperatorem Zenonem dedit, totidemque ad Acacium Constantinopolitanum, quem et certiorem reddidit de misso ad se per eumdem Timotheum libello pœnitentiæ eorum quos Ælurus et Mongus à sincerâ fide abduxerant.

Græcus. Delicta Antiocheni atque Alexandrinorum episcoporum ad Romanum tribunal perlata, et sententiâ pontificis indulgentiam aut pœnam accepisse, luculentè hactenùs exemplo Athanasii, Cyrilli, Dioscori, Joannis, Timothei comprobâsti; et pro Flaviani innocentiâ susceptum à Romano pontifice Leone conatum indicâsti. Reliquum est, ut correptos correctosque etiam Constantinopolitanos exhibeas, et circa eosdem etiam in causis disciplinæ, pontificum vigilantiam, severitatem aut lenitatem nobis commendes.

Latinus. In tanto malorum, aut non undique bonorum numero, qui Constantinopolim moderati sunt, exempla deesse haud possunt,

At enim abstinebo ab aliis, eorumque duntaxat exemplis utar, qui patriarchatum Constantinopolitanum aut struxêre aut ampliare in animo habuerunt. Ita enim Deo planè disponente factum est, ut quotquot illi sedi efferendæ dederunt operam, omnes etiam Romanorum pontificum censoriam virgam non effugerint; atque submissionis suæ æquè ac gloriæ pontificiæ testes ad posteros esse possint.

GRÆCUS. D. Gregorium Nazianzenum, aut successorem ejus Nectarium à Constantinopolitanâ I synodo canone 3, ipsâ potestate patriarchicâ aut certè secundæ honore sedis auctos, in confesso est. An verò in hos etiam, aut occasione ex his captâ, præclarè quid gesserunt, et unde dominatus eorum in Ecclesiâ eluceat, Romani pontifices?

LATINUS. Nobilitârunt, ac veluti insignierunt supremum Damasi papæ regimen tres continenter Constantinopoleos episcopi, Maximus Cynicus, Nazianzenus atque Nectarius. Damasus erat, qui provectionem in eam sedem Cynici acriter reprehendit, datâ ad Ægyptios episcopos litterâ. Ipse Nazianzeni translationem, quòd contra canones esset, nec laudavit, nec ratam habuit. Quare etiam Gregorius pro insigni suâ sanctimoniâ, invitus tantùm sedem eam iniit, initam pro illegitimâ aspexit, sibique relictus eâdem excessit. Viri sanctitatem declarant hæc ejus verba : « Sed meum non « erat ad vim genuflectere, nec illegitimam « sedem exosculari, qui ne coactus legitimam « admiserim. » Nec denique Nectarii evectio firma habita est, priusquàm ad eam Romæ consensus accederet. Disertè id perhibet Bonifacius I, Epistolâ ad Rufum Thessalonicensem, de iis temporibus scribens : « Princeps Theo« dosius Nectarii ordinationem, propterea quòd « in nostrâ notione non esset, habere non « existimans firmitatem, missis à lare suo au« licis, cum episcopis, formatam huic à sede « Romanâ dirigere regulariter deponit, quæ « ejus sacerdotium roboraret. »

GRÆCUS. Alter, quo sedente, crevit auctoritate Constantinopoleos thronus, fuit Atticus, sanctorum non minùs numero adscriptus : hoc namque pontifice, Theodosius Augustus Junior, seu sponte suâ, et studio augendæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, sive Illyricianorum molitionibus adductus anno 421, Constantinopolitani, ante pauca tempora, urbis suæ muris prope clausi, jura in Illyricum etiam extendit, et raptu nobili jus patriarchicum ibi Romano ab olim constitutum, ereptum ibat. Per leg. 45 Cod. Theod. de Episcopis.

LATINUS. Rem ut absolutissimè teneas, meminisse te volo, Illyricum omne cum Eudociâ, veluti dotis nomine ab Honorio Occidentis Augusto, Juniori Theodosio in Oriente imperanti, transcriptum esse; Illyriciani eam occasionem nacti, dudùmque jam Thessalonicensis episcopi dominatum perosi, qui ad id tempus vicarii apostolici munus per Illyricum omne ex veteri instituto exercebat, ut se hujus denique potestati subducerent, imperatorem artibus ad legem eam condendam pertraxêre. Igitur his subrepentibus, rescriptum emisit Theodosius : jubebat eo, graviores Ecclesiarum causas non jam Thessalonicam, sed Constantinopolim à synodis Illyricianis referendas esse. Verùm, detectis fallaciis episcoporum Illyrici, per Honorium Augustum, ab incœpto destitit, vim omnem legi detraxit, canonesque, ac vetustum morem obtinere in totum voluit. Hæc, Attico Constantinopoleos episcopo, gesta sunt; nunc quid in eum ipsum, accipe. Ejecto iniquè Chrysostomo in exilium, successerat, Arsacio tantùm interjecto, Atticus in Constantinopolitanam cathedram, et sancto illi exuli, quamvis et ipse sanctus, immoderato zelo initio adversatus fuerat : Innocentius papa ob utrumque hoc caput adduci non potuit, quanquàm multis legationibus rogatus, ut Attico consuetam Ecclesiæ pacem daret, neque deinceps, teste Theodoreto, lib. 5, cap. 34, ea impetrata est, nisi postquàm mutato animo errorem agnovit Atticus, et D. Joannis Chrysostomi nomen tabulis sacris inscripsit; errataque hæc qualiacumque, pœnitentiâ, ac pastorali sanè adversùs hæreses vigilantiâ expiavit, dignus qui sanctorum catalogum auxerit.

GRÆCUS. Anatolii fortunam nunc prosequere, quem probè nôsti præcipuum auctorem, ac veluti architectum fuisse Chalcedonensium canonum, quibus Ecclesia Constantinopolitana prope exæquari cum Romanâ sede nonnullis visa est.

LATINUS. Flaviano, scelere Eutychianorum ejecto ac trucidato immanissimè, suffectus est in sedem Anatolius ab episcopis ejusdem cum Dioscoro furfuris initiatus; verùm Leo institutionem eam non admisit; neque assensu suo sedem Anatolio firmavit, nisi, hinc ipso rectæ fidei, in cujus suspicionem vocabatur, subscribente; inde intercessore facto ipso Augusto. Quare in Epistolâ ad Marcianum, aiebat :

« Vestræ fidei, et interventionis habentes in« tuitum, cùm secundùm suæ consecrationis « auctores, ejus initia titubarent, benigniores « circa ipsum, quàm justiores esse voluimus, « quo perturbationes omnes, quæ operante « diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis « leniremus. » Et post pauca : « Satis sit præ« dicto (puta Anatolio) quòd vestræ pietatis « auxilio, et mei favoris assensu episcopatum « tantæ urbis obtinuit. » Superiorem hæc manifestè sapiunt : alterum id erat, quo se superiorem exhibuit Leo erga Anatolium. Ordinaverat in locum Domni Antiocheni, à Dioscoro injustè depositi, Maximum Anatolius; id insolens factum magnoperè vitio vertebat Leo, et quid in eâ re ipse posset, manifestis verbis indicavit : « Neque sibi æstimet licuisse (Anato« lius) quòd Antiochenæ Ecclesiæ, sine ullo « exemplo, contra statuta canonum, episco« pum ordinare præsumpserit, quod nos amore « reparandæ fidei, et pacis studio, retractare « cessavimus. » Et verò institutionem Maximi nullam fuisse futuram, utcumque testatus est et ipse Anatolius, cùm in Chalcedonensi synodo, ut Maximi episcopatum extra controversiam collocaret, dixit : « Quoniam, et sanc« tissimus Leo Romanus episcopus, in commu« nionem eum recipiens, præesse eum Antio« chenæ judicavit Ecclesiæ. »

Græcus. An verò tibi suppetit, ex quo Leonem, etiam à condito canone in Chalcedonensi synodo, in Anatolium jus supremum exercuisse ostendas? quæ enim ante retuleras, Chalcedonensis synodi canonem præcessêre.

Latinus. Cùm Leo canonibus, quicumque præjudicium afferebant ordini sedium summarum, acerrimè obstitisset, neque emolliri posset, sive per legatos Pulcheriæ Augustæ, sive ipsius etiam Anatolii, ut vel latum unguem decederet; quin cùm etiam ob eam causam severè objurgâsset Anatolium, et ambitionis apud Marcianum et Pulcheriam postulâsset, verbo, in irritum misisset omnia quæcumque in eo negotio acta essent; vindicaturus tot facta in se pontificis, ausus est Anatolius in vulgus spargere, Leonem non recepisse Chalcedonensem synodum; insuper quoque, quo ægrè Leoni faceret, ejus studiosissimum Aetium archidiaconum Constantinopolitanæ Ecclesiæ de gradu dejecit, subvecto Andreâ, multisque aliis de hæresi suspectis. Iis ex ipsius Marciani Augusti relatione cognitis, Leo circulares dedit, quibus approbare se, quæcumque de fide decreta essent Chalcedone, testatus est : ita sparso per Anatolium rumori larvam detraxit, et ne rursùs hæresis in Oriente caput efferret, Juliano Coensi episcopo vicariam potestatem per Orientem delegavit, ad Augustum insuper dedit litteras in causâ Aetii, minatus Anatolio excommunicationem, nisi id corrigeret. Quâ constantiâ demùm fractus Anatolius remisit de fastu, atque in suis ad papam datis dicere non dubitavit : « Penitùs absit, ut eis « ego, quæcumque mihi fuissent mandata per « litteras, adversarer. » Et Aetium in veterem locum reposuit, et Chalcedonensium canonum conditorum invidiam in clerum Constantinopolitanum, aliosque detorquere conatus, denique Leonis arbitrio reservatam confirmationem fuisse testatus est : « Cùm et sic gesto« rum vis omnis, et confirmatio auctoritati ves« træ beatitudinis fuerit reservata. » Continet hæc omnia epistola Anatolii, quam Allatius exhibet lib. 1, cap. 23, dignâ quæ legatur.

Græcus. Juribus quæ offerebant Chalcedonenses canones, etsi prorsùs renuntiâsse videri possit Anatolius, tamen Acacius, qui eum, solo Genadio interjecto, secutus est, eadem reparâsse utcumque videtur, favore Zenonis, in imperium restituti anno 477. Ut enim observat Pagius, non Leoni et Anthemio, sed Zenoni lex 16 C. de sacrosanctis Ecclesiis, in favorem Acacii lata, tribuenda est, quæ privilegia eadem Constantinopolitanæ Ecclesiæ renovat.

Latinus. Quam vim habeant imperiales leges in ecclesiasticis rebus, tum præcipuè, cùm canonibus conciliorum adversantur, jam ante dixisse me memini : igitur hoc nunc relinquamus. Et quæ Felix Romanus pontifex egit auctoritate supremâ adversùs Acacii molitiones, in medium producamus. Acacius, veluti si omnia jura Ecclesiæ in se transtulisset, ita sedes supremas perturbabat. Joannem Talajam Alexandrinum episcopum, anno 482, Zenonis imperatoris auxilio dejecit, et Petrum Mongum hæreticum, dudùm apostolico judicio damnatum, provexit. Sic rebus comparatis, cùm Joannes sede pulsus, Romam venisset, et Simplicium papam appellâsset veluti judicem legitimum, teste Liberato, cap. 18, apud Felicem successorem appellationem prosecutus est. Felix Constantinopolim legationem destinavit, et litteris suis Acacium redarguit de proditâ fide, quin et citationis libellum addidit, quo ad causam dicendam eum Romam evocabat : Zenonem quoque requisivit, ut suæ huic gestæ petitioni adesset. Liberatus, Evagrius lib. 3, cap. 18.

Græcus. At non paruit Acacius, quanquàm iteratò monitus, quin, et Joannem Apameæ episcopum à Petro Fullone consecratum, et ipsius quoque sedis Antiochenæ quondam invasorem à Felice papâ excommunicatum, in contumeliam sedis Apostolicæ, Tyri episcopum esse jussit, et Petrum Fullonem itidem à Romano pontifice anathemate percussum, in sede Antiochenâ, quam secundò invaserat, confirmavit, et legatos pontificis indignè ac contemptim habuit.

Latinus. Verùm tot scelera pontifex inulta non transmisit; etenim damnationis sententiam Constantinopolim continuò destinavit; quam cùm Acacius, fretus imperatoris gratiâ, admittere detrectâsset, qui eam detulerant, per monachum quemdam Acæmetam Acacii ingredientis ecclesiam pallio per ludibrium appenderunt, teste Liberato. Repetita insuper est damnatio in Petrum Mongum Alexandrinum, et Petrum Fullonem Antiochenum. Ita Roma, cùm prope captiva ab Arianis Herulis teneretur, imperium tamen ecclesiasticum latè in omnem orbem, ipsasque adeò Ecclesias patriarchicas exercuit, neque per vices, sed simul atque eodem tempore in omnes.

Græcus. Expedi verò jam, quem progressum denique ea Felicis papæ constantia habuerit, quemve exitum, toto Oriente adeò conturbato hæresibus, ac fastu in præceps ruente.

Latinus. Quod Acacium attinet, pejor effectus est, neque unquàm, licet anathemate ligatus, à sacris abstinuit, teste Liberato; quin etiam eò amentiæ processit, ut refert Nicephorus lib. 16, cap. 17, ut etiam papæ Felicis nomen è sacro albo eraserit, primus ipse inter omnes hæreticos rem ad id tempus intentatam ausus. At schisma ab Acacio invectum, impiissimisque imperatoribus Zenone ac Anastasio propagatum, sub Justino denique piissimo imperatore ac Hormisdâ papâ lætissimum finem accepit. Imperatoriis namque studiis effectum, ut anno 518 edicto emisso recepta sit Chalcedonensis synodus, cujus subversionem tam Henotico suo, quàm et aliis artibus Zeno atque Anastasius moliti sunt. Justino debetur, quòd Oriens cum Romanâ Ecclesiâ in pacem redierit; revocati pii exules quartæ synodi, ac S. Leonis nomen in Diptycha, è quibus erasum fuerat, rursùs insertum sit; Acacii contra nomine, ac hæreticorum, in quorum ipse societate ac communione vixit, expunctis. Atque cùm Euphemii quoque ac Macedonii Constantinopolitanorum episcoporum, qui multa pro tuitione Chalcedonensis synodi, ipsumque exilium passi sunt, populus inserta optaret, Joannes Cappadox Constantinopolitanus episcopus restituit, ut liquet ex Actis synodi Constantinopolitanæ anno 518. Verùm, Hormisdâ nolente initio aliter in pacem admittere Orientem, coactus est, nomina horum etiam Diptychis eximere, rursùs tamen inserenda.

Græcus. In Ecclesiâ Latinâ, quod sciam, usus Diptychorum, quanquàm olim fuerit, hodie intercidit : apud nostros mos vetus adhuc perdurat; habemus præ manibus è membranis chartisque codices, quibus nomina episcoporum, aliorumque Ecclesiæ catholicæ fidelium inscribimus. Sunt nobis viventium ac mortuorum Diptycha : viventium rursùs, alia Ecclesiæ propria, alia communia : in propriis obtinent locum episcopi præcipuè, qui eidem Ecclesiæ præfuêre : communia patriarchas cæteros, clerum, principes ac magistratus, populumque fidelem exhibent. Præter hæc Diptychorum genera, nec desunt tabulæ, quibus baptizatos inserimus. Verùm præ cæteris ecclesiastica Diptycha in summo semper honore fuerunt. Hæc enim, ut liquet ex Liturgiis S. Basilii atque Chrysostomi, aris inferre, thure venerari, et sacris peractis, ex ambone altâ voce recitare, mos fuit Ecclesiarum perpetuus.

Latinus. Falleris, si putes, prorsùs extinctam apud nos Diptychorum memoriam; etenim multâ diligentiâ asservamus hodiedùm in Ecclesiis fidelium baptizatorum æquè ac defunctorum nomina. Nec desunt Ecclesiæ, in quibus etiam ab arâ evulgentur, ad imploranda fidelium suffragia. Verùm quando hæc hùc non faciunt, redeamus ad Acacium schismatis auctorem. Connixi quidem summis studiis fuerant Romani pontifices Gelasius, Anastasius atque Symmachus, ut Acacii jam extincti nomen ex Ecclesiarum Græcarum Diptychis auferretur omninò. At piis conatibus obsistebat hæreticus imperator; et Euphemius, atque Macedonius episcopi, quanquàm desideriis pontificum morem gerere optâssent, tyranni metu impediebantur : ut vel hinc excusandos, veniâque dignos fuisse censeam; verùm de ipsis adhuc nobis sermo redibit. Nunc nôsse sufficiat, Macedonium eumdem Apostolicæ sedis reverentissimum perpetuò fuisse : quod tunc inprimis patuit, cùm urgenti imperatori Anastasio, ut et ipse

denique Chalcedonensem synodum suo calculo damnaret, in hunc modum respondit: « Id se citra universalem synodum, cui primus assideret « Romanus pontifex, exequi nequaquàm posse. »

Græcus. Flectamus jam ad eos sermonem, qui sibi titulos œcumenici, arrogantiùs quàm pro merito, assumpserunt. Hos inter, nisi fallor, chorum ducit Joannes Cappadox, qui ad annum 520 obiit; is ipse nimirùm, quem adeò obsequentem Hormisdæ vidimus.

Latinus. Etsi non desint, qui duos Joannes Cappadoces distinguant, et posteriori, quem etiam Jejunatorem passim appellamus, id adscribant, non est tamen cur de eo hìc tecum disputem; sit ita, ut volebas: fuerit Joannes Cappadox, Justino regnante, sedens, qui primus œcumenici titulum invaserit; perstiterit in eodem fastu et Epiphanius successor, cujus supercilio blanditus Justinianus Augustus titulum eumdem ratum habuit, primusque constitutionibus suis adscripsit; denique Mennas etiam in concilio Constantinopolitano appelletur eo nomine sexcenties: num idcircò auctoritati pontificiæ se subduxerunt? num se pares ipsi arbitrati, aut pari ab aliis loco sunt habiti? equidem horum ego nihil suspicor: etenim Joannem Cappadocem Hormisdæ mandatis obsequentissimum jam vidimus: Epiphanius vicariam sedis Apostolicæ præfecturam, injunctam sibi ab eodem pontifice ad recipiendos in communionem sanctæ sedis episcopos, lubens volensque suscepit. Mennam denique Agapetus papa, abrogato Anthimo, in sedem Constantinopolitanam provexit. Ita licet œcumenicos, Romana sedes supremo moderabatur imperio.

Græcus. Agapeti id factum, ad Romani pontificis auctoritatem in luce collocandam, sæpè nec illibenter nobis obtruditis. At quantùm id vos juvet nondùm perspicio: sanè, ut tibi cum Macario Ancyrano loqua, novimus etiam à Theophylo Alexandrino condemnatum Chrysostomum, evectum Arsacium, à Dioscoro, Flaviano ejecto, institutum Anatolium; facti tamen tantùm hæc erant, non juris.

Latinus. Quæ supremam in ecclesiasticis rebus auctoritatem commendant, non ex nudo facto ducimus: adjuncta omnia diligenti memoriâ repetenda sunt. Agapetus postquàm Constantinopoli adfuit, suâ auctoritate, facultateque à Deo acceptâ fultus, ut rerum ecclesiasticarum supremus arbiter, neque in communionem recipere Anthimum, neque in conspectum venire sustinuit, nisi priùs oblato libello orthodoxum se comprobâsset, et sponderet Trapezuntem regressurum, unde præter sacros canones in Constantinopolitanam cathedram favore Theodoræ Augustæ irrepserat. Frustra adhuc Justinianus, frustra Theodora, ad retinendum hominem, preces interposuerant; nec magnifiebat, quòd nonnulli è primis Orientis episcopis, Augustorum gratiâ, Agapeto refragarentur: ille enim à sententiâ semel justè conceptâ dimoveri haud potuit; atque etiam neglectâ prorsùs ordinariâ judicii formâ, ne coacto quidem concilio, hominem dejecit, Mennamque in ejus locum præfectum suâ ipse manu consecravit. Quid inter hæc aut deinceps egit Oriens? in summâ dicam; obsequentem se præstitit, et mox ab obitu Agapeti, coacto sub Mennâ concilio, rata cuncta habuit; Augustus quoque, ut constituta executioni mandarentur, Novellâ 42 imperavit: Anthimus ipse, ut habetur act. 4 Constantinopolitani concilii sub Mennâ celebrati, facturum se omnia recepit: « *Quæcumque summus pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret:* » insuper et ad patriarchas dedit litteras quibus testabatur, « *se per omnia sequi sedem Apostolicam.* »

Græcus. Legi ipsemet Mariani monachi libellum ad eamdem Constantinopolitanam synodum ad an. 536 celebratam; effert is summopere factum magni pontificis, nec veretur cum facto Petri nobilissimo id conferre: « Misit « Deus, ait, huic civitati Agapetum, qui verè « ἀγαπητὸς dilectus à *Deo*, et hominibus, pon« tificem antiquæ Romæ, in depositione An« thimi et prædictorum hæreticorum (scilicet « Severi, Petri, etc.), tanquàm olim Petrum « magnum Apostolum Romanis in depositione « Simonis præstigiarum. Iste ergo venerabilis « vir, sciens per libellos plurimorum nostro« rum, quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta « fuêre, ea ipso visu semel accipiendo, neque « ad visum suscipere voluit Anthimum furen« tem adversùs canones, sed nunc justè, et « adjuvante catholicam fidem, et divinos ca« nones vestro imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ « sanctissimum Mennam rectæ fidei, et vitæ « pudicæ. » At de Mennâ et Anthimo jam satis superque; an verò etiam in Joannem Jejunatorem, sive Nesteutam qui multò acriùs eumdem honoris titulum consectatus est, jus aliquod Romani pontifices exercuerint, lubens ex te cognoscam.

Latinus. Coegerat Joannes Nesteuta synodum ad annum 588, in speciem ut Gregorii Antio-

cheni causam cum aliorum patriarcharum legatis excuteret, reverà autem, ut Patrum etiam congregatorum decreto titulum œcumenici diu affectatum, usurpatumque sibi meliore aliquo nomine affirmaret. Verùm nec id ei ex voto cessit; etenim vix gestæ rei fama in urbem perlata est, cùm continuò Pelagius papa viribus summis se opposuit, synodique acta pro potestate dissolvit, ut colligitur ex l. 4, ep. 36 Gregorii. Neque Gregorius ipse successor Pelagii, meliorem eâ in causâ se præstitit. Etenim facinus id, datis quaquaversùm litteris, gravissimè detestatus, nomen *œcumenici* impium, blasphemum, superbum, temerarium, nefandum pronuntiavit, et ex quo pax Ecclesiæ perturbetur. Quin et ipsum Joannem acriter insectatus est ep. 38, l. 4, sic alloquens : « Vehementer miror, quia ne ad episcopatum « venire potuisses, fugisse velle te memini; « quem tamen adeptum ita exercere desideras, « ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. « Qui enim indignum te esse fatebaris, ut « episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque « perductus es, ut despectis fratribus episcopus « appetas solus vocari. » Atque ut exemplo Romanorum pontificum eum ad deponendum id nomen adduceret, hæc subdidit : « Num« quid non, sicut vestra fraternitas novit, per « venerandum Chalcedonense concilium, hujus « Apostolicæ sedis antistites, cui, Deo dispo« nente, deservio, universales oblato honore « vocati sunt? sed tamen nullus unquàm tali « vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc « temerarium nomen arripuit. » Quibus quidem adeò acribus sententiis è scriptoribus complures, hocque qualicumque Joannis ambitu decepti, Joannem Nesteutam acerbè insectantur. At nos paulò humaniùs habebimus, neque sanctitati ejus quidquam detractum ibimus, quem et Menæa Græca fastis sanctorum accensent, et ipse Magnus Gregorius jam vitâ functum appellat *virum sanctissimum*, l. 5, ep. 64. Et l. 6, ep. 6, *sanctæ memoriæ*, etsi contra nitatur Guillelmus Cuperus ad t. 1 Augusti.

Græcus. Id verò ut tu componas, cupio ex animo; si enim id nomen temerarium et blasphemum fuit, ut affirmabat Gregorius ; si deinde id Joannes tantoperè sit tuitus, ut etiam ad posteros propagârit, adversùs tot tamque graves pontificum litteras ; nescio sanè, quomodò sanctitatem ejus in tuto collocem, neque ut tandem eum à primatûs honore affectato absolvam.

Latinus. Quod tu nescire te fateris, dudùm doctissimè præstitit Thomasinus l. 1 de veteri et novâ Disciplinâ. Triplici ergo sensu *œcumenici* nomen usurpari potest : primùm sic, ut hunc unum tantùm in Ecclesiâ episcopum esse significet, cæteros vicarios ejus et delegatos : atque hoc sensu si à Romanis etiam pontificibus usurparetur, non immeritò temerarium, blasphemum ac superbum dici posset; expressit hoc eleganter Bernardus l. 3 de Consider. c. 4, ad Eugen., sic papam alloquens : « Erras, si « ut summam, ita et solam institutam à Deo « vestram apostolicam auctoritatem existimas. » Deinde *œcumenici* nomen sic sumi potest, ut non omnem quidem in uno, summam tamen potestatem designet, et cùm hâc ratione Romanis pontificibus ex æquo conveniat, citra piaculum ipsi eo uti potuerunt. Demùm similitudinariè et per quamdam analogiam, pro jurisdictione insigni, quæ magnam orbis christiani partem complectatur : et hoc analogico sensu in dubium est, potuisse eum titulum Constantinopolitanis favore Patrum adscribi. Jam verò, ut de primo nihil dicam, ne secundo quidem sensu, œcumenici nomen sibi arrogâsse Joannem, ejusque successorem Cyriacum, res in aperto est ex ipsomet D. Gregorio, qui l. 7, ep. 64, ad Joannem episcopum Syracusanum, ita scripsit : « De Ecclesiâ Con« stantinopolitanâ quod dicunt, quis dubitet « eam Apostolicæ sedi esse subjectam, quod « dominus piissimus imperator et frater noster « ejusdem civitatis episcopus assiduè profi« tentur? » Itaque tertiâ tantùm acceptione usurpavit id tituli ac honoris Joannes Nesteuta, quod procul dubio integrâ sanctitate potuit. Et verò id nominis ne Græcos quidem usurpâsse aliter, discimus ex Anastasio Bibliothecario ad Joannem VIII : « Affirmabant « Græci, quòd non ideò *œcumenicum*, quod « multi *universalem* interpretati sunt, dicerent « patriarcham, quòd universi orbis teneat « præsulem, sed quòd cuidam parti præsit « orbis, quæ à Christianis inhabitatur. »

Græcus. Id verò si ita sit, injurios facis viro sancto pontifices sanctissimos, ut qui ob id nomen per se non malum, nec improbè usurpatum, patriarcham Joannem in invidiam adduxerint, gravibusque adeò sententiis perstrinxerint. Et profectò nec decuit id Gregorii Magni sanctimoniam, nec sapientiam, quam orbis universus admiratur.

Latinus. Etsi prorsùs Joannem Nesteutam, quemadmodùm dixi, comparatum fuisse existimem, neque perverso aliquo sensu id tituli

sibi ambivisse, persuasum mihi habeam, et neque deinceps synodis id aliter Constantinopolitanis confirmatum sit, jure tamen, sapientissimèque in primos usurpatores ejus tituli pontifices adverterunt : et quemadmodùm ipsi, per Chalcedonenses Patres delato sibi œcumenici nomine sensu secundo, ad cautelam, ut dicimus, abstinendum duxerunt, ne fortè quis pontificum fastu abreptus, id aliquando, ut primo sensu sibi debitum, arrogaret, sic sanctè prorsùs providentissimèque cavere poterant eâ insectatione, ne quis Constantinopolitanorum primâ aut secundâ acceptione usurparet. Neque id absque exemplo : probum, sanctum erat, et ex æquo conveniens Salvatoris Matri Χριστότοκος nomen, et Patres tamen III concilii ejus usum graviter vetuerunt, ne fortè sub eo veluti velo quodam Nestorii impietas delitesceret, qui antiquatum cupiebat Θεότοκος nomen.

Græcus. De œcumenici titulo, qui tanti stetit Constantinopolitanis Patribus, quoque veluti ex insidiis Romanorum pontificum summa dignitas videri poterat appeti, copiosè à te dictum est. Nunc pauca de iis profer, qui marte aperto in primatum Romanum invecti sunt. Erant ii, ut novimus omnes, Photius, atque Michael Cerularius : ita præsens caput concludemus.

Latinus. Complura de infelicissimis his patriarchis ad quæstionem de origine et progressu schismatis in medium afferri poterunt : hìc quæ loco huic sunt propria, reddam. Photius primùm à Nicolao ob sedem Ignatii scelere invasam, dejectus, instarque laici atque adulteri habitus, cùm, defuncto Ignatio, favore Basilii Augusti rursùm irrepsisset, à Leone denique imperatore, vim plurimam, momentumque addente Epistolâ Stephani papæ, depositus, et repetitis anathematibus à Nicolao inde ad Formosum usque pontificem percussus, auctoritatis pontificiæ triste exemplum exstitit. Michaeli Cerulario instauratum schisma aliquantò magis è voto processit. Verùm et is à Leone IX pontifice emissum in se fulmen expertus, sede demùm etiam, in quam nunquàm immitti debuerat, per Alexium Comnenum Augustum deturbatus est ad annum 1059. Ita uterque, quemadmodùm Dioscori temeritatem in excommunicandis vicissim, et è Diptychis eradendis pontificum nominibus secuti sunt, finem quoque communem cum eodem sortiti sunt.

§ V.

Græcus. Ex iis quæ adhuc in medium produxisti, dilucidè perspexi, omnes Ecclesiarum majores causas ad Romanum tribunal, inde ab exordio Ecclesiæ delatas constanter fuisse, hìc causam suam dixisse hæreticos, in jus vocatos violatores canonum, atque summos pontifices, sicut in fidei dubiis definiendis, sic quoque in tuendis sacris canonibus, ulciscendis eorum, aut fidei perturbatoribus, aut donandis veniâ pœnitentibus, præcipuâ quâdam auctoritate versatos esse. At jus suscipiendarum appellationum tutò, nisi fallor, iisdem denegavero, quando illustrissimus archipræsul Parisiensis Petrus de Marcâ me in eo antecessit, l. 7 de Concordiâ Sacerdotii et Imperii, c. 3.

Latinus. Equidem si etiam Marcam audire malis, quàm Patres Sardicenses, aliosque doctissimos, qui argumenta ab archipræsule allata eruditè dudùm confutârunt, non tu à Romano pontifice jus appellationum in totum detrahes; ad posteriora duntaxat tempora, quod Marca egit unicè, initia atque usum earum revocabis. Persuasum nempe fuit viro doctissimo, jus Romano pontifici Sardicensi è concilio quæsitum, diversum prorsùs à judicio appellationis esse, neque aliud iis canonibus deferri papæ, quàm jus retractandi, revidendique ab aliis judicata. Appellationum verò institutionem vel morem potiùs, in Græcâ quidem Ecclesiâ ad quino-sexti, sive Trullani concilii tempora, apud Latinos seculo tantùm VIII initium sumpsisse.

Græcus. Antequàm litem de appellationibus committamus, expediendum arbitror, quid quantùmque revisionem inter atque appellationis naturam intersit. Appellatio, si rectè habeo, sic integram causæ cognitionem ad superiorem judicem transfert, ut pro hujus tribunali excuti atque statui possit tum de causâ, tum et de sententiâ ipsâ priorum judicum; cùm contra revisio, ac nuda causæ retractatio definitivum judicium apud primævam jurisdictionem relinquat, quanquàm id possit, ut prioribus novos etiam judices adjungat. Hoc verò unum est, non id alterum quod Sardicenses Patres Romano pontifici indulserunt. Expende verba canonis 3; non illa plus quàm demus continent : « Si aliquis episcoporum judicatus « fuerit in aliquâ causâ, et putat se bonam « causam habere, ut iterùm concilium reno« vetur; si vobis placet, sancti Petri Apostoli « memoriam honoremus, ut scribatur ab his

« qui causam examinârunt, Julio Romano « episcopo, et si judicaverit, renovandum esse « judicium, renovetur, et det judices; si « autem probaverit talem causam esse, ut « non refricentur ea quæ acta sunt, quæ de- « creverit, confirmata erunt.

Latinus. Ne de naturâ revisionis simplicis atque appellationis tecum litigem, habeat se ita, quemadmodùm eam de Marca constituit, atque descripsit. An tu verò existimas Patribus Sardicensibus id aliquando in mentem venisse, ut constituerent, causam appellatam à pontifice ad pristinos judices rursùs transmittendam esse; nec posse, quàm unum atque alium novum designare, qui cum prioribus judicibus causæ judicio intersit. Canon 3 concedit pontifici, ut *det judices*, neque affirmat primos eos esse oportere: dat insuper potestatem acta primorum judicum confirmandi; et quoniam confirmandi potestas cum irritandi potestate conjunctissima esse solet, ne dubita, hanc etiam tributam esse pontifici. Verùm, quæ adhuc solo ratiocinio ex can. 3 intuleram, disertè omnia Patres ipsi expressisse videntur canone 7: « Placuit autem, « aiunt, ut si episcopus accusatus fuerit, et « judicaverint congregati episcopi regionis « ipsius, et gradu suo eum dejecerint, si ap- « pellaverit qui dejectus est, et confugerit ad « episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se « audiri; si justum putaverit, ut renovetur « judicium, vel discussionis examen, scribere « his episcopis dignetur, qui in finitimâ et « propinquâ provinciâ sunt, ut ipsi diligenter « omnia requirant, et juxta fidem veritatis « definiant. Quòd si is qui rogat causam suam « iterùm audiri, deprecatione suâ moverit « episcopum Romanum, ut de latere suo pres- « byterum mittat, erit in potestate episcopi, « quid velit, et quid æstimet. Et si decreverit « mittendos esse qui præsentes cum episcopis « judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo « destinati sunt, erit in suo arbitrio. » In aperto jam, nisi fallor, est, penes pontificem esse, tribuere appellanti judices, non primos illos iterùm, qui ejusdem cum dejecto regionis erant, sed novos et finitimarum regionum episcopos, atque ubi collibitum fuerit, his etiam legatos adjungere, qui suæ, hoc est, Romanæ sedis nomine auctoritateque judicent. Quod verò demandare potest aliis, quod exercere per legatos suâ auctoritate instructos judicium, quis neget per se ipsum etiam jure posse papam?

Græcus. At quod tu postremò, rectâ, ut videtur, consecutione adversùm me inferebas, maluissem profectò, canone ipso Patrum disertè expressum fuisse.

Latinus. Neque hoc, quod optabas, Patres neglexêre: inspice paulisper canonem 4; is sic habet: « Cùm aliquis episcopus depositus « fuerit eorum episcoporum judicio, qui in « vicinis locis commorantur, et proclamaverit « agendum sibi negotium in urbe Româ, alter « episcopus in ejus cathedrâ post appellatio- « nem ejus qui videtur esse depositus, om- « ninò non ordinetur, nisi causa fuerit in « judicio episcopi Romani determinata. » Nonne hìc provocanti à secundo judicio disertis verbis ipsum Romanum pontificem judicem tribuunt? atque sententiâ latâ supersedendum esse monent, dùm causa pro tribunali Romano finem accipiat, quæ demùm appellationis vis est atque genuina indoles.

Græcus. Sardicenses Patres mihi quidem veluti per gradus processisse videntur, neque nisi appellantibus ab altero judicio, finitimorum nempe episcoporum, veniam fecisse pontifici judicandi.

Latinus. Id verò minimè: etenim canone 3 absolutè dicunt: « Si judicaverit renovan- « dum esse judicium, renovetur, et det judi- « ces; » hoc est, sive se volet, sive alios. Quare in arbitrio Romani pontificis erit etiam primò appellatam causam ad se pertrahere, cùm per canonem 7 possit id aliâ quoque ratione commodiore præstare pèr alios, adjunctis, si lubeat, legatis.

Græcus. Sententiam, quam adhuc propugnâsti, complector, at ad eum tantùm modum, quo eam Zonaras noster atque Theodorus Balsamon complexi sunt: horum ego eruditione confido; limitant ii Sardicenses canones ad episcopos ditioni Romanæ subditos, neque iis locum esse volunt, prætèrquàm in Occidente, ubi quidem et procusi sunt.

Latinus. Verba canonum, nisi cæcutimus, tam sunt generalia, ut omnes ubivis terrarum episcopos facilè complectantur; quare immeritò sapientes illi vestri eadem in angustiores fines coarctârunt; neque fide optimâ, et prorsùs contra Patrum Sardicensium sententiam, quando ipsi ad universam Ecclesiam pertinere disertis verbis in Synodicâ suâ profitentur: « Hoc enim, aiunt Patres, optimum et con- « gruentissimum esse cognoscitur, si ad caput, « id est, ad Petri Apostoli sedem de singulis

« quibusque provinciis domini referant sacer« dotales. » Unde et disertè præcipiunt : « Universa quæ constituta sunt, catholica « Ecclesia, quæ ubique est, custodiat, » can. 21. Etverò occasio ipsa, quâ moti præfatos canones condidêre, satis admonet omnium, totiusque orbis episcoporum commodis consultum voluisse Patres, sic, ut cuilibet episcopo à quocumque demùm patriarchâ deposito, quin et patriarchis ipsis cùm simili injuriâ affecti fuerint, hanc salutis aram, hoc confugium patere voluerint. Etenim non fallar, opinor, si quemadmodùm Sardicensi synodo, sic et canonibus occasionem dedisse dixero favorem eum Julii Romani pontificis, quem dejectis per synodos Tyri atque Antiochenam, D. Athanasio Alexandriæ episcopo, Marcello Ancyræ, et Gazensi Asclepæ præstitit, magnâ Eusebianorum invidiâ atque tumultu.

Græcus. An verò tu Athanasium quoque fortissimum illum Homousii propugnatorem ad Julii papæ judicium appellâsse existimas? bis in illum depositionis sententiam dictam memini; primùm à Tyri synodo ad an. 335, et tum quidem Constantini Magni jussu Treviros exul abductus est. Verùm cùm vix Augustorum filiorum beneficio rediisset, rursùm anno 341, eorumdem Eusebianorum calumniis dejectus in concilio Antiochiæ habito, Gregorium successorem accepit. A quâ tu verò synodo ad Julium appellâsse dices? A Tyriâ quidem appellâsse aiunt, verùm ad imperatorem tantùm. Ab Antiochenâ verò ægrè potuit, quando certum est, ante hanc cœptam, in judicium Romam evocatum esse; itaque iter ingressum imperio potiùs quàm voluntate suâ, qui sanè non est mos appellantium.

Latinus. Appellaverit necne Athanasius, si etiam in medio relinquam, stabit adhuc quod dixeram; Julii favorem, quo innocentem Athanasium protexit Eusebianis quidem magnorum causam motuum, Sardicensibus verò Patribus occasionem canonum condendorum præbuisse. Cæterùm ne et illud, quod ex me quæsisti, negligam, non dissimulabo esse ex Latinis etiam, qui Athanasii accessum Romam malint confugii potiùs, quàm appellationis nomine donare; at levibus argumentis nixos sequendos mihi non putem; tutiùs adhærebimus Liberato, etsi non penitùs coævo, vetusto tamen probatæque fidei scriptori. Is verò in Breviario Nestorianæ et Eutychianæ causæ, cap. 18, ita scribit : « Joannes Talaja ejectus « de sede Alexandrinâ propter Petrum Mon« gum, profectus est Antiochiam, ut videret « Ellum magistrum; cui cùm narrâsset, quæ « sibi evenerant, ejus consilio ingressus est « ad Calendionem Antiochenum patriarcham, « et sumptis ab eo intercessionis synodicis « litteris, Romanum pontificem Simplicium « appellavit, sicut B. fecit Athanasius. »

Græcus. Si tibi Liberati sententia arridet, atque præoptes ei adhærescere, quàm nostri temporis criticis scriptoribus, compone, quæ ipse Athanasii appellationi opposui, et explica à quâ demùm sententiâ appellârit.

Latinus. Quanquàm non diffitear Athanasium, post transmissas in eum ab Eusebianis accusationes, Romam evocatum esse, pro certo tamen habeo ex Sozomeno l. 3, c. 6, Theodoreto aliisque nonnisi à peractâ Antiochiæ synodo, intrusoque in cathedram Gregorio, iter id ingressum esse. Cur igitur licet evocatus, non etiam ab adeò iniquâ judicum sententiâ appellare potuerit? Ita appellationi Athanasii ab Antiochenâ synodo, nec ratio temporum, neque evocatio pontificia obest, quæ tu mihi duo opposueras. Etverò appellâsse etiam D. Athanasium ab Antiochenis, multa sunt quæ persuadeant: primum rei momentum, et ad veteres, novæ injuriæ accessio, navigationis tempus, dilatio Romani judicii; id enim prope biennio post Antiochenum celebratum esse, utcumque liquet ex Julii Epistolâ ad Orientales; perhibet ea Athanasium, annum totum et sex menses ad tribunal Romanum Eusebianos præstolatum esse; cui si tempori menses navigationis adjeceris, prope biennium inter synodum utramque effluet. Quare cùm Athanasius apologiâ 2, scribit : « Judicatum est secundùm nos semel, « neque iterùm, sed sæpiùs : primùm quidem « in nostrâ provinciâ, cùm ad id coissent « propemodùm centum episcopi; secundò « Romæ, cùm Eusebius litteras scripsisset, et « tum ipse cum suis, tum nos ipsi in judicium « vocati essemus. » Non jam primò, sed secundò vocatos opinor Eusebianos, neque jam ut accusatores, sed reorum instar. Hinc enim indignè ferebat pontifex celebratam ab iis in Athanasium synodum : sic enim scripsit ad eos, teste Socrate l. 3, c. 17 : « Non decebat « cùm nos ad celebrandam synodum litteras « mitteremus, aliquos præoccupare judicium « synodi... cur igitur et inprimis de Alexan« drinâ civitate nihil nobis scribere voluistis? « an ignari estis hanc consuetudinem esse, ut

« primùm nobis scribatur, ut hinc, quod « justum est, definiri possit? Quapropter si « isthic hujusmodi suspicio in episcopum con- « cepta fuerat, id hùc ad nostram Ecclesiam « referri oportuit. Nunc autem nos, quos « certiores minimè fecerunt, postquàm jam « egerint quod lubuit, suffragatores suæ « damnationis, cui non interfuimus, esse vo- « lunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, « non ita Patres docuerunt, sed fastus iste, « et novum studium est. » Inde verò Athanasius deposcens Romanæ sedis auxilium instabat. Quod insinuâsse videtur Bonifacius, epistolâ inter Holstenianas 10, scribens: « Sanctæ memoriæ Athanasius, et Petrus Alexan- « drinæ sacerdotes Ecclesiæ, sedis hujus auxi- « lium postulârunt. » Etenim Petri quoque, qui Athanasio successit, regimen non planè tranquillum fuit; post multa namque adversa ab Arianis devorata, ad extremum à Lucio dejectus, Romam ad asylum confugit, susceptusque quàm benignè cathedram amissam ad annum 375 recepit.

Græcus. Cùm suspicarer initio, rectène de Eusebianis in judicium vocatis ob sententiam in Athanasium Antiochiæ latam, argumentatus sis, mox omne mihi dubium abstersit Epistola Julii ad Orientales, ut primùm eadem in memoriam venit. Respondit illâ pontifex ad Eusebianorum querelas; verba papæ sunt: « Quid enim actum est dignum offensâ?... An « quia adhortati vos sumus, ut ad synodum « occurratis? atqui illud potiùs cum gaudio ex- « cipi oportuit; qui enim benè sentiunt de iis « quæ egerunt, et in quibus ipsi, ut aiunt, « judices fuerunt, non indignanter ferre solent, « si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excu- « tiatur, quippe qui securi sint, ea quæ ipsi « justa judicaverint, injusta nunquàm fieri « posse. » Ubi sanè de sententiâ olim Tyri latâ sermonem non esse, vel inde effecisse mihi videor, quòd iniqua prorsus querela futura erat, quamque pontifex facillimè repulisset dicendo, Eusebium petiisse, ut pontifex ipse agat judicem: disertè enim Sozomenus tradit, l. 3, c. 7, scripsisse Eusebium ad Julium, ut ipse decretorum Tyri sancitorum judex esset; quod quoniam non fecit papa, indicio non levi est, Epistolâ ad Orientales loqui papam de judicio Antiocheno, præcipuè quando liquet ex eâdem, præter Athanasium multos jam alios etiam accessisse; verba Epistolæ sunt: « Non enim solùm Athanasius, et Mar- « cellus episcopi cum querimoniis de illatis « injuriis, sed et plurimi alii episcopi ex Thra- « ciâ, Cœlesyriâ, Phœniciâ, Palæstinâ hùc « convenêre; presbyteri item non pauci par- « tim ex Alexandriâ, partim aliunde hùc ad « concilium occurrerunt... conquesti sunt vim « et injuriam Ecclesiis illatam, suas Ecclesias « eadem quæ Alexandrinam, passas esse, et « in aliis Ecclesiis similia designata. » Nullæ Marcello, nullæ aliis episcopis Tyri injuriæ illatæ fuerant.

Latinus. Verùm utut res de Athanasio se habeant, de Marcello multò est apertius ex his, eum atque alios propè innumeros adversùs Eusebianorum vim appellâsse.

Græcus. Dabo tibi appellâsse hos omnes ad Romanum pontificem; at etiam eâ de re vehementer questos, gravesque eâ de causâ motus suscitâsse Eusebianos in confesso est: an verò non æqua fuerit eorum querela, propè est ut ambigam. Etenim canone 6 Nicæni concilii probè nôsti, patriarchis singulis suæ diœceseos regimen assignatum, metas, limitesque, quos non exeant, præstitutos. Deinde si Athanasius jure à synodis ad Julium appellavit, si Julius jure bono in examen vocavit synodicè decreta in Athanasium, cur Athanasiana causa in concilio Sardico rursùm resumpta est? nihilne id papæ juribus præjudicii attulit?

Latinus. Jam dixisse memini, Nicæno canone nullis limitibus, aut cancellis Romani pontificis auctoritatem arctatam esse, quæ ex Christi imperio in ovile totum, omnesque Christi oves, agnosque porrigitur. At neque illud alterum, quod objecisti, papæ juribus derogavit, quando quemadmodùm Sardicensis synodus, sic et quæcumque illìc acta sunt, nonnisi voluntate et auctoritate supremâ Julii agi poterant: « Episcopi in magnâ synodo « Nicææ congregati non sine Dei consilio, ait « Julius in Epistolâ ad Orientales, permise- « runt prioris synodi acta in aliâ synodo exa- « minari, ut et illi, qui judices erant, præ « oculis habentes, secundum de eâ ipsâ re « judicium futurum, cum omni diligentiâ cau- « sam expenderent; et illi, qui sententiam ac- « ceperant, certò cognoscerent, se non per « simultatem, sed jure ac meritò condemna- « tos esse. » Quod suâ sponte Nicæna synodus actorum examen fieri, pacis, bonique majoris gratiâ, permisit, non diminuit auctoritatem synodi; cur igitur Julii auctoritati id quod objecisti deroget? citari, invitum posse trahi, quemadmodùm cum Eusebianis factum est,

auctoritatis dispendium continent, non quæ tu Julio opposueras.

Græcus. Si verò jam tum certa adeò fuerunt appellationum ad pontifices jura, fierine potuit ut aut eadem ignoraverit, aut sciens volensque impugnârit Cyprianus? impugnâsse namque ægrè negari potest. Rejecerat is, de sententiâ sui concilii, à communione quinque presbyteros, Felicissimum, Fortunatum atque alios; ii cùm ad Cornelium accessissent, pontifexque propè jam in eo esset ut tot scelerum reos communione donaret, indignè rem tulit Cyprianus, et apertè vindicare cœpit suprema jura episcoporum cujusque provinciæ in sibi subditos, hâcque viâ omne jus appellationum eversum ibat. « Post ista (verba sunt Cypriani « ad Cornelium, epist. 55) adhuc insuper « pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, « navigare audent, et ad Petri cathedram, « atque ad Ecclesiam principalem, unde uni- « tas sacerdotalis exorta est, à schismaticis « et profanis litteras ferre, nec cogitare eos « esse Romanos, quorum fides Apostolo præ- « dicante laudata est, ad quos perfidia non « possit habere accessum... Nam cùm statutum « sit omnibus nobis, et æquum sit pariter ac « justum ut uniuscujusque causa audiatur illic, « ubi est crimen admissum, et singulis pasto- « ribus portio gregis sit adscripta, quam re- « gat unusquisque et gubernet, rationem sui « actûs Domino redditurus; oportet utique « eos, quibus præsumus, non circumcursare, « nec episcoporum concordiam cohærentem « suâ subdolâ et fallaci temeritate collidere, « sed agere illic causam suam, ubi et accusa- « tores habere, et testes sui criminis possint; « nisi si paucis desperatis et perditis, minor « esse videatur auctoritas episcoporum in « Africâ constitutorum, qui jam de illis judi- « caverunt, et eorum conscientiam multis de- « lictorum laqueis vinctam judicii sui nuper « gravitate damnârunt. Jam causa eorum co- « gnita est, jam de eis dicta sententia est; nec « censuræ congruit sacerdotum, mobilis atque « inconstantis animi levitate reprehendi. »

Latinus. Etsi non pauci ante nos eruditi, iis quæ attulisti crediderint, ipsas appellationes presbyterorum impugnari, atque eas ex perpetuâ disciplinâ Africæ, liberas non fuisse presbyteris contendant, quòd multò plus inde perturbationis Ecclesiis immineret, quàm publici commodi sperari posset: iidem ipsi tamen credunt integram nihilominùs Romano pontifici, vel eo nomine dignitatem, auctoritatemque stetisse per Africam, quòd episcopis ipsis appellandi libertas in tuto relicta esset, et quòd papa pro jure supremo causas etiam presbyterorum ad se advocare posset, quanquàm cautum esset ne hi spontè adirent. Mihi tamen, cùm eum locum libero oculo inspicio, non aliud quàm appellantium temeritatem, ipsamque summorum pontificum in iis admittendis facilitatem reprehendisse videtur Cyprianus. Etverò facilitas ea copiam gignebat appellantium; in copiâ rursùs temeritas deesse non potuit, cæteraque incommoda quæ Cyprianus attigit, atque ex circumcursatione ejusmodi enasci dixit. Quare cùm ait: *Nisi minor videatur esse auctoritas episcoporum in Africâ*, non facit hanc parem auctoritati sedis pontificiæ, quam paulò priùs cathedram atque Ecclesiam principalem nuncupârat. Parem igitur facit tantùm judicandis ejusmodi causis, quales erant presbyterorum. Deinde cùm etiam ait: *Rationem sui actûs Domino redditurus*, non habuit in animo supremam atque independentem episcopis Africæ auctoritatem assignare; sed pontificem admonitum voluit magnæ attentionis illius, quâ ab episcopis tanquàm Deo rationem reddituris ferrentur judicia.

Græcus. Si Cyprianus etiam episcoporum appellationes in controversiam vocavit, neque pontifici eas admittenti, et secùs quàm à synodis judicatum fuerat decernenti, acquiescendum duxit, facilè dabis, eum ex animo appellationes in universum impugnâsse. Ita verò Cyprianum affectum fuisse, ex responso Hispaniæ episcopis dato, non vanè conjicio. Etenim, cùm synodicè dejecti Basilides, et Martialis episcopi papam Stephanum convenissent, atque ab eo in communionem recepti essent, anxii Hispaniæ episcopi eâ super re Cypriani exquirunt sententiam; ille verò consultus suadet judicio suo synodico inhærerent Hispaniæ episcopi, non potuisse Stephanum ordinationem, in locum depositorum factam, rescindere.

Latinus. Si tibi vacat, adi, decurre totam Cypriani epistolam 68 ad plebes Hispaniæ; victum me tibi tradam, si aut verbulo jus appellationum pontifici abjudicat, si quidquam molitur adversùs supremam ejus auctoritatem; ait quidem de Stephano: *Nec rescindere ordinationem potest*; at non potestatis defectu, sed quòd jure perfecta fuerit. Cui autem unquàm in mentem venit jura pontificum sancta ad injusta extendere? Quare etiam vires eò

omnes admovet, ut efficiat nullam fuisse sententiam Stephani, quòd ei obreptum fuisset fallaciâ et fraude Basilidis; verba Cypriani sunt: « Romam pergens Basilides Stephanum « collegam nostrum longè positum, et gestæ « rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut « exambiret reponi se injustè in episcopatum, « de quo fuerat justè depositus. Hoc eò perti« net ut Basilidis non tam abolita sint quàm « cumulata delicta, ut ad superiora peccata « ejus, etiam fallaciæ et circumventionis cri« men accesserit. »

GRÆCUS. Ex Africâ migremus in Orientem, sermonemque ad Constantinopolitanos in primis transferamus. Narrat equidem Zonaras, Paulum ejus loci episcopum, Constantio imperante, sede expulsum, ad Julium papam se applicuisse, et sedi restitutum ad an. 345; verùm hæc atque similia è vetustis, quando ipsius etiam Constantinopolitani patriarchatûs natales, primamque institutionem anteeunt, detrahere juribus patriarchæ nequidquam possunt, quæ secundæ universalis synodi beneficio, Constantinopolitano atque aliis etiam patriarchis parta sunt. Quis enim nescit canone 2 distributas esse diœceses ecclesiasticas Orientis, atque suos singulis exarchis cancellos positos, intra quos se continere debeant, Occidente tantùm, et solo, ut videtur, Romanis relicto? Atque eum canonem id temporis nec ipsos quidem Romanos pontifices alio sensu, quàm dixi, intellexisse, aptè, opinor, concludam vel ex fatis solius Maximi Cynici, Constantinopoleos per id tempus episcopi; etenim ille ab eâdem synodo depositus, quanquàm ad papam Damasum accessisset, nil admodùm profecit; neque enim à conditis ejus synodi canonibus, ut olim sæpè, dejectum in sedem suo imperio restituere ausus est; idque unicum synodicis litteris contendebat, « ut super ordinatione duorum (hoc est, « Maximi, atque Gregorii Nazianzeni) cogere« tur universale concilium, quod litem termi« net. »

LATINUS. Si tu iis litteris fidem præstes, quas non è paucis notis eruditi passim in suspicionem vocant, auctoritas pontificis summa in tuto est. Agnovit eam Maximus: « Qui jure « (verba sunt Epistolæ synodicæ) et more ma« jorum, sicut et sanctæ memoriæ Athanasius, « et dudùm Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ epi« scopus, et Orientalium plerique fecerunt, ut « ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, et totius Oc« cidentis confugisse judicium viderentur. » Agnoverunt et ipsi Italici concilii episcopi cum Damaso, potestatem ferendi judicium in causâ Maximi penes se esse, atque ex usu veteri etiam tulerunt: « Nihil habuimus, inquiunt, in quo « de ejus episcopatu dubitare possemus........ « Itaque Maximum episcopum in communionem « receperunt nostra consortia..... nec ab epi« scopatùs Constantinopolitani putavimus pe« titione removendum. » Sed demus, appellanti Maximo aures non præbuisse Damasum, nec ab ejus partibus stetisse: num id factum ideò quòd canone recentissimo prohiberetur? Ad id conjecturæ in cujus tu demùm fide aut testimonio fundas? Aliam sanè nobis Damasus ipse, de Maximi rebus certior factus, causam suggerit: etenim in Epistolâ ad Acholium Thessalonicensem episcopum, ordinationem ejus improbans: « Alienum à nostrâ profes« sione » nuncupat. Et epistolâ 2: « Huic « homini, inquit, qui in habitu idoli incedit, « nunquàm adscribendum est nomen Christia« ni. » Improbitas itaque hominis causa erat, ne appellanti sedem restitueret, non Constantinopolitani canones, qui furtivis studiis Nectarii conscripti, aliquandiù Ecclesiam Romanam latuerunt, quique sicut vim omnem, sic et venerationem à Romanæ sedis consensione mutuantur. Canon, quem opposueras, quàm nihil supremæ auctoritati Damasi officiat, ut videamus, disertè eum recense.

GRÆCUS. Canon 2 synodi Constantinopolitanæ I: « Episcopi, qui super diœcesim sunt, « non accedant, neque confundant et permi« sceant Ecclesias, secundùm regulas consti« tutas. Alexandriæ quidem episcopus ea quæ « sunt in Ægypto tantùm gubernet. Orientis « autem episcopi solius Orientis curam gerant, « servatis honoribus Ecclesiæ Antiochenæ, « quæ in regulis Nicænæ synodi continentur. « Sed Asianæ diœcesis episcopi ea quæ sunt « in Asiâ, et ad Asianam tantummodò diœce« sim pertinent, gubernent. Ponti autem epi« scopi, Ponticæ tantùm diœcesis habeant « curam; Thraciæ verò, tantummodò ipsius « Thraciæ. Non invitati episcopi ultra diœce« sim accedere non debent super ordinandis « aliquibus, vel quibuscumque disponendis « ecclesiasticis causis, servatâ regulâ quæ su« perscripta est de unaquâque diœcesi: mani« festum namque est quòd per singulas quasque « provincias provincialis synodus administrare « et gubernare omnia debeat, secundùm ea « quæ sunt in Nicæâ definita. »

LATINUS. Sapienter, salubriter atque sanctè

admodùm id constituère Patres, Nicænos secuti. Accipe Leonis sententiam ex epistolâ 84 ad Anastasium Thessalonicensem episcopum : « Magnâ, ait, dispositione provisum est, ne « omnes sibi omnia vendicarent, sed essent « in singulis provinciis singuli, quorum inter « fratres haberetur prima sententia; et rursùs « quidam in majoribus urbibus constituti, sol- « licitudinem susciperent ampliorem, per quos « ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ « cura conflueret, et nihil unquàm à suo ca- « pite dissideret. Qui ergo scit esse se quibus- « dam præpositum, non molestè ferat aliquem « sibi esse prælatum, sed obedientiam quam « exigit, etiam ipse dependat. » At quàm sæpè eadem Constantinopolitani perturbârint, me etiam tacente, res ipsæ dicent. Oro, veniat tibi in mentem canon, quoties eos per alienas diœceses jura dictantes aspexeris. Quid verò inde contra Romanum pontificem elicis? Nullam huic Patres regionem assignant, memores nullis eum finibus adstringi, cui Christus ovile omne suum demandavit. Noverant Sardicenses Patres, quæ Nicææ constituta sunt, et Constantinopolitani, quæ Sardicæ; neque sibi mutuò repugnabant, neque statuta statutis convellebant. Idem sensus erat omnium. Si tibi est otium, adi synodicam Patrum Constantinopolitanorum Epistolam ad Damasum; refert eam Theodoretus lib. 5, cap. 9, tum et Damasi ad idem concilium; omnia invictè supremam Romanorum pontificum auctoritatem loquuntur : ad quam deinceps etiam appellâsse Constantinopolitanos, usus constans perpetuusque docet.

Græcus. Age igitur, et exemplis comproba, usuque, qui sanè legum optimus interpres est, patuisse semper, et omnibus, ab omnium, ac quorumvis sententiâ ad Romanum tribunal aditum.

Latinus. Si ita lubet, sequar temporum ordinem, quæque multis possem, in pauca contraham. Chorum ducat inter omnes Chrysostomus, à Nectario Constantinopolitanæ synodi præside, patriarcha proximus. Cœptis semel Eudoxiam inter et ipsum dissidiis, bis cathedrâ cedere coactus est : primùm ad annum 403 in synodo ad Quercum, in suburbano Chalcedonis; tulit in Chrysostomum sententiam Alexandrinus Theophilus, et cùm vix abductus, mox iterùm ab exilio revocatus esset, anno proximè sequente, oratione, cujus initium est : *Rursùs Herodias furit*, offendit; cùm enim Augusta eam prorsùs in se dictam crederet, novum turbinem priore graviorem suscitavit. Quare ejus operâ factum ut Constantinopoli à synodo, prior iterùm in eum instaurata sit sententia : cui ut justitiæ fucum illinirent, violatum Antiochenum canonem duodecimum obtendunt, quo vetabatur episcopo dejecto per synodum regressus in Ecclesiam absque interventu synodi. Ita proditus oppressusque secundò Chrysostomus, quò demùm se vertat, videamus. Ab utroque judicio ad Innocentium papam appellâsse eum in confesso est : ac primùm quidem per legatos; testatur hoc imperatoris Honorii ad Arcadium Epistola, quam Baronius recitat : « Missi, ait, ad sacerdotes « urbis æternæ atque Italiæ, utrâque ex parte « legati : expectabatur ex omnium auctoritate « sententia, informatura regulam disciplinæ. » Et mox arguit Arcadium quòd negotium præcipitâsset, non expectatâ definitione, et immaturam fuisse damnationem ait : « Nam hi « quorum expectabatur auctoritas (hoc est, « Romani pontificis et assessorum), pacificâ « Joanni communione permissâ, faciendam « concordiam censuerunt. » Et liquet profectò tum Innocentii, tum et Palladii, in Dialogo de Vitâ Chrysostomi testimoniis, rescissam esse Theophili sententiam : « Ad hæc rescripsit B. « Innocentius papa, communioneque utriusque « partis admissâ, Theophili judicium cassum « irritumque esse decrevit. » Quod alterum judicium attinet, quodque Theophilus per legatos exercuit Constantinopoli, ab eodem quoque appellâsse rursùs Chrysostomum, auctor est Palladius, qui ex Epistolâ Chrysostomi ad Innocentium refert sequentia : « Scribite, « precor, et auctoritate vestrâ decernite, hu- « jusmodi iniquè gesta nobis absentibus, et « judicium non declinantibus, nullius esse « roboris. Porrò qui talia gessêre, eos Ecclesiæ « censuræ subjicite, nos autem insontes, neque « convictos, neque deprehensos, neque cri- « minis ullius reos comprobatos, Ecclesiis « nostris jubete restitui, ut charitate frui et « pace cum fratribus nostris consuetâ possi- « mus. »

Græcus. Propè est ut ambigam nobilioremne Chrysostomus de pontificis Romani auctoritate ideam descriptam in animo gesserit, an in æquitate Innocentii validius præsidium expertus sit? Etenim ut in Dialogo Palladii legisse memini, et alterius synodi rursùs rescidit sententiam, et in dato legatis Commonitorio, quos Constantinopolim eâ causâ destinaverat, disertè vetuit ne ad Joanni judicium aggrede-

rentur, *nisi illi priùs Ecclesia communioque redderetur.*

Latinus. Neque hìc quievit zelus pontificis : à morte etiam suâ patriarcham vindicandum duxit ; quæ enim Innocentius non exhausit tædia, ut Atticum Constantinopolitanum patriarcham, et Alexandrum Antiochenum, et Acacium Beroensem permoveret, ad faciendum satis sanctæ Chrysostomi memoriæ, et nomen ejus in sacra diptycha inferendum? Id pro certo habe, non ante in communionem à pontifice receptos esse, quos dixi, quàm paruissent.

Græcus. Argumentum, quod pro appellationibus ad Romanam sedem stabiliendis duxisti, ex facto geminato Chrysostomi, hoc majoris ponderis apud me est, quòd causa quæ vertebatur inter Chrysostomum atque ejus oppugnatores, non fuit causa fidei, sed disciplinæ, ut jam inanis propè, ac nugax videatur mihi eorum eruditorum distinctio, qui cùm fidei causas viâ appellationis Romam transmitti posse non inficientur, alteras adhuc, quæ sunt disciplinæ, extra provinciam efferri haud posse contendunt. Sed habuerint se hæc ita in Oriente : at Africani Patres appellationibus acerrimè obsistebant, quorum pietatem quia damnare vereor, propè est ut in suspicionem veniam, movearque, ut cum Meletio Alexandrino Epistolâ ad Basilium Knesium Moscoviæ, quòd appellationibus delatum sit, humanitati potiùs Orientalium quàm canonum necessitati adscribam.

Latinus. Quæ tu mihi hìc officia, quas urbanitates comminisceris in tantâ canonum Sardicensium luce! Communis ea conspiratio provinciarum, atque prælatorum omnium, constansque ex omni Ecclesiâ Romam in quâvis causâ factâ appellatio, suspicionem tuam prorsùs convellunt. Neque Africanos in aliâ fuisse sententiâ opineris velim, aut id juris pontifici detractum ivisse. Atque ut Felicissimum, ac Fortunatum presbyteros, quos ad Cornelium appellàsse dixi, rursùs non hùc inferam, habe tibi Cœlestium atque Pelagium: uterque damnatus à Carthaginensi II synodo, anno 416, primùm quidem ad Innocentium, mox ad Zozimum papam appellavit : et quemadmodùm jam ante à me constitutum confirmatumque est, Africani Patres non appellationi eorum, sed facilitati quâ ad absolvendos ferri videbatur Zozimus, obstitêre, qui ne etiam sententiam in re adeò gravi præcipitaret, legatos destinârunt, ex quibus plenam rerum in Africâ gestarum cognitionem papa caperet. Nondùm itaque id temporis ipsis etiam presbyteris interdictam appellationem ultra mare ipse existimo, nunc dispiciendum, an quando postea.

Græcus. De eo verò ne dubita. Etenim paucis post annis, hoc est, 416, Milevi in urbe Numidiæ congregati Patres, adversùs appellantes decretum emisêre, quin et pœnis communierunt. Accipe verba canonis 22 : « Placuit ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, et inter eos quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quòd si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. »

Latinus. Nolim tecum disceptare sitne is canon Milevitanæ an alterius Africanæ synodi, quod video multos vocàsse in controversiam : id certum habe, quemadmodum sæpè antea, sic post Milevitanam etiam synodum ex Africâ tum episcopos, tum etiam presbyteros Romam appellàsse; diffiteri tamen nequeo cum tribus omninò pontificibus Zozimo, Bonifacio atque Cœlestino, eam de appellationibus litem Africanos agitàsse. Dedit liti occasionem Apiarius Siccensis Ecclesiæ presbyter, quem variorum criminum convictum, Urbanus Ecclesiæ ejusdem episcopus synodali sententiâ amoverat : is enim, posthabito Milevitano canone, cùm ad Zozimum appellàsset, et pontifex appellationi veteri more deferens, Apiarii defensionem suscepisset, commissæ sunt invicem Romana atque Africanæ Ecclesiæ, illâ jura appellationum prosequente, his modestè quidem, attamen acriter pernegantibus. Liti ut Zozimus finem daret, Faustinum episcopum, Philippum atque Asellum presbyteros legatos in Africam destinavit. Quatuor præcipua capita in Commonitorio eis data esse pro certo habeo : primùm, urgerent appellationes episcoporum ad Romanam sedem, quas in Nicænâ synodo constitutas asserebat. Deinde ne episcopi ad aulam imperialem et comitatum itarent importunè. Tertium de tractandis presbyterorum causis apud episcopum finitimum, si à suis fuerint injuriâ excommunicati. Demùm de Urbano episcopo excommunicando, vel Romam evocando, nì à se peccata corrigeret.

GRÆCUS. Ita est, Sardicenses canones tum quidem Zozimus pro Nicænis venditârat, et Africanis Patribus in sextâ synodo collectis imponere voluisse, videri poterat. Verùm sagaces illi, cùm inter Nicænos sui codicis nil tale viderent, optimo usi consilio Constantinopoli, Antiochiâ, atque Alexandriâ veros edocti, Zozimi sive fraudem, sive errorem elusère.

LATINUS. Nullâ in eo fraude usos esse pontifices, neque enim lucri quidquam majoris Romanæ sedi inde accedebat; sive enim Nicænos, sive Sardicenses nuncupâssent, pari semper veneratione complectendi fuêre. Neque erroris damnandi sunt Zozimus, atque qui eum secuti sunt deinceps, quanquàm eos sæpè Nicænorum nomine donârint, quando passim à doctissimis hodièque Sardicensis illa synodus, veluti appendix ad Nicænam habetur. Verùm hoc jam relicto, quid porrò actum sit, dispiciamus.

GRÆCUS. Ex litteris ad Bonifacium successorem Zozimi datis probè novi tum quidem Romanæ Ecclesiæ omnia ad votum cessisse; nam et Apiarius, petitâ veniâ erratorum, communioni restitutus est, mox tamen ad vetera mala rediturus: et Urbanus episcopus, quæ visa sunt corrigenda, correxit. Lis verò de appellationibus nondùm sic etiam finem sortita est; pependisse namque videtur, dùm ex Oriente ad Patres congregatos sinceri allati sunt Nicænorum Patrum canones: tum enimverò litteris datis ad papam Cœlestinum, qui Bonifacii locum obtinuerat, jura sibi sua integra servari, atque ea quæ cum Nicænæ synodi canonibus non optimè cohærerent, ne à Romanis pro more agerentur deinceps cum excommunicatis, sive presbyteris, sive episcopis, gravibus apud pontificem verbis institêre: neque abstinere se poterant, quin Milevitanum canonem 22 ad verbum, canonum collectioni quæ in eâ Africanâ sextâ synodo, celebratâ ad annum 419 suscepta est, rursùs insererent. Juvabit ipsa Epistolæ synodicæ verba ad Cœlestinum datæ sub conspectum ponere: « Impendio deprecamur, aiebant Patres, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes, non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de episcopis voluit observari, ne in suâ provinciâ communione suspensi à tuâ sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui! Presbyterorum quoque, et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua, quia et nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, et decreta Nicæna, sive inferioris gradûs clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissimè commiserunt: » Aiunt deinde se non dubitare affore ipsis Spiritum sanctum. Ostendunt etiam ob testium defectum, multiplicem difficultatem, quæ occurrere potest in dijudicandis Africanorum causis Romæ; demùm addunt: « Ut aliqui tanquàm à tuæ sedis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum synodo constitutum, quia illud, quod pridem per eumdem coepiscopum nostrum Faustinum, tanquàm ex parte Nicæni concilii, exinde transmisistis, non potuimus reperire. »

LATINUS. Pergratum accidit quòd Africanorum Patrum synodicam ad Cœlestinum produxeris; ea verò refellet plura quæ tu antea statuebas, et emendatis metachronismis, lucem rebus gestis, ex meliori temporum ordine afferet, ad extremum juribus pontificiis nihil in Africâ derogatum esse ostendet. Ac primùm quidem certum est ex hâc Epistolâ bis Apiarium Romam appellâsse: primùm nempe ad Zozimum an. 418, qui mox ejus causam per Faustinum in Africâ agendam suscepit. Ea, sedente jam Bonifacio, ab Africanâ synodo anni 419 ex voto terminata est, ut liquet ex synodicâ ad Bonifacium; et quanquàm tum adhuc Africanorum legati canones Nicænos non retulerint ex Oriente, eodem tamen adhuc anno isti quoque, novembri mense, accepti sunt, transmissique ad Bonifacium, ut ostendit Pagius ad hunc annum. His ergo omnibus anno 419 peractis, nullus deinceps à Patribus adversùs appellationes canon est conditus: ea enim collectio, canonque ipse 92 ad sextam Africanam synodum, et juxta alios ad anteriora tempora pertinet. Nunc videamus, rectène adversùs appellationes ex litteris Africanorum ad Cœlestinum quidquam concludi possit. Sanè eruditis multis ea Epistola visum est deprecari Africanos non tam appellationes ipsas, quàm ne facilitate consuetâ, ex quâ mala multa promanâssent, susciperentur; atque in eam rem tantùm allegant Nicænos canones, qui clericos episcoporum judicio, hos metropolitanorum submiserunt, sapientissimèque ac justissimè provi-

derunt ut negotia ubi orta sunt finem quoque acciperent; nec esse oppressionis periculum, quando pateret cuique synodus, quam à divino gubernandam Spiritu nihil dubitabant; quæ si Romæ agenda sint, testes, multaque judiciis necessaria plerùmque deesse oporteat. Ad extremum tandem quoque significant, nullo canone reperiri statutum, ut ad examen, judiciumque ferendum intra provinciam legati Româ destinentur. Id verò, ut ita existimem, moveor inprimis exemplo Apiarii, qui Cœlestino jam pontifice, hoc est, post scriptos ac transmissos, quos ex Oriente accepère, canones Nicænos, rursùs accusatus à Tabracenis, damnatusque ad Cœlestinum appellavit, non invitis, ut videtur, Africanis. Cur enim lætatum se de ejus adventu Cœlestinus per Leonem presbyterum Africanis indicâsset? lætatum verò esse constat ex ipso Africanorum Patrum exordio Epistolæ ad Cœlestinum. Quâ deinde fiduciâ Faustinum rursùm ablegâsset in Africam cum Apiario? Cujus quidem causam quamcumque zelo magno egisset Faustinus, confessione scelerum propriâ ad extremum damnari debuit.

Græcus. Ea Cœlestini lætitia, quâ secundò appellantem accepit Apiarium, quamque per Leonem Africanis testatus est, non levi quidem argumento est, assensisse eos in presbyterorum etiam appellationes, quanquàm nullis adhuc canonibus id imperatum ducerent. At enim, quid si alii è Latinis rectius habeant? Neque enim desunt, qui ex illâ ad Cœlestinum Epistolâ intulerint, invitos adhuc fuisse adversùs omne appellationum genus Africanos Patres: stabitne jus suum Romanis pontificibus?

Latinus. Si dem, quod nonnulli ante me fecerunt, tum quoque ex animo reluctatos fuisse Cœlestino Africanos Patres, atque ipsas etiam episcoporum, et quascumque appellationes deprecatos, nihil id Romanorum pontificum juribus detraxit, quando ea qualiscumque tergiversatio è solâ adhuc ignoratione Sardicensis concilii canonum profecta est; neque ab Africanis obstinatione, aut in modestiam, observantiamque peccatum quidquam est. Quæ quidem ita prorsùs esse, ex Epistolâ quam citâsti liquidò erues.

Græcus. Quando verò demùm hâc suâ sententiâ decesserint Africani, et quibus ducti momentis, lubens intelligam. Etenim cessisse ipsos tandem auctoritati pontificiæ, exempla ex Africâ appellantium, quæ copiosè affert Baronius, utcumque demonstrant.

Latinus. Ut animum moremque mutarent, Gallorum atque Hispanorum exemplum apud Africanos non parùm momenti habuit, à quibus fortè etiam statutorum Sardicensium clarior fama cognitioque ad istos pervenerit. Nec minùs ad complectendam arctissimam eam cum Ecclesiâ Romanâ communionem profuit, permovitque Patres catholicos, Vandalorum Arii peste infectorum ingressus violentus in Africam; cujus denique dominatum armatæ Vandalorum acies sibi asseruère ad annum 428. Ad hæc, voluit fortè etiam novella Valentiniani constitutio ad annum 445 emanata, quâ papæ judicio suprema auctoritas per Galliarum, cæterasque Occidentis provincias asserta servataque est. Verùm, utut sint hæc omnia, appellationem Apiarii presbyteri Africani Romæ à Cœlestino susceptam, causamque præsente Faustino apostolico legato in Africâ agitatam esse, ex Epistolâ Patrum ad Cœlestinum satis superque constat. Nunc etiam videndus nobis est Antonius Fussalensis episcopus, qui à synodo Numidiæ exauctoratus, ad Cœlestinum provocaverat; nec repugnâsse, sed detulisse prorsùs ejus appellationi Africam in confesso est. Querelam Antonii appellantis papam, et iniquitatem sententiæ incusantis, in hunc modum expressit Augustinus epistolâ 261: « Clamat Antonius: « Aut in meâ cathedrâ sedere debui, aut episcopus esse non debui. » Verùm idem S. doctor æquitatem sententiæ adversùs Antonium tuetur, et ostendit ex ipsis sedis Apostolicæ exemplis, quæ vel ipsa in appellantium causis ita judicavit, aut ab aliis judicata suffragio suo stabilivit; Augustini verba accipe: « Existat exemplo, ipsâ sede Apostolicâ « judicante, vel aliorum judicata firmante, « quosdam pro culpis quibusdam, nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodè « impunitos, quæ, ut à nostris temporibus « remotissima omittam, recentia memorabo. « Clamet Priscus provinciæ Cæsareensis episcopus: *Aut ad primatum locus sicut cæteris « et mihi patere debuit, aut episcopatus mihi « remanere debuit.* Clamet alius ejusdem provinciæ Victor episcopus, cui relicto in eâdem « pœnâ, in quâ et Priscus fuit, nusquàm nisi « in diœcesi ejus ab alio communicatur episcopo; clamet inquam: *Aut ubicumque communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui.* Clamet tertius ejusdem « provinciæ Laurentius episcopus, et prorsùs « hujus vocibus clamet: *Aut in cathedrâ, cui*

« *ordinatus sum, sedere debui, aut episcopus* « *esse non debui.* Sed quis ista vituperet, nisi « qui parùm attendit, nec inulta omnia relin« quenda, nec uno modo omnia vindicanda? »

Græcus. Si Augustinus jus appellandi ad Romanum pontificem, ipsasque adeò appellationes ex Africâ factas Romam iis dictis agnoscit, imò adductis exemplis stabilit, cur ubi fama accepit venturos in Africam Cœlestini legatos, qui Antonium Fussalensem urbi ac cathedræ suæ redderent calentissimis precibus id deprecatur Cœlestinum? « Non sinas, in« quiens, ista fieri, obsecro te per Christi « sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, « qui christianorum præpositos populorum « monuit ne violenter dominentur inter fra« tres. »

Latinus. Quod eo loco deprecatur Augustinus, non fuit aliud quàm quod rumor publicus undecùmque sparsus, in vulgus jactabat, destinâsse Cœlestinum legatos militum comitatu stipatos mittere, qui invitis etiam Fussalensibus Antonium imponerent. Ab hoc modo sive prosequendæ, sive executioni mandandæ appellationis removere conatur precibus pontificem, et « subveni, ait, hominibus opem « tuam in Christi misericordiâ multò avidiùs « quàm ille poscentibus, à cujus inquietudine « desiderant liberari; judicia quippe illis, et « publicas potestates, et militares impetus, « tanquàm executuros Apostolicæ sedis sen« tentiam, sive ipse, sive rumores creberrimi « comminantur, ut miseri homines christiani « catholici, graviora formident à catholico « episcopo, quàm cùm essent hæretici, à ca« tholicorum imperatorum legibus formida« bant. »

Græcus. De Africanâ Ecclesiâ dubium jam omne posui, plenèque didici, deinceps etiam veteri more, inde à Cœlestini temporibus appellationes cursum tenuisse, et litem, quæ eâ causâ suborta fuerat sedente Cœlestino, ex ignoratione Sardicensium canonum totam profectam; eorum cognitione, aut aliter, Cœlestino papâ compositam complanatamque fuisse; et Africam constanter postea disciplinæ universi orbis christiani institisse. Regrediamur nunc in alteram ejus partem, hoc est, Orientem, quidque, eodem Cœlestino papâ, in eo gestum sit, inspiciamus. Celebratissimus ejus pontificatus est à profligato Nestorio.

Latinus. Dignum est Cyrilli Alexandrini effatum, quod hìc afferam; ex eo conjicies, quàm ipse rationem patriarchæ Constantinopolitani, licet jam ordine secundi, habuerit, et quàm disparem Cœlestini. Igitur postquàm Cyrillus, Epistolâ datâ ad clerum Constantinopolitanum, questus est, esse plures Constantinopoli, quorum odia in se Nestorius inflammaverit, subdit: « Nôrit autem, qui hosce « adversùm me armavit, nos neque longam « peregrinationem formidare, neque publi« cum judicium, si qua opportunitas tulerit, « detrectare... neque tamen miser ille (Nesto« rium intelligit), licet complures et graves « viri ejus operâ nos accusaturi essent, rerum « nostrarum judicem fore se speret, quamvis « jure Amphyctionum hoc sibi demandari fa« ciat. Nos enim isthùc venientes ab ejus ju« dicio provocabimus, et, si Deo placuerit, « ipse de suis blasphemiis in judicio respondere « cogetur. »

Græcus. Eleganti hâc Cyrilli sententiâ, unâ veluti operâ comprobâsti utramque summam sedem Romanæ etiam per viam provocationis subjici atque obnoxiam esse. Quorsùm enim aliò, si illi judicium subeundum sit, provocet Cyrillus, quàm ad id prorsùs tribunal coram quo Nestorio primùm litem intentavit, ex quo primum fulmen in Nestorii blasphemias evibratum est?

Latinus. Nunc, si lubet, Theodoretum à Dioscoro impio, et impium Eutychen à D. Flaviano Romam provocantes, atque apostolicum judicium implorantes exhibeamus, aut, si mavis, Flavianum ipsum; etenim et ille oppressus à Dioscoro ad hanc sacram anchoram, ad hunc salutis portum se applicuit.

Græcus. Reclamâsse Flavianum adversùs Dioscori sententiam dabo, appellâsse ad Leonem pernego: duces in eo sequor è Latinis plures, quos inter chorum ducit Petrus de Marcâ archipræsul Parisiensis, lib. 7 de Concordiâ sacerdotii et imperii, c. 7, cui etiam favere videtur vetus Rustici annotatio in hunc locum, fidaque. Etenim si Rustici annotationem sequamur, Flavianus auditâ depositionis in se latæ sententiâ, *refuto te*, dixit nec aliud.

Latinus. Interpretationis versionisque judicium tibi cedo; mihi Flavianus disertè videtur voluisse dicere: *Appello à te*, quanquàm Græcus textus sic habeat: Φλαυιανὸς ἐπίσκοπος εἶπε· Παραιτοῦμαι σε. Nam Flavianum eo loco, repudiato Dioscori judicio, ad Leonem papam respexisse, ejusque æquissimum judicium implorâsse, duo mihi persuadent: primum, quòd continuò Hilarus legatus papæ, Flaviani partes suscepisse sit visus; subjecit etenim: *Contra-*

dicitur. Deinde et illud, quod cùm hæc ipsa pseudosynodi acta relegerentur Chalcedone, Patres conclamârint : *Leoni multos annos, patriarchæ multos annos.* Verùm, ut has omnes conjecturas dimittam, nec per incerta vager, cùm clara suppetunt, juvat imperatoris Valentiniani ad Theodosium Epistolam rursùs inspicere ; ea mihi de Flaviani appellatione dubium omne eximit : postquàm enim statuisset Augustus, de fide ac sacerdotibus judicium ad Romanum pontificem pertinere, in hunc modum in rem meam loquitur de Flaviano : « Hujus « enim rei gratiâ secundùm solemnitatem con- « ciliorum, et Constantinopolitanus episcopus, « eum (intellige Leonem) per libellos appella- « vit, propter contentionem quæ orta est de « fide. » In eumdem sensum quoque Galla Placidia Augusta scripsit. Atque ne res naturâ conjunctas divellamus, Flaviano adjungo Theodoreti Cyrensis episcopi ab eodem iniquo judice ad eumdem Leonem interpositam appellationem ; sic verò ipse scribit : « Nos hu- « miles et pusilli ad Apostolicam sedem vestram « accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus reme- « dium à vobis accipiamus; vobis enim primas « in omnibus tenere convenit...... » Et infra : « Ego Apostolicæ vestræ sedis expecto sen- « tentiam, et oro atque obstestor Sanctitatem « tuam, ut mihi rectum ac justum tribunal « vestrum invocanti, opem ferat. » Et quanquàm cætera Theodoreti, præcipuè quæ adversùs Cyrilli anathematismos scripsit, jure optimo subinde à synodo V reprobata sint, ipse tamen vel eâ submissione erga papam dignus visus est, qui in Chalcedonensem synodum admitteretur, et munus locumque accusatoris adversùs Dioscorum, suum quondam judicem susciperet, imò et ubi disertè Nestorio anathema dixisset, promeruit ne à Patribus quidquam severius in ipsummet Theodoretum statueretur.

Græcus. Fatendum est ivisse ad hæc tempora appellationes ad Romanam Ecclesiam à cunctis etiam summis sedibus. At postquàm Anatolius decreto Chalcedonensis synodi paria cum Romano privilegia sortitus est, ne quid plus dicam, aliam res faciem induerunt. Nolim præstoleris, ut rursùs can. 28 hùc inferam, dudùm illum excussimus. Sit ejus sensus, quem statuisti. At certè 9 atque 17 veterem judiciorum ordinem evertisse mihi prorsùs videntur, ultimumque tribunal, causis omnibus, Constantinopoli defixisse. Can. 9 sic habet : « Si quis clericus habet cum clerico « litem aut negotium, proprium episcopum « ne relinquat, et ad secularia judicia ne « excurrat, sed causam priùs apud proprium « episcopum agat : vel de episcopi sententiâ « apud eos, quos utraque pars elegerit, « judicium agitetur. Si quis autem præter « hæc fecerit, canonis pœnis subjiciatur. Si « clericus autem cum proprio, vel etiam alio « episcopo negotium aut litem habeat, à pro- « vinciæ synodo judicetur. Si autem cum ipsius « provinciæ metropolitano episcopus vel cle- « ricus controversiam habeat, diœcesis exar- « chum adeat, vel imperialis urbis Constanti- « nopoli thronum, et apud eum litiget. » Confirmat eumdem judiciorum ordinem can. 17 : « Si quis autem injuriâ afficiatur à proprio « metropolitano, apud exarchum diœcesis vel « Constantinopolitanam sedem litiget. » Nescio quid dicturus sis : uterque canon ultimum judiciis forum Constantinopoli constituit, sic, ut hunc, si lubeat, neglecto diœcesis exarcho, adire fas sit, quin exarchus refragari ausit. Quos verò tu hìc exarchos diœcesis dici existimas? Ego opinor et Romanum, et Alexandrinum, et Antiochenum, et Hierosolymitanum eo prorsùs nomine designatos.

Latinus. Nimirùm hausisti hæc omnia ex Macarii Ancyrani penu. Is c. 19 sic loquitur : « *Diœceseos exarchum adeat, aut regiæ urbis* « *Constantinopoleos sedem, et apud ipsam judi-* « *cetur.* Hoc est, ex duobus quemnam ipse « elegerit, aut exarchum propriæ diœcesis, « quasi diceret patriarcham, aut imperialis « urbis Constantinopoleos sedem, et apud « illam, qui controversiam habet, judicetur; « unâ exarchi dictione, comprehendente ca- « none omnes primatus, episcopos cujuscum- « que diœcesis. Et nota mihi dictionis vim, per « quam signatur, quanta sit potestas et aucto- « ritas synodis œcumenicis : *adeat,* inquit, im- « perandi modo; hoc est, nemini ex patriarchis « neque Romano, neque Alexandrino, neque « Antiocheno, neque Hierosolymitano liceat im- « pedire eum qui cum suo metropolitano litigat, « vel sub eo est, adire thronum Constantipolita- « num, tanquàm qui imperat, litemque apud ip- « sum dirimere : quemadmodùm nec cujuslibet « provinciæ metropolita impediet episcopum, « aut clericum suum, cui cum ipso controver- « sia est, adire exarchum diœceseos, patriar- « cham nempe, et illius judicium subire. Est « autem Occidentalis diœceseos exarchus, « senioris Romæ papa et patriarcha ; Ægypti, « et universæ Æthiopiæ, Alexandrinus ; Sy-

« riæ, et totius Orientis, Antiochenus; Pa« læstinæ, et universæ Phœniciæ et Arabiæ, « Hierosolymitanus: quemadmodùm et Con« stantinopolitanus universæ Asiæ, et Ponti, « et Thraciæ exarchus et universalis patriar« cha. » In eumdem sensum loquitur et Matthæus Blastarius. Sed Meletius Alexandrinus, Epistolâ ad Ruthenos, altiùs assurgens, ita appellationes, ultimaque judicia Constantinopolitano ex omni orbe addicit, ut eas non vereatur Romano submovere; verba ejus sunt: « Cùm nec incidentes Ecclesiæ præsulum con« troversias Romano dijudicare est, transma« rinas enim, qui in Africâ convenerunt, « prohibuêre, ne Romam transmearent; do« mesticas aut cujuscumque Ecclesiæ, qui « Chalcedone, Constantinopolitano addixe« runt vigesimo octavo canone. » Ridendus prorsùs, qui ex eo canone id velit elicere, unde nemini in mentem venire possit molitos Patres, ut Constantinopolitanum supra Romanum efferrent ullis privilegiis, ullâve auctoritate.

Græcus. Quanquàm in eo falli opinor Meletium, quòd se ad canonem 28 referat, in eo tamen veritatem assecutum, atque rem ipsam dixisse sentio, cùm domesticas cujusvis Ecclesiæ, ipsiusque adeò Romanæ controversias, Constantinopolitano addictas pronuntiat. Etverò nisi tu alium des sensum recitatis canonibus, palamque facias exarchi nomine pontificem Romanum eo loco non venisse, frustra laborem impendis, ut me ab eorum abducas sententiâ.

Latinus. Sincerum canonum sensum et Patrum mentem, quæ in iis condendis fuerit, aperit nobis actio 16 ejusdem concilii, et synodica Patrum ad Leonem. Ex utroque hoc monumento perspicuum est, Patrum studia ac conatus eò tantùm respexisse ut Constantinopolitano episcopo jura patriarchica in diœcesibus Thraciæ, Asianæ ac Ponti seu assererent, seu confirmarent. Sic igitur statuo, canone 9 atque 17 de iis duntaxat diœceseon exarchis sermonem esse, quos solos ordinationi Constantinopolitani patriarchæ, et concilium ejusdem loci œcumenicum secundum, olim supposuerat, et canon 28 Chalcedonensis. Erant verò ii, Thraciæ quidem exarchus Heracleensis, à quo ipsa olim Constantinopolis pendebat; Asianæ, Ephesinus: Ponticæ denique, Cæsareensis episcopus. Quorum privilegiis caverat canon 6 Nicæni concilii, quosque diœceseon episcopos Constantinopolitanus canon 2 nuncupat, et nominatim exprimit, et canon 28 Chalcedonensis metropolitanos diœceseon vocat, ad discrimen metropolitarum minorum, sive provincialium.

Græcus. Non igitur una constansque trium illorum episcoporum erat nomenclatio, quando, ut aiebas, nunc episcopi et metropolitani diœceseon, aliàs etiam exarchorum nomine donati sunt, fortè etiam patriarchæ dicendi, si is honoris titulus, rebus eorum florentibus, in usum Ecclesiæ invectus fuisset. Jurene verò eis hæc nomina tributa existimas?

Latinus. Sanè jure quàm optimo: etenim singuli eorum et diœcesim è pluribus conflatam provinciis, et summo quodam ac patriarchico jure moderabantur liberi, αὐτοκέφαλοι, nullique patriarcharum obnoxii. Et Asiana quidem diœcesis sub Ephesino, si ritu ac more politiæ ecclesiasticæ ineatur computus, provinciis constabat undecim. Pontica sub Cæsareensi complectebatur denas; per Thraciam denique diœcesim Heracleensis, jura dabat provinciis sex. Verùm ea exarchorum auctoritas, et αὐτοκεφαλία non diù incolumis perstitit. Constantinopolitanus namque in patriarcham semel institutus, sive ejus novæ institutionis jure, sive imperatoriis decretis, exarchos eosdem sibi denique subjunxit, faventeque deinceps consuetudine, moderatus est. Sic tamen licet subjugati eximiis adhuc fruebantur privilegiis ac honorum prærogativis; etenim in œcumenicis concessibus primi à quinque patriarchis considebant, et provinciarum suarum metropolitis jura dabant, quanquàm per canones, de quibus disceptamus, metropolitis provincialibus libertas facta sit, aut apud hos causam controversam agendi, aut si id minùs arrideret, ipsis neglectis, patriarcham Constantinopoleos adeundi.

Græcus. Quæcumque adhuc attulisti amplector, nec diffiteor Heracleensem, Ephesinum ac Cæsareensem episcopos metropolitarum ac exarchorum nomine venisse; at eodem ipso etiam cæteros, quos hodiè patriarchas dicimus, nuncupatos in confesso est. Cur tu igitur ad trium tantùm illorum exarchorum metropolitas canonis verba restringis? cur hos solos, non etiam Romani patriarchæ, aut cujuscumque alterius metropolitas canone 9 contineri ac comprehendi ais? cur non universim omnibus confugium ad Constantinopolitanum patere velis? Sanè Nicolaus I papa eumdem canonem interpretans epist. 8 ad Michaelem Augustum, per exarchum diœcesis, Romanum pontificem intellexit.

LATINUS. Ita quidem Nicolaum I ea canonis verba interpretatum esse non diffiteor, indeque etiam, quod aliunde certum erat, contendisse, Constantinopolitani patriarchatûs episcopis ac metropolitis confugium ad se, vel patriarcham proprium, liberum omninò relinqui. Verùm in eo quòd per exarchum diœcesis Romanum episcopum intelligat, eruditi non approbant, nec interpretationem eam amplectuntur, quòd vim afferre canonis verbis videatur, quanquàm in altero præclarè Patrum mentem assecutus sit Nicolaus, cùm dixit, canones 9 atque 17 de solis metropolitis intra ambitum patriarchatûs Constantinopolitani positis, intelligendum esse. Quare longissimè à vero abscedit qui et exarchorum nomine patriarchas omnes accipiat, et de cunctis per orbem metropolitis locutos Patres existimet.

GRÆCUS. Novi vos hodiè eum canonem de tribus duntaxat exarchis, atque eorum tantùm metropolitis exponere sic, ut 9 atque 17 canonis non alius sensus sit quàm iste, metropolitis sub Heracleensi exarcho aut Cæsareensi positis, et denique illis etiam, qui in Asianâ diœcesi sub Ephesino exarcho degunt, integrum esse, sive ad exarchum ipsum, seu malint ad Constantinopolitanum, causam controversam referre. Hoc verò à te mihi semel etiam commonstrari cuperem; jam enim sæpè est, quòd id asseras, et sensum quem nos damus, improbes ac respuas.

LATINUS. Ut à vero aberrare modum vestrum explicandi intelligas, probationes strictim afferam; etenim si ibi de patriarchatuum omnium metropolitis sermo foret, quâ, obsecro, fiduciâ, vel Patres eos canones proponere ausi fuissent Romano pontifici, vel Romanus pontifex non iisdem toto obstitisset conatu? Fierine potuit ut pontificii legati nihil in iis magnæ difficultatis compererint, neque se opposuerint canonibus adeò apertè Romani pontificis jura convellentibus, qui canoni 28 ejusdem Chalcedonensis synodi, cæterorum patriarcharum jura labefactanti, se adeò acriter objecerunt! Quis credat in aliena commoda adeò vigiles pontifices, sua neglectim habituros fuisse? Ad extremum, si omnibus per orbem metropolitis, ex eo canone integrum foret, neglectis suis patriarchis, adeòque et Romano, confugere ad Constantinopolitanum, majora eo ipso futura erant privilegia Constantinopolitani, quàm Romani ipsius, ut Macarius et Blastarius argutati sunt. Quomodò igitur judices, act. 16, poterant dixisse : *Perpendimus omnem quidem primatum, et honorem præcipuum, secundùm canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo archiepiscopo conservari.* Verùm, ut jam etiam apertè intelligas, canones eos ad solos metropolitas pertinuisse, qui sub tribus sæpè memoratis patriarchatûs Constantinopolitani exarchis degebant, audi Aetium Ecclesiæ ejusdem archidiaconum. Cùm enim in concilio Chalcedonensi initio actionis 16 questi fuissent legati pontificii, per absentiam suam constituta quædam, eademque exhiberi poposcissent, in hunc modum, antequàm canones recens conditi relegerentur, præfatus est idem Aetius. « Confitendum est, quia formam ea quæ de fide « sunt congruam susceperunt. Consuetudo « autem est in synodis, postquàm ea quæ sunt « omnium præcipua, fuerint definita, et alia « quædam necessaria exerceri atque formari. « Habuimus, hoc est, Constantinopolitana sanctissima Ecclesia, certa quædam, quæ agere « deberemus : rogavimus dominos episcopos « de Româ, ut communicarent iis gestis; refu« taverunt, dicentes talia se non suscepisse « mandata. »

GRÆCUS. Equidem, quod aiebat Aetius, etsi utcumque probet de rebus ad Constantinopolitanam Ecclesiam pertinentibus, et hujus gratiâ actum esse, minimè tamen ostendit, canones eos intra patriarchi Constantinopolitani limites substitisse, neque hos ullâ ratione excessisse. Affer igitur si quid clarius habeas, ne semper putem Patres, qui eos condidêre canones, ad omnes totius orbis, et cujusque patriarchatûs metropolitas respexisse, cunctisque refugium Constantinopolim aperuisse.

LATINUS. Præterquàm quòd ipsa conjunctio, cognatioque, quæ est inter canones 9, 17 atque 28 opinioni vestræ refragetur, ne tamen etiam testes in re adeò gravi desint, synodicam Chalcedonensium Patrum ad Leonem papam, quam jam semel retuli, animo recole : videbis quò consilia Patrum vergant. Duo erant eis proposita : primum, decreto synodali firmare, quod jam consuetudo obtinebat, ut Constantinopoli metropolitæ urbium per Asianam, Thraciam atque Pontum ordinarentur, sicque locorum eorum paci consuleretur. Nonne percipis, ad eos solos Patrum curas pertinuisse? Alterum, quod curabant, fuit, ut, quæ Constantinopolitani concilii canonibus concessa essent, eadem Constantinopolitanæ Ecclesiæ stabilirent. An verò lege ullâ antea, ullâve consuetudine id receptum fuit, ut universi orbis metropolitani, ac præcipuè Occi-

dentis ad Constantinopolitani tribunal se sisterent, ejus opem atque sententiam implorarent? id equidem non te dicturum opinor.

Græcus. Sunt hæc argumenta, quæ lucem canonibus afferunt, et Patrum nobis utcumque mentem aperiunt, qui canones eos condidère; sed quod me inprimis à sententiâ nostrorum hominum removet, illud est præcipuum, quòd nulla exempla legam ex Occidente præcipuè accedentium Constantinopolim.

Latinus. Probè et sapienter prorsùs conclusisti ex non usu, non eum sensum esse canonis 9, quem Ancyranus Macarius, ejusque asseclæ commenti sunt. Solumque Romanum pontificem eo loco in Ecclesiâ fuisse, ad quem universi clerici, episcopi atque patriarchæ ipsi possint, debeantque confugere.

Græcus. Patriarchas ad hunc portum se sæpè recepisse multis hactenùs docuisti; at enim minores etiam à patriarcharum sententiâ ne idem possint, claræ leges obsistunt. Justinianus novellâ 123 disertè statuit, ut à metropolitani sententiâ ad patriarcham appellari possit : verùm *ita ut neutra pars sententiæ Patriarchæ possit contradicere.* Idem quoque decernitur codice 29 de episcopo audiente, ubi expositis fori ecclesiastici gradibus, tribunal patriarchicum ultimum statuitur, additurque : *Contra horum sententiam non esse locum appellationis, à majoribus nostris constitutum est.* Leo quoque et Constantinus in Eulogâ legum tit. 96 idem repetunt : *Patriarchæ sententia appellationi non subjacet, neque retractatur ab alio, utpote ecclesiastici judicii princeps.* Quare rectè conclusit Photius Nomocanonis tit. 9, c. 5 : *A patriarcharum sententiâ non appellatur.*

Latinus. Mutuatus es hæc omnia è Theodori Balsamonis penu. At ipse ille refert etiam aliorum sententiam, qui sustinent, disertèque affirmant, à minori ad majorem patriarcham in ecclesiasticis negotiis appellationi locum fuisse. Atque ut fortè hoc de aliis verum non sit, de Romano habeo certissimè, ex omni orbe, et ipsâ patriarcharum sententiâ Romam sæpè provocatum esse ; non, ut ineptit Meletius Alexandrinus, ex nescio quo humanitatis officio, verùm de jure quod Sardicenses canones complexi sunt, ut proinde quascumque citâsti imperatorum constitutiones, à Romano pontifice prorsùs abstrahant, quando ejus potestatem minuere nequeunt, quam Christus tribuit, quam disertis adeò verbis Sardicenses canones affirmârunt, quam usus constans apertissimè docet fuisse perpetuam in Ecclesiâ, atque etiam deinceps futura est.

Græcus. Consuetudo optimus legum interpres est. Age igitur, et exempla etiam, si quæ potes in rem tuam affer, ut innoxiam Justiniani mentem, legemque Romanæ Ecclesiæ auctoritati nihil detraxisse comprobes.

Latinus. A minimis quibusque ad Romanos pontifices adversùs proprios patriarchas recursum fuisse, favisseque ipsum Justinianum Augustum consiliis recurrentium, ex libello monachorum adversùs Anthimum patriarcham suum instructo, ac porrecto Agapeto papæ, possum convincere. Verba libelli accipe : « Adjuramus, inquiunt monachi, vestram beatitudinem per sanctam et consubstantialem Trinitatem, ac per principem Apostolorum Petrum, ac salutem et victoriam piissimi imperatoris nostri, non contemnere divinos canones, qui ab isto pessumdantur, neque Ecclesiam ei traditam, quæ ab isto despicitur, sed sequendo in omnibus eos qui ante ipsam beatitudinem in sede vestrâ claruerunt, facere idipsum, adhuc et contra canonum auctoritatem invalescentem... Ea quæ S. Cœlestinum contra Nestorium liquet fecisse... Verùm, quoniam non solùm iste, sed et cæteri episcopi, et clerici, et archimandritæ in magno numero, qui insidiis adversùs Dei Ecclesiam utuntur, et propter hoc solum in hâc civitate commorantur, ei et universis Ecclesiis perturbationes dare nullo modo recusant rogamus, et universos tales ad vos adduci, et exactiones permittere concedentes... Suscipite nostram supplicationem, et potestatem à Deo vobis datam in ipsos moventes, purgate Dei Ecclesiam, et lupis liberate... Hujus gratiâ et ad vos Romam misimus... Tales à piissimo imperatore nostro promissiones accepimus, *quòd ea quæ à vobis judicata sunt, sua pietas omni modo studet mandare executioni.* »

Græcus. De Gregorio Dialogo, magno illo pontifice non semel à Latinis jactatum memini, nullum eum pontificatûs annum decurrisse, quem insigni primatûs apostolici documento non illustraverit. An verò est qui ad eum appellaverit?

Latinus. Instar multorum sit Joannes presbyter Constantinopolitanus. Is malè acceptus à patriarchâ suo Joanne Nesteutâ, cùm Gregorium appellâsset, duriùs adhuc mulctatus est. At Gregorius appellatione admissâ, datis litteris reprehendit non segniter patriarcham, quòd Joanni presbytero, interpositâ licet ad

sedem Apostolicam appellatione, molestiam facesseret; deinde, quòd correptionem alteram à se scriptam, non eo, quo scripta fuisset animo, suscepisset : nempe corripuerat Nesteutam pontifex, quòd mansuetudinem Ecclesiæ prætergressus, Anastasium presbyterum fustuario mulctâsset.

Græcus. Hæc si vera sint, nil magnæ sanctitatis in Joanne Nesteutâ nobis exhibent; aut si talis fuerit, quemadmodùm non est, cur ambigam, suspectæ propè fidei sunt quæ narrâsti.

Latinus. Suspicionem omnem de narrationis meæ veritate adimet tibi Epistola Gregorii papæ; neque nunc id ago, ut peccâsse ostendam Nesteutam, qui quidem, si etiam lapsus sit, sanctitatis decus integrum adhuc obtinere potest; etverò hanc in eodem fuisse insignem, modestia factumque patriarchæ laudatissimum, quod mox dicam, commendat magnoperè. Etenim Nesteuta in dato ad Gregorium responso, decretis acquievit Gregorii, utque jussus fuerat acta Joannis presbyteri discutienda Romam transmiserat, ubi pro tribunali agitatum Joannis negotium est, tum et alia, Anastasii presbyteri causâ, qui à sententiâ patriarchæ provocaverat, et Joannes quidem Constantinopoli hæreseos damnatus, innoxius ac catholicus compertus, absolutus est; cùm contra Anastasius Manichæo addictus esse, accusator verò ejusdem, Pelagio studere convictus sit.

Græcus. Non sinam te ultrò progredi, ne plura Ecclesiæ nostræ vulnera aperias : dabo à patriarchicis sententiis Romam appellationes ivisse; id unum dico, non admodùm firmum hoc pontificii primatûs argumentum esse, quando ab ipsorum etiam Romanorum pontificum sententiis provocâsse nonnullos pro certo teneo. Absolverat Cæcilianum anno 313, et Donatum cum asseclis pro merito damnaverat Melchiades papa; pars quæ causâ cecidit, sive ad concilium aliud, sive ad imperiale tribunal provocat; neque Constantinus imperator provocantibus negandum id censuit. Igitur ex ejus decreto Arelate in Galliis Patres magno numero conveniunt, causa resumitur, novoque judicio expenditur, finienda duntaxat per Augustum ipsum Mediolani. Quis verò credat, aut pientissimum imperatorem id permissurum fuisse, aut Patres ipsos ausuros, si Romanum judicium finale ultimumque, cui omnes acquiescere debeant, censuissent?

Latinus. Nescio quid certis juribus summorum pontificum detrahere possit, si unus, atque alter, et is quidem ab hæresi aut schismate infamis, Romani tribunalis sententiæ non se submittat, non acquiescat. Sed neque id dubiam summorum pontificum auctoritatem facere potest, quòd catholicus imperator Arelate causam agitandam rursùs indixerit, quòdque Patres ipsi eamdem instaurare non dubitaverint. Etenim si veri amans es, hinc nihil tu aliud quàm insignem Melchiadis indulgentiam ac lenitatem concluseris, qui ut gravissimo schismati modum statueret, quanquàm iniquè appellanti Donato deferri ab Augusto sustinuit : certus id apud probos nihil auctoritati suæ apostolicæ detracturum, et profuturum fortassè ad hominum contundendam temeritatem. Etverò apud Augustum nihil inde pontificio honori derogatum esse manifestum faciunt ejus litteræ ad Chrestum : agnoscit in iis, quàm iniqua esset ea Donati poscentis appellationem petitio. Quare etiam, ut Optatus testatur lib. 1, ad appellationis injectam memoriam, ita pius imperator respondit : *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt!* His adde, si lubet, Cæciliani causam, nec fidei, nec morum doctrinam respexisse. Duo namque à Donatistis episcopo integerrimo objiciebantur, primum, quòd à traditoribus (sic appellabant eos qui urgente Diocletiani et Maximiniani Herculei persecutione, pœnarum metu sacros codices igni exurendos tradebant) in episcopum initiatus fuisset; alterum, quòd cùm persecutionis ejusdem tempore esset diaconus, martyribus in vinculis positis alimoniam afferri prohibuisset. Poterat itaque sententia dicta Romæ in generali concilio excuti, non quidem jus in papam exercendo, sed in unum Cæcilianum quæstionem habendo, nimirùm an ab Ecclesiâ etiam universâ, qualem adhuc papa agnoverat, innocens et procul à labe habendus esset.

Græcus. Quàm ægrè tibi assentior, cùm à papæ sententiâ appellationem institui posse pernegas! sanctiorne sit eorum sententia quàm persona? de personis verò ipsis Marcellini atque Sixti III pontificum judicatum esse novimus; cur non igitur et de sententiis?

Latinus. Neque de sententiis, neque de personis pontificum vero judicio agitari posse, pro certo habeo. Da enim, si potes, pontificis judicem; eum utique nullum privatum dices, quin neque provinciale quodquam concilium; generale verò cùm et indici, et gubernari, et

confirmari per papam debeat, non assequor, ut de eodem, aut in eumdem ferre possit sententiam. Si tibi vacat, lege, quæ Duvalius doctor Sorbonicus lib. 4 in hanc rem scripsit. Quæ de Marcellino in Sinuessano, et de Sixto III Romano in concilio judicatis, narrantur, meritò eruditi inter commenta accensent, multisque argumentis id ostendunt Papebrochius in conatu Chronico Hist. ad cat. Pontificum, Alexander Natalis, atque Pagius ad annos 302 et 433, ad quos me remitto, ne actum hìc agam. Abstinere tamen me nequeo quin dicam vel acta ipsa earum synodorum, si vera sint, supremam Romanorum pontificum auctoritatem luculentissimè testatam facere : etenim Sinuessana ipsa synodus dixisse fertur Marcellino : « Tu eris judex, ex te enim « damnaberis, et ex te justificaberis, tamen « in nostrâ præsentiâ.... ; nemo enim unquàm « judicavit pontificem, nec præsul sacerdotem « suum, quoniam prima sedes non judicatur « à quoquam. » Et in Romanâ synodo Maximus exconsul dixisse fertur : « Non licet adversùm « pontificem dare sententiam. »

Græcus. His synodorum pulcherrimis sententiis, sed incertæ dubiæque fidei, si certiora in eumdem sensum testimonia substituas, controversiam omnem de primatu Romani pontificis definivisti.

Latinus. Quatuor testimonia partim summorum pontificum, qui in magnâ apud vos veneratione habentur, partim synodorum de ipsis pro'eram in medium, ut causæ finem imponamus. Gelasius I, in Commonitorio ad Faustum, sic loquitur : « Ipsi sunt canones qui « appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis « examen voluêre deferri, ab ipsâ verò nus« quàm prorsùs appellari debere sanxerunt : « ac per hoc illam de totâ Ecclesiâ judicare, « ipsam ad nullius commeare judicium, nec « de ejus unquàm præceperunt judicio judicari, « sententiamque illius constituerunt non opor« tere dissolvi. » S. Leo ad episcopos provinciæ Viennensis occasione Hilarii Arelatensis : « Nobiscum, ait, vestra fraternitas recogno« scat, Apostolicam sedem pro suâ reverentiâ « à vestræ provinciæ sacerdotibus esse consul« tam, et per diversarum, quemadmodùm ve« tus consuetudo poscebat, appellationem cau« sarum, aut retractata, aut confirmata esse « judicia. » Denique sub Leone III, synodus ex Italiæ Galliæque conflata episcopis in hunc modum dixit : « Nos sedem Apostolicam, quæ « est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare « non audeamus ; nam ab ipsâ nos omnes, et « vicario suo judicamur, quemadmodùm et an« tiquitùs mos fuit. » Nempe didicerant à Patribus synodi V Romanæ sub Symmacho olim celebratæ, cujus id pronuntiatum erat : « Prima « sedes à nemine judicatur. Aliorum fortè ho« minum causas Deus voluit per homines ter« minare; sedis istius præsulem suo sine quæ« stione reservavit arbitrio. »

CAMI VITA.

Camus (Petrus), Parisiis natus 1582, viginti et sex annos vix attigerat, cùm ad Bellicensem evectus episcopatum, à B. Francisco de Sales inauguratus est. Episcopo Genevensi vixit diu familiarissimus, etsi indole admodùm dissimilis. Quippe qui eximiam Francisci mansuetudinem optimè laudavit ac depinxit, zelo non semel asperiori incendebatur. Præterea nescio quâ in monasticos ordines fervebat inimicitiâ, neque unquàm ab iis lacessendis temperavit : mirum profectò, si attendatur quoties monachi de religione christianâ benè meriti sint. Cæterùm pietate pariter ac doctrinâ insignis præsul extitit. Complurima texuit volumina ; nonnulla inanibus scatent næniis, nonnulla verò fiunt maximi, inter quæ 1° opus inscriptum : *Esprit de saint François de Sales*, 6 vol. in-8°; 2° opusculum cui titulus : *Appropinquatio Protestantium ad Ecclesiam Catholico-Romanam*, typis sæpè recusum, quodque è *Thesauro theologico* P. Zaccariæ depromptum denuò recudimus.

APPROPINQUATIO PROTESTANTIUM

AD ECCLESIAM CATHOLICO-ROMANAM;

Ubi demonstratur, quàm facillimè conciliari possent adversantium placita ex sobriâ et pacificâ discussione eorum dogmatum, de quibus tam acriter controvertitur.

CAPUT PRIMUM.

De fundamento fidei.

Docent cum catholicis protestantes, objectum formale fidei esse Deum, tanquàm veritatem revelantem, objectum verò materiale, esse articulos fidei, qui nobis proponuntur, ut credamus. Docent, articulos fidei esse in symbolo, quod dicitur apostolicum, sanctis Scripturis veteris ac novi Testamenti planè consentaneum. Atque hoc ipsum symbolum, per veteris Ecclesiæ symbola, quale est Nicænum et Athanasianum, fuisse declaratum et explicatum.

Agnoscitur utrinque pronuntiatum Apostoli: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom. 10, 17); quod intelligitur de verbo Christi prædicato : nam, ut ibidem dicitur : *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante* (vers. 14, 15)? Hanc prædicationem debere esse conformem S. Scripturæ, nullus dubitat : nam quicumque vellet sanctis Scripturis contradicere, ei opponeretur istud apostolicum : *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Galat. 1, 1). Omnes itaque in eo conveniunt, quòd fundamentum immobile et immutabile fidei nostræ consistat in veritate Dei revelantis, qui nec fallere, nec falli possit.

ANIMADVERSIONES.

Calvinistæ in suâ fidei confessione : « Profitemur, inquiunt, symbola tria, scilicet « Apostolorum, Nicænæ synodi, et Athana« sii, quia Dei verbo conformia sunt. » Porrò inutile fuerit hoc loco animadvertere theologos tum ex catholicis, tum ex protestantibus non paucos esse, qui putent Apostolorum, et S. Athanasii symbola reverà eorum non esse quorum nomina præ se ferunt; satis nimirùm est ea quidem utrorumque sententia in religionis negotio genuina monumenta esse, atque iis sanè in suis contra recentiores anti-trinitarios disputationibus protestantes utuntur. At dùm Calvinistæ in suâ fidei confessione addiderunt ea se propterea recipere, quòd Dei verbo conformia sunt, non satis secum ipsi reputârunt, se objiciendi occasionem antitrinitariis præbere, Nicæni concilii, et S. Athanasii symbola cum hoc ipso divino verbo non omninò congruere. Quamobrem ea brevior tutiorque via est, ut ejusmodi symbola absque ullâ restrictione cum catholicis suscipiantur; alioquin æternis litigiis campus patebit. Profectò catholici æquè ac protestantes horum symbolorum doctrinam omninò sacræ Scripturæ consentaneam judicant; verùm haud cum iis aiunt ea sibi probari, quòd eidem consonent. Itaque Dallæus magni nominis Caranconius minister, postquàm suæ fidei articulos ostendit ex Bibliis in libro cujus titulus : Fides sacris Scripturis nixa, hæc addit, parte 3, pag. 128 : « Facilè ostendi « potest hæc fidei capita, quæ hactenùs « ex Scripturâ demonstravimus, christiano« rum prorsùs omnium communia esse. Ea « veteres suis in symbolis et conciliis expli« cuerunt, et in bono lumine collocârunt; « neque verò mutationes, quâcumque tandem « in eorum religione contigerunt, impedimento « esse potuerunt, quominùs eadem à recen« tioribus retinerentur. » Ita quidem additur Scripturæ traditio; quibus duobus principiis positis, protestantes cum romanâ Ecclesiâ conciliari facilè poterunt.

CAPUT II.

De regulâ fidei.

Docent cum catholicis protestantes S. Scripturam esse certissimam, firmissimam, in-

(1) Quod opusc. hìc dabimus secundùm editionem illustriss. fratrum de Walemburch in Tract. special. de Controvers. Fidei, nonnullis additis Zaccariæ animadversionibus.

fallibilem et necessariam regulam fidei : quæ auctoritatem suam à Deo acceperit, inspirante verbum suum prophetis, apostolis et auctoribus canonicis.

Sed quæritur, an S. Scriptura sit sola fidei regula, ita ut nihil aliud sit agnoscendum tanquam regula. Negant protestantes, aliud quidpiam esse admittendum; affirmant catholici. — Ex S. Scripturâ probare non possunt protestantes, sacra biblia esse solam fidei nostræ regulam cum exclusione cujuscumque alterius. Catholici autem probant, etiam verbum Dei non scriptum pro regulâ admittendum esse, dicente Apostolo : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, 2 Thess. 2, 15.

Verùm, quia hæc quæstio integrè dependet à materiâ traditionum, hìc longiores non erimus.

ANIMADVERSIONES.

Agnoscunt catholici regulas duas, quibus fidei, quam profitentur, articuli ad unum omnes nituntur. Prima quidem et præcipua sacra Scriptura est, quæ juris regula dici potest, quia sacris profectò libris christiana religio nititur. Hoc de principio inter protestantes omnes cum catholicis convenit. Altera regula, quæ traditio est, facti regula nuncupari potest, quia licet perinde ac Scriptura dogma contineat, eâ tamen ita solùm Ecclesia utitur, ut ecclesiarum ad varia tum loca, tum secula pertinentium sententias et consuetudines conferat. Quamvis autem traditio nihil nisi humanum complecti protestantibus videatur, quia nonnisi factis innititur, ejus tamen æquè ac sacræ Scripturæ fundamentum revelatio est, quia scilicet homines, quorum auctoritate nititur, eorum, quæ in ipsorum libris occurrunt, auctores propriè non sunt; sed solùm fidei sunt testes, quæ in Ecclesiâ eorumdem temporibus obtinebat. Atque hâc quidem significatione veri nominis traditiones cum sacrâ Scripturâ comparari possunt, quia nempe et ipsæ à sancto Spiritu derivantur, ac proinde quæ ex ejusmodi traditionibus argumenta ducuntur, haud minoris roboris sunt, quàm si sacris litteris sumerentur.

Evidens est hujus principii ratio. Neque enim Dei verbum eò minùs continetur, quòd ore tenùs expositum, quàm quòd scripto traditum fuit, dummodò traditiones hæ non ex peculiaribus ecclesiis depromptæ sint. Maldonatus, qui veritatem hanc doctè firmavit in oratione quam olim habuit, cùm theologiam Parisiis doceret, addit et illud, probationes ex his generalibus traditionibus ductas iis, quæ ex Scripturâ petuntur, propterea præstare, quòd minùs ambiguæ sunt; nimirùm ferè nullus est Scripturæ textus, cujus non sensus multiplex esse possit cùm traditionum sensus sit unus tantùm. Hoc sanè posito, jure Veronius asseruit « cumulatissimam et « unicam catholicæ fidei regulam revelationem « divinam esse prophetis quidem et apostolis « exhibitam, ab universali autem Ecclesiâ in « generalibus conciliis aut universali praxi « propositam; quidquid ejusmodi est, catho- « licæ fidei articulum seu doctrinam esse, « nullamque aliam doctrinam esse catholicæ « fidei articulum. » Si protestantes hactenùs dicta sedulò reputaverint, nihil erit, quod catholicis objiciant, injuriam inferri Dei verbo, quod eò scilicet adigitur, ut quodam modo ab hominum auctoritate pendeat. Illi enim homines fidei nostræ auctores non sunt, sed earum solùmmodò rerum testes, quæ ab apostolorum temporibus in Ecclesiâ creditæ fuerunt.

Certum est protestantes sæpè non posse, quin ad aliam regulam, præter sacram Scripturam confugiant. Calvinus in libro, quem contra anabaptistas scripsit, ad veteris Ecclesiæ consuetudinem confugit, ut baptismum firmaret, qui pueris confertur. Qui porrò ex protestantibus non nihil ingenuo animo sunt, bonâ fide fatentur, id moris ex evangelistarum et apostolorum scriptis ostendi non posse; ac proinde regulam aliam, præter Scripturam, agnoscant, omninò necesse est. Dubio procul antequàm nullus novi Testamenti liber in lucem editus esset, aderant institutæ plures ecclesiæ; quæ quidem ecclesiæ apostolicas traditiones depositi quali titulo custodiebant, quarum nullæ tantùm, prout se multiplex occasio obtulit, non autem ut una et unica fidei nostræ regula essent, deinceps scriptæ fuerunt. Quamobrem priores Ecclesiæ Patres ad præcipuarum, quas apostoli instituerant, Ecclesiarum fidem in suis adversùs hæreticos disputationibus confugerunt. Qui porrò inter protestantes primas tenent, libenti animo traditiones suscipiunt, prout hactenùs quidam expositæ sunt, utpote quæ universali Ecclesiâ nitantur.

CAPUT III.

De sacrâ Scripturâ.

Constat inter catholicos et protestantes,

originalia scripta prophetarum et apostolorum non superesse, et eorum scriptorum esse copias, quibus nunc utimur. In his autem describendis et imprimendis varias esse causatas difficultates et confusiones, nullus dubitat.

Nunc mundus translationibus variis est repletus; et quamvis aliæ sint aliis meliores, quis tamen asserat ullam esse, cui nihil omninò imperfectionis adhæserit? His non obstantibus, fatentur nobiscum protestantes, Deum virtute suâ conservâsse suum verbum veteri et novo Testamento comprehensum, licet de nonnullis sit aliqua difficultas.

ANIMADVERSIONES.

Quod auctor, ad autographos sacræ Scripturæ textus quod attinet, pro certo ponit, id æquè catholici et protestantes suscipiunt. Equidem satis habeo novi potissimùm Testamenti libros attingere. Sanè convenit jam inde à primis Ecclesiæ seculis non parùm varietatis inter græca exemplaria extitisse, quemadmodùm ex Origenis et S. Hieronymi testimoniis ostenditur. Ac licet genevenses doctores harum varietatum plerasque in suis in vulgares linguas versionibus supprimere studuerint, ne exiguo gregi suo scandalum afferrent, Beza tamen in latinis, quas super novo Testamento edidit, adnotationibus, hâc in re se satis liberè explicuit. Longè maximum quippe variarum lectionum numerum in medium affert, productis manuscriptis codicibus, è quibus easdem deprompsit; atque adeò quas vetus latinus interpres secutus est, eas nonnunquàm communi vulgatoque græco textui, quem protestantes *Exemplar* nuncupant, anteponit.

Angli varias lectiones omnes, quas quidem invenire potuêre, collegerunt, suæque Polyglottæ tomo sexto inseruerunt, atque in novi Testamenti, quod in-8°, anno 1675, Oxonii impressum fuit, omninò græcâ editione protulerunt. Ex eorum doctoribus unus diù ad novam in-folio editionem incubuit, quæ varias ejusmodi lectiones plures complectitur, quàm antea prodierant.

Saubert, inter germanos lutheranos doctus criticus, anno 1672, variarum S. Matthæi lectionum excellentem et ipse collectionem edidit, cui eruditam præfationem addidit, in quâ de novi Testamenti variis exemplaribus scitè loquitur. Ut verbo expediam, protestantes, è quâcumque tandem sectâ fuerint, fateri non pudet, biblica exemplaria, ad quæ suam ipsi fidem exigunt, mutationibus obnoxia fuisse, de quibus hoc loco Bellicensis episcopus verba facit. Ex catholicis P. Amelotus Oratorii presbyter nihil obesse credidit, quominùs in adnotationibus, quas novi Testamenti suæ gallicæ versioni addidit, complures Græcorum exemplarium varietates produceret.

Quod etiam ad varias sacræ Scripturæ traductiones spectat, protestantes inter et catholicos convenit eas esse benè multas, atque adeò magnoperè inter se quocumque demùm sermone differre, earumque nullam occurrere, quæ à mendis prorsùs exempta sit. Romanæ ecclesiæ præstantissimi quique theologi non eunt inficias S. Hieronymum, qui latinæ editionis auctor est, quæ in nostris ecclesiis (potiore saltem ex parte) legitur, nec prophetam fuisse, nec falli nescium; quemadmodùm è Jesuitarum familiâ doctus scriptor Mariana luculenter ostendit in libro cui titulus : *Pro Editione vulgatâ;* cui plures alii theologi, vel in Hispaniis ac Lusitaniâ, subscripserunt. Denique super vulgatæ versionis negotio, quam Trid. conc. authenticam declaravit, præcipui romanæ ecclesiæ scriptores cum protestantium præstantissimis omninò conveniunt. Non ea quippe concilii mens fuit, ut biblicis exemplaribus textibus eamdem præferret, quemadmodùm aptè cardin. Pallavicinus in suâ concilii historiâ post Jesuitarum theologorum doctissimos animadvertit. Ita quidem omnes controversiæ, quæ super hâc re excitatæ sunt, inutiles evadunt, ac nulla eorum habenda ratio, quæ nonnulli alii ejusdem societatis theologi proposuerunt, quibus sanè Lainesius, qui Tridentino concilio interfuit, Serarius et Mariana plurimùm præstant. Quod enim aiunt, nonnisi protestantium pertinaciam augere potest, cùm contra præstantissimorum romanæ Ecclesiæ theologorum receptâ sententiâ, protestantes cum catholicis omninò consentiant.

Jure etiam ac meritò Bellicensis episcopus magnam, quæ in variis antiquarum versionum exemplis occurrit, varietatem animadvertit. Una græca versio Septuaginta, quæ plurium seculorum spatio per universam Ecclesiam obtinuit, huic rei evidenti argumento est. Quod autem ad Latinam nostram editionem spectat, variæ Roberti Stephani, Hentenii, et Lovaniensium doctorum editiones, in quibus hæ variæ lectiones ad marginem positæ

sunt, evidenter ostendunt, quantùm exemplaria inter se discrepent. Franciscus Lucas Brugensis critices peritus eximium opus super his varietatibus elaboravit, quod Antuerpiæ in-4°, anno 1580 typis editum fuit hoc titulo: Notationes in sacrâ Bibliâ, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur. Has ipsas adnotationes ad latinæ, quam edidêre, Scripturæ calcem Lovanienses doctores addiderunt; at post postremas, Sixto V et Clemente VIII Ecclesiam administrantibus, animadversiones, quas strenui censores Romæ concinnârunt, Vulgata non ampliùs cum his varietatibus editur, easque docti tantùm homines consulunt. Eas Mariana penè omnes exscripsit in scholiis quæ in Biblia publici juris fecit. Sacrarum litterarum studiosis utilis ducitur harum Lucæ Brugensis adnotationum lectio, earumque præterea, quæ ab ipso in Græcum et Latinum quatuor singillatim Evangeliorum textum elaboratæ, anno 1606 unà cum ejus commentario prodierunt. Cæterùm fuit, cur Bellicensis episcopus adderet, varietatem hanc tantam non obstitisse, quominùs sacra Scriptura semper sarta tecta persisteret, quia scilicet eæ variæ lectiones nullius omninò momenti sunt, neque ea, quæ ad finem ac mores referuntur, afficiunt.

CAPUT IV.

De libris canonicis et apocryphis.

In hoc negotio protestantes plurimùm accedunt ad sententiam Ecclesiæ catholicæ. Quamvis enim lutherani, initio ortûs sui, in dubium revocaverint Apocalypsin S. Joannis, Epistolam S. Jacobi, et Epistolam ad Hebræos, nunc tamen ea omnia admittunt: atque ita in hoc negotio pax est.

Quoad vetus Testamentum, acceptant protestantes canonem Judæorum; sed non putant catholici post annuntiatum Evangelium velle judaizare protestantes; vel synagogam resuscitare, quam apostoli cum honore sepelierunt. Dicunt, eos libros, quos statuunt apocryphos, non fuisse agnitos in concilio Laodiceno. Catholici ostendunt, eos fuisse agnitos in tertio concilio Carthaginensi, à S. Augustino aliisque Patribus et conciliis.

Facilè protestantes acquiescerent, si considerarent, fuisse dubitatum de quibusdam libris, usque ad concilium Carthaginense, quod anno 397 celebratum est. Ipsis enim agnoscentibus puritatem quatuor primorum seculorum, fieri non potest, ut decretum ejus concilii rejiciant; nisi præferendo judicium suum particulare judicio Ecclesiæ, quod adversatur consuetudini protestantium, dùm volunt particulares acquiescere judicio synodi, et ministros signare acta synodi, cum declaratione submissionis.

ANIMADVERSIONES.

E gravissimis est caput hoc, latiùsque proinde explicandum, quò clariùs distinctiùsque protestantes intelligant nullum sibi firmum et constans principium esse, quod ad sacræ Scripturæ canonicos libros spectat. 1° Certum est Epistolam ad Hebræos, S. Jacobi Epistolam, alteram S. Petri, S. Judæ Epistolam, et Apocalypsin, tanquàm canonicos ac divinos libros, à Luthero ac nonnullis ejus discipulis receptas non fuisse. At jamdiù est, quòd lutherani has omnes epistolas, atque adeò Apocalypsin in sacrorum novi Testamenti librorum codicem referunt, ut ex eorum biblicis editionibus tum latino, tum germanico sermone concinnatis licet intelligi. Calvinistæ quoque ac zuingliani hâc in re cum catholicis sentiunt; ut proinde super hoc negotio Romanos catholicos inter et protestantes nulla in præsentiâ disputatio sit. Sociniani ipsi, qui christianam religionem propemodùm everterunt, novi Testamenti libros omnes, tanquàm æquè divinos canonicosque suscipiunt. Faustus Socinus eorum signifer, opusculum edidit inscriptum : *De sacræ Scripturæ auctoritate*, in quo horum omnium librorum divinitatem probat. Exiguus liber hic primùm quidem typis editus fuit, ut ex titulo constat, Hispali, anno 1588, Dominici Lopez Jesuitæ nomine : « De auctoritate « Scripturæ sacræ per R. P. Dominicum Lopez « societ. Jesu, Hispali, apud Lazarum Ferra« rium. » Possevinus, Algambus, et Sotuel inter suæ societatis scriptores hunc Dominicum Lopez, qui Faustus Socinus est, retulerunt.

2° Animadversione dignum fuerit, cùm protestantes, tanquàm divinos et canonicos libros, epistolas, de quibus supra, semel receperint, nihil esse, cur veteris Testamenti libros, quos apocryphos nuncupant, omninò rejiciant. Quod enim contra posteriorum auctoritatem proferunt, æquè priores impetit, quos haud initio statim plures ecclesiæ receperunt. Hùc addendum, quæ difficultates à protestantibus in libros Esther, Judith, Machabæorum, etc., propositæ sunt, eas iisdem de causis in Paralipomenon quoque libros, quos ipsi tan-

quàm divinos et canonicos cum catholicis omnibus recipiunt, institui posse. Hi enim posteriores libri quoad historiæ complura capita cum iis difficillimè conciliari possunt, quæ in Samuelis et Regum libris leguntur, ob eam scilicet causam, quòd nobis haud satis veterum librorum suppetit, ut his difficultatibus occurramus.

3° E re est animadvertere *apocryphi* vocabulum, quod in præsentiâ vulgò pro *falso*, seu *supposito* accipitur, nihil aliud ab origine quàm *occultum* significare. Penes Hebræos fuère librorum genera duo, quorum alios, qui nempè *occulti* abditique erant, *apocryphos*, cæteros autem ad publicam institutionem, et ut omnibus regulæ loco essent, in lucem editos catholicos nominârunt. Quamobrem fieri potest, ut qui libri initio quidem apocryphi seu occulti fuère, deinde canonici evadant, cùm publici juris fiunt, ut populo regulæ et eruditioni sint. In Regum et Paralipomenon historiis de quibusdam libris sermo est, qui propriè in canonicorum librorum numero collocari non possunt, quia publici effecti non fuerunt.

4° Frustra Raynoldus Witaker, aliique non pauci inter protestantes doctrinâ celebres Romanis catholicis catalogos sacrorum librorum à concilio Laodiceno, à Melitone, à S. Cyrillo Hierosolymitano, etc., allatos opponunt. Iis enim objici possunt alii catalogi, qui nec minùs antiqui, nec minùs probati sunt, in quibus existunt libri, quos illi apocryphos nuncupant ; ut proinde cùm traditio, quoad caput hoc, universalis non sit, nihil inde concludere possint. Hùc accedit Melitonem, cujus adeò jactatur antiquitas, haud accuratum videri ; quippe qui librum Esther in suum catalogum non retulerit, qui tamen in Hebræorum canone reperitur. Ecclesiæ porrò romana, alexandrina, africana pro libris verè divinis et canonicis eos habuerunt, quos inter apocryphos protestantes rejiciunt. S. Cyprianus, S. Augustinus, Innocentius papa I et Africanum quoddam concilium (quodnam fuerit, haud satis constat) hujus veritatis fidelis testes sunt, et ad Alexandrinam quidem ecclesiam quod attinet, ejusdem rei evidentiâ complura argumenta occurrunt in S. Athanasii operibus, in quorum numero nec liber *Synopsis* dictus, nec Festalis Epistolæ fragmentum, quæ ei tribuuntur, poni debent. Hæc cùm ita se habeant Tridentinis Patribus satis gravia monumenta præstò fuerunt, ut libros, quos protestantes apocryphos nominant, divinos et canonicos declararent ; nixi quippe fuêre trium, quibus in universo terrarum orbe nulla præstantior, ecclesiarum auctoritate. Fatendum tamen in ecclesiâ romanâ, vel post Africani concilii definitionem, celebres scriptores non paucos, et inter alios S. Gregorium Magnum eorum, de quibus agitur, librorum nonnullos in divinarum Scripturarum album non retulisse. Quâ in re S. Hieronymum potiùs, quàm S. Augustinum secuti sunt. At post Tridentini concilii decretum, non ampliùs in romanâ ecclesiâ de horum librorum auctoritate dubitari licet.

5° Sanè protestantes in suorum bibliorum corpus eos libros referunt, quos apocryphos vocant, verùm non eos tanquàm divinos spectant, quos propterea in peculiari classe collocant. Cùm tamen ad suorum bibliorum marginem textus iis respondentes indicant, eos, quos apocryphos esse contendunt, perinde indigitant, ac si ab apostolis laudati fuerint. Episcopales anglicani suis in ecclesiis eos æquè ac canonicos libros legunt ; at iis calvinistæ ac presbyteriani hoc ex capite litem intentant, quippe qui pati nequeant Anglicanam ecclesiam iis in liturgiâ eumdem ac cæteris sacræ Scripturæ libris locum concedere.

CAPUT V.

De traditionibus.

Duplex statuitur traditio : apostolica et ecclesiastica. Ecclesiasticas traditiones admittendas esse, necessariò nobiscum tenent protestantes, qui ordinationes et constitutiones pastorum suorum, disciplinis ecclesiasticis comprehensas, unanimiter admittunt. Tales autem constitutiones vocant catholici traditiones ecclesiasticas. Hìc ergo pax est.

Non negant protestantes, quin Deus plura revelaverit, quàm libris scriptis, quos nunc habemus, contineantur : agnoscunt enim communiter, aliquos sacræ Scripturæ libros interiisse, et Christum Jesum multa dixisse, quæ non sunt scripta. Imò dicit Zanchius : « Nonnullas verò per apostolos traditiones in Ecclesiâ institutas et relictas fuisse non scriptas, ego non dubito, quanquàm non omnes ad nos promanârunt. » Neque in hoc alii dissentiunt. Agnoscunt protestantes, esse baptizandos parvulos : quod tamen ex traditione apostolicâ haberi docet S. Augustinus. Agnoscunt protestantes, illos, qui ab hæreticis baptizati sunt, non esse rebaptizandos : quod

similiter ex traditione apostolicâ descendere docet S. Augustinus lib. 2. de Baptis. contra Donat., cap. 7, pag. 42, A. Nobiscum docent protestantes, ipsam S. Scripturam haberi ex traditione apostolicâ ecclesiis necessariâ, uti docet Zanchius et alii. Iidem fatentur, in baptismo quædam verba esse pronuntianda : quod quamvis probabiliter ex S. Scripturâ possit desumi, nullo tamen argumento necessario probari potest. Iidem recipiunt abrogationem legis de suffocato et sanguine, de quo legimus in Actis Apostolorum, quæque abrogatio ex solâ derivatur traditione. Iidem agnoscunt sanctificationem diei Dominicæ ex traditione apostolicâ non scriptâ. Calixtus, Epit. theol. in proleg., pag. 43; Zanchius, de Tradit. Thess. 1.

Non ergo est quæstio, an agnoscendæ sint traditiones apostolicæ. Quis enim tam esset inverecundus, ut diceret, apostolorum scriptis adhibendam esse fidem, non verbis?

Sed dicunt protestantes, « non dari traditiones omnibus necessarias, » ubi, si hoc velint, sacram Scripturam sive explicitè, sive implicitè illud totum continere, quod omnibus est necessarium ad salutem, catholicos habebunt consentientes. Verùm inter utrosque facilè convenit, sacram Scripturam non complecti verbis expressis aut æquivalentibus, in sensu evidenti et necessario, quicquid omnibus est necessarium ad salutem. Ideòque fatentur nonnulli protestantes, opus esse consequentiis et interpretationibus; catholici etiam fatentur, verum sensum necessariorum accipiendum esse ex traditione. Ita difficultas tota in hoc terminatur : an privatis cujuscumque interpretationibus et consequentiis, quæ omnibus necessaria sunt, ex SS. Scripturis sint determinanda; an verò per traditionem apostolicam, ab ecclesiis acceptam, in ecclesiis conservatam, per concilia generalia et praxim universalis Ecclesiæ propositam?

Judicent domini protestantes, quid sit æquius, quid certius, quid solidius, vel privatis interpretationibus et consequentiis fidere, vel consentienti auctoritati, inde ab apostolis ad nos usque pervenienti.

ANIMADVERSIONES.

Inter omnes sectarios arminiani novique anti-trinitarii traditionibus, iis ipsis, quæ in Ecclesiâ maximè universales sunt, pertinacissimè refragantur, qui tamen, cùm de sacrorum librorum auctoritate probandâ agitur, coguntur cum catholicis ad veterum ecclesiarum testimonia, et quod inde consequitur, ad traditionem confugere. Calvinistas ferre non possunt, qui in suâ fidei confessione, art. 4, dicunt : « Fatemur hos libros canonicos et fidei « nostræ regulam esse, non tam ob Ecclesiæ « conventionem, consensumque communem, « quàm ob testimonium sensumque intimum « Spiritûs sancti, qui efficit, ut à cæteris ec- « clesiasticis libris eos discernamus. » Sensus hic intimus vera illusio est. Ex aliâ parte Belgici calvinistæ optimè perspexerunt fieri sine traditione non posse, ut religio prorsùs integra servaretur. Arminianis enim, in disputationibus cum iis habitis, exprobrârunt eos pyrrhonismum inducere, qui se fidei confessionibus, quæ statutæ fuerant, subdere nollent. Arminiani contra responderunt se quidem non aliâ ratione iis confessionibus subscribere posse, quàm repudiandis reformationis principiis, et calvinistas ipsos ita objicere non posse, cùm Patrum et conciliorum auctoritati, unoque verbo universæ antiquitati nuntium remiserint. Quod evidenter ostendit, ut sospes et incolumis religio servetur, omninò ad veras traditiones confugiendum esse.

Quòd si protestantes sedulò expendere velint, quâ demùm in re vera traditio in romanâ ecclesiâ constituatur, catholicos hâc sanè in re aliter atque ipsos sentire comperient. Haud leviter hâc in ecclesiâ creditur, quidquid auctores nonnulli tanquàm traditionem venditant. Regulæ suppetunt, quarum ope quod reapsè traditio est, ab eo quod non est, distinguatur. Has regulas Vincentii Lirinensis opusculum explicat, quod pari in pretio catholici ac protestantes habent. Hi porrò aut saltem eorum aliqui falsò catholicis exprobrârunt, eos, Ecclesiæ traditiones firmandi specie, eidem nova dogmata edendi facultatem tribuere, cùm tamen, inquit Beza, adnotatione in Epistolam 1 ad Tim., cap. 3, v. 15, hæc dogmata non ipsa edat, sed tanquàm testis custodiat ac servet, « cùm Ecclesia nec « procreatrix, sed testis sit duntaxat, altrix et « conservatrix veritatis inter homines. » Catholici theologi et ipsi agnoscunt in Ecclesiæ potestate non esse novos fidei articulos condere; ipsam solummodò posse eos juxta traditionem ejusmodi declarare. Hoc principio nixus Holdenius, in suâ fidei Analysi, episcopos in conciliis congregatos fidei tantùm testes, non autem auctores esse pronuntiat; « testes non condi- « tores. » Doctus hic parisiensis theologus

addit verè catholicum ac probè religione imbutum neminem esse, qui audeat contra sentire : « Articulorum fidei conditores eos nemo verè « catholicus et perspicax adstruere audeat. » Hinc illud consequens fit catholicos et protestantes æquè traditionum veritatem agnoscere, et controversiam, quæ super hoc negotio inter eos est, non aliunde derivari, quàm quòd animum non satis intendant. Suam Holdenius sententiam his S. Augustini verbis confirmat : « Christus præscripsit, ea nemo audet variare; » ex quibus concludit ab Ecclesiæ auctoritate absolutâque potestate nequaquàm pendere, ut divinam seu revelatam veritatem vel tantillùm immutet. Longum ergo latumque discrimen divinas inter et humanas traditiones ponendum est. Priores tantùm fidei veros articulos statuere possunt. Quod in causâ fuit, ut Veronius assereret, « nullas revelationes post « Apostolorum tempora sancto cuipiam viro « inspiratas, in Sanctorum vitis contentas « descriptasque, ac nulla miracula, in iisdem « vitis relata, tanquàm catholicæ fidei articu- « los credenda esse, quamvis hæc omnia mira- « cula, vitas, facta, revelationes memoriæ pro- « diderint sancti viri, ut S. Hieronymus, S. « Athanasius, S. Augustinus, S. Gregorius M. « aliive gravissimi auctores, aut concilia etiam « generalia, retulerint ac firmaverint. »

Jam verò ad illationes quod spectat, quæ per ratiocinationem è Scripturâ ducuntur, Bellicensis episcopus protestantes optimè monet eas Scripturæ æquivalentias, ut vocant, esse non posse, quia peculiaribus opinionibus tantùm nituntur. Et sanè unaquæque secta à lutheranæ ortu se fidei suæ essentiales articulos in Scripturâ clarè ac distinctè videre, aut saltem inde per immediatas et necessarias consecutiones deducere putat ; at eædem tamen sectæ inter se acerrimè digladiantur, cùm de ejusmodi arrogatorum essentialium articulorum numero statuendo agitur. Arminiani, qui è calvinistis orti sunt, eos ad longè minorem, quàm hi, numerum redegerunt. Unitarii quoquè eorum numerum imminuerunt, ipsosque prope funditùs everterunt.

CAPUT VI.

De perfectione sacræ Scripturæ.

Existimant protestantes, apud catholicos accusari S. Scripturam imperfectionis et insufficientiæ, quia hi admittunt traditiones; sed si perpenderent, sese ipsos agnoscere, S. Scripturam ex traditione, et admittere varias traditiones, non hoc in catholicis accusarent, quod in semetipsis tenentur defendere. Imò ipsi potiùs accusant S. Scripturam, quasi nos ad traditiones non remitteret, cùm tamen ad traditiones apertissimè remittamur, ipsique varias admittant traditiones.

Utrinque agnoscitur, quòd S. Scriptura, sive explicitè, sive implicitè, illud omne continet, quod ad salutem necessarium est. Ut autem ex implicitis illud eruatur, quod explicitè credendum est, et ut sensus verborum necessarius securè et absque periculo erroris teneatur, volunt protestantes unumquemque hominem, invocato Spiritu sancto (quantùmvis fateatur se errare posse) ex sacro textu determinare credenda, neque in hoc fidere ulli auctoritati ecclesiasticæ, sed tantùm suæ ratiocinationi et interpretationi, quam sibi persuadeat lumine Spiritûs sancti certò dirigi; eidemque determinationi committere salutem suam æternam vel damnationem æternam. Volunt autem catholici, neminem securè rem tantam privatæ determinationi committere ; sed sensum S. Scripturæ accipiendum esse ex traditione apostolicâ, Ecclesiæ commendatâ, per Ecclesiam propositâ. Quocirca immeritò accusantur catholici, quasi S. Scripturam statuerent imperfectam, cùm traditiones ipsa S. Scriptura confirmet, nec aliud sint eæ traditiones, quàm verbum Dei non scriptum, paris cum verbo Dei scripto auctoritatis et veritatis, quale verbum Dei ipsi protestantes in nonnullis agnoscunt. Et multò magis censendi sunt S. Scripturam accusare imperfectionis, quibus verbo Dei scripto et verbo Dei tradito non potest satisfieri, ut homines inveniant quod ad salutem obtinendam sufficiat, nisi unusquisque addat suas privatas et fallibiles consequentias, quæ nomen verbi Dei non merentur.

Verùm quia utrinque in confesso est, S. Scripturam, sive explicitè sive implicitè hoc totum continere quod homini sufficit ad salutem, non est necesse huic accusationi depellendæ ulteriùs insistere.

ANIMADVERSIONES.

Protestantes, qui catholicos arguunt, quasi sacris litteris haud obsequii satis exhibeant, iis sanè injuriam irrogant. Eas quippe Romani catholici æquè atque illi tanquàm purum Dei verbum spectant ; ac si traditionem in earum societatem vocant, traditio hæc ipsa non

aliquid humani est, quemadmodùm è superioribus sectionibus liquidò constat. Protestantes ipsi, siquidem suis stare principiis velint, dogmata rejicere nequeunt, quæ universali ecclesiarum consensu, ab apostolis ad nos usque, niti pro certo ponitur. Jam protestantium plerique propterea falluntur, quòd veras probatasque traditiones haud satis animo reputant; nimirùm de his tantùm sermo est. Quâ quidem in re à romanæ ecclesiæ theologis omninò non distant, qui se nullum fidei articulum suspicere profitentur, quin revelatione nitatur, et quod inde sit consequens, deinceps ab apostolis ad nos pervenerit. Id sanè Holdenius, in suâ fidei Analysi, axioma penes omnes catholicos certissimum vocat; ut proinde, inquit theologus hic, quod non hâc ratione ad nos usque pervenit, divini juris esse non possit: « Quodque sub hâc methodo seu tenore non est transmissum et « communicatum de seculo in seculum, nec « juris est divini, nec immutabilis. » Non ergo Scripturæ derogatur, dùm ei traditio consociatur, quæ dubio procul consecutionibus præferenda est, quas protestantes ex hâc ipsâ Scripturâ ducunt, ac de quibus inter se nequaquàm consentiunt. Tertullianus, Irenæus et S. Athanasius in libris quos in suorum temporum hæreses scripsêre, semper hanc traditionem sacrorum librorum auctoritati junxerunt. Cùm S. Athanasius arianos confutaret, argumentis, quæ ex veteri ac novo Testamento sumebat, Patrum doctrinam addidit, eâdemque ratione Spiritûs sancti divinitatem firmavit, ad traditionem scilicet ab apostolis ad suas usque tempora constantem confugit; denique veram catholicæ ecclesiæ doctrinam eam pronuntiavit, « quæ à Christo tradita, « ab apostolis nuntiata, et à Patribus servata « fuit; » quod fusiùs in S. hujus episcopi ad Serapionem epistolâ videri potest. Porrò tanquàm constans et firmum habendum est evangelistarum et apostolorum scripta non nisi eorum partem complecti, quæ à Christo perceperant. Hæc autem divina scripta meliùs intelligemus, si iis priorum ecclesiarum traditiones, veterum Patrum exemplo, addiderimus, quàm si absque hoc subsidio eadem legerimus. Quod non ita accipiendum, quasi priorum Patrum testimonia apostolorum libris anteponenda putemus; id unum volumus utrosque veluti mutuam sibi opem præbere, quodque in novi Testamenti libris obscurum est, multorum testium, qui easdem veritates confirmant, assertionibus in meliore lumine collocari.

CAPUT VII.

De judice controversiarum.

Hæc quæstio, quæ est gravissima, facili negotio expeditur, modò desit passio universa conturbans. Assentirentur enim catholicis protestantes in solidum, nisi à se ipsis dissentirent.

Notum est unicuique, aliud esse regulam, aliud operarium vel artificem, aliud esse legem, aliud esse judicem. Qui dicunt Scripturam solam esse judicem controversiarum, confundunt legem cum judice; nisi per judicem intelligant normam et regulam; et sic bono sensu admittitur apud catholicos ea propositio, quia S. Scriptura vel explicitè vel implicitè continet omnia ad salutem nostram necessaria.

Quando dicunt protestantes, à Spiritu sancto, SS. Scripturarum auctore, petendum esse verum sensum verbi divini, hoc ipsum asserunt, quod docet ecclesia catholica. Dicunt enim concilia, ad exemplum primi concilii apostolici: *Visum est Spiritui sancto, et nobis* (Act. 15); neque enim homines dant sensum Scripturæ; sed spiritus Christi, permanens cum ecclesiæ doctoribus et pastoribus usque ad consummationem seculi, et qui utitur verbi divini ministris, tanquàm suis organis, docens eos omnem veritatem (Joan. 16, 3). Non itaque principaliter judicat ecclesia de sensu S. Scripturæ, sed Spiritus sanctus in conciliis præsidens, in ecclesiâ residens, sensum verborum suorum universis ab initio declarans: quis enim novit spiritum et sensum Domini, nisi ipse Dominus litteræ, spiritus et sensus? Hinc autem patet, quantâ injustitiâ accusetur ecclesia romano-catholica, quasi homines constitueret judices Dei et verbi ipsius; quasi homines supra SS. Scripturarum auctoritatem extolleret, cùm Spiritui sancto, in Ecclesiâ præsenti, pastoribus tanquàm organis suis utenti, et sensum suum fidelibus aperienti, eam auctoritatem tribuat.

Protestantes distinguunt tria genera judiciorum: primum est discretionis, quod unicuique competit ad probandos spiritus et discernendos, uti ad determinandum quid SS. Scripturis consentiat, quid iisdem repugnet. Secundum judicium est auctoritatis definitivæ et supremæ, quod soli competit Spiritui sancto, cujus est sua verba interpretari. Tertium

est mixtum ex discretione et auctoritate non supremâ, cui fideles se voluntariè submittunt, juxta illud Apostoli, quòd spiritus prophetarum subjecti sint prophetis; particularium nimirùm sensus, sensui communitatis et synodorum. In hisce plurimùm accedunt ad sententiam ecclesiæ catholicæ, quæ primò non rejicit judicium discretionis, quia est singularis Dei gratia. Secundò, non negat Spiritum sanctum judicare de sensu S. Scripturæ, sed dicit Spiritum sanctum hoc ipsum præstare, tum in sacrâ Scripturâ, tum per pastores in concilio congregatos. Tertiò, hanc supremam auctoritatem tribuunt protestantes operationi Spiritûs sancti per suas synodos, quamvis id verbo non agnoscant. Exemplum est in synodo Dordrechtenâ, ubi arminiani non volentes acquiescere judicio synodi, à functionibus suis sunt remoti, et declarati schismatici. Neque dicant judicia sua synodalia nullius obligare conscientiam, sed unicuique liberum esse ea examinare juxta Scripturas : sic enim ludicra esset eorum excommunicatio et anathematizatio adversùs eos qui per principia protestantium nullum errorem committunt; sed utentes spiritu libertatis christianæ, tanquàm spirituales omnia judicant, et nullius sese submittunt judicio. Constat itaque ex praxi catholicorum et protestantium, controversias religionis terminari per synodos et concilia, atque hæc proponere sensum sacræ Scripturæ à subditis suis acceptandum.

ANIMADVERSIONES.

Nihil accuratiùs videri potest, quàm quod Bellicensis episcopus in hoc capite in medium affert, quod ad controversiarum judicem spectat, quæ catholicos inter et protestantes intersunt. In omni benè institutâ republicâ lex et legis judex distinguitur. Sacra porrò Scriptura lex est. Aliquis ergo judex à Scripturâ distinctus existat, necesse est. At judex, inquiunt, legem per legem ipsam, non pro suo ipsius arbitratu interpretari debet. Id romani-catholici sanè consentiunt, quippe qui religionis controversias finiendi potestatem privato nemini tribuunt, qui sua ipsius sensa sequatur, eam nonnisi omni generatim ecclesiæ, et quidem legis habitâ ratione, concedunt. Ut enim supra animadverti potuit, fidei articulos Ecclesia non efficit; sed eos tantùm ejusmodi esse pronuntiat. « Nulla doctrina, inquit Veronius, sacris litteris nixa, à sanctis Patribus, aut à doctoribus nostris aliter exposita fidei articulus est, subditque è vestigio : ne id quidem catholicæ fidei articulus est, quod in provincialibus conciliis est definitum, licet iis summus pontifex per se, vel per legatos præfuerit. Hæ nimirùm decisiones in fidei negotio ab universali Ecclesiâ proficisci debent, quæ una controversiarum judex est.

CAPUT VIII.

De perpetuâ Ecclesiæ visibilitate.

Cum catholicis docent protestantes, ecclesiam vocatorum esse visibilem, cœtum verò electorum, in ecclesiâ visibili, tanquàm partem in toto latentem, esse invisibilem; similiter fidem eorum qui sunt in ecclesiâ visibili, esse invisibilem, nisi accedat externa professio.

Utrinque docetur, Ecclesiam usque ad finem mundi duraturam; et, quod caput rei est, ecclesiæ semper competere prædicationem verbi divini, et administrationem sacramentorum. Unde nulla superest quæstio de ecclesiæ perpetuâ visibilitate in sacris Scripturis prædictâ et promissâ. Nam ecclesia est visibilis per prædicationem verbi divini, et per administrationem sacramentorum, quæ cùm perpetuò ecclesiæ competant, fieri non potest, quin perpetua eidem competat visibilitas.

Protestantium ecclesiis non competit perpetua visibilitas, quia in illis non reperitur perpetua verbi divini prædicatio, et perpetua sacramentorum administratio, cùm designare nequeant, ubi, nascente Luthero, fuerit vera Jesu Christi Ecclesia, verbum divinum prædicans, et sacramenta administrans.

At verò ecclesia romano-catholica, primis quingentis post Christum annis cum episcopo romano in fide communicans, fuit vera et visibilis Jesu Christi ecclesia; nec alia ostendi potest vera et visibilis Jesu Christi ecclesia, quæ hùcusque permanserit, et à cujus unitate Ecclesia romano-catholica defecerit; consequenter ecclesia romano-catholica est vera Jesu Christi ecclesia, cui se debeat adjungere unusquisque salutis suæ cupidus, quandoquidem cum catholicis doceant protestantes, extra communionem cum ecclesiâ, per communionem externam, non esse salutem.

ANIMADVERSIONES.

Quæ catholicos inter et protestantes super ecclesiæ visibilitate lis est, videtur esse nominis tantùm. Hi quippe in electis tantùm et prædestinatis eam collocant, cùm catholici

generatim per ecclesiam eorum omnium cœtum intelligant, qui ad Evangelium vocati fuerunt, seu boni, seu mali sint. At cùm dicitur ecclesia universalis, de ecclesiâ sermo est quæ videtur, non autem de eâ quæ non videtur.

CAPUT IX.

De promissâ Ecclesiæ ab erroribus immunitate.

Tenent cum catholicis protestantes, ecclesias particulares non esse tales, quibus in sacrâ Scripturâ factæ sint promissiones non errandi: ideòque nec synodos particularium ecclesiarum, vi ejusmodi promissionum, esse ab erroribus immunes. Cùmque doceant protestantes, suas ecclesias non esse universales, sed particulares, mirum non est, quòd eas fateantur erroribus obnoxias. Sed docent ulteriùs cum catholicis protestantes, ecclesiam universalem non errare in fundamento, hoc est, in articulis necessariis fidei et morum. Quæ autem ratio ex sacris Scripturis afferri potest, cur dicant ecclesiam universalem, vi promissionum divinarum, ab erroribus fundamentalibus immunem, et erroribus non fundamentalibus obnoxiam? quæ sine ullâ ejusmodi limitatione dicitur columna et firmamentum veritatis; quæ dicitur supra petram ædificata, adversùs quam inferorum portæ non sint prævalituræ; cum quâ Christus Dominus sit permansurus usque ad consummationem seculi; ad cujus petitionem datus est Spiritus sanctus, omnia docens, omnia suggerens, quæ Christus dixerit, manens cum ecclesiâ in æternum; et tanquàm Spiritus veritatis docens omnem veritatem. Hæc et similia faciunt, quòd protestantium restrictionem promissionum et prædictionum divinarum, ad solam immunitatem ab erroribus fundamentalibus nequeamus admittere.

Accedunt tamen protestantes ad doctrinam ecclesiæ catholicæ, quando dicunt, ecclesiam universalem non errare in fundamento. Quis enim non securè se committat ecclesiæ in fundamentali doctrinâ, vi promissionum divinarum, non erranti, et cui, fatentibus protestantibus, eminentius aliquod de rebus fidei competit judicium, quàm quibusvis particularibus? « *Neque enim nego,* inquit Calvinus, « *quin tota fidelium societas, multiplici donorum « varietate instructa, longè ampliori et uberiori « cœlestis sapientiæ thesauro prædita sit, quàm « seorsim singuli.* » (Lib. 4 Inst., c. 8, § 11.) Similiter accedunt protestantes ad doctrinam ecclesiæ catholiçæ per suam praxim quando volunt synodos nationales definitivè decidere et resolvere omnes res ecclesiasticas, necnon contradicentes excommunicare et declarare schismaticos. Nam hoc ipsum est, quod docent catholici de ecclesiâ universali, cui tantò tutiùs acquiescitur, quantò ampliores habet promissiones ecclesia universalis, præ singulis particularibus, in quarum numerum suas ecclesias referunt ipsi protestantes.

Admirandum verò est, quomodò protestantes tantùm claritatis tribuant S. Scripturæ, ut quilibet è sacro textu possit decernere credenda, et tamen (quamvis in præjudicium domesticæ praxis) nolint suos pastores et doctores in synodo congregatos absolutâ certitudine decidere controversias fidei. Admirandum similiter est, quomodò protestantes doceant, unumquemque fidelium esse certum, certitudine fidei divinæ, de suâ justificatione et prædestinatione; nec tamen totam synodum, quæ ejusmodi certitudinem in singulis suis membris sibi vindicat, posse aut velle determinare articulos ad justificationem obtinendam necessarios, ita ut quicumque illos non admiserit, ad justificationem pervenire nequeat. Cùm igitur tantoperè et tam manifestè vacillet doctrina protestantium, de promissâ ecclesiæ ab erroribus immunitate, consideremus quomodò vera fuerit Jesu Christi ecclesia, quæ primis seculis communicavit in fide cum romano episcopo; cujus decreta fidei, tanquàm ab erroribus immunia, toti ecclesiæ, cum obligatione acquiescendi et acceptandi, fuêre proposita; consideremus eamdem ecclesiam in hunc usque diem perseverare, nec aliam designari posse, à quâ ipsa defecerit, et in quâ promissiones divinæ suum effectum habuerint; et non dubitabimus, nos ejus ecclesiæ condere gremio, in quâ temporum continuatâ serie divinæ promissiones, potenti virtute Spiritûs sancti, ad effectum sunt deductæ.

ANIMADVERSIONES.

Ecclesia, quæ Christi Domini sponsa est, nunquàm deficiet. Quod ille apostolis dixit, cùm eos ad fidem per universum terrarum orbem nuntiandam misit, ecclesiæ quoque dicebat : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi* (Matth. 18, 20). Genevensium interpretum doctissimus Besa in hanc explicationem consentit in Commentario super hoc S. Matthæi textu, ubi animadvertit ea Christi Domini verba ad ecclesiam referri ; *alloquitur enim Ecclesiam,* ei se nunquàm non

præstò fore promittens. Quoniam ergo Christus Dominus promisit ecclesiæ suæ, se nunquàm eam deserturum, consequens fit, eamdem nunquàm in rebus ad fidem omninò spectantibus errare posse; ut proinde quod ipsa tanquàm fidei caput definit, falsum esse nunquàm possit, quia à Spiritu sancto ducta falli non potest. Haud abs re fuit hâc restrictione uti, in rebus ad fidem omninò spectantibus. Ut enim scitè Maldonatus animadvertit in disputatione, quam super S. Virginis conceptione cum parisiensis Facultatis theologis habuit, ecclesia suas et ipsa opiniones, tanquàm privati homines, habet, nec quidquid credit, semper ut fidei articulum credit : « Est animadvertendum etiam ecclesiam habere suas opiniones; nec enim quidquid sentit, sentit tanquàm fide catholicâ. » Ejusdem sententiæ est Melchior Canus in suis Locis theologicis, ubi cùm dixisset : *Ecclesia in credendo errare non potest;* addit *eamdem posse tamen probabiliter ignorare rem unam quamlibet, quâ scilicet ignoratâ, non proinde ecclesia fidem amitteret* (Melch. Can. de Loc. Theol., l. 4, c. 4). Ponamus, inquit doctus hic Canariensis episcopus, Deum ecclesiæ non revelâsse S. Virginem ab originali peccato exemptam fuisse, cùm ecclesia eam verè exemptam definiisset, ac decrevisset, ut nemo non ita crederet, id non ei fidem adimeret, quæ eidem habenda est. Auctores deinde producit, qui hanc opinionem confirmant : « Aiunt ergo, quòd quamvis ecclesia crederet sanctam Virginem fuisse sine peccato conceptam, idemque definiret ab omnibus esse credendum, non tamen in eo fidei jacturam facere existimaretur (ibid.). » Ratio est, quia ecclesia propositionem hanc, aut ejusmodi aliam, non ut divinæ fidei veritatem, sed solùm ut piam sententiam credidisset, aut credendam proposuisset; quidquid enim, subdit idem auctor, tanquàm fidei dogma credit ecclesia, verum est, eorumque nihil, quæ credit, aut credenda docet, falsum est. « Quidquid tanquàm fidei dogma tenet, verum est; nec quidquam falsum, quod illa credit, aut docet esse credendum. »

CAPUT X.

De notis Ecclesiæ.

Convenit inter catholicos et protestantes, dari notas sive signa veræ ecclesiæ, quibus inducamur ad cognoscendam veram ecclesiam. Certissima autem esse illa signa, quæ in concessis utrinque et admissis SS. Scripturis reperiuntur, nullus ambigit. Nam, ut rectè S. Augustinus, « in Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus ecclesiam » (Ep. 166, t. 2, pag. 290, A. Ecclesia Una).

Convenit inter catholicos et protestantes, credendam esse ecclesiam unam. Sed unitatem non agnoscunt protestantes tanquàm signum veræ ecclesiæ; quia scilicet, per divisionem suam ab ecclesiâ romano-catholicâ, priorem unitatem deseruerunt. Christus autem ponit unitatem tanquàm signum veræ ecclesiæ, quando dicit : *Non pro eis tantùm rogo, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu me misisti* (Joan. 17, 20). Hic agi de unitate sub ratione signi, legitur in verbis, *ut credat mundus;* debet enim mundus ab illis, qui unitatem habent, accipere fidem. Et rursùs dicit Christus : *Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti* (Joan. 17, 23). Ratio signi est in verbis, *ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus;* quia fides ab iis discenda est, qui sunt consummati in unum. Similiter dicit Christus : *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. 13, 35); nam continuata fidelium charitas universos inducit ad cognoscendos Christi Domini genuinos discipulos.

Unitas fidei non competit ecclesiis protestantium, quia olim idem credentes cum romano-catholicâ, desierunt idem credere; neque possunt ostendere ecclesiam visibilem, cum quâ semper idem crediderint usque ad hæc tempora, ut in ipsis verificetur illud Apostoli: *Habentes eumdem spiritum fidei* (2 Cor. 4, 13). Viderint igitur, an ex iis sint, de quibus S. Joannes : *Omnis, qui recedit et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet* (2 Joan. 9). Ostendimus etiam in præcedentibus, protestantium principia et fundamenta sic esse comparata, ut nec in suis particularibus ecclesiis solidam sperent unitatem. Unitas autem fidei competit ecclesiæ romano-catholicæ, quia nunquàm mutavit fidem. Neque alia ecclesia designari potest, quæ, romano-catholicâ fidem mutante, à priori fide non recesserit.

Unitas charitatis non competit ecclesiis protestantium, quia hæ ecclesiæ fuerunt in unione et communione ecclesiæ romano-catholicæ, cujus erant membra; et postea separatas habuerunt congregationes. *Non est dissensionis Deus,* inquit Apostolus, qui etiam

monet : *Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sint sollicita membra.* Et quæ ratio ? *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus.* Magnâ profectò diligentiâ conservanda est unitas charitatis. *Consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum : non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Sed simus *solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Itaque hìc de protestantibus licet dicere : *Hi sunt qui seipsos segregant.* Nam Christus Jesus *fecit utraque unum :* illi autem ex uno fecerunt duo; ex unâ ecclesiâ duas et plures ecclesias. Unitas charitatis competit ecclesiæ romano-catholicæ, quia ab initio mansit in unione charitatis, nec à priore unquàm divisa est communione. Protestantes etiam nequeunt designare ecclesiam, quam dicant orthodoxam, à cujus communione sese separaverit romano-catholica. Itaque *nos non sumus substractionis filii in perditionem,* sed *fidei in acquisitionem animæ.*

Convenit inter catholicos et protestantes, credendam esse ecclesiam sanctam. Sed sanctitatem non agnoscunt protestantes, tanquàm signum veræ ecclesiæ, si agatur de sanctitate miraculorum : quia scilicet nulla apud ipsos reperiuntur miracula. Christus autem ponit sanctitatem tanquàm signum veræ ecclesiæ, quando dicit : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequuntur, in nomine meo dæmonia ejicient* (Marc. 16, 17). Hìc agi de veris miraculis, patet legenti; neque ea restringuntur ad hos vel illos credentes, ad hæc vel illa tempora. Habere ea rationem signi, expressè legitur. Ita dicit Christus : *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terris remittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge*, etc. (Matth. 9, 6); miracula enim inducunt homines in notitiam rerum credendarum. Ideò prædicatur fides : *Contestante Deo signis et portentis* (Heb. 2, 4). Ideò dicunt credentes : *Scimus quia à Deo venisti magister,* et unde? *nemo enim potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (Joan. 3, 2). Et dicit Propheta : *Annuntiate quæ ventura sunt, et sciemus quia dii estis vos* (Isai. 41, 23).

Sanctitas miraculorum non reperitur in ecclesiis protestantium, quia jam toto seculo nullum afferunt miraculum, quod inter illos contigerit. Competit autem sanctitas miraculorum ecclesiæ romano-catholicæ, ubi omnibus seculis non pauca contigère miracula, ipsis centuriatoribus Magdeburgensibus multa referentibus, quæ successivis temporibus fuerunt manifesta. Neque impedit, quòd prædicta sint falsa miracula; nam sicut non tollit veritatem et efficaciam miraculorum Christi, quòd in veteri Testamento prædicta sint falsa miracula, ita non imminuit veritatem et efficaciam miraculorum, quæ sub novo Testamento contingunt, quòd prædicta sint falsa miracula. Neque credimus moderatos protestantes oppositturos miraculis, quæ mundo credente fieri non desinunt, quòd Judæi miraculis Christi impudentissimâ temeritate ausi fuerunt objicere.

Convenit inter catholicos et protestantes, credendam esse ecclesiam catholicam, hoc est, toto orbe diffusam. Sed diffusionem illam non agnoscunt protestantes, tanquàm signum veræ ecclesiæ. Christus autem ponit diffusionem, tanquàm signum veræ ecclesiæ, quando dicit : *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio* (Matth. 24, 14). Prædicatio per totum orbem habet rationem signi, quia fit *in testimonium omnibus gentibus.* Sic etiam per prophetam est prædictum : *Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In illâ die radix Jesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur* (Isa. 11, 9). Atque ideò addit : *Transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos* (id. cap. 62, 10). Ipsa Ecclesiæ diffusio tot et tantis firmata est prædicationibus, ut meritò dixerit Apostolus : *Secundùm communem fidem* (Tit. 1, 4).

Ecclesiæ protestantium non sunt catholicæ, neque enim sunt diffusæ per totum orbem. Dicunt quidem, apostolos prædicare Evangelium per totum orbem, sed sub episcopis Romanis ecclesiam defecisse, paucis hinc inde veris fidelibus conservatis, donec Luthero, Zwinglio, aliisque à Deo extra ordinem excitatis, ecclesia refloresceret. Sed nos legimus in Scripturis sanctis, prædictam esse ecclesiæ constitutionem in omnibus gentibus ; ipsi verò non legunt prædictam esse eam ecclesiæ defectionem ex omnibus gentibus, vel paucos pios, multis seculis in universali corruptione, sine sincerâ verbi divini prædicatione, sine legitimâ sacramentorum administratione, fuisse conservandos. Non legunt Lutherum, Zwinglium aliosque promissos esse, qui discordi conatu ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent. Hoc autem cùm non legant in SS. Scripturis, quomodò tot tantisque prædictum est testimoniis, quod citò erat periturum, tot

verò seculorum miseria silentio prætcrita? quomodò falsi prophetæ prædicti, veri restauratores ecclesiæ prorsùs neglecti? At ecclesia romana est verè catholica, quia, consideratis omnibus seculis à tempore Christi, maximè est diffusa per totum orbem; nec alia assignari potest ecclesia, cui promissa diffusio magis competat.

Convenit inter catholicos et protestantes, credendam esse ecclesiam apostolicam, in quâ sit continuata doctorum successio. Sed eam successionem non agnoscunt protestantes, tanquàm signum veræ ecclesiæ, quia apud ipsos non reperitur successio. Apostolus autem successionem doctorum, tanquàm signum commendat: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris* (Ephes. 4, 11). Hic legimus doctores à Deo dari: legimus continuationem doctorum; *donec occurramus*, etc.: legimus rationem signi: *ut non simus parvuli fluctuantes*. Quapropter obedientia Ecclesiæ doctoribus debita discernit veros fideles ab errantibus, cùm legamus: *Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris* (2 Joan. 4, 6).

Ecclesiæ protestantium non sunt apostolicæ, quia in illis non reperitur continua doctorum successio ab apostolis usque ad nostra tempora. Dicunt quidem, successionem personarum nihil esse sine successione doctrinæ. Verùm, cùm successio doctrinæ nequeat reperiri, ubi non est successio personarum, compendiosè ex defectu successionis personarum, ostendimus defectum successionis doctrinæ. Ecclesia romano-catholica est apostolica, quia habet continuatam doctorum successionem ab apostolis usque ad hæc tempora: ipsique protestannon raro enumerant ordinem episcoporum nostrorum. Si romano-catholicam nolint esse apostolicam, assignent aliam ecclesiam, quæ sit apostolica, et quam ipsi judicent orthodoxam, in quâ reperiatur continuata doctorum successio. Talem autem si non inveniant, superest, ut romano-catholicam agnoscant esse apostolicam.

Sola igitur ecclesia romana est una, sancta, catholica et apostolica; sola consequenter vera Jesu Christi ecclesia. Sola habet coccineum signum, quo ad domum fidelem perveniatur, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Psal. 92, 5).

ANIMADVERSIONES.

Nullus auctor Ecclesiæ antiquitatem atque universalitatem tam aptè ac dilucidè explicuit, quàm Vincentius Lirinensis in opusculo adversùs hæreses, cap. 3 et 4. Ea fides una, inquit, vera est, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia. Ejus antiquitatem veterum Patrum sententiis nixam vult. Omnium, quàm latè patet terrarum orbis, ecclesiarum consensus tum adest, eo sanè judice, cùm aliquid episcoporum ac doctorum plerique statuerunt ac docuerunt. Quærit, quid christianus catholicus agere debeat, si fortè contingat peculiarem aliquam ecclesiam ab universalis ecclesiæ communi fide recedere; respondetque totum corpus, quod sanum est, huic membro, quod est corruptum, præferri oportere; quòd si quam novam perversamque doctrinam jamjam per universam ecclesiam disseminari contingeret, tum quidem ad antiquitatem confugiendum pronuntiat; additque, si qua urbs, aut etiam provincia in hâc antiquitate occurreret, quæ in errore extitisset, universalis Ecclesiæ consensum peculiaribus ecclesiis anteponendum esse. Ait denique, si qua facti species oriretur, in quâ tale nihil occurreret, inquirendum fore, quid eâ super re veteres crediderint; veterum autem nomine eos tantùm intelligit, qui cum existimatione ac probatione in catholicâ ecclesiâ vixerunt. Nihil est his gravibus animadversionibus ad protestantes redintegrandos magis accommodatum. Auctorem æquè utrique in pretio habent, atque adeò germanorum protestantium nonnulli commentati sunt. Columna, et fulcrum veritatis ecclesia dicitur, quia veram Christi Domini doctrinam fideliter servat. Cùm veteres Patres in suorum temporum hæreticos loquentes dixerunt Scripturam propriè ad ecclesiam spectare, id non simpliciter de Scripturæ textu, qui perinde penes hæreticos et catholicos est, sed etiam de doctrinâ, quæ in eâ continetur, accipi debet.

CAPUT XI.

De primatu S. Petri ejusque successoris.

Solent protestantes gravissimè declamare

adversùs primatum S. Petri et successoris ejus, episcopi romani. Sed cùm inter utramque partem conveniat, Christum Jesum esse caput ecclesiæ, qui solus per internum gratiæ influxum eam regat, et in quo vicarium habere non potest, non est litigandum de titulo capitis; quem aliis tribui posse non negabunt protestantes, quibus notum est, nos eo titulo nihil aliud intelligere, quàm pastorem et rectorem à Christo constitutum. Ipsi protestantes in suis synodis eligunt præsides et moderatores; et quod apud ipsos electivum est et temporaneum, apud catholicos in episcopatu romano creditur perpetuum, cujus episcopi in octodecim generalibus conciliis præsederunt.

Multi protestantes non negant S. Petrum habuisse inter apostolos aliquam præeminentiam; sed nolunt eum habuisse majorem jurisdictionem, quàm singulos apostolos seorsim consideratos. Et tamen soli Petro apertissimè dixit Christus: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (Matth. 16, 19), *et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (Matth. 18, 18.) Eadem suprema potestas, quæ est concessa soli Petro, est etiam concessa collegio apostolico; et sic docemus, eamdem supremam potestatem etiamnum perseverare in successore S. Petri, et conciliis generalibus. Ita rursùm Christus dicit soli Petro: *Pasce oves meas* (Joan. 21, 17), ubi omnes omninò oves intelligi non difficulter concedent protestantes. Singularis autem illa datio potestatis non debet carere proprio effectu. Hoc autem agnovi Joannes Hus, tract. de Eccl., cap. 9, fol. 211. Cùmque fateantur protestantes, ea quæ sunt ordinariæ potestatis, esse in ecclesiâ perpetuâ, et agnoscant usum clavium, uti et rationem pascendi pertinere ad officium ordinarium, facilè perspiciunt potestatem S. Petro concessam debere continuari in ejus successore. Hoc iterùm agnoscit Joannes Hus, tract. de Eccles., cap. 9, fol. 219, et Quæst. de *Credere*, fol. 170. Neque est quòd de successione episcopi romani litigent, quousque alium non designant S. Petri successorem, quod hucusque non fecerunt. Simili modo concludendi utitur S. Justinus Martyr, Dialog. cum Tryph., Bibl. SS. Patr., tom. 2, pag. 12, B, et pag. 19, A, et pag. 27, A.

ANIMADVERSIONES.

Universum articulum hunc, qui ad papam spectat, Bellicensis episcopus tam aptè ac luculenter explicuit, ut nihil addi posse videatur. Id unum animadvertam, Philippum Melanchthonem in fidei confessione, quam ad Franciscum primum Galliarum regem misit, quæque manuscripta penès me est, ad romanorum catholicorum fidem propiùs accedere. Confessionis hujus, quæ protestantium Germaniæ ecclesiarum nomine proponitur, articulus primus his verbis effertur: « Primùm igitur hoc omnes unanimiter profitemur, politiam ecclesiasticam rem esse sanctam et utilem, ut sint aliqui episcopi, qui præsint pluribus ecclesiarum ministris, item ut romanus pontifex præsit omnibus episcopis; opus est enim in ecclesiâ gubernatoribus, qui vocatos ad ecclesiastica ministeria explorent, et ordinent, et ecclesiastica judicia exerceant, et inspiciant doctrinam sacerdotum.

Episcopales anglicani, nisi se à romanâ ecclesiâ sejunxissent, dubio procul ex suæ religionis principiis papam cæterarum omnium ecclesiarum supremum præsidem faterentur. Scitum est oratoris hispani responsum ad Elisabeth Angliæ reginam, quæ ex eo quæsierat, quid de anglicanâ ecclesiâ sentiret: « Equus, inquit ad reginam orator, instructus « omninò est, et ephippiis ornatus; nihil jam « aliud superest, quàm ut papa eidem assideat. » Pronuntiari potest anglos episcopos juri pontificio arctiùs, quod ad praxim spectat, quàm gallos præsules addictos esse. Hi sanè non tam religiosè, quàm Angliæ episcopi, romanorum pontificum epistolas decretales sequuntur. Cæterùm protestantes monendi sunt, perperam eos confundere illos theologos qui puram ac simplicem sustinent veritatem cum aliis quibusdam nimis contrariæ opinioni indulgentibus, qui sua venditant opinamenta tanquàm fidei dogmata; quæ quidem ab Ecclesiâ nunquàm inter necessariò credenda fuêre proposita. Priores in S. Petri à Christo Domino instituti successore cum Meldensi episcopo Exposit. doctr. eccles. cath., art. 21, primatum agnoscunt, quem concilia sanctique Patres ei contulerunt. Præterea præsul hic multùm discriminis posuit inter disputationes quæ super hâc re agitantur in scholis, et id quod catholicæ fidei est. Holdenius in suâ fidei Analysi doctè et graviter id expendit, quod ad papæ auctoritatem spectat. Veronius rem hanc ipsam pertractans tria esse pronuntiat, quæ non sunt articuli fidei. Primum est, papam ab universali concilio sejunctum falli non posse; alterum, eam esse supra concilium; tertium,

eumdem vel indirectâ auctoritate in regum temporalia pollere. Sanè clerus gallicanus hæc omninò tria impugnare non dubitavit.

CAPUT XII.

De ministris Ecclesiæ.

Si protestantes sequerentur ductum S. Scripturæ, quam volunt esse unicam rerum ecclesiasticarum regulam, exigua de reliquis ecclesiæ ministris superesset difficultas. Catholici enim agnoscunt episcopos, presbyteros et diaconos; protestantes in Angliâ habent episcopos, in Germaniâ superintendentes et inspectores; habent pro presbyteris seniores; habent diaconos. Calixtus dicit : « Videtur sanè ab ipsis « apostolis aut certè proximis apostolorum « successoribus constitutum, ut è numero pre- « sbyterorum aliquis sive ætate sive prudentiâ « et doctrinâ præstans cæteris præponeretur, « cui postea episcopi appellatio facta est pro- « pria et peculiaris. » In scrip. de Col. Tor. Reformati docentes eumdem esse presbyterum et episcopum, non tenent doctrinam suam pro articulo fidei, ne fratres suos in Angliâ condemnent, tanquàm errantes in articulo fidei, quia tenent non esse eumdem episcopum, qui est presbyter. Cùm igitur eam cum suis fratribus controversiam judicent non esset fundamentalem, ostendant nobis solido ex S. Scripturâ fundamento, controversiam de superioritate S. Petri et successoribus ejus episcopi romani esse potiùs dicendam fundamentalem.

Lutherani etiam non negabunt, constantem fuisse in primitivâ ecclesiâ distinctionem inter episcopum et presbyterum ; quæ si non videatur ex S. Scripturâ manifestissimè descendere, negari tamen non poterit ab apostolis habere originem. Sed admirandum in primis est, quomodò protestantes adversùs testatissimum consensum primitivæ ecclesiæ, seniores suos, quos volunt esse episcopos, infra ordinarios pastores collocent, quibus nec nomen presbyteri, nec nomen episcopi concedunt. Quid enim magis patet ex praxi antiquitatis, quàm episcopos in ecclesiis particularibus primum locum inter ministros tenuisse? Similiter admirandum est, quomodò seniores suos, quos judicant presbyteros et episcopos, ad certum tempus constituant, postea in ordinem laicorum revocandos, cùm certissimum sit, eam praxim non habere fundamentum in Scripturâ, eamque consuetudini primitivæ ecclesiæ adversari, cui temporanei episcopi et presbyteri fuêre ignoti. Nec minùs mirum videri potest, quòd qui suos seniores pro episcopis habent, constituant inspectores, qui reverà nihil aliud sint, nisi episcopi; et tamen iisdem nomen episcopi denegent, quantùmvis in ratione superioritatis ab episcopis non differant. Quomodò autem seniores suos, quos ex jure divino tradunt esse episcopos, subjiciant inspectoribus, ex jure humano constitutis, ipsi viderint.

Putamus ipsos protestantes in hoc negotio judicaturos, non esse in ecclesiâ romano-catholicâ quod reprehendant; multùm autem in suis ecclesiis reperiri, quod juxta SS. Scripturas, et usum primitivæ ecclesiæ sit reducendum.

ANIMADVERSIONES.

Episcoporum et presbyterorum vocabula in pluribus gallicis Bibliis Genevæ editis, et præsertim antiquis occurrunt. Fit verisimile, siquidem eorum secta primas in Galliâ obtinuisset, futurum fuisse, ut ibidem episcopatum et presbyteratum servarent, quemadmodùm Angliæ protestantes, episcopales dicti, eosdem ordines retinuerunt. Haud iis hæc nomina displicuerunt, qui Lutheri partes in Germaniâ secuti sunt. Melanchthon in suâ fidei Confessione, supra in medium allatâ, et illud asserit, episcopos, si nulli essent, instituendos fore : « Et ut maximè nulli essent episcopi, tamen « creari tales oporteret. » Tigurini zuingliani non id nominis aversantur. Doctus quidam hispanus theologus nonnullis locutionibus deceptus, quæ in hispanicorum bibliorum præfatione comperiuntur, opinatus est Leonem Judæ cæterosque qui ibidem nominantur, veri nominis episcopos extitisse.

CAPUT XIII.

De Purgatorio.

Constat inter catholicos et protestantes, universa peccata, sive mortalia sive venialia, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, non remitti sine merito pretiosissimi sanguinis Domini nostri Jesu Christi, de quo dicit Apostolus: *Purgationem peccatorum faciens* (Hebr. 1, 3).

Docent protestantes, in hâc vitâ remitti quidem et tegi nostra peccata, sed propriè non tolli. Quando autem à salvandis propriè tollantur peccata inter ipsos non planè constat. Daillæus vult, fideles in extremo judicio à Christo judice absolvendos esse à peccatis, iisdemque remittenda peccata. Cùmque idem cum posterioribus reformatis teneat, animas fidelium, statim à morte frui visione beatificâ

necesse est, easdem animas peccatis suis onustas ad cœlum pervenire, quò tamen juxta SS. Scripturas nullus intrat coinquinatus. Catholici autem multò convenientiùs docent, nullum fidelem cum culpâ ullius peccati pervenire ad cœlum, neque cum debito pœnæ temporalis persolvendæ. Et quia frequenter contingit ut remissâ culpâ supersit pœna temporalis persolvenda, etiam frequenter contingit ut pœnâ temporali non solutâ, ea post hanc vitam supersit persolvenda. Exsolutio autem istius pœnæ, quantùmvis certò fiat post hanc vitam, non est tamen usquequàque certum, ubi fiat, vel quo genere pœnæ fiat.

Quidam protestantes docent, animas fidelium, è corporibus egressas, non mox frui visione beatificâ; sed usque ad diem generalis resurrectionis expectare reunionem cum suis corporibus, et introitum in gloriam cœlestem. Atque ita admittunt tertium locum à cœlo et inferno distinctum, quem tamen solent aversari. Imò graviùs aliquid agnoscunt, quàm quod docet ecclesia catholica. Hæc enim non docet, omnes fidelium animas indigere pœnis temporalibus purgatorii; protestantes illi docent, omnes animas eidem privationi visionis beatificæ esse obnoxias. Catholici docent, quasdam animas exiguo tempore pœnas purgatorii experiri, inter quas privatio visionis beatificæ sit longè maxima; protestantes illi docent, omnes animas gravissimam illam purgatorii pœnam, quæ consistit in privatione visionis beatificæ, usque ad extremum judicii diem tolerare. Nihil igitur hìc est, unde potiùs carpant doctrinam ecclesiæ catholicæ præ sententiâ suorum fratrum.

Sed legunt catholici in S. Scripturâ: *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro* (Matth. 12, 32). Cur, quæso, diceret Christus, aliquod peccatum in futuro seculo non esse remittendum, si nullum ibi remitteretur peccatum?

Aug. hinc intellexit, quædam peccata remitti in futuro seculo, lib. 4, cap. 4, de Miseric. Dei, quæst. 5, § 3, tom. 2, col. 381; et lib. 21, de Civit. Dei, cap. 13, tom. 5, col. 1432, A; et ibid., cap. 24, col. 1446, C; et lib. 6 contra Julian., cap. 15, tom. 7, pag. 440, D; et S. Gregor., lib. 4 Dialog., cap. 39, tom. 3, col. 337 et 338.

Iidem catholici legunt: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem*, 1 Cor. 3, 15. Inter salvandos nonnulli reperiuntur, quorum opera ardent; neque est ratio sufficiens, cur id dicatur tantùm fieri in hoc seculo, et non etiam in futuro. Sic eum locum intellexit S. Aug. in Ps. 37, init. tom. 8, pag. 127, A; et lib. 50, Homil. 16, homil. de Resurrect. Domini, tom. 10, pag. 165, D; S. Gregor., l. 4 Dialog., cap. 39, col. 337 et 338; et 1 Ps. Pœnit. tom. 2, pag. 927, E, f; et in cap. 2 lib. 1 Reg., circa fin. tom. 1, col. 218; S. Hier. in Matth. 3, tom. 6, pag. 3; S. Basil. in Isai. 9, 19, tom. 2, pag. 216; S. Cæsarius, Hom. 8, Bibl. SS. Patr., tom. 5, par. 2, p. 75, 2 f. S. Eligius, Hom. 8, Bibl. SS. Patr., tom. 7, pag. 241, G, H.

Similiter legunt: *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (Philip. 2, 10). Damnati sub terrâ non flectunt genu in nomine Jesu; sed illi qui fideles sunt, et infernorum nomine intelliguntur. His aliisque S. Scripturæ testimoniis informata, et SS. Patrum explicationibus instructa, docet ecclesia catholica, esse purgatorium, ubi animæ fidelium, post hanc vitam, temporales pœnas, si quas debent, patienter sustineant. Ex testibus veritatis protestantium, agnoscit purgatorium Wiclef., Dial. l. 4, cap. 22, fol. 87; et c. 40, fol. 168; Hus, de Eccl. cap. 2, fol. 198; et serm. de Exequ., fol. 42.

ANIMADVERSIONES.

Calvinus in suâ Institutione ex eorum numero esse videtur, qui putant fidelium animas, postquàm à propriis corporibus sejunctæ fuerunt, in locum pergere, in quo ad usque judicii diem promissæ gloriæ fruitionem expectant. Secundùm opinionem hanc, locus existeret à paradiso et inferno distinctus, eodemque in loco animæ, judicii diem expectantes, aliquod pœnæ genus subirent. Melanchthon in fidei Confessione supra productâ purgatorium omninò negare, aut affirmare non audet. Id unum ait in postremo ejusdem Confessionis articulo, ad purgatorium et liberum arbitrium quod attinet, malle se in scholis disputari, quàm frustra in concionibus verba fieri, S. Paulo jubente, ut à quibusdam quæstionibus, quarum nullus unquàm finis est, abstineamus: « De Purgatorio, inquit, et libero arbitrio, de quibus vellemus in scholâ potiùs disputari, quàm sine fructu in concionibus. » Tridentinum quoque concilium admodùm parcè purgatorii articulum attingit. Purgatorium existere tanquàm fidei caput definit; at de hujus purgatorii igne nullam

prorsùs mentionem facit. Nihil etiam, quoad locum, et pœnas, quæ ibidem feruntur, ecclesia definiit. Hæ nimirùm quæstiones sunt, de quibus in theologiæ scholis agitur, et super quibus ecclesia nihil pronuntiavit, ut Bellarminus animadvertit. Græci sanè cæterique Orientales purgatorium omninò negant; at nonnisi quoad communem latinorum theologorum opinionem, qui locum statuunt, in quo animæ igne torquentur; et hanc sententiam confudêre cum Origenis placito, qui credidit animas non semper in inferis fore, ac proinde damnatorum pœnam æternam non esse. Cæterùm Orientales omnes, qui perinde ac romani catholici pro defunctis orant, purgatorii statum quemdam agnoscere debent.

CAPUT XIV.

De suffragiis pro defunctis.

Judæi omni tempore, tam sub veteri, quàm sub novo Testamento, orâsse pro defunctis, non facilè negabunt protestantes. Patet etiam ex libris Machabæorum, oblatum fuisse sacrificium pro defunctis; quos libros, etiamsi protestantes nolint esse canonicos, tamen eos ecclesia pro canonicis habet, uti testatur S. Aug.; nec protestantes dixerint, esse fabulam ad libitum confictam, quæ in istis libris narratur.

Primitivam ecclesiam orâsse pro defunctis, adeò constat, ut nec à protestantibus negetur. Petrus Martyr dicit: « De Patribus non habeo, « quod aliud referam, nisi majorem illorum « partem in eam sententiam esse propensos, « ut purgatorium concedant; » et mox: « Solet « nobis et illud objici, ecclesiam semper pro « defunctis orâsse. Quod equidem non inficior. » Sed ulteriùs pergit apologia Confessionis Augustanæ: « Quod verò allegans ad« versarii Patres de oblatione pro mortuis, « scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, « quam nos non prohibemus. » Unde non immeritò dicit Grotius: « Nec ullus invenitur « alicujus auctoritatis scriptor, qui ei mori « (orandi pro mortuis) contradixerit: quod « mihi quidem sufficit. » Idem meritò sufficiet non protervè litigiosis. Idque eò magis, si considerent Joannem Hus admisisse suffragia pro defunctis. De fid. suâ Elucid., fol. 51; serm. de Exequiis, fol. 50 et 51.

ANIMADVERSIONES.

Quod Bellicensis episcopus quoad Hebræos animadvertit, eos etiamnum pro defunctis orare, cum veritate maximè congruit. Hùc enim spectat in eorum Ritualibus oratio quædam, quæ incipit à verbo *kadis*, quod *sanctum* significat. Leo Mutinensis, rabbinus venetus, in Tractatu de Cæremoniis et Consuetudinibus quæ apud Hebræos custodiuntur, part. 5, c. 9, ait filium consuevisse per menses undecim quotidiè vesperè et manè in synagogâ eam precem pro patris aut matris animâ recitare, nonnullosque quotannis, quo die alteruter occubuit, jejunare.

Id etiam verissimum est, preces, pro defunctis apud antiquissimos ecclesiæ Patres occurrere, earumque precum formulas, tam in orientali, quàm in occidentalibus ecclesiis magnam antiquitatem sapere. Quamobrem Guillelmus Forbesius inter protestantes doctrinâ præstans, ex anglicorum episcopalium sectâ: « Hic primùm, inquit, improbanda est « quorumdam rigidiorum protestantium sen« tentia, qui preces pro mortuis omninò im« probant et damnant, quia scilicet nec in « canonicis veteris Testamenti, neque etiam « novi Testamenti libris ullum talium oratio« num præceptum vel exemplum legere est. » Id autem ex eo confirmat, quòd ea consuetudo antiquissima, et in Christi Domini ecclesiâ ex omni tempore recepta est, quod ii qui ejusmodi preces rejiciunt, negare non audent: « Inficiari non audent, etiam quibus mos hic « maximè improbatur. » Prudens hic moderatusque protestans veterum ecclesiæ doctorum nonnulla in hanc rem testimonia producit; ac deinde addit: « Hanc antiquissimam et uni« versalem ecclesiæ consuetudinem permulti « etiam doctissimi protestantes haud impro« bant. » In horum autem præstantium, quos nominat, protestantium numero Martinum Lutherum ponit, qui veterem hunc morem tanquàm piam praxim spectat, quæ uniuscujusque libertati relinqui possit. Sed quod animadversione maximè dignum est, precum anglicanæ ecclesiæ communium collectionem seu librum, Eduardo rege, ann. 1549 typis editum producit, et valdè commendat, in quo præclara pro mortuis precum formula occurrit, quæ in Cœnæ administratione recitabatur. Fusiùs hanc precem refert, prout eam in latinâ versione legerat, quàm Scotus doctor dictus Alexander Ales ediderat. Anglicana hæc liturgia Eduardi temporibus concinnata rarissima evasit, ac longè propiùs ad romanæ ecclesiæ praxim accedit, quam quæ deinceps editæ fuêre.

CAPUT XV.

De veneratione sanctorum.

Existimamus in hoc negotio nullam superfuturam litem, si quis volet moderatâ disquisitione rem ipsam potiùs considerare, quàm inanem de vocibus conflictum excitare. Etenim inter catholicos et protestantes convenit, honorandos esse sanctos; et confessio Wittembergica dicit: « Non est dubium, quin memoria eorum sanctorum, qui cùm essent in hâc vitâ corporali ecclesiam juverunt, debeat apud omnes pios sacrosancta esse... » Et confessio Augustana: « Prodest recitare veras historias piorum, quia exempla utiliter docent, si rectè proponantur. » Confess. Helv. poster.: « Sancti honorandi sunt propter imitationem. »

Quo nomine vocandus sit ille honor, qui sanctis tribuitur, non definivit ecclesia catholica. Protestantes non agnoscunt alium honorem, quàm divinum seu religiosum, et civilem, seu politicum: quorum prior soli Deo convenit, et sanctæ Jesu Christi humanitati, tanquàm personaliter unitæ Verbo divino; posterior hominibus propter aliquam eminentiam. Ita non relinquunt sanctis honorem distinctum ab honore civili, quamvis interim eorum locutiones in particulari hoc ipsum ponant, quod communiter catholici docent.

Nos dicimus duplicem esse actum religionis: alterum elicitum, alterum imperatum; sive alterum immediatum, alterum mediatum. De actibus elicitis et immediatis non est ulla contentio, quin soli Deo sint tribuendi. De actibus autem imperatis et mediatis legitur: « Religio apud Deum visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum. » Et sic dicit S. August.: « Populus christianus memorias martyrum religiosâ solemnitate concelebrat. »

Ab hoc loquendi modo protestantes non sunt alieni. Sic enim dicit Amesius: « Honorandæ sunt creaturæ Dei ex religione erga Deum, non ex religione erga ipsas; religio (ut scholastici loquuntur) imperat, non elicit istum honorem. » Item: « Præcipitur tantùm, ut dies ille septimus, quem Deus ipse in suo verbo designat, religiosè observetur. » Et confessio Helvetica poster.: « Si ecclesiæ pro christianâ libertate, memoriam dominicæ nativitatis, circumcisionis, etc., celebrent, maximoperè approbamus. » Confessio Argentinensis vocat religiosa jejunia. Confessio Augustana de potestate ecclesiasticâ et potestate gladii dicit: « Utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam et honore afficiendam esse. » Imò ipse Lutherus: « Magistratus, imperator, rex, princeps, consul, doctor, concionator, præceptor, discipulus, pater, mater, liberi, herus, servus, etc., sunt personæ seu larvæ, quas Deus pro suis creaturis agnosci et religiosè coli vult, quas etiam oportet in hâc vitâ esse; sed non vult, ut eis tribuamus divinitatem. »

Cùm igitur de voce *religiosi* nulla possit moveri difficultas, distinguimus honorem sanctorum ab honore divino, à quo infinitè distat, et ab honore civili, qui hominibus tribuitur ob sola dona naturalia, vel dignitates civiles; quia honor sanctorum tribuitur propter gratiam supernaturalem et gloriam, et consequenter objectum habet longè excellentius, quàm honor civilis. Hanc differentiam agnoscit confessio Helv. poster.: « Spectandi sunt ministri non ut ministri duntaxat, sed sicut ministri Dei; » neque alii adversantur.

Verùm, quia de nomine non litigamus, vocemus eum honorem observantiæ christianæ, honorem propter dona supernaturalia, vel alio commodiore nomine, si quod inveniri potest. Honor et gloria tribuitur Deo et creaturis variè. S. Basilius de Spir. Sanct., c. 24, tom. 2. p. 342, E.

ANIMADVERSIONES.

Luculenter sanè Bellicensis episcopus in hoc capite probat venerationem, quam catholici sanctis exhibent, idololatriam non esse, quemadmodùm nonnulli malè feriati ac furore abrepti protestantes iis exprobrârunt. Qui inter eos maximè modum servant, fatentur honore sanctos affici posse, quin honos, qui ipsis defertur, cum eo confundatur, qui Deo et Christo præstatur. « Ecclesia, ait sapienter Meldensis episcopus, docet omnem religiosum cultum ad Deum, tanquàm ad finem necessarium, referri oportere; ac si honor, quem ea beatæ Virgini ac sanctis exhibet, religiosus dici potest, ob eam profectò causam potest, quòd ad Deum necessariò refertur. » Hieremias Constantinopolitanus patriarcha in suis ad Wittembergenses protestantes responsis ab hâc sententiâ non abest. Quamvis enim agnoscat invocationem nonnisi soli Deo verè ac propriè deberi, fatetur tamen eamdem sanctis quoque, sed veluti per accidens, et per gratiam seu privilegium congruere. Veronius de honore sanctis exhibito

verba faciens, egregiè hanc doctrinam illustravit in suis Fidei Regulis § VII, VIII, IX, X, quæ quidem Regulæ in primo tomo hujus Theologiæ Cursûs continentur.

CAPUT XVI.

De intercessione sanctorum.

Non negant protestantes, esse licitam in hâc vitâ orationem fidelium pro fidelibus, sine præjudicio titulorum advocati et mediatoris Christo Jesu competentium. Habentes autem mandatum apostoli Jacobi : *Orate pro invicem,* licitè in hâc vitâ petimus aliorum fidelium intercessionem, sancti Pauli exemplo instructi.

Mirum videtur, quomodò protestantes petitionem intercessionis à viventibus non judicent præjudicare titulis mediatoris et advocati, et tamen velint iisdem titulis præjudicari, per petitionem intercessionis à regnantibus cum Christo sanctis. Cur enim non potiùs præjudicabit iis titulis, qui viventes interpellat, de quorum sanctitate certitudinem non habet, quàm qui SS. apostolos invocat, de quorum sanctitate nullus dubitat? Cur Christus non patiatur eos invocari, sine præjudicio honoris sui, quos gloriæ suæ voluit esse consortes; et eos permittat interpellari, de quorum futurâ gloriâ nos voluit esse incertos?

Fatentur protestantes communiter, sanctos cum Christo viventes orare pro ecclesiâ hìc existente in communi, sine præjudicio titulorum advocati et mediatoris Christo Jesu competentium. Nulla igitur est ratio, cur præjudicetur iisdem titulis, etiamsi intercedant pro fidelibus in particulari. Imò si in communi intercedant pro ecclesiâ, cùm ipsi sciant, eum esse in ecclesiâ morem, ut sancti cum Christo regnantes invocentur, cur non dicamus cum S. Augustino, generalem orationem prodesse in particulari, sanctis « generaliter orantibus pro indigentiâ « supplicantium, sicut nos oramus pro mor« tuis, quibus utique non præsentamur, nec « ubi sint, nec quid agant, scimus. » Ut quid scrupulosè indagamus, « quemadmodùm opi« tulentur martyres iis, quos certum est per « eos adjuvari ? » Nonne certitudo auxilii sufficeret, etiamsi de modo præstandi auxilium nobis non constaret ?

Mirandum inprimis est, quomodò protestantes nunc doceant, sanctos orare pro ecclesiâ in communi ; quorum gallica confessio dicit : « Credimus, quoniam Jesus Christus « datus est nobis unicus advocatus », etc. ; quicquid « homines de mortuorum sanctorum « intercessione commenti sunt, nihil aliud « esse, quàm fraudem et fallacias Satanæ. » Et conf. Helv. : « Sanctos cœlites, sive divos, « nec adoramus, neque colimus, nec invoca« mus, neque illos coram Patre in cœlis pro « intercessoribus aut mediatoribus nostris « agnoscimus. » Sed benè est, quòd protestantes magis accedant ad doctrinam catholicam.

Non negant protestantes, sanctos orare pro ecclesiâ militante, quia noverunt eam ecclesiam plurimos conflictus sustinere, antequàm suos fideles transmittat ad gloriam; unde jure censetur suam charitatem in periculo constitutis impendere. Et quia charitas ordinata magis sollicita est pro suis propinquis et benefactoribus, quis dubitabit, an fideles, ex hâc vitâ ad cœlum pervenientes, etiam in particulàri orent pro suis propinquis et benefactoribus; dicente Apostolo : *Charitas nunquàm excidit* (Cor. 13, 8)? Nam si hìc ordinata charitas requirit, ut propinquorum et benefactorum in nostris orationibus simus memores, cur existimemus beatas animas eorum oblivisci, si habita charitas non excidit ? Ita patet ex fundamento S. Scripturæ, orationes sanctorum, pro fidelibus in particulari, non esse universim repudiandas. Sed insuper legimus in S. Scripturâ, quomodò oret Angelus : *Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem, et urbium Judæ, quibus iratus es* (Zach. 1, 10)? Hìc est specialis deprecatio pro Jerusalem et urbibus Judæ. Similia inveniuntur non pauca per totam S. Scripturam ; et primitiva ecclesia idipsum tenuit constantissimè.

ANIMADVERSIONES.

Philippus Melanchthon, qui ecclesiæ suæ doctrinam cum eâ, quam romani catholici profitentur, conciliare volebat, se super hoc articulo magnis implicitum difficultatibus comperit in fidei confessione, quam ad Franciscum primum Galliarum regem misit. Inficiari non audebat, veteres honorem sanctis exhibuisse, quia honos hic antiquorum doctorum testimoniis compluribus nititur. Ei sanè S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Basilius et S. Gregorius Nazianzenus ob oculos versabantur. Animo reputabat festos dies in eorumdem sanctorum honorem jam inde ab antiquis temporibus celebratos, et panegyricas orationes perinde pronuntiatas, ac si ipsi adfuissent,

Ad ejusmodi locutiones molliendas, insinuat veteres ecclesiæ doctores, qui eos laudatorios sermones habuerunt, potiùs operam dedisse, ut admirationem præclaris sanctorum eorumdem virorum virtutibus conciliarent, quàm ut ad eos invocandos populum permoverent. Verùm haud demùm audet sanctorum intercessionem, veteri consuetudine nixam, rejicere. Hujus intercessionis rationem ad veterem ecclesiæ praxim exigi cupit, ne simplex populus eamdem in sanctis atque in Christo fidentiam collocet. In medium afferre juvat ipsa confessionis hujus verba, cujusmodi in manuscripto, quod penes me est, exemplo sunt: « Profitemur quidem esse retinendos sanctorum honores, quales fuêre in vetere ecclesiâ. Nam ex Hieronymo, Ambrosio, Basilio, Nazianzeno, apparet festos dies celebratos esse. Exstant et conciones eorum plenæ sanctorum encomiis, et leguntur aliqui SS. Patres encomiis sanctorum mortuorum factâ prosopopeiâ quasi præsentes orâsse. Verùm cùm id fecisse videantur magis studio commovendi affectum religiosæ admirationis in divos, quàm ut eorum intercessioni multùm tribuerent, admoneri velim rudem populum, ne fiduciam debitam Christo transferant in sanctos, ut sæpè accidit hactenùs. Nam si omninò intercessionis sanctorum aliqua mentio ob receptam consuetudinem videbitur retinenda esse, ea maximè intercessionis forma restituenda esset in publico, quæ est in veteribus ecclesiæ orationibus, ubi invocatio fit ad Deum, non ad sanctos, et tamen fit mentio alicujus intercessionis, v. gr.: Deus, da ut adjuvemur precibus sanctorum. Certum est enim sanctos in cœlo orare pro totâ ecclesiâ in communione, sicut et in hâc vitâ pii homines orant pro universâ ecclesiâ. »

CAPUT XVII.

De invocatione sanctorum.

Rectè observant nonnulli invocationem sanctorum non esse ad salutem necessariam; neque etiam exstat præceptum ecclesiasticum de invocandis sanctis, quamvis nulli catholico liceat, sanctorum invocationi contradicere, tanquàm rei malæ, vel divinitùs prohibitæ.

Fundamenta S. Scripturæ pro sententiâ catholicâ sunt apertissima. Dicit Apostolus: *Ubi non est lex, nec prævaricatio* (Rom. 4, 15). Non autem est lex prohibens invocationem sanctorum; nulla igitur est prævaricatio invocare sanctos, sed actio licita, quod nobis sufficit. Deinde sic Angelus loquitur ad Loth: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro quâ locutus es* (Gen. 19, 21). Si Angelus suscepit preces, debuit Loth eas fudisse. Postea, Jacob *invaluit ad Angelum, et confortatus est: flevit, et rogavit eum* (Oseæ 12, 4). Cur idem nobis non liceat? Vide Jud. 6, 12, et 13, 15. Accedit, quòd Jacob benedicens pueris suis dixerit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac* (Gen. 48, 15). Tandem dicit S. Joannes septem ecclesiis, quæ sunt in Asiâ: *Gratia vobis et pax ab eo, qui est, qui erat, et qui venturus est: et à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt* (Apoc. 1, 4). Ubi petit pro ecclesiis gratiam et pacem, non tantùm à Deo, sed etiam à septem spiritibus qui in conspectu throni sunt.

Neque dicant protestantes, angelos licitè invocari, quia sunt ministratorii spiritus, quia in circuitu nostro sunt, quia angelis suis mandavit Deus de nobis; patet enim ex locis allegatis, Jacobum implorâsse benedictionem Angeli pro suis pueris, nullâ factâ mentione vel præsentiæ, vel absentiæ; et sanctum Joannem petivisse benedictionem à spiritibus qui in conspectu throni divini sunt. His et similibus motivis, uti et testatissimo antiquitatis consensu facilè statuent protestantes, invocationem sanctorum nihil illiciti continere. Ipse Wicleffus agnoscit invocationem sanctorum, Dialog. lib. 3, cap. 30, fol. 95. Hus in fid. suâ Elucid., fol. 51, Epist. 22, fol. 65, et alibi.

CAPUT XVIII.

De scientiâ sanctorum.

Si protestantes tum domesticam doctrinam, tum S. Scripturæ scrutarentur eloquia, non negarent sanctorum scientiam. Ipsi enim communiter docent, angelos non esse mutos, sed angelum angelo posse loqui per directionem voluntatis; ita ut angelus loquens, eo ipso, quòd cogitationem suam velit alteri angelo esse notam, cogitationem suam aperiat, et alteri angelo innotescere faciat. Cùmque angelorum operationes non dependeant à phantasiâ, neque impediantur à medio, nihil est, cur angelus non possit loqui alteri angelo, quantùmvis longissimè distanti. Et si nos habeamus modum per litteras aperiendi cogitationes nostras absentibus et longè distantibus, quæ

ratio suadet, ut omnem communicationem à distantibus angelis removeamus? Si oculus noster videt stellas altissimas, cur angeli non videant, quod alii angeli velint ipsis esse cognitum? Si ergo per directionem voluntatis cognoscunt alii angeli cogitationes ad se directas, pari ratione cognoscent preces nostras per voluntatem nostram ad ipsos directas; neque censenda est directio animæ rationalis in hoc minùs valere, quàm directio angelica. Nos quidem non cognosceremus cogitationes angelorum, etiamsi eæ ad nos dirigerentur, quia operationes animæ nostræ, in cognoscendis externis, dependent à phantasiâ; sed hoc nihil impedit, quominùs angeli cognoscant preces nostras, quas ad ipsos dirigimus, cùm operationes angelicæ non dependeant à phantasiâ. Neque propterea statuimus angelos vel omniscios, vel scrutatores cordium, quia non cognoscunt universas cogitationes vel aliorum angelorum vel etiam hominum, sed eas tantùm cogitationes, quæ ad ipsos diriguntur, et quas dirigens vult ipsis esse cognitas. Ista notitia, si angelis concedenda est, quomodò negabitur sanctis in cœlo regnantibus? nam de his Christus dicit : *Neque ultra mori poterunt. Æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.* (Luc. 20, 36.)

Protestantes solent de sanctis loqui, quasi de mortuis; qui tamen vitâ vivunt eminentiori et digniori, participes luminis increati et gloriæ æternæ. Dicit Apostolus : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (1 Cor. 13, 9). Majora enim dona largitur Deus regnantibus in cœlo sanctis, quàm peregrinantibus in terrâ fidelibus. Si propheta Eliseus puerum suum Giezi, absens corpore, vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus; quantò magis videbunt sancti, etiamsi sint absentes, preces ad ipsos directas? Prophetâ Eliseo oculis non indigente, ut videret servum, cur sancti indigebunt oculis, ut videant nostras supplicationes? Si ille divinitùs et mirabiliter adjutus est, ut videret non præsens, quantò magis isto munere abundant, inter quos Deus est omnia in omnibus? Propheta Daniel sciebat occultam explicationem somnii Nabuchodonosoris; Samuel cognovit omnia, quæ erant in corde Saülis; Abdias cognovit simulationem uxoris Jeroboam; Elias translatus in paradisum, corripuit per epistolam Joram regem Judæ; et minora Deus concedet sanctis, jam obtinentibus quod perfectum est, evacuato quod ex parte est? Verùm, ut ex ipsis SS. Scripturis ostendantur exempla, quis dicet Jacobum invocâsse Angelum, qui benediceret suis filiis, nisi ei persuasissimum fuisset, angelos intelligere preces supplicantium ad se directas? Quis dicet B. Joannem petere gratiam et pacem pro ecclesiis Asiæ à septem spiritibus, qui ante thronum sunt, et tamen nescium fuisse, an ejus petitionem intelligerent? Nonne regius Propheta idipsum intellexit? dicit enim : *In conspectu angelorum psallam tibi* (Psal. 137, 2). An psallendum putavit in conspectu angelorum non videntium neque audientium? Illustre exemplum est, de quo Christus ipse testimonium perhibet, quando dicit : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (Luc. 15, 7). Neque enim angeli gaudebunt de re ignotâ, vel tantùm in genere super conversione peccatorum, sed super uno particulari et determinato peccatore. Enarrent nobis domini protestantes, quæ qualisque sit ista angelorum lætitia, unde concepta, si ignorent conversionem peccatoris; enarrent nobis, an istam notitiam habeant ex viribus naturalibus, an verò ex dono gratiæ. Nos quidem existimamus, neminem inter illos futurum qui solidè determinet eum cognitionis angelicæ modum, et non simul hoc ipsum ponat, quod catholicorum sententiam confirmet.

Laborârunt varii SS. Patres, ut cognitionis angelicæ modum explicarent; universi tamen, uti rem certam ponunt, angelos, ut et sanctos cum Christo regnantes, habere eam notitiam, quæ sufficiat ad eorum intercessionem postulandam; quos si protestantes imitentur, non scrupulosè inquirent de modo scientiæ, postquàm constat de certitudine auxilii. *Obtestor in conspectu Dei, et Christi Jesu, et electorum ejus angelorum* (1 Tim. 1). Refertur à S. Basilio de Spir. sanct. c. 12, tom. 2, pag. 316, B. Neque angeli sunt simul in pluribus locis. S. Basilius ibid., cap. 22, pag. 342, A.

CAPUT XIX.

De reliquiis sanctorum.

Docent cum catholicis protestantes, veris sanctorum reliquiis honorem deberi, et easdem in antiquâ ecclesiâ honore affectas. Kemnitius, Exam. conc. Trid., part. 4, et 16; Andreas Rivetus, Animadv. in annot. Grot. in consult. Cassand., ad art. 2, pag. 157. Legimus etiam in Actis apostolicis, quomodò *virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli; ita ut etiam*

super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequàm egrediebantur (cap. 19, 11, 12). Et hæc quidem sudaria et semicinctia nec accipiebantur nec applicabantur sine honore, tanquàm à viro sancto procedentia, et virtutem operandi mira secum quasi afferentia. Quando tantùmdem faciunt hoc tempore catholici, mox accusantur superstitionis et idololatriæ à quibusdam zelotis exempla SS. Scripturarum non expendentibus.

Quid vilius erat umbrâ S. Petri? Et tamen Deus per eam umbram sua patravit mirabilia; et tanta fuit populi erga S. Petrum reverentia, ut etiam umbram ejus haberet in honore. Quid dicemus de illâ muliere hemorroissâ, quæ ex contactu fimbriæ vestimenti Christi sanitatem recepit? Quid de aliis infirmis, qui ex contactu vestimentorum Christi incolumes facti sunt? S. Joannes Baptista testatur se indignum qui solvat corrigiam calceamenti Christi, Marc. 3. Et ut dicit S. Basilius de Spir. Sanct. cap. 15, tom. 2, pag. 323, D: « Cujus non sum dignus « ut gestem calceamenta. » Dicant nobis protestantes, an hæc et similia exempla non abundè sufficiant ad honorandas sanctorum reliquias, cùm Deus, per vilissima quæque eorum necessaria, tantas sit operatus virtutes.

Prædixit Isaias de sepulcro Christi Jesu, quòd esset futurum gloriosum. Postquàm Eliseus percussisset aquas pallio Eliæ, divisæ sunt aquæ, tanquàm honoris causâ assurgentes, et transitum Eliseo concedentes. Cùm projectum esset cadaver defuncti in sepulcrum Elisei, et ossa prophetæ tetigisset, vitali contractu revixit homo, et virtute divinâ per jacentem erectus, stetit in pedes suos. Cùm Moyses discederet ex Ægypto, transtulit ossa Josephi, de quibus Kemnitius: « Nec dubium « est, filios Israel ossa seu reliquias Josephi « reverenter asservâsse. » Et mox: « Reveren- « ter sine dubio reliquias illas Josephi Israelitæ « asportaverunt ex Ægypto in terram promis- « sionis. »

Quibus consideratis, statuent ipsi protestantes, veras sanctorum reliquias in honore habendas esse, illisque licitè convenientem honorem exhiberi; maximè si perpendant constantem antiquitatis usum pro eo honore militare.

CAPUT XX.

De imaginibus sanctorum.

Protestantes non docent, abolendas esse artes picturæ et sculpturæ, cùm inter ipsos inveniantur qui in istis artibus excellant. Sed non satis observant differentiam inter imaginem et idolum, cùm tamen dicat Apostolus: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quòd nullus est Deus, nisi unus* (1 Cor. 8, 4). Quantùmvis enim idola repræsentarent homines vel alias creaturas, non tamen repræsentabant Deum, qui unus est, sed pro Deo creaturam: et ipsa idola, quæ adorabantur ut dii, nihil habebant divinitatis, ut propterea rectè dicatur: *Idolum nihil est in mundo.* Imagines Jesu Christi et sanctorum non repræsentant res falsas, neque quæ nunquàm fuerunt, vel ipsis protestantibus agnoscentibus. Sancti cum Christo regnantes non sunt dii, nec apud romanos-catholicos habentur pro diis, sed pro creaturis, tantò magis coram Deo humilibus, quantò digniùs per divinam gratiam sanctificantur: quamvis nomen Dei in S. Scripturâ communicatum sit Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus* (Exod. 7, 1); ut jam de aliis locis taceamus. Consequenter nec romani catholici imagines pro diis habere possunt, qui ipsos sanctos pro diis non habent; nec impendunt honorem divinum imaginibus, quem docent nec ipsis sanctis esse tribuendum.

Petunt protestantes, qualis sit ille honor, qui defertur imaginibus. — Respondemus non esse honorem uni et soli Deo debitum, in quo omnes omninò conveniunt catholici. Imò dicimus sanctissimæ Jesu Christi humanitati, quatenùs concipitur præcisa et separata ab ejus divinitate, non esse tribuendum honorem uni et soli Deo debitum; qui eidem SS. humanitati non competit, nisi in quantum est personaliter unita Verbo divino. Si ergo eum honorem supremum non tribuamus sanctissimæ Jesu Christi humanitati, sub istâ consideratione, quantò minùs eumdem honorem tribuimus aliis sanctis? quantò minus tribuimus eumdem honorem imaginibus sanctorum? Viderint igitur, qui catholicam doctrinam, tanquàm idololatriam confirmantem, non erubescunt arguere, quo nitantur fundamento.

Sed rursùm petunt protestantes qualis sit iste honor, qui defertur imaginibus sanctorum. — Possent romani-catholici promittere responsum, postquàm protestantes determinâssent honorem, qui deferendus est sanctis cum Christo regnantibus, quem toto seculo non explicârunt; sed dicimus, sanctorum memoriam in benedictione esse, et imagines sancto-

rum esse memorias prototyporum. Dicimus, materiam imaginis nullum ex se mereri honorem, nec à formâ imaginis aliquid esse petendum, vel in eâ collocandam divinitatem, virtutem, vel fiduciam; et tamen coram imaginibus licitè honorari sanctos, ipsasque imagines propter sanctos; sanctos verò propter gratiam et gloriam quam Deus iis contulit. Non negant protestantes, principem affici contumeliâ, quando ejus imago eam patitur, propter relationem inter imaginem principis et ipsum principem; et sic dicimus, honorandas esse imagines, propter relationem ad sanctos, quorum memoriam nobis exhibent; ita ut iste honor terminetur per imagines ad ipsos sanctos eorumque sanctitatem. Si licitum sit protestantibus flectere genua coram pariete, ut adorent Deum, cur nobis non liceat flectere genua coram imagine Crucifixi, quæ nos fortiore modo reddit memores acceptorum beneficiorum?

Legimus in SS Scripturis Judæos adorâsse Deum ad arcam Fœderis, quam in magno habuerint honore et reverentiâ; et tamen eam arcam nonnulli protestantes fatentur fuisse figuram Dei; figuræ etiam Cherubim erant super arcam, quas cum ipsâ venerabantur arcâ. Serpentem æneum fuisse figuram Christi, non negabunt protestantes, quibus notum est, quid de eo Christus dixerit. Percussos autem ab ignitis serpentibus ad æneum illum cum veneratione accessisse, quis prudens dubitabit? Juxta reformatos in S. Cœnâ sumitur signum, imago, figura, aut repræsentatio Corporis Christi, et Calvinus vult à suis Eucharistiam reverenter accipi. Si autem nobis illi explicaverint, qualis sit ea reverentia, simul indubiè explicabunt, qualis sit honor imaginibus deferendus.

Voces esse rerum signa, non diffitentur protestantes, apud quos inveniuntur, qui ad nomen terreni principis caput detegunt, interim sacratissimo nomini Salvatoris nostri nullum honorem exhibentes, quamvis dicat Apostolus: *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* (Philip. 2, 10). Ipsum enim nomen Jesu est honorabile, non quidem propter litteras et syllabas, sed quia Redemptorem nostrum significat, eumque ipsum memoriæ nostræ exhibet. Ita signo crucis magnâ cum pietate sese primi fideles signabant, quia erat figura Crucifixi.

Non est alienum à fundamento Scripturarum, si imagines honorentur, ob relationem ad ipsos sanctos: multa enim dicuntur sancta ob relationem ad veram sanctitatem. Ita legitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (Psal. 99, 5). Honor autem isti scabello delatus fuit ob participationem quamdam sanctitatis et relationem ad veram sanctitatem, qui honor non est merè civilis; et inhonoratio arcæ non semel punita fuit ut sacrilega. Et rursùm: *Adorate in monte sancto ejus* (ibid. vers. 9); vel, ut protestantes: *Incurvate vos ad montem sanctitatis ejus,* id est, ad montem Sion; mons enim dicitur sanctus ex participatione quâdam sanctitatis; et sicut illi se incurvabant ad montem sanctitatis cum honore; adorantes veram sanctitatem, ita catholici incurvant se ad sacras sanctorum imagines cum honore, veram sanctitatem venerantes. Sic dicitur Moysi: *Locus in quo stas, terra sancta est* (Exod. 12, 16). Quare sancta, nisi ob Dei, vel angeli Deum repræsentantis præsentiam? Sic dicitur: *Dies prima erit sancta, et septima eâdem festivitate venerabilis* (Exod. 31, 14). Sic sabbatum dicitur sanctum. Sic Verbum Dei dicimus sanctum, sacra biblia, sacras Scripturas, sanctum Evangelium.

Juxta Calixtum, angeli sub veteri Testamento frequenter Deum repræsentârunt, et ex personâ Dei, tanquàm ejus legati, sunt locuti. Istis autem angelis magnum honorem magnamque venerationem esse exhibitam, nullus dubitat; et tamen ille honor angelis deferebatur, tanquàm Deum repræsentantibus. Cur ergo non liceat catholicis aliquem honorem tribuere imaginibus, sanctos cum Christo regnantes in figurâ referentibus? Joannes Hus poterit in hoc negotio docere protestantes, quando dicit: « Quamvis coram imagine Christi vel aliâ cujuscumque sancti licitè possint homines genuflectere, orare, offerre, candelas ponere, et sic faciunt, non tamen in nomine imaginis, sed in nomine illius, cujus imago est, illa debent facere; sicut et imago non propter se, sed propter imaginatum est coram hominibus sculpta, posita, vel depicta. Secundò patet, quòd non sequitur: ille homo coram imagine orat, igitur imaginem orat. Similiter non sequitur: ille osculatur imaginem, igitur illo osculo adorat imaginem. Unde licet tale osculum sit materia latriæ, non tamen ipsa latria vel dulia. Sicut licet distributio, quâ homo distribuit uno tempore virtuosè, et alio vitiosè temporalia, sit materia operis virtutis; non tamen ipsa est virtus, cùm omnis virtus sit per se bona. Ex quo tertiò patet quòd falsum est,

quòd adorans Salvatorem, osculando imaginem ejus, eâdem adoratione, quæ est osculum, adoret Salvatorem et imaginem ejus, cùm nullum tale osculum sit adoratio, licet sit materia adorationis. Quartò patet, quòd licet fideli multa signa adorationis exteriora coram imagine Christi vel alicujus sancti facere, quibus non licet eas adorare, vel quæ non licet eis exhibere.»

ANIMADVERSIONES.

Holdenius, antequàm ad controversiam accedat, quæ ad imagines spectat, principii loco ponit, statuendum esse discrimen inter veritates, quæ propriè catholicæ nuncupantur, quia revelatæ fuerunt, et ad nos usque per constantem traditionem pervenerunt, et eas quæ communi Ecclesiæ consuetudine ac disciplinâ nituntur. In hâc posteriore classe honorem imaginibus exhibitum collocat. Catholici nullam divinitatem, nullamque peculiarem virtutem his imaginibus tribuunt, quemadmodùm idolis suis ethnici tribuebant. Quemcumque iis honorem præstant, ad exemplaria, quæ repræsentant, omnis refertur, ut Bellicensis episcopus ex Trid. concilio probat; idemque ex universali Ecclesiæ praxi facilè ostendi posset. Non ergo catholici idololatriæ accusari possunt, quod furentes aliqui protestantes faciunt, quoniam honor, qui imaginibus exhibetur, ex eorum numero est, quæ relata dicuntur. Non adoro, inquit S. Joannes Damascenus, materiam, sed auctorem materiæ.

Veronius graviter animadvertit tum in nostrâ fidei professione, tum in Tridentinâ synodo de imaginibus adorandis nullum verbum occurrere; ac proinde, utrùm iis exhibitus honor *adoratio* appellari debeat, necne, scholarum quæstionem esse. Latinum verbum *adorare,* quod ad linguam nostram accessit, ambiguum est, cùm Græci utantur verbo προσκυνεῖν, quod in eorum sermone ambiguum non est. Addit idem Veronius, an honor sanctorum imaginibus præstitus religiosus cultus sit, problematicam quæstionem esse. Atque ita quidem facilè catholici super imaginum negotio cum protestantibus conciliari poterunt. Lutherani hâc in re se multò, quàm Calvinistæ, moderatiores exhibuerunt. Se quippe crediderunt posse, atque adeò debere imagines suis in templis servare, quippe quæ populo edocendo inservirent. Jacobus Andreæ, magni inter Germanos lutheranos nominis, in collatione Montbeliardi habitâ, Gallorum calvinistarum acerbitates acriter Bezæ exprobravit, eosque tanquàm furiosos increpuit, qui in catholicorum ecclesiis imagines et statuas confregissent, perinde ac si veri nominis idola extitissent.

Ita quidem Jacobus Andreæ, in collatione, quam Montbeliardi mutuò habuerunt, quæque typis edita fuit, Theodoro Bezæ exprobravit. Melanchthon in suâ fidei Confessione nec statuas, nec imagines rejicit, dummodò nemo iis abutatur, ut pecuniam lucretur, populusque de vero earum usu doceatur, qui in eo positus est, ut sanctorum res gestas nobis exhibeant, et ad eorum imitationem nos excitent. En ejus verba in quarto hujus Confessionis articulo: « Si pii et docti sacerdotes sufficiantur in eorum locum, qui statuis ejusmodi abutentes ad quæstum, patiuntur imbecillum et rude vulgus in superstitionem et idololatriam cadere, doceant in sanctorum memoriam, ut per eam ad eorum imitationem incitemur, imagines et statuas esse positas, nos profectò neque Christi, neque sanctorum imagines damnabimus. Nam earum cultum tantùm et adorationem, et tam indoctum, quàm avarum et quæstuosum sacrificulorum vulgus improbamus, idque cum theologis omnibus et veteribus et recentioribus. »

Trid. conc. ad amussim cum Melanchthonis Confessione consentit, ad abusus quod attinet, qui in cultum imaginibus exhibitum irrepere possent. Episcopis enim, cæterisque, quibus populi institutio demandata est, mandat, ut « de legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant. » Præcipit etiam, ut omnis superstitio, et « omnis turpis quæstus elimineiur. » Parisienses theologi, quibus Franciscus I Germanorum confessionem expendendam mandavit, ut ejus rationem eidem redderent, consentiunt et ipsi, quod ad abusus spectat, qui irrepsissent in cultum, qui imaginibus exhibebatur, prout in secundo Nicæno concilio decretum fuerat: « Sanctorum imagines, inquiunt laudati doctores, adorandas statuit septima synodus, non utique eâ religione, aut cultu, qui Deo soli competit. Abusibus tamen, si qui in hujusmodi rebus eveniunt, vigilantiâ superiorum occurrendum est. »

E re fuerit iis addere, quæ quoad honorem imaginibus exhibitum hactenùs allata sunt, christianas omnes Orientis societates hâc in re cum romanâ Ecclesiâ omninò congruere. Iis etiam Græci longè majores, quàm Latini, honores tribuunt; quod, ut est verosimile, ex

eorum singulari elegantiâ derivatur. Metrophanes Critopulus paucis explicat cæremonias, quas Aborigines quoad imagines servant. Cùm, inquit, alicujus sancti festus dies est, ejus imago in mediâ ecclesiâ ponitur, et imago hæc seu pictura festi, quod celebratur, historiam repræsentat; causâ exempli, Nativitatis, aut Resurrectionis Christi Domini; tum verò qui adsunt, imaginem osculantur, quod eorum sermone dicitur προσκυνεῖν, latinè *adorare*. Porrò adoratio nec genu flexo, nec aliquâ inflexione, vel alio corporis gestu peragitur; sed simpliciter imagini impressis osculis. Si Domini nostri imago fuerit, fideles ferè ejus pedes, si Virginis, manus, si cujus denique sancti, faciem osculantur.

CAPUT XXI.

De sacramentorum efficaciâ.

Convenit inter catholicos et protestantes, esse sacramenta; convenit, sacramenta esse signa visibilia invisibilis gratiæ; convenit, solum Deum posse instituere sacramenta, et Christum Jesum esse auctorem sacramentorum novæ legis; convenit, junctam esse sacramentis promissionem gratiæ. Sed difficultas est de sacramentorum efficaciâ. Ubi non quæritur, an sacramenta sint causæ primariæ et propriè effectivæ illius gratiæ, quæ confertur; hoc enim solius Dei est; sed an ex opere operato sequatur gratia. Non quæritur, an sint causæ instrumentales gratiæ; id enim præcipui ex protestantibus agnoscunt: Daillæus ex S. Scripturâ probat, « Baptismum dare remissionem « peccatorum, et gratiam Spiritûs sancti; » quæ quidem datio, cùm non sit propria effectiva gratiæ, necesse est, ut tanquàm causa instrumentalis concurrat ad collationem gratiæ. Eo autem ipso proximè accedunt ad sententiam Ecclesiæ romano-catholicæ, ubi per opus operatum intelligitur, quòd sequatur gratia ex vi ipsius actionis sacramentalis à Deo ad hoc institutæ, non autem ex merito agentis vel suscipientis. Quid autem est baptismum *dare gratiam Spiritûs sancti,* nisi vi baptismi à Deo instituti, gratiam conferri? Crocius vocat sacramentum non nudum signum, sed signum exhibitivum. Imò cum stomacho dicit: « Quòd « nostri dispensant sacramenta, quæ tantùm « sint signa gratiæ, mendacium est apertum. » Refert etiam ex confess. Helv. pr., art. 2: « Baptisma ex institutione Domini est lavacrum « regenerationis, quam Dominus electis suis » visibili signo per « Ecclesiæ ministerium, qua- « liter supra expositum est, exhibet. » Et ex conf. Angl. post., art. 27: « Baptismus non est « tantùm professionis signum ac discriminis « nota, quâ christiani à non christianis discer- « nantur; sed etiam est signum regenerationis, « per quod, tanquàm per instrumentum, rectè « Baptismum suscipientes ecclesiis inseruntur, « promissiones de remissione peccatorum atque « adoptione nostrâ in filios Dei per Spiritum « sanctum visibiliter obsignantur, fides confir- « matur, et vi divinæ invocationis augetur. » Dicit pueros in Hassiâ respondere: « Baptismus « est divina actio, quâ Deus externo et visibili « aquæ lavacro invisibilem gratiam, id est, « sanguinem Christi et Spiritum sanctum non « solùm repræsentat, sed etiam obsignat et « exhibet. »

Rejicit illam sententiam Crocius, quæ dicit, « aquæ spiritualem quamdam et occultam vim « regenerandi à Deo esse inditam. » Sed non est sententia Ecclesiæ catholicæ (quicquid sit de quorumdam scholasticâ probabilitate), quòd aqua operetur remissionem peccatorum et regenerationem per se, et ex opere operato, virtute quâdam insitâ. Cæterùm sic loquitur S. Basilius de Spiritu sancto cap. 15, tom. 2, pag. 323, A: « Si qua est gratia in aquâ, non « est ex ipsius aquæ naturâ, sed ex Spiritûs « præsentiâ. » Novimus enim, remissionem peccatorum aliter Deo, aliter sacramentis convenire. Novimus Deum esse eorum beneficiorum solam causam principalem; et sufficit nobis si agnoscatur efficacia instrumentalis, ita ut sacramenta, tanquàm divina instrumenta, dent gratiam Spiritûs sancti, sint signa exhibitiva, quæ regenerationem per ministerium Ecclesiæ exhibent; instrumenta vi divinæ invocationis gratiam augentia, vel, ut Crocius refert ex conf. Belg., art. 33: « Sacramenta « esse signa et symbola visibilia rerum inter- « narum et invisibilium, per quæ, ceu mediâ « Deus ipse Spiritûs sancti virtute in nobis « agit. » Dicit autem Crocius, baptismum obsignare gratiam, vel priùs datam, si quis ante baptismi susceptionem sit justus; vel eam quæ datur in ipso actu baptismi, vel eam quæ post baptismum datur, quando quis hypocrita baptizatur, et postea convertitur.

Existimamus protestantes facilè judicare, nihil hìc esse in doctrinâ catholicâ, quod meritò reprehendant, imò quod ipsi non teneant; ideòque de modo loquendi non esse litigandum. Nam obsignationem gratiæ, sive consignationem pacti per baptisma agnoscit S. Ba-

silius, de Spir. sanct. c. 11, tom 2, pag. 316, B.

CAPUT XXII.

De numero sacramentorum.

Si apud protestantes quid certi esset de numero sacramentorum, faciliùs convenirent cum romanis-catholicis; sperandum enim foret, ut ex ipso determinandi modo numerus verus non lateret. Nunc autem plerique inter ipsos duo tantùm agnoscunt sacramenta; alii tria, alii vel quatuor, vel quinque, vel sex, vel etiam septem. Sed memorabile est, quod in hoc negotio scripsit Wiclefus: « Quantùm ad istam « materiam de signis, sum pauper animo; cùm « cognosco, quòd multa dicta in istâ materiâ « habent nimis debile fundamentum, et prop- « ter aggregationem ac institutionem in ter- « minis, difficile est loquentibus habere viam « inexpugnabilem veritatis. Non enim video, « quin quælibet creatura sensibilis sit realiter « sacramentum, quia signum à Deo institutum, « ut rem sacram insensibilem significet, cu- « jusmodi sunt Creator, et creatio, et gratia « Creatoris. Nec didici picatias, ex quibus pi- « catiis adjectis hoc nomen *sacramentum* limi- « tari debet univocé ad hæc septem. Ideò de- « sperans de univocatione, detego narrativè « ordinem istorum septem sacramentorum vul- « garium. » Item: « Christus in propriâ per- « sonâ, est signum sensibile, et, ut videtur « mihi, sacramentum sacramentorum, cùm si- « bi summè conveniat descriptio sacramenti. » Item: « Patet de septem operibus spiritualis « misericordiæ, quæ debent apud fideles, et « specialim presbyteros, esse sacramentum. » Ita omnes illi, cum suo Wiclefo sunt pauperes animo, qui putant, se ex sacro textu, sepositâ traditione ecclesiasticâ, posse definire numerum sacramentorum: quantò penè enim hallucinentur, ille suo exemplo ostendit, qui « de univocatione desperans infinita posuit sa- « cramenta. »

ANIMADVERSIONES.

Verum non est, absolutè loquendo, protestantes plura quàm duo sacramenta à Christo Domino instituta admittere, lutheranis exceptis, qui tria, nempe Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam agnoscere videntur. Cætera sacramenta potiùs tanquàm puras putasque ecclesiasticas cæremonias, quàm tanquàm veri nominis sacramenta spectant. Episcopales anglicani, qui septem suis in ritualibus recipere videntur, in suâ tamen fidei confessione duo tantùm suscipiunt, quæ propriè dicta sacramenta sint; quemadmodùm in eâ videri potest, quæ anno 1562, cum Iwel episcopi Salisburiensis operibus impressa fuit: « Duo « autem sacramenta (confessionis hujus verba « sunt) quæ eo nomine propriè censenda sunt, « agnoscimus, Baptismum et Eucharistiam. »

Alia quoque episcopalium confessio, quæ eodem anno 1562, in Londinensi quâdam synodo confecta fuit, enuntiat, propriè loquendo, duo tantùm sacramenta esse à Christo instituta, Baptismum scilicet, et Cœnam Domini; quinque autem cætera, quæ vulgò sacramenta nuncupantur, non esse ponenda in eorum numero, quæ in Evangeliis designantur: « Quinque illa « vulgò nominata sacramenta pro sacramentis « evangelicis habenda non sunt. » Cæterùm animadversione dignum est anglicanos episcopales pluries suæ fidei confessioni manum admovisse, et in postremis editionibus longiùs à romanis-catholicis recessisse, quàm in eâ quæ Eduardi regis temporibus prodiit, præterquàm quòd Iwel Zuinglianorum sententiis favebat.

Germani protestantes lutherani dicti, pœnitentiam inter vera sacramenta, et quidem æquè ac Baptismum et Eucharistiam referre videntur. Constat id ex confessione quam imperatori Carolo V obtulerunt in cœtu anno 1530, Augustæ Vindelicorum habito. Hinc *Augustanæ confessionis* nomen extitit. Porrò inter hujus confessionis exemplaria varietas occurrit. Iidem lutherani in confessione Wittembergensi anno 1552 typis editâ, Ordinem quoque in veri nominis sacramentorum numero collocare videntur; aiunt enim nemini, nisi vocato licere in Ecclesiâ ministri functiones obire, et in hanc rem laudant ea S. Pauli ad Timotheum verba: *Ne cui leviter manus imponas* (1 Tim. 22). At catholici theologi ex Scripturâ ac traditione probant singula septem esse vera sacramenta, quibus gratiæ promissio addicta est.

CAPUT XXIII.

De necessitate baptismi.

Convenit inter catholicos et protestantes, si quis adultus contempserit baptismum, eum excludi à salute. Convenit, si baptismum aquæ ab adulto haberi non possit, sufficere baptismum spiritûs vel sanguinis. Convenit parvulos esse baptizandos ex necessitate præcepti divini. Sed quæritur an parvulis sit necessarius baptismus necessitate medii, ita ut sine baptismo ad salutem æternam non perveniant?

Quidam protestantes hanc necessitatem admittunt; plerique eam negant. Originem ejus erroris si perspexerint, faciliùs eum deponent. Docuit Wiclefus: « Videtur mihi probabile, « quòd Christus satis posset sine lotione in« fantes spiritualiter baptizare, et per conse« quens salvare. » Et sic, quando dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; addit Glossa genevensis, *ex aquâ, id est, ex aquâ spirituali*; stabiliens scilicet Wicleficam probabilitatem, de quâ ipse ulteriùs dicit: « Deus, « si voluerit, potest damnare infantem talem « (non baptizatum) sine injuriâ sibi factâ, et si « voluerit, potest, ipsum salvare. Nec audeo « partem alteram definire. » Sequitur autem de infantibus fidelium.

Quia, rectè dicit sanctus Augustinus, pro infantibus « tantò impensiùs loqui debemus, « quantò pro se ipsi minùs possunt, » operæ pretium erit sententiam istorum protestantium uberiùs explicare, quò ipsi videant quàm periculosè errent.

I. Reformati non credunt certitudine fidei, universis fidelium infantibus non imputari peccatum originis, eosdemque ante baptismum regenerari et justificari. Vide Synop. pur. theol., disp. 15, Thes. 20, pag. 167; synod. Dordrecht., pag. 177; Gommarum in synod. Dordrecht., ad art. 1, p. 31.

II. Reformati docentes, fidelium infantes esse sanctos, non id intelligunt de sanctitate inhærente, quæ opponitur corruptioni peccati originalis, sed de sanctitate ecclesiasticâ, quòd liberi fidelium habeant jus sacramenti accipiendi præ paganis, adeòque jus fœderis externum. Vide Crocium, Comment. de Aug. Conf. Societ. q. 2, cap. 26, pag. 400; et cap. 27, pag. 411; et cap. 50, pag. 695.

III. Apud reformatos incertum est an regenerentur omnes fidelium infantes qui baptismum accipiunt; imò probabilius est apud reformatos, non omnes fidelium infantes regenerari, qui accipiunt baptismum. Vide Crocium, Comment. de Aug. Conf. Societ. q. 2, cap. 45, pag. 614; Conf. Helv. pr., art. 21, pag. 91; Gommarum in synod. Dordr. ad art. 1, pag. 31. In contrarium est S. Augustinus Enchir. ad Laurent. cap. 43, tom. 3, pag. 73, B. C.

IV. Apud reformatos non est absolutè certum, omnes fidelium infantes baptizatos salvari, etiamsi moriantur sine peccatis actualibus: uti patet ex dictis.

V. Apud reformatos non est absolutè certum, omnes fidelium infantes non baptizatos salvari, etiamsi moriantur sine peccatis actualibus.

VI. Apud reformatos incertum est, an fidelium infantes sine baptismo et sine peccatis actualibus morientes, salventur, aut damnentur. Vide Festum Hom. disp. 58, Thes. 6; judicium theolog. magn. Britan. in synod. Dordr. ad Thes. 7, heterod. de elect., pag. 11, Theol. Helvet. Thes. 8, ibid., pag. 46. Echardus non dubitat de internâ regeneratione infantium, sine baptismo decedentium; neque id restringit ad fidelium infantes. Pandect. cap. 1, quæst. 14, obj. 2, pag. 96.

Vident protestantes incertitudinem circa necessitatem baptismi à Wiclefo traditam etiam hoc tempore resuscitari. Atque hìc obiter notandum eos, reformatos, apud parentes, de infantibus suis sollicitos, catholicis invidiam excitare, quòd doceant, infantes fidelium sine baptismo morientes ad regnum cœlorum non pervenire: ipsis scilicet contrarium statuentibus. Sed considerandum eos, an non potiùs reformati illudant sollicitis parentibus, quando ipsorum infantes vocant sanctos et participes fœderis; nec tamen intelligunt aliam sanctitatem, nisi ecclesiasticam, quæ non inferat sanctitatem inhærentem et regenerationem, quando ipsorum infantes vocant electos; et non loquuntur nisi ex præsumptione et judicio, ut putant, probabili, sine certitudine fideī. Quid quòd ipsi docent, non omnes infantes, legitimè baptizatos, sine peccatis actualibus morientes, ad numerum electorum pertinere, et ad salutem æternam pervenire? Inde enim horridum illud reformatorum dogma, ante annos 30 et 40 in Belgio decantatum: « E duo« bus infantibus ab eâdem matre simul natis, « simul baptizatis, simul statim à baptismo « morientibus, alterum quandoque ad electos « pertinere, et salvari, alterum ad reprobos, et « damnari. » Fatemur libenter similia in modernorum reformatorum scriptis non reperiri: sed radix ablata non est. Ideò enim dicunt, se ex lege charitatis statuere, infantes baptizatos, qui in suâ infantiâ decedunt, regenerari; neque enim apud ipsos certum eos Christum voluisse, omnes infantes mundari, quos voluit lavari, Christum voluisse omnes infantes regenerari, quos voluit baptizari. Cur, quæso, apud reformatos baptizantur infantes, si non baptizati salvantur, et baptizati pereunt, dependenter à solâ electione, vel reprobatione? Nonne, quia repudiatis necessitatem baptismi, ideò apud

vestros decretum est, in privatis ædibus non baptizare neque periclitantibus infantibus remedio baptismi subvenire? Dicit discipl. gallica: « Non administrabitur baptismus, nisi in cœtibus « ecclesiasticis. » Quâ sacræ Scripturæ auctoritate, quo antiquitatis consensu illud decretum fabricatum est? Sed de hoc redibit occasio in sequentibus.

Nunc ostendendum est quomodò necessitatem baptismi ex S. Scripturâ declaraverit S. Augustinus: « Quod ait Apostolus ad Cor. cap. « 7, 10: *Sanctificatus enim est vir infidelis in « uxore, et sanctificata est mulier infidelis in fra- « tre: alioqui filii vestri immundi essent, nunc « autem sancti sunt;* aut sic est accipiendum, « quòd exempla jam præcesserant, et virorum, « quos uxores, et feminarum, quas mariti lu- « crifecerant Christo, et parvulorum, ad quos « faciendos christianos voluntas christiana « etiam unius parentis evicerat; sive aliqua « illic intelligenda est alia sanctificatio, quæ « ibi apertè proposita non est; illud tamen sine « dubitatione tenendum est, quæcumque illa « sanctificatio sit, non valere ad christianos « faciendos atque ad dimittenda peccata, nisi « christianâ et ecclesiasticâ institutione, et sa- « cramentis efficiantur fideles. Nam nec conju- « ges infideles, quàmlibet sanctis et justis con- « jugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, « quæ à regno Dei separatos in damnationem « venire compellit, nec parvuli de quibuslibet « sanctis justisque procreati, originalis pecca- « ti reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint « baptizati. » Pergit sanctus Augustinus, adversùs Pelagianos et reformatos: « Multùm « fallit et fallitur, qui parvulos sine baptismo « de corpore exeuntes in damnationem præ- « dicat non futuros. » Item: « Quis christiano- « rum ferat, cùm dicitur ad æternam salutem « posse quemquam pervenire, si non renasca- « tur in Christo, quod per Baptismum fieri « voluit? » Sed etiam probat solidissimè: « Terrentur isti sententiâ Domini dicentis: « *Nisi quis natus fuerit denuò, non videbit regnum « Dei.* Quod cùm exponeret, ait: *Nisi quis re- « natus fuerit ex aquâ et Spiritu, non intrabit in « regnum cœlorum;* nulla hinc dubitatio potest « oriri. »

Et fusiùs: « Quâ isti sententiâ nisi move- « rentur, omninò parvulos nec baptizandos « esse censerent. Rectè intelligentibus sufficere « debet, quod dictum est: *Nisi quis natus « fuerit denuò, non potest videre regnum Dei;* et: « *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu, non « potest introire in regnum Dei.* Cur enim na- « scatur denuò nisi renovandus? unde reno- « vandus, nisi à vetustate? quâ vetustate, « nisi in quâ vetus homo noster simul cruci- « fixus est cum illâ, ut evacuetur corpus pecca- « ti?» Item: « *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui « de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo.* « Nisi ergo in unitatem Christi omnes mu- « tandi lavandique concurrant, ut Christus qui « descendit ipse ascendat, non aliud deputans « corpus suum, id est, ecclesiam suam, quàm « seipsum, ascendere omninò non poterunt. »

« *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed « habeat vitam æternam.* Periturus erat parvu- « lus, nec habiturus vitam æternam, si per sa- « cramentum baptismi non crederet. *Qui credit « in eum non judicatur, qui autem non credit, « jam judicatus est.* Ubi ergo parvulos ponimus « baptizatos, nisi inter fideles, sicut universæ « ubique Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergo in- « ter eos qui crediderunt, hoc enim eis acquiri- « tur per virtutem sacramenti, et offerentium « responsionem, ac per hoc eos, qui baptizati « non sunt, inter eos qui non crediderunt. « Porrò si illi qui baptizati sunt, non judican- « tur, isti quia carent baptismo judicantur. »

Ecce alia probatio: « Quis christianorum « ferat, cùm dicitur, ad æternam salutem « posse quemquam pervenire, si non rena- « scatur in Christo, quod per baptismum fieri « voluit eo jam tempore, quo tale sacramen- « tum constituendum fuit regenerandis in spem « salutis æternæ? Unde dicit Apostolus: *Non « ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus, sed se- « cundùm suam misericordiam salvos nos fecit per « lavacrum regenerationis.* Sine istâ ergo rege- « neratione salvos in æternum posse parvulos « fieri, quis audeat affirmare? » Audent reformati.

Ecce alia probatio: « Multùm fallitur, qui « parvulos sine baptismo de corpore exeuntes « in damnationem prædicat non futuros, « dicente Apostolo: *Judicium ex uno delicto in « condemnationem.* Et paulò post: *Per unius « delictum in omnes homines in condemnationem.* « Simul itaque peccato et morti primi hominis « obnoxii nascuntur in carne, et simul justitiæ « vitæque æternæ secundi hominis societati re- « nascuntur in baptismo. »

Probat etiam ex modo administrandi Baptismum: « Quid de ipsâ formâ sacramenti « loquar? Quid in illo agit exorcismus meus, « si in familiâ diaboli non tenetur? Quomodò « dicetur, eum renuntiare diabolo, cujus in eo

« nihil esset ? quomodò converti ad Deum, à « quo non esset aversus? Credere inter cætera « in remissionem peccatorum quæ illi nulla « tribueretur ? falsam , vel fallacem parvulis « tradi baptismatis formam, in quâ sonaret, « quod utique agi videretur, et tamen nulla « fieret remissio peccatorum , nihil execrabi- « lius ac detestabilius dici potest ac sentiri. » Hoc tamen dicunt, et sentiunt reformati, docentes, infantes fidelium frequenter sanctificari in uteris maternis. At formam illam baptismi, quam refert S. Augustinus antiquitùs observatam, quâque etiamnùm utitur Ecclesia catholica, reformati abrogârunt, ne ex hâc ipsâ formâ cum Pelagianis convincerentur.

Ista argumenta S. Augustini non minùs valent adversùs reformatos quàm adversùs Pelagianos; hi enim non docebant, parvulos sine baptismo ad regnum cœlorum pervenire, quod isti docent; sed volebant eos, extra regnum cœlorum fictâ quâdam salute esse beatos. Vide S. Augustin. de peccat. Merit. et Remiss. l. 1, cap. 20.

Speramus protestantes ex his sufficienter perspicere, quid de necessitate baptismi tenendum sit.

ANIMADVERSIONES.

Lutherani Augustanæ Confessionis articulo 9, de baptismo docent, quòd necessarius sit ad salutem, tanquàm cæremonia à Christo instituta, et quòd infantes sint baptizandi, et quòd infantes per baptismum Deo commendati accipiantur in gratiam Dei, et fiant filii Dei. Calvinus actus novitatis prurigine super eorum Christi verborum explicatione : *Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* omni antiquitati repugnat, quæ ea de baptismo intellexit. Cùm doctrina hæc universali Ecclesiarum traditione nitatur, calvinistæ, qui ejusmodi traditionem se recipere profitentur, hanc sanè rejicere non debent ; alioquin nunquàm anabaptistis ex sacris litteris ostendere poterunt baptismum necessitate præcepti necessarium esse.

CAPUT XXIV.

De ministro baptismi.

Cum lutheranis in hoc negotio nulla nobis est difficultas (vide Calorium Synop. Contr., disp. 25, th. 6, pag. 154), sed cum reformatis. Hi enim dicunt : Baptismus administratus ab eo qui non habet ullam vocationem aut commissionem, est omninò nullus. At quæ probatio hujus sententiæ? nulla produci potest ex S. Scripturâ. Ut autem impediant, ne quis non vocatus baptizet, ulteriùs statuunt : Non administrabitur baptismus nisi in cœtibus ecclesiasticis, in locis in quibus est ecclesia publicè erecta. Utrumque errorem ex S. Scripturâ refutat S. Hieronymus : « Nisi fortè eunuchus « à Philippo diacono baptizatus sine Spiritu « sancto credendus est, de quo Scriptura ita « loquitur : *Dùm irent per viam, venerunt ad « quamdam aquam ; et descenderunt ambo in « aquam, et baptizavit eum Philippus.* Scias « Philippum ab apostolis non fuisse divisum, « eamdem habuisse Ecclesiam, eumdem Chri- « stum prædicâsse, diaconum certè fuisse, » etc. Ecce administratum baptismum sine cœtu ecclesiastico ; sine formâ ecclesiæ, qualem tamen reformati postulant, in locis ubi nulla ecclesia est publicè erecta. Ecce diaconum baptizantem, cùm tamen juxta disciplinam reformatam dicendum sit : « Non est officium « diaconorum prædicare verbum Dei, et admi- « nistrare sacramenta. » Diaconi etiam reformatorum nullam habent vocationem ; sed electionem duntaxat, et confirmationem per preces solemnes sine impositione manuum, quorumque officium non est perpetuum.

Tota antiqua Ecclesia suscepit baptizatos ab hæreticis, in quibus tamen non agnoscebat vel vocationem vel specialem commissionem, quamvis in iis agnosceret ordinationem ; et S. Hieronymus dicit apertè : « Scimus etiam « licere laicis baptizare. » Illud enim erat antiquitùs determinatum in concilio Elibertino, can. 38, tom. 1 Conc., pag. 195.

Sed attentiùs nonnihil expendamus nova reformatorum mysteria. Ipsi dicunt : « Epi- « scopi, officiales, archidiaconi, quales nunc « sunt, nullam jure jurisdictionem habent ci- « vilem vel ecclesiasticam. » Item : « Non est « licitum neque expediens audire conciones ec- « clesiæ romanæ, vel aliorum qui se intruserunt « sine legitimâ vocatione. » Item : « Monachis « et presbyteris non imponantur manus nisi « ex sententiâ synodi. » Et Molinæus : « Pre- « sbyteris ab Ecclesiâ romanâ egressis conferi- « mus novam ordinationem. » Et paulò post : « Quando inter nos recipitur ad ministerium « presbyter Ecclesiæ romanæ, iteratò ipsi im- « ponuntur manus, ipsique confertur nova « ordinatio. » Hinc sequitur primò, omnes illos qui in Ecclesiâ romanâ hoc tempore baptizantur, habendos esse pro non baptizatis;

ut qui baptismum acceperint à non habentibus vocationem. Sequitur secundò, Calvinum, Zwinglium, aliosque primos reformatores non fuisse legitimè baptizatos, nec collegisse ecclesiam baptizatorum, sed ethnicorum. Sequitur tertiò, omnes baptizatos à Calvino, Zwinglio, aliisque primis reformatoribus, esse nulliter baptizatos, cùm novam ordinationem non acceperint, nec eam potuerint accipere à non ordinatis. Sequitur quartò, omnes reformatos esse nulliter baptizatos, quia inter illos non potuit esse initium legitimæ ordinationis, adeòque nec vocationis.

Præmissis apertissimè contradicunt reformati in suâ confessione gallicâ. « Quia in papatu baptismi substantia remansit, cujus « etiam efficacia ab eo non dependet à quo « administratur, fatemur illìc baptizatos, se« cundo baptismo non egere. » Atqui notissimum est apud catholicos frequenter contingere ut propter infirmitatem infantium laici baptizent; et tamen ejusmodi baptizatos non vult confessio gallica rebaptizari, quòd substantia baptismi fuerit integra, nec ejus efficacia ab eo dependeat, à quo administratur. Sed quo fundamento fatemini, apud catholicos semel baptizatos secundo baptismo non egere, si baptismus à non habente vocationem collatus est nullus, et si apud romanos catholicos nulla est vocatio? Facilè perspicitis, hæc non cohærere.

Sed et Calvinus vester scribit : « Non re« peries in meis litteris ; scio pendere illius « (Baptismi) vim ab intentione consecrantis. « Tantùm, nisi fallor, ideò dixi efficax (apud ro« manos catholicos), quatenùs in hunc finem « administratur, ut in Christi corpus nos « inserat, vel ut nostræ sit renovationis sym« bolum. Jam nihil meâ refert, sitne homo « lucianicus, qui baptizat, sitne diabolus. » At concilium Nicænum definit : « De Paulianistis « ad Ecclesiam catholicam confugientibus, defi« nitio prolata est, ut omninò rebaptizentur. » Ratio autem cur solos Paulianistas, seu Samosatenos judicet concilium rebaptizandos, in eo consistit, quòd in nomine Trinitatis non baptizarent. Hoc enim observat S. Augustinus: « Pauliani Christum nec aliquid ampliùs quàm « hominem, putant. Istos baptizandos esse in « ecclesiâ catholicâ Nicæno concilio constitu« tum est. Unde credendum est, eos regulam « baptismatis non tenere, quam secum multi « hæretici, cùm de catholicâ discederent, abs« tulerunt, eamque custodiunt. » Calvino autem perinde est sive sit homo lucianicus qu baptizat, sive diabolus ; sive habeat vocationem, sive non habeat ; sive baptizet debitâ formâ, sive indebitâ ; quis enim sibi persuadeat, hominem lucianicum, vel diabolum in nomine SS. Trinitatis baptizare? Rursùm Synop. pur. Theol. diss. 44, thes. 14, dicit, iterandum baptismum ab hæreticis collatum, qui fundamentalia baptismi dogmata discretè evertunt, contra conc. Nicænum, quod allegant. Sed Wiclefus docet : « Credimus, quòd « quâcumque vetulâ, vel abjectâ personâ ritè « lavante hominem cum verbis sacramentali« bus, baptismum flaminis (internæ regenera« tionis) Deus complet. » Hujus sententia quid commune habet cum illâ reformatorum ?

CAPUT XXV.

De Confirmatione.

Protestantes in Angliâ pluribus annis usi sunt confirmatione ; alibi etiam quid simile observant in junioribus ad suam cœnam admittendis ; antiquam tamen Ecclesiæ praxim in S. Scripturâ fundatam communiter repudiant. De hâc sic habet S. Hieronymus : « Hæc « est ecclesiarum consuetudo, ut ad eos, qui « longè in minoribus urbibus per presbyteros « et diaconos baptizati sunt, episcopus ad in« vocationem S. Spiritûs manus impositurus « excurrat. » Et paulò post : « Quòd si quæris « quare in ecclesiâ baptizatus nisi per manus « episcopi non accipiat Spiritum sanctum, « quem omnes asserimus in vero baptismate « tribui, disce hanc observationem ex eâ au« ctoritate descendere, quòd post ascensum « Domini Spiritus sanctus ad apostolos de« scendit (Act. 2, 4) ; et multis in locis idem « factitatum reperimus. » Et paulò post: « Quia, « *Cùm audissent apostoli, qui erant Hierosoly« mis, quia recepit Samaria verbum Dei, mise« runt ad eos Petrum et Joannem, qui cùm ve« nissent ad eos, oraverunt pro eis, ut acciperent « Spiritum sanctum : nondùm enim ceciderat su« per ullum eorum* (Act. 8, 14). Cur ita factum « sit, in consequentibus disce ; ipse enim ait : « *sed solùm baptizati erant in nomine Domini « Jesu.* Tunc imponebant illis manus, et acci« piebant Spiritum sanctum. » Pari modo ex S. Scripturâ probat confirmationem Innocentius pontifex romanus, et alii SS. Patres.

ANIMADVERSIONES.

Confirmationis apud anglicanos episcopales administrandæ ratio in eorum Liturgiâ, seu

publicarum precum libro fusè describitur. Primò quidem ad eorum calcem, quæ ad baptismi administrationem spectant, expressa hæc verba leguntur: « Mandabit etiam « minister, ut pueri ad episcopum adducantur « confirmandi, quamprimùm edidicerint ar- « ticulos fidei. » Deinde verò ad rationem devenitur quâ confirmatio ab episcopo confertur. Interrogandi sunt pueri super eorum catechismo, quem memoriâ tenere debent; ac deinde episcopus super iis nonnullas orationes pronuntiat, iisdem manus imponens. Ritus hic omnis prece et manuum impositione continetur. Ibidem Chrismatis nulla mentio, quo tamen ipsa romana Ecclesia in hujus sacramenti administratione utitur.

CAPUT XXVI.

De Pœnitentiâ.

Cum catholicis docent protestantes, peccatoribus necessariam esse pœnitentiam. Nulla est difficultas de dolore peccati præteriti, S. Scripturâ eum commendante, universis eum celebrantibus.

Confessionem agnoscunt protestantes quadruplicem. Primam, quæ fit Deo. Secundam, quæ fit proximo offenso, ut cum eo redeatur in gratiam. Tertiam, quæ fit Ecclesiæ, quæ publico peccato, vel pernicioso exemplo scandalum passa est. Quartam, quæ fit pastori, ut ejus admonitione tranquilla reddatur conscientia, et de obtentâ reconciliatione fiat secura. Hæc recognitio multùm accedit ad doctrinam Ecclesiæ romanæ-catholicæ, quæ illas species confessionum commendat et laudat. Inter illos, quos protestantes suos prædecessores vocant, agnoscit confessionem, qualis à nobis agnoscitur, Joannes Hus, in Resp. ad script. cit. doct., cap. 5, fol. 300; Rokizana, de Sacram. cap. 17, cap. 486.

Sed longè antiquior sanctus Leo eam probat ex regulâ Ecclesiæ: « Ut instruatur am- « biguitas consulentis, quid de pœnitentium « statu ecclesiastica habeat regula, non ta- « cebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsi- « bus subvenit humanis, ut non solùm per « baptismi gratiam, sed etiam per pœniten- « tiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ; « ut qui regenerationis donum violâssent, pro- « prio se judicio condemnantes ad remissio- « nem criminum pervenirent, sic divinæ bo- « nitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia « Dei nisi supplicationibus sacerdotum ne- « queat obtineri. Mediator enim Dei et homi- « num, homo Christus Jesus hanc præpositis « Ecclesiæ tradidit *potestatem*, ut et *confitenti- « bus* actionem pœnitentiæ darent, et eosdem « salubri *satisfactione* purgatos, ad communio- « nem sacramentorum per januam reconcilia- « tionis admitterent. Cui utique operi inces- « sabiliter ipse Salvator intervenit. Nec unquàm « ab his abest, quæ ministris suis exsequenda « commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum « omnibus diebus usque ad consummationem se- « culi.* Ut si quid per servitutem nostram bono « ordine, et gratulabundo impletur affectu, « non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse « donatum. » Et mox: « Multùm utile ac « necessarium est, ut peccatorum reatus ante « ultimum diem sacerdotali supplicatione sol- « vatur, etc. Unde oportet unumquemque « christianum conscientiæ suæ habere judi- « cium, ne converti ad Deum de die in diem « differat, nec satisfactionis sibi tempus in « fine vitæ suæ constituat, quem periculosè « ignorantia humana concludit; ut ad pauca- « rum horarum spatium se reservet incertum; « et cùm possit pleniore satisfactione indul- « gentiam promereri, illius temporis angus- « tias eligat, quo vix inveniat spatium vel « confessio pœnitentis, vel reconciliatio sa- « cerdotis. Verùm etiam talium necessitati ita « auxiliandum est, ut nec actio illis pœniten- « tiæ nec communionis gratia denegetur, si « eam etiam amisso ejus vocis officio, per « judicium integri sensûs quærere compro- « bentur. »

Et S. Basilius: « Quoniam conversionis mo- « dus proprius debet esse peccatoris, et ne- « cesse est, ut fructus ferantur, qui deceant « resipiscentiam, necessarium est ut iis fiat « confessio peccatorum, quibus dispensatio « mysteriorum Dei concredita est. Nam in « Actis, Apostolis, à quibus baptizabantur, « peccata sua confessi sunt omnes. »

Et S. Hieron.: « Quodcumque ligaveris su- « per terram, erit ligatum et in cœlis, et « quodcumque solveris super terram, erit « solutum et in cœlis. Alligat vel solvit epi- « scopus, et presbyter non eos qui insontes « sunt vel noxii, sed pro officio suo, cùm pec- « catorum audierit varietates, scit qui ligan- « dus, scit quive solvendus. »

De absolutione à peccatis apertissimè dixit Christus: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20). Protestantes appropinquant, quando docent se an-

nuntiare remissionem peccatorum, et declarare, quòd remissa sint peccata, quando excommunicatos post pœnitentiam ad communionem suam reassumunt, eosdemque promulgant reconciliatos. Calovius dicit: « Absolutio, quæ fit à verbi ministro, efficax omninò est, ita ut etiam in cœlis solvatur quicquid in terris solvitur. » Item: « Pœnitentia sacramentum non est propriè dictum, etsi absolutio sensu latiori sacramentum vocari possit. » (Ibid. disp. 30, Th. 7, pag. 172.)

Sed nomen *satisfactionis* abominantur protestantes, quamvis eorum prædecessor Joannes Hus satisfactionem admittat. (De Pœnit. fol. 37.)

Agnoscunt protestantes, peccatorem proximo suo posse satisfacere. Agnoscunt catholici, satisfactionem pro culpâ peccatorum et pœnâ æternâ unicè et solitariè petendam esse ex meritis infinitis et infinitâ Jesu Christi satisfactione. At verò, quia sacra Scriptura multis ostendit exemplis, Deum post remissam peccatorum culpam et pœnam æternam, castigare peccatores pœnis temporalibus, existimant catholici afflictiones voluntarias, ex amore Dei et fide per charitatem operante susceptas, meritis et satisfactione Jesu Christi roboratas, placare iram Dei, et obtinere ab ejusdem misericordiâ remissionem istarum pœnarum temporalium; et hoc vocant satisfactionem pœnitentialem, et opera satisfactoria. Ab hâc doctrinâ non adeò recedunt protestantes, ut nonnulli existimant; neque enim negant, opera pœnitentialia, quæ gratiâ sancti Spiritûs in conversis et per conversos operatur, esse Deo grata, eidemque placere. Non negant dictum Apostoli: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus* (Hebr. 13, 16); monente scilicet Apostolo, in ejusmodi esse *odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo* (Philip. 4, 18.)

Praxis autem protestantium causam totam nobis tradit. Utquid enim publica instituunt jejunia, publicas orationes, quando vel bello premuntur, vel peste affliguntur, vel fami, aliisque Dei temporalibus subjiciuntur flagellis; si non existiment ea opera Deo grata divinam indignationem avertere, et servire obtinendæ remissioni ab istis pœnis temporalibus? Atqui in eumdem finem romani catholici orant, jejunant, largiuntur eleemosynas, aliaque faciunt digna pœnitentiæ opera, quæ vocant satisfactoria, tanquàm Deo grata, et fundata in satisfactione Jesu Christi; ideòque talia, quæ divinam placent indignationem, et pœnarum temporalium peccatorum obtineant remissionem, quorum culpa et pœna æterna, per divinam misericordiam, ex solâ consideratione meritorum et satisfactionis Jesu Christi est remissa. Vanus igitur est Curtius, dissert. theol. de Fundam., sect. 5, n. 5, pag. 112, somnians in errore fundamentali.

ANIMADVERSIONES.

Augustanæ confessionis protestantes se fusiùs explicuêre super iis omnibus quæ ad pœnitentiam spectant in peculiari articulo, qui inscribitur: *De Confessione.* Tantùm abest, ut huic sacramento refragentur, ut se potiùs illud purgâsse, et Evangelio conformius reddidisse glorientur. Ponunt enim tanquàm certum, scholasticos theologos, et canonistas illud innumeris difficultatibus implicuisse. Verùm eos par erat animadvertere, se, propiùs ad Evangelium accedendi specie, à puriore antiquitate recedere. Aiunt ergo, « opus esse in Ecclesiâ extare purissimam et simplicissimam de pœnitentiâ doctrinam; » addunt: « Docemus contritionem esse necessariam; » subdunt: « Absolutionem non valere, nisi sufficienter contriti simus. »

Idem augustanæ confessionis lutherani ita pronuntiant: « Docent nostri retinendam esse in ecclesiis privatam absolutionem, et ejus dignitatem, et potestatem clavium veris et amplissimis laudibus ornant. » Secretam quoque peccatorum confessionem retinent, quam necessariam putant, ut absolutio conferri possit, quin tamen à confitentibus accuratam peccatorum recensionem requirant, quippe quæ in apostolorum scriptis non extet: « Diligenter in ecclesiis retinemus confessionem, sed ita ut doceamus enumerationem delictorum non esse necessariam jure divino, nec onerandas esse conscientias illâ enumeratione.... Nullum enim exstat in scriptis apostolicis præceptum de hâc enumeratione. »

Cùm Bellicensis episcopus dixit, confessionem protestantibus, ut reo scamnum, esse formidini, calvinistas ob oculos habuisse videtur; nam augustanæ confessionis protestantes haud eam reformidare perspeximus. Contendunt tamen necesse non esse, atque adeò fieri non posse, ut peccata singillatim enumerentur. Philippus Melanchthon in eumdem prope modum loquitur in Confessione, quam

ad Franciscum I misit, et sanè propterea utile esse pronuntiat confessionem servari, quæ in Ecclesiâ tot ante secula in usu est : « Eam sanè, quæ multorum seculorum confessio comprobata fuit, et nunc quoque « observatur, judicio nostro prodest retinere. » Parisienses theologi in hujus articuli examine, postquàm confessionem sacramentalem à Christo institutam esse animadverterunt, ita graviter ac scitè monent : « Magnoperè in confessione caveri debet nimia severitas, curiosa « interrogatio, et indiscreta pœnitentiæ impositio. » Calvinistæ igitur aliam, quàm reverà est, confessionem imaginantur.

Ad satisfactionem quod attinet, optimè Bellicensis episcopus animadvertit protestantes ne ejus quidem nomen audire posse. Augustanæ confessionis protestantes dictitant satisfactiones, quæ olim in usu erant, impediisse, ne beneficia perspicerentur, quæ ex Christo Domino percipiebantur, quia rudes homines peccatorum suorum remissionem per sua ipsorum opera se obtinere putabant : « Satisfactiones obscurabant beneficium Christi, quia indocti putabant se remissionem « culpæ consequi propter illa propria opera. » Canonicas autem pœnas; quæ prioribus Ecclesiæ seculis usui erant, non ampliùs servandas esse contendunt : « Veteres illi mores « tempore consenuerunt, et antiquati sunt. » Verùm quid tandem prohibet, quominùs populus edoceatur, eique significetur, operum meritum omninò ex Dei gratiâ derivari, et nos per Christi merita satisfacere?

CAPUT XXVII.

De Indulgentiis.

Indulgentiæ versantur circa pœnas temporales quas Deus peccatoribus infligit, post remissam culpam peccati et pœnam æternam. Protestantes hoc loco solent altùm clamare, improbantes quod nesciunt, et facientes quod improbant. Ipsi sibi persuadent, unum actum fidei, quo apprehenditur Jesus Christus cum omnibus suis meritis, efficere jubilæum et indulgentiam plenariam tum culpæ tum pœnæ temporalis et æternæ. Nos autem in meritis Christi remissionem culpæ et pœnæ æternæ invenientes, quærimus in iisdem meritis, per opera pœnitentialia, remissionem pœnæ temporalis; qualia apud ipsos, ad avertendas eas pœnas, post ejusmodi actum fidei essent inutilia, nisi nobiscum tenerent, esse facienda opera pœnitentialia, per quæ, vi meritorum Christi, pœna temporalis remitteretur.

Molinæus dicit : « Fideles pastores potestatem habent remittendi peccata. Quemadmo« dùm Scriptura sancta dicit, quòd animas « salvent pastores, eò quòd Deus istorum « operâ illis salvandis utatur ; ita docet, quòd « pastores remittunt peccata, eò quòd Deus « iisdem in eorum remissionem utatur. » Addit etiam : « Remittunt ergo omnes et singuli « peccata etiam quoad omnem pœnam. » Atque hoc est, quod vocamus indulgentiam plenariam et plenissimam, quando peccata remittuntur quoad omnem pœnam temporalem. Convenit igitur inter catholicos et protestantes, esse in Ecclesiâ potestatem remittendi peccata, non tantùm quoad culpam et pœnam æternam, sed etiam quoad pœnam temporalem : hoc enim fundatur in textibus S. Scripturæ, Matth. 16, 19; Joan. 20, 23.

Antiqua concilia, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus imposuerunt ; quod etiam ex variis causis abbreviârunt. Illæ autem pœnitentiæ non tantùm imponebantur ad satisfactionem Ecclesiæ, sed insuper pro compensatione pœnæ temporalis vel in hâc vitâ, vel in purgatorio pro peccatis ferendæ. Remissis verò illis pœnis canonicis, remittebatur pœna temporalis peccatis debita; alioquin enim Ecclesia indulgentiam concedens, remisisset fideles ad pœnas à Deo expectandas, neque illis attulisset commodum, sed potiùs detrimentum. Quapropter fatentibus protestantibus, esse in Ecclesiâ potestatem remittendi pœnas pro peccatis temporales, omninò dicendum est, antiqua concilia eas pœnas per indulgentias remisisse. Cujus quidem non obscura exstant vestigia in processu apostolico, quando dicit : *Sufficit illi, qui hujusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus.* Et infra : *Cui autem aliquid donâstis, et ego. Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi.* Et hæc quidem existimamus sufficere non contentiosis.

CAPUT XXVIII.

De negatoribus realis præsentiæ corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini.

Quos protestantes suos prædecessores nominant, et testes veritatis compellant, eorum relationem si hoc loco proferamus, non erit de facili repudianda.

Joannes Hus scribit : « Apostoli et eorum « successores catholici prædicant Christum, « qui est crucifixus, verè et realiter in sacra-

« mento venerabili esse cum sanguine et cor- « pore. » Et mox : « Gentes autem scandali- « zantur in hoc, quod nos verè dicimus, in « venerabili sacramento esse Christum, cor- « pus ejus et sanguinem. De quorum numero « fuit commentator Averrois, qui quærens « philosophicam sapientiam, et inde stultifi- « catus dixit : Pessima secta, quæ Deum suum « devorat, per hoc denotans christianos. » Ethnici igitur scandalizati propter eam doctrinam catholicam, eamdem cum toto rejecerunt christianismo. Refert postea Joannes Hus, etiam inventos esse christianos, qui eamdem veritatem negarent : « Magna hæresis fuit Be- « rengarii, de quâ fuit infamatus, quia scilicet « tenuit, quòd panis, qui in altari ponitur, « ante consecrationem, est panis non conse- « cratus, sed post consecrationem est solùm « panis consecratus, et non verum corpus « Christi. »

Pizibram Hussita, ut hæresim, damnat sententiam Wiclefi negantis realem præsentiam Christi in S. Eucharistiâ ; et testatur eamdem sententiam à multis aliis, tanquàm hæresim, esse damnatam. Constat etiam ex libris Wiclefi, eum negâsse realem præsentiam in S. Eucharistiâ ; quamvis scribat : « Dici potest, « quòd panis ille sacramentalis est ad illum « modum spiritualiter corpus Domini ; » et addat, quòd Christus « habet esse spirituale « in hostiâ. » Idem tamen seipsum explicans apertissimè loquitur : « Cùm mens catholici « non capit, quòd panis sit corpus Christi, « nisi intelligendo figurativè, cùm identifica- « tio non sit possibilis, ideò absque omni am- « biguitate hæc est figurativa : *Hoc est corpus* « *meum.* »

Theologi Wirtembergici superioris seculi nominant auctores anabaptistas, Carolstadium, Zwinglium, tanquàm negantes realem præsentiam Christi in S. Eucharistiâ; quorum octo diversas referunt sententias.

ANIMADVERSIONES.

Bellicensis episcopus in hoc capite varias protestantium Ecclesiarum super Eucharistiâ sententias admodùm enucleatè ac dilucidè explicat. Melanchthon in suâ fidei Confessione ad Franciscum I missâ, augustanam confessionem omninò confirmat : « Agnoscimus, « inquit, et confitemur omnes, sublatis, quæ « inter nos diu viguerunt, altercationibus, « quòd Dominus Jesus, quemadmodùm in ul- « timâ Cœnâ, ita etiam hodiè discipulis suis, « et credentibus, suum verum corpus et san- « guinem verè manducandum et bibendum det « in cibum animarum et vitæ æternæ, ita ut « Christus in nobis, et ipsi in Christo manea- « mus; quòdque ex verbis Christi, dùm ait : « *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus,* « nefas est aliud colligere, quàm in sacramento « veram veri corporis et sanguinis Domini « præsentiam. »

Quamvis hæc verba clara et diserta sint, omninò tamen lutherani invicem non consentiunt, ac Melanchthon ipse super hâc re sibi non constat. Ad Calvini explicationem quodammodò accessisse videtur. In quâdam epistolâ, quam ad Vitum scripsit, id negat, quod Lutherani consubstantiationem appellabant, perinde ac si Christi corpus in pane conclusum, eique affixum fuisset. Sacramentum hoc, æquè ac cætera, usu contineri contendebat, et quod inde consequitur, Christi corpus et sanguinem eo tantùm tempore adesse, quo Eucharistia recipiebatur. Longiùs etiam progreditur, ne latum quidem unguem ab eorum sententiâ recedens, qui realem præsentiam in virtutis et efficaciæ præsentiâ positam volunt. En ipsa Melanchthonis verba : « Ego, ne lon- « giùs recederem à veteribus, posui in usu « sacramentalem præsentiam, et dixi, datis his « rebus, Christum verè adesse, et efficacem « esse. Id profectò satis est. Nec addidi inclu- « sionem, aut conjunctionem talem, quâ affi- « geretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, aut ferruminaretur, « aut misceretur. Ego verò etsi, ut dixi, rea- « lem præsentiam pono, tamen non pono in- « clusionem, seu ferruminationem, sed sacra- « mentalem, hoc est, ut signis positis adsit « Christus verè efficax. »

Quod autem ad Tigurinam confessionem attinet, ea sanè Zwinglii, qui ejus auctor fuit, sententiam sequitur. Hujus hominis doctrinam nobis exhibet Lavaterus, qui et ipse Tigurinus, et ex eâdem sectâ erat, in hæc verba : « Zwin- « glius docebat corpus et sanguinem Christi « spiritualiter, non ore, sed mente ac fide per- « cipi; et hæc verba Christi : *Hoc est Corpus* « *meum,* exponebat per tropum. »

Haud immeritò Bellicensis episcopus dixit, Genevenses, spectatis eorum confessionis puris putisque verbis, non alio, quàm catholicos, sermone uti; at re tamen ipsâ, ab iis longissimè distant. Calvinus cùm mediâ quâdam viâ lutheranos inter et zwinglianos incedere voluisset, ut eos invicem conciliaret, se in labyrinthum conjecit, è quo se extricare non po-

tuit. Per has locutiones, *realiter, verè, substantialiter,* cum lutheranis, atque adeò cum romanis-catholicis agnoscere videbatur, Christi corpus non per tropum aut figuram solummodò, sed reapsè in Eucharistiâ esse, quæ sanè nunquàm ejus opinio fuit. Cùm enim addiderit istud ibidem corporaliter non esse, ejus realitas metaphysica et imaginaria prorsùs evadit. Quod in causâ fuit, ut calvinistæ ad virtutis et efficaciæ vocabula confugere cogerentur, utpote qui non aliam realitatem, quàm eam agnoscerent. Quâ in re veri zwingliani sunt, ut ex ministrorum Albertini et Claudii libris licet intelligi.

Nonnihil in iis emendandum occurrit, quæ Bellicensis episcopus de Londinensi Confessione pronuntiat. Quamvis enim Anglicani episcopales communionem genu flexo suscipiant, quemadmodùm in Romanâ Ecclesiâ servatur, se tamen haud propterea Eucharistiam adorare contendunt. Quamobrem, Carolo II regnante, huic eorum Liturgiæ loco additum est, eos etsi genu flexo Communionem perciperent, haud nihilominùs adorare. Quod porrò ad eorum fidem spectat, quâ demùm ratione Christus in Eucharistiâ sit, omninò definire non audent. Catholicorum tamen *transsubstantiationem*, Lutheranorum *consubstantiationem* et *Zwinglianorum* figuram rejiciunt. Ac dùm id agitur, ut suam candidè opinionem explicent, fatentur, rationem, quâ Christus in hoc sacramento est, penetrabilem omninò non esse; verùm agnoscunt ejus corpus et sanguinem in eo verè et realiter esse; rationem autem, quâ ibidem est, curiosiùs inquirendam non esse.

Dalesius à Turre non immeritò pronuntiavit in suâ super Eucharistiâ collatione, an. 1701 Montalbani typis impressâ, « Anglos episcopales, cùm Ecclesiam deseruerunt, obsequii et venerationis erga tantum mysterium saltem aliquam speciem retinuisse. » At hæc alia verba, quæ addit : « Super pane et super vino consecrationem edunt eâdem formâ, quâ Ecclesia; quod equidem in eorum Liturgiâ verum ostendi, non omninò vera sunt. » Quamvis enim, ad consecrationem quod spectat, Missale Latinum prope ad verbum exscripserint, precem sustulerunt, quæ in omnibus Liturgiis, occurrit, cum hoc tamen discrimine, quòd in Græcis aliisque Orientalibus Liturgiis, ea verba : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* hanc precem antevertunt, in Missis autem Latinis subsequuntur. Qui porrò inter Anglos reformatores primi extiterunt, haud satis mente valuerunt, ut perspicerent se ex Liturgiâ rem adimere, quæ in eâ ab Ecclesiæ incunabulis occurrebat, quæque etiamnum ibidem occurrit.

Tametsi *transsubstantiationis* vocabulum novum sit, res tamen per idem vocabulum significata, nova non est. Veteres Ecclesiæ Patres de reali, quæ fit panis et vini in corpus et sanguinem Christi, mutatione locuti sunt. Et quidquid Protestantes super hâc re dicunt, nonnisi cavillationibus, et ratiunculis, quæ nihil habent soliditatis, continetur. Non philosophiâ nimirùm, sed revelatione hujus mysterii veritas nititur. Guillelmus Forbesius, licet è Protestantium numero esset, non potuit quin ita scriberet : « Quod ad transsubstantiationem attinet, admodùm periculosè, et nimis audacter negant multi Protestantes Deum posse panem substantialiter in corpus Domini convertere. »

Et sanè Lutherani Wittembergenses in fidei Confessione, quæ typis edita fuit an. 1552, ut Trid. concilio exhiberetur, quæque in Protestantium fidei confessionum collectione rursùs impressa prodiit, transsubstantiationem non negant, quasi sit ex earum rerum numero, quæ fieri non possunt; imò verò eam Deo possibilem asserunt, sed eamdem negant, quia neque in sacris litteris firmatam putant, nec veteri Ecclesiæ nota videtur : « Credimus, inquiunt, etiam omnipotentiam Dei tantam esse, ut possit in Eucharistiâ substantiam panis et vini vel annihilare, vel in corpus et sanguinem Christi mutare. Sed quòd Deus hanc absolutam omnipotentiam in Eucharistiâ exerceat, non videtur esse certo verbo Dei traditum, et apparet veteri Ecclesiæ fuisse ignotum. »

Quoad Missæ sacrificium, Veronius post Vasquesium inter Jesuitas doctum animadvertit, « non esse fide certum, hoc absolutum sacrificium esse; satis esse, illud haberi sacrificium *proprium*, sed *commemorativum*. Quid impedit, subdit Veronius, quominùs ejusmodi relativo, seu commemorativo sacrificio subscribatur? » Lutherani Wittembergenses in suâ fidei Confessione fatentur veteres ecclesiasticos scriptores Eucharistiam *sacrificium* et *oblationem* appellâsse; sed hi veteres Patres, inquiunt, suam mentem explicant, sacrificii nomine nihil aliud intelligentes quàm sacrificii memoriam, quod in cruce Christus obtulit : « Fatemur quidem, quòd veteres ec-

« clesiastici scriptores vocaverint Eucharistiam « sacrificium et oblationem ; sed se ipsi exponunt, quòd nomine sacrificii intelligant memoriam, adnuntiationem, seu prædicationem « sacrificii, quod Christus semel in cruce « peregit. » Id porrò non admodùm ab eo remotum videtur, quod Catholici sacrificium *relativum,* seu *commemorativum* nuncupant.

Id sanè juris Lutheranis tribuendum est, eos in rebus omnibus ab Ecclesiâ Romanâ minùs quàm Zwinglianos et Calvinistas remotos esse. Missam veluti quamdam apud se retinuerunt, et Protestantes cæteros ferre non possunt, qui super hoc negotio tam acriter in Catholicos invecti sunt. Itaque Melanchthon in fidei Confessione, quam ad Franciscum I, Ecclesiæ suæ nomine misit, abusus potiùs, qui ejus judicio ob sacerdotum inscitiam in Missam irrepserant, quàm ipsam per se Missam improbat. Is quidem autumat, mercenariis sacerdotibus ab altari remotis, Missam in pristinam dignitatem restitui posse. Nos sanè, inquit, nunquàm Missam damnare voluimus, sed abusus tantùm, quos Missæ privatæ induxerunt. Ipsa ejus verba afferre juvat, ut cæteris Protestantibus clariùs appareat, eos immeritò se adeò Missæ infensos ostendere : « Missarum « contemptum apud multos induxit indocta et « sordida sacrificulorum multitudo, qui nihil « aliud sciunt quàm Missari.... Fortassè remotis « his Missarum conductitiis nundinatoribus, « restituetur Missæ suus honor ; neque verò « Missam ipsam damnare unquàm voluimus, « sed abusus tantùm et vitia. » Nos, addit, consuetam Missæ formam servavimus, seu potiùs restituimus, ut nihil novi in eam induxerimus. Equidem, pergit Melanchthon, optarem, eos, qui veterem Missæ formam penitùs aboleverunt, idem prorsùs ac nos facere. Quid enim est, cur cæremoniæ mutentur, cùm nulla necessitas id fieri jubet? « Nos quidem (ejus « verba sunt) usitatam Missæ formam aut reti- « nuimus, aut restituimus, adeò ut vix dissi- « militudo ulla agnosci possit ; et optârim idem « facere nonnullos, qui veterem Missæ for- « mam omninò abjecerunt. Quorsùm enim « attinet cæremonias mutare, cùm opus non « est? »

Denique ad communionem sub utrâque specie quod spectat, cùm id quidem Ecclesia Romana inter puræ disciplinæ capita referat, facilè posset Protestantibus fieri satis, si eos hic unus articulus à Catholicis segregaret. Reputare nimirùm debent, Baptismum, institutionis suæ vi, per immersionem collatum fuisse, et *baptizandi* verbum ipsum, *immergere,* significare. Idem tamen eam baptizandi rationem servârunt, quâ Occidentis Ecclesiæ tantùm utuntur. Quidni, quoad ademptum calicem, idem præstent? Melanchthon sanè in suâ fidei Confessione Communionem sub utrâque specie divini juris esse non credidit. Ita enim pacem ait à papâ restitui posse, ut integrum cuique relinquat pro arbitratu iisdem speciebus uti, prohibeatque, ne se mutuò alii alios damnent : « Porrò facilè mederi his « tumultibus sine ullo magno detrimento po- « test, si sublatâ prohibitione relinqueret usum « liberum, et constitueret, ne qua pars altera « damnaret. Hæc libertas plurimùm ad tran- « quillitatem conduceret, neque noceret ulli « generi hominum. »

CAPUT XXIX.

Appropinquatio reformatorum.

Confessio Helvetica ponit triplicem manducationem ; unam corporalem, « quâ cibus in os « recipitur ab homine, dentibus atteritur, et « in ventrem deglutitur ; » quod manducationis genus intellexerunt olim Capharnaitæ. Alteram spiritualem, « quâ manente in suâ « essentiâ et proprietate corpore et sanguine « Domini, ea nobis communicantur spirituali- « ter. » Tertiam sacramentalem, « quâ fidelis « non tantùm spiritualiter et internè participat « de vero corpore et sanguine Domini, sed fo- « ris etiam accedendo ad mensam Domini, « accipit visibile corporis et sanguinis Domini « Sacramentum. » Et postea : « Consequens « est, nos non habere Cœnam sine Christo, in- « terim tamen habere Cœnam incruentam « et mysticam, sicut universa nuncupavit ve- « tustas. »

Sed Catholici repudiant manducationem Capharnaiticam : Catholici agnoscunt manducationem spiritualem, de quâ (teste eâdem Confessione) loquitur S. Augustinus : « Quid « paras dentem et ventrem? Crede et mandu- « câsti. » Catholici credunt et docent manducationem sacramentalem, in quâ, « qui foris « verâ fide sacramentum percipit, idem ille non « signum duntaxat percipit, sed re ipsâ quoque « fruitur. » Non enim est Cœna sine Christo, sed tamen incruenta est mystica. Si magis explicâssent eam manducationem sacramentalem, fortè magis patuisset intentio.

Confessio Gallica : « Affirmamus sanctam

« Cœnam Domini, alterum videlicet sacramen-« tum, esse nobis testimonium nostræ cum « Domino nostro Jesu Christo unitionis, quo-« niam non est duntaxat mortuus semel, sed « etiam verè nos pascit et nutrit carne suâ et « sanguine, ut unum cum ipso facti, vitam cum « ipso communem habeamus. »

Sic dicunt Catholici, Christum esse pro nobis verè mortuum et resuscitatum, et ita verè nos pascere et nutrire suâ carne et sanguine, ut cum ipso fiamus unum.

Addit : « Quamvis enim nunc sit in cœlis, « ibidem etiam mansurus, donec veniat mun-« dum judicaturus, credimus tamen, eum ar-« canâ et incomprehensibili Spiritûs sui vir-« tute nos nutrire et vivificare, sui corporis « et sanguinis substantiâ per fidem appre-« hensâ. »

Sic dicunt Catholici : Quamvis Christus nunc sit in cœlis, atque ibi mansurus ad ultimum usque judicium, credimus tamen, eum arcanâ et incomprehensibili virtute nos nutrire et vivificare sui corporis et sanguinis substantiâ, si fidem ejus verbis adhibeamus, et purâ conscientiâ accedamus.

Concludunt : « Dicimus autem, hoc spiri-« tualiter fieri, non ut efficaciæ et veritatis « loco, imaginationem aut cogitationem sup-« ponamus, sed potiùs, quoniam hoc myste-« rium nostræ cum Christo coalitionis tam « sublime est ut omnes nostros sensus totum-« que adeò naturæ ordinem superet : denique « quoniam cùm sit divinum ac cœleste, non-« nisi fide percipi et apprehendi potest. »

Hæc verba adeò Romana sunt, ut sententiâ Ecclesiæ nostræ vix explicari possit nisi vel idem dicamus, vel simile. Optimè enim ostendunt, quid sacramentalis manducatio habeat diversi à manducatione merè spirituali, de quâ agit Confessio Helvetica. Hæc enim non adeò sublimis est, ut mysterium vocari debeat : cùm tamen sacramentalis veritatem habeat, et efficaciam, et tam sublime sit mysterium, ut ordinem naturæ superet, et non nisi fide percipi et apprehendi possit.

Iterùm : « Credimus Deum nobis reipsà, id « est, verè et efficaciter donare quicquid ibi « sacramentaliter figurat, ac proinde cum si-« gnis conjungimus veram possessionem ac « fruitionem ejus rei, quæ ibi nobis offertur. « Itaque affirmamus, eos qui ad sacram mensam « Domini puram fidem, tanquàm vas quoddam, « afferunt, verè recipere, quod ibi signa testi-« ficantur; nempe corpus et sanguinem Jesu « Christi non minùs esse cibum ac potum ani-« mæ, quàm panis et vinum sunt corporis « cibus. »

Quis non diceret, ea verba, uti sonant, esse Romano conscripta calamo? Post Confessiones publicas dicit Davenantius : « Pro-« nuntiavit undecumque doctissimus Bucerus, « in re et animo fuisse concordiam, in verbis « tantùm et loquendi modis aliquam varieta-« tem. Dixit enim ipse Lutherus : Si creditis et « docetis in sacrâ Cœnâ verum corpus et « verum sanguinem Domini exhiberi, dari et « sumi, et non panem et vinum tantùm ; et « quòd hæc perceptio et exhibitio verè fiat et « non imaginariè, inter nos convenit. Eodem « tempore concessit Bucerus sociique ejus, « verum Domini corpus et verum sanguinem, « cum visibilibus signis pane et vino exhiberi, « dari et sumi. »

Constat igitur, verum corpus et verum sanguinem Domini exhiberi, dari et sumi ; et ut modum intelligamus, audiendus est Davenantius.

Prosequitur, et dicit hanc fuisse sententiam Helveticarum Ecclesiarum : « Quanquàm ne-« gant fieri transubstantiationem, nec sentiunt « fieri localem inclusionem in pane, aut dura-« bilem aliquam conjunctionem extra usum « Sacramenti, tamen concedunt sacramentali « unione panem esse corpus Christi, et por-« recto pane simul adesse et verè exhiberi « corpus Christi. »

Non est hic quæstio, an fiat transubstantiatio, an fiat localis inclusio, vel durabilis conjunctio. Agnoscitur hìc, panem sacramentali unione esse corpus Christi, et porrecto pane simul adesse et verè exhiberi corpus Christi, quòd si non tantùm intelligerent de spirituali præsentiâ et exhibitione, sed etiam quòd datio sacramenti per Ecclesiæ ministrum esset vera exhibitio corporis Christi sacramentaliter præsentis, hìc nulla lis superesset.

Hallus dicit : « Secundum est de modo per-« cipiendi Christum in Eucharistiâ : Inibi « scilicet verè et realiter exhiberi et mandu-« cari corpus Christi, unàque cum terrenis hisce « elementis accipi fatentur utrique. » Et mox : « Facilè concedimus utrique, etiam indignos « manducare istud, quod unione sacramentali « corpus Christi est, ac proinde reos esse cor-« poris et sanguinis Jesu Christi. » Mox : « Quous-« que verò se extendat vis unionis istius sacra-« mentalis, terminusque modi manducationis « sive oralis sive spiritualis, litigent in scholis

« theologi; non est quòd Christiani istud nimis « anxiè disquirant. Vide August. lib. contr. « Donat. post Collat. c. 25. »

Si hoc consilium ab initio secuti fuissent reformati, et tantùm præstitissent pro unitate catholicâ retinendâ, quantùm nunc remittunt pro fraternitate Lutheranorum obtinendâ, non fuisset necesse ex hoc capite ad divisionem ecclesiasticam pervenire. Si enim simpliciter credidissent in S. Eucharistiâ verè et realiter exhiberi et manducari Corpus Christi; si concessissent indignos manducare istud, quod unione sacramentali corpus Christi est, ac proinde reos esse corporis et sanguinis Jesu Christi; si non anxiè disquisivissent, quousque se extenderet vis unionis istius sacramentalis, nullâ ratione ab unitate fidei et charitatis fuissent dimoti.

Calvinus dixit : « Verè in Cœnâ datur nobis « corpus Christi, ut sit animis nostris in ci« bum salutarem : hoc est, substantiâ corporis « Christi pascuntur animæ nostræ, ut vèrè « unum efficiamur cum eo. » Et postea : « Non « ergo vacuum et inane signum nobis propo« nitur, sed verè carnis et sanguinis Domini « fiunt participes, qui fide promissionem hanc « recipiunt. »

Item, docet, comedere Christi carnem, non esse solùm credere, sed verè participem fieri carnis ejus, et ponit exemplum : « Quemadmo« dùm enim non aspectus, sed esus panis ali« mentum corporis sufficit, ita verè ac penitùs « participem Christi animam fieri convenit. » Et postea : « In sacrâ suâ Cœnâ jubet me cum « symbolis panis ac vini corpus ac sanguinem « suum sumere : nihil dubito, quin et ipse « verè porrigat, et ego recipiam. »

Item, docet, non posse ingenio comprehendi hoc mysterium, sed solâ fide : « Nihil restat, « nisi ut in ejus mysterii admirationem pro« rumpam, cui nec mens planè cogitando, nec « lingua explicando par esse potest. » Et rursùs : « De modo si quis me interroget, fateri « non pudebit, sublimius esse arcanum, quàm « ut vel meo ingenio comprehendi, vel enar« rari verbis queat. »

Quòd si hìc substitisset Calvinus, nullam invenisset rationem dissentiendi ab Ecclesiâ catholicâ. Illa enim docet, in S. Eucharistiâ dari nobis corpus Christi, ut ejus substantiâ animæ nostræ pascantur, et verè unum efficiamur cum eo; docet, non vacuum et inane signum nobis proponi, sed nos verè carnis et sanguinis Domini fieri participes, qui fide per charitatem operante hanc promissionem recipimus; docet animas nostras verè ac penitùs Christi participes fieri; et cum symbolis panis ac vini corpus et sanguinem ipsius sumi, nihilque dubitandum esse, quin et ipse verè porrigat, et nos verè recipiamus; docet, ejus mysterii admirandam esse altitudinem, quam nec mens concipiat, nec lingua eloquatur, quia sublimius est arcanum, quàm ut ingenio possit comprehendi.

Putamus ipsos reformatos non difficulter perspicere, quantoperè in prædictis accedant publicæ confessiones, et auctores nominati ad doctrinam catholicam : et si sincerè hoc sentirent, quod loquuntur, non videmus ullam causam, cur à nobis dissentiant.

CAPUT XXX.

Proponitur doctrina catholica.

Summam doctrinæ catholicæ exprimit concilium Tridentinum his verbis : « Principio « docet sancta synodus, et apertè ac simplici« ter profitetur, in almo S. Eucharistiæ sa« cramento, post panis et vini consecrationem, « Dominum nostrum Jesum Christum verum « Deum atque hominem, verè, realiter ac sub« stantialiter, sub specie illarum rerum sensi« bilium contineri. »

Credimus Christum adesse *verè,* et, ut dicit idem concilium, *non solùm in signo aut figurâ.* Ita dicit allegata Confessio Helvetica, fideles in manducatione sacramentali non tantùm spiritualiter et internè participare de vero corpore et sanguine Domini; sed eos, qui foris verâ fide sacramentum percipiunt, « non « signum duntaxat percipere, sed re ipsâ quo« que frui. » Ita dicit Confess. Gall. quòd « Christus verè nos pascit et nutrit carne suâ « et sanguine, neque efficaciæ et veritatis loco, « imaginationem aut cogitationem supponi; » sed Deum « nobis reipsà, id est, verè et effica« citer, donare quicquid ibi sacramentaliter « figurat; ac proinde cum signis conjungi ve« ram possessionem ac fruitionem ejus rei quæ « ibi nobis offertur. » Et Hallus : « In Eucha« ristiâ verè et realiter exhiberi et manducari « corpus Christi. » Et Calvinus : « Non vacuum « et inane signum nobis proponitur, sed verè « carnis et sanguinis Domini fiunt participes, « qui fide promissionem hanc recipiunt. »

Credimus Christum adesse *realiter.* Et sic dicit Hallus, *realiter* exhiberi et manducari corpus Christi. Credimus Christum adesse *substantialiter,* atque eo intelligimus, Christum

non solâ virtute adesse in hoc sacramento. Ita dicit Confessio Helvetica, fideles non tantùm in signum percipere, sed *re ipsâ* quoque frui. Res autem ipsa non est sola quædam virtus, sed ipse Christus. Confessio Gallica non in solâ virtute subsistit, sed tradit, Christum arcanâ et incomprehensibili Spiritûs sui virtute nos nutrire et vivificare *corporis et sanguinis sui substantiâ :* Addit : « Corpus et sanguinem « Jesu Christi non minùs esse cibum ac potum « animæ, quàm panis et vinum sint corporis « cibus. » Credimus corpus Domini sub illis speciebus sensibilibus *contineri*. Atque hic est nodus difficultatis præcipuæ ; ubi necesse est considerare, quid concedant reformati, et in quo allucinentur.

Concedit Confessio Helvetica, in manducatione sacramentali accipi visibile corporis et sanguinis Domini sacramentum. Hæc sacramentalis manducatio efficaciam habet et veritatem, ac tam sublime est mysterium, ut sine fide percipi et apprehendi nequeat ; quemadmodùm dicit Confessio Gallica : cùm corpus et sanguis Jesu Christi non minùs sint cibus et potus animæ, quàm panis et vinum sint corporis cibus. Atque hinc approbante Davenantio, et attestante Bucero, in re et animo est concordia, cùm in sacrâ Cœnâ verum corpus, et verus sanguis Domini verè exhibeatur et detur ; fatentibus Ecclesiis Helveticis, sacramentali unione panem esse corpus Christi, et porrecto pane, simul adesse et verè exhiberi corpus Christi. Quocirca non malè Hallus dicit, etiam indignos manducare istud quod unione sacramentali corpus Christi est ; ac proinde reos esse corporis et sanguinis Jesu Christi : nec scrupulosè indagandum, quousque se extendat vis unionis istius sacramentalis, donec idipsum per legitimam aliquam synodum ulteriùs decidatur, juxta monitum Zanchii : neque enim pudet nos fateri, sublimius esse arcanum, quàm ut à nobis comprehendi vel verbis enarrari possit.

Hæc omnia si sincerè concedunt reformati, qui fieri potest, ut vellent negare, « Dominum « nostrum Jesum Christum, verum Deum « atque hominem, verè, realiter ac substantia- « liter sub speciebus sensibilibus contineri ? » Nam si tantum est mysterium, tantum arcanum, ut sine fide percipi et apprehendi nequeat, nullusque sufficiat illud vel cogitando assequi, vel enarrando explicare, necesse est vel hoc ipsum dicere, in quo ratio tanti mysterii captum nostrum superet, quando spiritualis manducatio, et adjunctio symbolorum tantam sublimitatem non continet. Et si panis eucharisticus propter unionem sacramentalem est corpus Christi, et porrecto pane, simul adsit, detur et verè exhibeatur corpus Christi, ita ut indigni illud manducantes rei fiant corporis et sanguinis Christi, putamus neminem futurum, qui non judicet, reformatos illud ipsum docere, quod docemus, acceptis eorum verbis in propriâ et usitatâ significatione.

Ut autem illi, qui moderatè agunt, faciliùs advertant in quo allucinentur, conabimur, per gratiam Dei, fundamentum totius negotii (post Milletierium) pro nostrâ tenuitate explicare ; eosdem rogantes ut, sepositis præjudiciis, ipsa rerum expendant momenta.

Quando agitur de communione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, non apprehendunt reformati corpus et sanguinem pretiosissimum juxta causas et rationem *mysterii ;* quæ quidem sunt eædem causæ nostræ cum iisdem communionis ; sed apprehendunt corpus et sanguinem Domini secundùm conditiones et circumstantias suæ *materiæ*.

Hinc ortæ sunt difficultates non minùs inutiles quàm odiosæ, quando inquiritur an unum idemque corpus possit simul esse in pluribus locis. An corpus possit alicubi esse, et non occupare locum, nec esse visibile nec palpabile. In quibus et similibus difficultatibus, sese cum primis fundârunt reformati ; et è quibus subtilissimè disputârunt adversùs catholicos, docentes, nos communicare corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi, qui in institutione S. Eucharistiæ, verè et cum effectu mutavit panem et vinum in suum corpus et sanguinem, faciens ea sacramenta gratiæ. Quod cùm omnes SS. Patres apertissimè tenuerint, quorum usque hùc sententiam sequuntur Catholici, nullam tamen de prædictis difficultatibus, tanquàm momenti aliquid habentem, moverunt ; nulli eorum oborta est dubitatio, ut qui probè scirent, agi in S. Eucharistiâ de corpore et sanguine Jesu Christi secundùm rationem sui mysterii, juxta quam fideles iisdem communicant.

Nullo igitur modo indagandum est, quomodò idem corpus possit simul esse in pluribus locis ; vel an possit alicubi esse præsens, et non occupare locum, nec palpari, nec videri, cùm omnes istæ et similes difficultates concernant conditiones et circumstantias materiæ corporalis, et conjunctorum accidentium, quæ locum non habent in ratione mysterii, juxta

quam communicamus corpori et sanguini Domini nostri Jesu Christi.

Hæc erronea hypothesis avertit Wiclefum à doctrinâ catholicâ, uti in præcedentibus ostendimus : atque hæc eadem hypothesis reformatos movit ad rejiciendam communionem corporalem fidelium cum corpore et sanguine Domini, et defendendam solam communionem spiritualem, uti et sacramentalem, quatenùs addit elementis conditionem significandi corpus et sanguinem Jesu Christi; quantùmvis frequenter loquantur de mysterio incomprehensibili et arcano inenarrabili, ne videantur ab orthodoxo primitivæ Ecclesiæ consensu recessisse; cùm tamen ipsorum sententiâ nullum complectatur arcanum, nullum mysterium.

Si ergo reformati à nobis petant : Quomodò fieri possit, ut idem corpus sit in pluribus simul locis, respondemus, eam propositionem indefinitam non continere assertionem fidei catholicæ. Non docet Ecclesia, nec unquàm indefinitè docuit et universaliter, unum corpus posse simul esse in pluribus locis : imò inveniuntur doctores catholici non infimi nominis, qui id apertè et constanter negent.

Docet Ecclesia catholica, corpus Christi simul esse in pluribus locis, secundùm suam existentiam sacramentalem, et secundùm modum existendi sacramentaliter; non autem secundùm modum existendi naturalem, vel secundùm modum existendi naturaliter, juxta quem in uno tantùm est loco, nempe in cœlo, et ad dexteram Dei Patris.

Quocirca, qui proponunt eam quæstionem, et ejusmodi difficultates objectant contra præsentiam Christi in pluribus locis, in quibus S. Sacramentum est; eorumdem est explicare, quæ sit existentia sacramentalis corporis Christi, et modus existendi sacramentaliter : atque eo ipso perspicient, suas difficultates ad rem non facere, et quòd esse in pluribus simul locis nullo modo repugnet existentiæ sacramentali corporis Christi.

Sed ipsi nec intelligunt, nec explicare possunt modum existendi sacramentalem corporis Christi, ut candidè fatentur, agentes de magnitudine mysterii, et sublimitate hujus arcani; et nonne seipsos judicabunt temerarios et ridiculos, qui difficultates proponunt adversùs existentiam sacramentalem, quam non intelligunt, et modum existendi sacramentalem, quem nequeunt explicare? Porrò existentiam sacramentalem esse existentiam spiritualem, sive ad modum spiritûs, 1 Cor. 15, omninò indubium est : *Si est corpus animale, est et spirituale.* Unde et Christus dicitur 45, 46, factus *in spiritum vivificantem et homo cœlestis.* Clemens Alexandrinus dicit : « Duplex est sanguis Domini : alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu ; alter verò spiritualis, quo scilicet uncti sumus. » Hoc de SS. Eucharistiâ accipiens, lib. 2. Pædag., pag. 151, B.

Fundamentum universarum difficultatum, quæ à reformatis moventur, non concernit nisi existentiam Christi naturalem, cui repugnet esse in pluribus locis. Sed Ecclesia catholica non docet, corpus Jesu Christi esse in S. Eucharistiâ secundùm modum existendi naturalem; quæ expressè contrarium tradit. Ita quidquid reformati proponunt contra veritatem realis præsentiæ corporis Christi in S. Eucharistiâ, procedit ex allucinatione, neque impugnat doctrinam catholicam : consequenter nullus doctor catholicus tenetur ejusmodi objectionibus respondere, tanquàm procedentibus ex hypothesi nec catholicâ nec admissâ.

Hoc itaque tenendum est, Ecclesiam catholicam nunquàm docuisse indefinitè et universaliter : « Unum idemque corpus posse simul esse in pluribus locis ; » nunquàm tradidisse : « Aliud quàm Christi corpus, posse habere existentiam sacramentalem, aut esse sacramentum. »

Quamvis verbis exprimi nequeat, quæ qualisque sit ratio, quis modus existendi sacramentaliter, potest tamen intellectus fide illuminatus comprehendere, firmiter credendum esse, eum existendi modum non esse Deo impossibilem, secundùm apertam totius antiquitatis professionem, de hoc SS. Sacramento in verâ Ecclesiâ loquentis. Illi enim perpenderunt, Redemptorem nostrum verbis claris et disertis, post benedictionem panis et vini, dedisse proprium suum corpus et proprium sanguinem, testantibus Evangelistis et sancto Paulo.

Quocirca eorum sistenda est temeritas, qui hanc veritatem alio modo volunt explicatam, quàm quo à SS. Patribus constanter et perpetuò ab Apostolis hucusque in Ecclesiâ est proposita. Certum enim est, modum existendi sacramentalem corporis Christi, qui verbis explicari non potest, esse punctum sapientiæ divinæ operantis in mysterio, quod oculus non vidit, qnod auris non audivit, quodque in cor

hominis non ascendit : atque ideò tantâ cum reverentiâ de hoc mysterio locuta est tota orthodoxa antiquitas.

Verùm qui rationem mirabilium Dei non possumus comprehendere : quòd tamen sint mirabilia, et capacitatem intellectûs nostri superantia, licet intelligere ex fine et effectu quem in nobis operantur : ita ut intelligamus modum esse mirabilem, quo corpus Christi nobis datur in SS. Sacramento, et secundùm quem sacramentaliter est præsens ; post benedictionem panis et vini, ut eum dignè recipiamus ad salutem, oportet considerare finem et effectum, ratione quorum Redemptor noster istud sacramentum instituit.

Nam Redemptor noster, ex hoc mundo abiturus ad Patrem, instituit hoc S. Sacramentum, in quo cumulavit divitias amoris sui erga homines, faciens memoriam suorum mirabilium, mandansque illud celebrari in suî memoriam, et à sumentibus annuntiari mortem suam, donec veniat judicare mundum. Voluit autem hoc sacramentum accipi, tanquàm cibum animarum spiritualem, quo nutriantur, et roborentur, quotquot vivunt vitâ ejus, qui dixit : *Qui manducat me, vivet propter me;* voluit esse antidotum adversùs peccata quotidiana, quoque præservemur adversùs mortalia : voluit esse pignus gloriæ nostræ et felicitatis æternæ : voluit esse symbolum ejus corporis; cujus ipse est caput, et cui nos voluit conjungi tanquàm membra, per fidem, spem, charitatem, ut omnes idem dicamus, et non sit schisma in corpore.

Juxta finem et effectum in institutione divini hujus sacramenti declaratum, datur intelligere, quomodò sentiendum atque loquendum sit de hâc præsentiâ et existentiâ sacramentali corporis Christi. Nam, ut dicit concil. Nicænum primum : « Item etiam hìc in divinâ mensâ ne « humiliter intenti simus ad propositum pa- « nem et calicem, sed attollentes mentem fide, « intelligamus situm in sacrâ illâ mensâ agnum « illum Dei tollentem peccata mundi, in- « cruentè à sacerdotibus immolatum, et pre- « tiosum ejus corpus et sanguinem verè nos « sumentes credere, hæc esse nostræ resur- « rectionis symbola : propter hoc enim neque « multùm accipimus, sed parùm, ut sciamus, « non ad satietatem, sed ad sanctificationem « sumi. » Nôstis, domini reformati, hæc esse verba primi concilii generalis, quod admittitis ; juxta cujus sententiam videtur dicere confessio Helvetica : « Non habemus cœnam sine « Christo; interim tamen habemus cœnam in- « cruentam et mysticam, sicut universa nun- « cupavit vetustas. » Atque ideò considerantes existentiam sacramentalem corporis Christi, non sensus nostros appellamus testes, sed fidem nostram statuimus judicem. Si enim Christus esset præsens in S. Sacramento secundùm modum existendi naturalem, sensus nostri possent judicare; et rectè diceretur non adesse Christus, qui non videretur. Quia autem ibi præsens est secundùm modum existendi sacramentalem, nullo modo dicendus est abesse, quia non videtur : sed mens humanâ fide attollenda est, ut intelligamus *situm in sacrâ mensâ* agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, et nostræ resurrectionis symbolum.

CAPUT XXXI.

Expenditur ratio mysterii in S. Sacramento.

Incipiamus cum S. Dionysio Areopagitâ, vel alio antiquo ejus libri auctore, et dicamus : « O divinissimum et sacrosanctum Sacramen- « tum, obducta ibi significantium signorum « operimenta dignanter aperi, et perspicuè « nobis fac appareas, nostrosque spirituales « oculos singulari et aperto tuæ lucis fulgore « imple. »

Ex magnitudine hujus mysterii probat S. Irenæus, Jesum Christum esse Filium Creatoris universi : « Quomodò autem constabit eis, « eum panem, in quo gratiæ actæ sint, cor- « pus esse Domini sui, et calicem sanguinis « ejus, si non ipsum Fabricatoris mundi Fi- « lium dicant, id est, Verbum ejus, per quod « lignum fructificat, defluunt fontes, dat pri- « mum quidem fœnum, post deinde spicam, « deinde plenum triticum in spicâ ? »

Singularem circumspectionem in custodiendo S. Sacramento commendat Origenes : « Volo vos admonere religionis vestræ exem- « plis. Nôstis, qui divinis mysteriis interesse « consuevistis, quomodò cùm suscipitis corpus « Domini, cum omni cautelâ et veneratione « servatis : ne ex eo parùm quid decidat, ne « consecrati muneris aliquid dilabatur; reos « enim vos creditis, et rectè creditis, si quid « inde per negligentiam decidat. »

Ineffabilem esse Jesu Christi in S. Eucharistiâ præsentiam, testatur S. Cyprianus, vel alius antiquus : « Panis iste, quem Dominus « discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ « mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro; « et sicut in personâ Christi humanitas appare-

« bat, et latebat divinitas, ita Sacramento visi-« bili ineffabiliter divina se infundit essentia. »

S. Hilario mysterium Eucharistiæ tale est, ut stultissimum paradoxum videri possit, nisi à Christo proponeretur; « Non est humano « aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, « neque per violentiam aut impudentem præ-« dicationem cœlestium dictorum sanitati, « alienæ atque impiæ intelligentiæ extor-« quenda perversitas est. Quæ scripta sunt « legamus, et quæ legimus intelligamus, et « tunc perfectæ fidei officio fungemur. De na-« turali enim in nobis Christi veritate quæ di-« cimus, nisi ab eo discimus, *stultè atque impiè* « dicimus; ipse enim ait : *Caro mea vera est* « *esca.* »

Institutionem S. Eucharistiæ refert ad omnipotentiam Christi S. Cyrillus Hierosolymit. « Aquam aliquando mutavit in vinum, quod « est sanguini propinquum, in Canâ Galileæ « solâ voluntate; et non erit dignus cui cre-« damus quòd vinum in sanguinem transmu-« târit? Quare omni cum certitudine corpus « et sanguinem Christi sumamus : nam sub « specie panis datur tibi corpus, et sub specie « vini datur sanguis. »

Eodem modo ex variis miraculis probat realem præsentiam Christi in S. Eucharistiâ S. Ambrosius : « Fortè dicas : Aliud video; « quomodò tu mihi asseris, quòd Christi cor-« pus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, « ut probemus. Quantis igitur utimur exem-« plis, ut probemus, non hoc esse, quod na-« tura formavit, sed quod benedictio conse-« cravit? majoremque esse vim benedictionis, « quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa « natura mutatur? Virgam tenebat Moyses; « projecit eam, et facta est serpens. » Et relatis aliis miraculis concludit : « Quòd si tantùm « valuit humana benedictio, ut naturam con-« verteret, quid dicemus de ipsâ consecratione « divinâ, ubi verba ipsa Domini Salvatoris ope-« rantur? Nam Sacramentum istud, quod acci-« pis, Christi sermone conficitur. Quòd si tan-« tùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo « deponeret, non valebit Christi sermo, ut « species mutet elementorum? De totius mundi « operibus legisti : *Quia ipse dixit, et facta* « *sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Sermo « ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, « quod non erat, non potest ea quæ sunt, in « id mutare quod non erant? Non enim minus « est novas rebus dare, quàm mutare naturas. »

Magnitudinem mysterii expendit S. Basilius : « Si tales minæ adversùs eos positæ sunt qui te-« merè ad ea sacra accedunt, quæ ab homini-« bus sanctificantur, quid dicendum est de eo « qui in tantum ac tale mysterium temerarius « est? Quantò enim majus aliquid inest tem-« plo, secundùm Domini vocem, tantò gravius « et terribilius est in animæ impuritate consti-« tutum corpus Christi temerè contingere, « quàm sit accedere ad arietes vel tauros, » etc.

Præclarè S. Ephrem : « Quid scrutaris in-« scrutabilia? Si ista curiosè rimaris, non jam « *fidelis* vocaberis, sed *curiosus.* Esto fidelis at-« que innocens, participa immaculato corpori « Domini tui fide plenissimâ, certus quòd « agnum ipsum integrum comedis. Ignis im-« mortalis sunt mysteria Christi, noli temerè « ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione « comburaris. » Et infra : « Hoc sanè excedit « omnem admirationem, omnem mentem, « omnemque sermonem, quod fecit nobis uni-« genitus Dei Filius Christus Salvator noster. « Ignem et spiritum manducandum ac biben-« dum præstitit nobis, corpus scilicet et san-« guinem suum. »

B. Gaudentius : « Ipse naturarum Creator « et Dominus, qui producit de terrâ panem, « de pane rursùs (quia potest et promisit) effi-« cit proprium corpus. » Et postea : « O alti-« tudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! « Pascha est Domini, hoc est transitus Domini. « Ne terrenum putes, quod cœleste effectum « est per eum qui transit in illud, et fecit « illud suum corpus et sanguinem. »

Exclamat etiam S. Chrysostomus : « O mi-« raculum! ô Dei benignitatem! qui cum Pa-« tre sursùm sedet, in illo temporis articulo « omnium manibus pertractatur, ac se ipse « tradit volentibus illum excipere et amplecti. »

Et S. Aug. explicans titulum psalmi : *Et ferebatur in manibus suis;* dicit : « Quomodò pos-« set fieri in homine, quis intelligat? Quis « enim portatur manibus suis? Manibus alio-« rum potest portari homo; manibus suis « nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipso « David secundùm litteram, non invenimus, « in Christo autem invenimus. Ferebatur enim « Christus manibus suis, quando commendans « ipsum corpus suum, ait : *Hoc est corpus* « *meum.* Ferebat enim illud corpus in mani-« bus suis. »

Et hæc quidem sufficiunt, ut intelligamus antiquos Ecclesiæ doctores magnitudinem hujus mysterii perspexisse, expendisse et docuisse; qui tamen nunquàm hæsitârunt circa

eas difficultates, quæ à reformatis moventur, ut quibus probè notum esset, eas locum habere non posse, nisi ageretur de præsentiâ Christi secundùm modum existendi *naturalem;* nullo autem modo ubi agitur de præsentiâ Christi secundùm rationem existendi *sacramentalem*, quam cum totâ antiquâ Ecclesiâ proposuit et tradidit concil. Trid.

Rogemus itaque Deum, ut spirituales omnium oculos aperiat, quò divinissimum et sacrosanctum sacramentum agnoscant, atque in eo potentiam Creatoris venerentur; considerantes quantâ cautelâ, quantâ reverentiâ olim Christi corpus fuerit acceptum. Quid enim magis ineffabile, quàm ut sacramento visibili divina se infundat essentia, ubi panis non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro? Quod profectò stultum et impium esset paradoxum, nisi à Christo esset institutum. Sed ipse dignus est, cui credamus, sive aquam in vinum, sive vinum in sanguinem transmutanti : neque ullo modo dicendum est : *Aliud video*, quando agitur de mirabilibus et naturam excedentibus Christi Jesu operibus. Quapropter magnâ reverentiâ accedendum est, nec temerè scrutanda inscrutabilia, quæ omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem excedunt : nam ipse naturarum Creator et Dominus, qui producit de terrâ panem, de pane rursùs fecit proprium corpus, quia potest et promisit. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Non putemus terrenum, quod cœleste effectum est per eum qui transit in illud, et fecit illud suum corpus et sanguinem. O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum Patre sursùm sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur; qui in institutione hujus S. Sacramenti seipsum portavit in manibus suis!

Considerent reformati, quorum confessiones et doctores mysterium ineffabile agnoscunt, si quidem illud agnoscant cum totâ antiquâ Ecclesiâ, an non sit necesse cum eâdem Ecclesiâ illud credere, quod ipsa de venerabili sacramento unanimiter et constanter credidit; quodque etiamnum credit Ecclesia catholica.

CAPUT XXXII.

Veritas catholica ex verbis institutionis.

Non quæramus sensum verborum Christi ex nostrâ industriâ aut privatâ opinione; sed ex ipsis verbis, prout ea fuerunt intellecta à SS. Patribus, de quorum fidelitate nullus dubitat.

S. Cyrillus Hierosolym., qui interfuit secundo concilio generali : « Cùm Christus di« cat circa panem : *Hoc est corpus meum;* quis « deinceps audeat dubitare? Et eodem confir« mante et dicente : *Hic est sanguis meus;* quis « dubitet, dicens non esse ipsius sangui« nem? » Et postea : « Fias, sumens corpus « et sanguinem, concorporeus et consangui« neus ipsius : sic enim sumus Christophori, « corpore ipsius et sanguine in nostra membra « recepto. »

Subtiliter dixit Origenes : « Non hæreas in « sanguine carnis, sed disce potiùs sanguinem « Verbi, et audi ipsum tibi dicentem, *quia hic « sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in « remissionem peccatorum.* » Neque enim oportet hærere in sanguine carnis, secundùm modum existendi naturalem, sed oportet discere sanguinem Verbi, secundùm modum existendi sacramentalem : nam in institutione dixit : *Hic sanguis meus est.*

S. Cyprianus : « Nova est hujus sacramenti « doctrina, et scholæ evangelicæ hoc primum « magisterium protulerunt, et doctore Christo « primùm hæc mundo innotuit disciplina, ut « biberent sanguinem Christiani, cujus esum « legis antiquæ auctoritas districtissimè inter« dicit : Lex quippe esum sanguinis prohibet; « Evangelium præcipit, ut bibatur. »

S. Hilarius : « De veritate carnis et sangui« nis non est relictus ambigendi locus : nunc « enim et ipsius Domini professione, et fide « nostrâ verè caro est, et verè sanguis est. »

S. Ambrosius : « Panis iste, panis est ante « verba sacramentorum; ubi accesserit conse« cratio, de pane fit caro Christi. » Et infra : « Jesus testificatur nobis, quòd corpus suum « accipiamus et sanguinem; numquid debemus « de ejus fide et testificatione dubitare? »

S. Gaudentius : « Quod annuntiatum est, « credas, quia quod accipis, corpus est illius « panis cœlestis, et sanguis est illius sacræ vi« tis. Nam cùm panem consecratum et vinum « discipulis porrigeret, sic ait : *Hoc est corpus « meum : Hic est sanguis meus.* Credamus cui « credidimus : nescit mendacium veritas. » Et infra : « Non infringamus os illud solidissi« mum : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis « meus.* Si quid autem superfuerit, etiam nunc « in uniuscujusque sensu, quod expositione « istâ non cœperit, ardore fidei concremetur. »

S. Chrysostomus : « Credamus ubique Deo, « nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogita« tioni nostræ absurdum esse videatur quod

« dicit. Superet et sensum et rationem nostram « sermo, quæso, ipsius : quod in omnibus re« bus, sed præcipuè in mysteriis faciamus; « non illa quæ ante nos jacent solummodò as« picientes, sed verba quoque ejus tenentes : « nam verbis illius defraudari non possumus, « sensus verò noster deceptu facillimus est. « Quoniam ergo ille dixit : *Hoc est corpus « meum ;* nullâ dubitatione teneamur, sed cre« damus, » etc. Et per modum pulchræ exhortationis : « Qui majus, id est, animam suam, « pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi « tradere corpus? Audiamus igitur, tam sacer« dotes quàm alii, quàm magna, quàm admira« bilis res nobis concessa est, audiamus, oro, « et perhorrescamus : carnes suas nobis tradi« dit, seipsum immolatum proposuit. »

Item : « Calix benedictionis, cui benedici« mus, nonne communicatio sanguinis Christi « est? Maximè his tibi verbis et fidem facit et « horrorem. Eorum enim hujusmodi est sen« tentia, quod in calice, id est, quod à latere « fluxit, et illius sumus participes. »

S. Augustinus : « Illas etiam nubes vel ignes « quomodò fecerint vel assumpserint Angeli « ad significandum, quod annuntiabant, etiamsi « Dominus vel Spiritus sanctus illis formis os« tendebatur, quis novit hominum? Sicut in« fantes non noverunt, quod in altari ponitur, « et peractâ pietatis celebratione consumitur, « unde vel quomodò conficiatur, unde in usum « religionis assumatur. Et si nusquàm discant « experimento vel suo vel aliorum, et nunquàm « illam speciem rerum videant, nisi inter cele« brationem sacramentorum, cùm offertur et « datur, dicaturque illis auctoritate gravissimâ « cujus corpus et sanguis sit, nihil aliud cre« dent, nisi omninò in illâ specie Dominum « oculis apparuisse mortalium, et de latere tali « percusso liquorem illum omninò fluxisse. » Item explicans illud : *Panis quem ego dabo, caro mea est,* dicit : « Hoc quando caperet « caro, quod dixit panem carnem? vocatur « caro, quod non capit caro. »

S. Cyrillus Alexandrinus : « Quomodò po« test hic nobis carnem suam dare ad mandu« candum? » Dicit explicans : « Firmam fidem « mysteriis adhibentes, nunquàm in tam subli« mibus rebus, illud (quomodò ?) aut cogite« mus aut proferamus. » Item : « Non nega« mus, rectâ nos fide charitateque sincerâ Chri« sto spiritualiter conjungi; sed nullam nobis « conjunctionis rationem *secundùm carnem* cum « illo esse, id profectò pernegamus, idque à « divinis Scripturis omninò alienum dicimus. »

CAPUT XXXIII.

SS. Patres de reali præsentiâ.

S. Justinus Martyr : « Non enim ut commu« nem panem neque communem potum hæc « sumimus ; sed quemadmodùm per ver« bum Dei incarnatus Jesus Christus Sal« vator noster, et carnem et sanguinem pro « salute nostrâ habuit; sic etiam per pre« ces verbi Dei Eucharistiam factam cibum, ex « quo sanguis et carnes nostræ per mutationem « aluntur, illius incarnati Jesu et carnem et « sanguinem esse edocti sumus. »

S. Gregorius Nyssenus : « Panis est absque « semine, absque ullo humano opere nobis « paratus. Is desuper invenitur in terris. Pa« nis enim, qui de cœlo descendit, qui verus « cibus est, qui ænigmaticè hâc historiâ signi« ficatur, non corporea quædam res est : quo « enim pacto res incorporea corpori cibus « fiet? res autem, quæ incorporea non est, « corpus omninò non est. » Item : « Fidelium « corporibus conjungitur, ut eâ conjunctione « cum immortali, homo etiam immortalitatis « particeps fiat, » etc.

S. Optatus Milevitanus : « Quid enim est « tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus « al quando et vos obtulistis, frangere, radere, « removere? in quibus vota populi et membra « Christi portata sunt; quò Deus omnipotens « invocatus sit, quò postulatus descendit Spi« ritus sanctus; unde à multis pignus salutis « æternæ, et tutelâ fidei, et spes resurrectio« nis accepta est. » Et infra : « Quid est altare, « nisi sedes corporis et sanguinis Christi? » Et infra : « Quid vos offenderat Christus, cujus « illic per certa momenta corpus et sanguis « habitabat? » Et infra : « Hoc tamen immane « facinus geminatum est, dùm fregistis etiam « calices Christi sanguinis portatores. »

S. Augustinus : « Mediatorem Dei et homi« num hominem Christum Jesum carnem suam « nobis manducandam, bibendumque sangui« nem dantem fideli corde atque *ore* suscipi« mus : quamvis horribilius videatur humanam « carnem manducare, quàm perimere, et hu« manum sanguinem potare, quàm fundere. »

S. Cyrillus Alexandrinus : « An fortassis « putat ignotam nobis mysticæ benedictionis « virtutem esse? quæ cùm in nobis sit, nonne « *corporaliter* quoque facit, communicatione « carnis Christi, Christum in nobis habitare? » Et infra : « Unde considerandum est, non ha-

« bitudine solùm, quæ per charitatem intelli« gitur, Christum in nobis esse, verùm etiam « participatione *naturali.* » Et infra : « Non po« terat enim aliter corruptibilis hæc natura « corporis ad incorruptibilitatem et vitam tra« duci, nisi naturalis vitæ corpus ei *conjungere« tur ;* non credis mihi hæc dicenti ; Christo, « obsecro te, fidem præbe. »

S. Leo : « Ut ergo umbræ cederent cor« pori, et cessarent imagines sub præsentiâ « veritatis, antiqua observantia novo tollitur « sacramento, hostia in hostiam transit, san« guinem sanguis excludit, et legalis festivitas, « dùm mutatur, impletur. » Item : « Ipsum per « omnia et spiritu et carne gustemus. » Item : « Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut « nihil prorsùs de veritate corporis Christi et « sanguinis ambigatis. Hoc enim *ore* sumitur, « quod fide creditur, et frustra ab illis *amen* « respondetur, à quibus contra id quod accipi« tur, disputatur. » Item : « In Ecclesiâ Dei, « in omnium ore tam consonum est, ut nec ab « infantium linguis veritas corporis et sangui« nis Christi inter communis sacramenta fidei « taceatur. »

Eusebius Emissenus, vel auctor Sermonis de Corpore Domini : « Recedat omne infideli« tatis ambiguum, quandoquidem qui auctor « est muneris, ipse testis est veritatis. » Et infra : « Ad cognoscendum et percipiendum « sacrificium veri corporis, ipsa te roboret po« tentia consecrantis. » Item : « Verè unica et « perfecta hostia fide æstimanda, non specie, « nec exteriori censenda visu, sed interiori « affectu. » Item : « Invisibilis sacerdos visibi« les creaturas in substantiam corporis et san« guinis verbo suo secretâ potestate commu« tat. » Item : « Quod corpus, sacerdote dis« pensante, tantùm est in exiguo, quantùm « esse constat in toto ; quod cùm Ecclesia fide« lium sumit, sicut plenum in universis, ita « integrum esse probatur in singulis. » Vide Proclum Constant. de Tradit. Liturg. Bib. Patr. tom. 5, pag. 542, D.

Itaque non intelligentes verba Christi ad privatum cujusque judicium, sed ex sensu purioris antiquitatis, Apostolis vicinæ, et sanctitate eminentis, dicamus, non esse dubitandum de verbis Christi, nosque ejus corpus et sanguinem in membra nostra recipere : Non hæreamus in carne, secundùm ejus existentiam naturalem, sed perpendamus sacramentalem : quamvis enim lex esum sanguinis prohibeat, Evangelium præcipit, ut bibatur : Ideòque de veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus : nam panis est ante verba sacramentorum ; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi : unde, si quid superfuerit difficultatis, ardore fidei concremetur ; credentes ubique Deo, nec ei repugnantes, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum videtur ; quia sensus noster deceptu facillimus est. Semper igitur adhærendum auctoritati gravissimæ, quantùmvis caro non capiat ; nec cogitandum, quomodò illud fieri possit, quòd etiam secundùm carnem Christo conjungamur, et carnes nostræ per mutationem alantur : nam desuper defluens invenitur in terris, et fidelium corporibus conjungitur, ut immortalitatis sint participes : et altaria portant membra Christi, ut quæ sunt sedes corporis et sanguinis ejus, et in quibus per certa momenta habitat ; unde Christi carnem et sanguinem fideli corde atque ore suscipimus, ut in nobis etiam corporaliter habitet participatione naturali ; et corpori ejus conjuncti ad incorruptibilitatem traducamur, ipsum spiritu et carne gustantes, cùm illud ore sumatur, quod fide creditur. Quapropter recedat omne infidelitatis ambiguum, quando auctor muneris est testis veritatis.

CAPUT XXXIV.

De transsubstantiatione.

Pauca dicemus de transsubstantiatione ex SS. Patribus, daturi pro occasione pleniorem tractationem, si Deo visum fuerit.

S. Cyprianus : « Panis iste, quem Dominus « discipulis porrigebat, *non effigie,* sed *naturâ* « mutatus. »

S. Cyrillus Hierosolymitanus : « Vinum in « sanguinem *transmutavit.* » Item : « Sub spe« cie panis datur tibi corpus, et sub specie « vini datur sanguis. » Item : « Ne ergo con« sideres tanquàm nudum panem et nudum « vinum : corpus enim est et sanguis Chri« sti, secundùm ipsius Domini verba. Quam« vis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen « fides te confirmet, ne ex sensu rem ju« dices. » Item : « Hoc sciens et pro certissimo « habens, panem hunc, qui videtur à nobis, « non esse panem, etiamsi gustus panem esse « sentiat ; sed esse corpus Christi ; et vinum, « quod à nobis conspicitur, tametsi sensui « gustus vinum esse videatur, non tamen vi« num ; sed sanguinem Christi esse. »

S. Ambrosius : « Quantis utimur exemplis, « ut probemus, *non hoc* esse, quod natura for-

« mavit, sed quod benedictio *consecravit*, majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur ! »

S. Gregorius Nyssenus : « Rectè etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus *immutari.* » Et infra : « Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud (corpus Domini) rerum, quæ videntur (id est, panis et vini), naturam *immutans.* »

S. Gaudentius. « Qui de aquâ vinum *fecit*, et de vino sanguinem suum. »

S. Chrysostomus : « Non sunt humanæ virtutis opera proposita : nos ministrorum locum tenemus : qui verò sanctificat ea et *immutat, ipse est.* » Item : « Num vides panem ? num vinum ? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt ? absit, ne sic cogites. Sicut enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit ; sic et hìc puta mysteria consumi corporis substantiâ. »

S. Cyrillus Alexandrinus : « Non horremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus ; condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam semen inveniatur in nobis. »

Eusebius Emissenus : « Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequàm invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illìc est panis et vini ; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere ? »

S. Remigius Rhemensis : « Caro, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ, et panis, qui consecratur in altari, unum corpus Christi sunt : sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi : nec sunt duo corpora, sed unum corpus. »

CAPUT XXXV.

Doctrina Ecclesiæ Græcæ de S. Eucharistiâ.

Quia Protestantes parùm exercitatis solent persuadere, doctrinam Ecclesiæ suæ in plerisque convenire cum sententiâ Ecclesiæ Græcæ, operæ pretium esse duximus, ejus Ecclesiæ mentem de S. Eucharistiâ breviter referre.

Dicit patriarcha Constantinopolitanus Hieremias : « In sacrâ Cœnâ post consecrationem et benedictionem, panis in illud ipsum corpus Jesu Christi, vinum autem in illum sanguinem virtute Spiritûs sancti *transit* et *immutatur.* Neque verò tanquàm corpus illud sursùm translatum de cœlo iterùm descendat (blasphemum enim hoc est) sed *transformatis* et *transmutatis*, gratiâ et invocatione Spiritûs sancti, qui omne hoc perficit et consummat sacramentum, speciebus, per divinas et sacras preces Dominicaque verba, ipso quidem pane in verum corpus Domini, vino autem in verum sanguinem *transeunte* et *immutato.* Non igitur ampliùs aut figura aut azyma est ille panis Dominici corporis, qui à sacerdote consecratur, sanctèque tractatur, sed illud ipsum verum corpus Christi, sub speciebus panis contentum. »

Post Hieremiam fuit patriarcha Neophytus, vir catholicus et episcopo Romano consentiens. Neophytum expulit Cyrillus, qui inter reformatos nutritus, patriarchatum à Turcâ fœdissimè mercatus est, et postea ejusdem jussu, ob varia crimina, capite plexus est ; Cyrillo extincto legitimâ electione successit Parthenius vir catholicus, qui anno 1643, patriarchatum tenebat.

Quia autem Cyrillus Confessionem suam ex sententiâ reformatorum ediderat, opposuerunt se episcopi Græciæ et Orientales. Atque inter illos (referente Isaaco Haberto doctore Sorbonico, in pontificali Ecclesiæ Græcæ) Caryophilus archiepiscopus Sconiensis, qui sic loquitur . « Delere transubstantiationem, est coronis blasphemiarum ; est sese palam ostentare Orientalis Ecclesiæ proditorem, apostolicæ prædicationis apostatam, etc. Hæc est apud Orientales solida, immutabilis, et apostolica fides, quòd per conversionem perficiatur mysterium. »

Refert idem Caryophilus varia contra Cyrillum argumenta, quæ hoc loco negligenda non sunt, ut unusquisque intelligat quantùm differat sententia Ecclesiæ Græcæ à sententiâ Protestantium :

« I. Sacramenta constant ex verbo et elemento ; ergo elementum Eucharistiæ erit panis et vinum : verbum igitur quale erit ? si enim verbum in sacramentis significat actionem quæ fit, ut clarum est in baptismo, verbum Eucharistiæ, ut significet operationem quæ fit, tale profectò erit : *Ego sumo corpus Christi;* atqui ne hoc quidem unquàm ausus est Satan dicere. »

« II. Baptisma exhibet realem et substantialem præsentiam, et baptizantis et baptizati,

« et materiæ Baptismi, aquæ per quam fit ab-« solutio, et illius, quod continenter significa-« tur per Baptisma, scilicet regenerationis : « diverso igitur modo, et non synonymè : ergo « hæc verba : *Accipite, hoc est corpus meum,* « significant in traditione realem et substan-« tialem præsentiam illius, quod continenter « per traditionem significatur, videlicet cor-« poris Domini.

« III. SS. Patres Orientales uno ore docent « omnes, post sanctificationem venerabilium « donorum, sub speciebus et symbolis, quæ « videntur, ipsum subesse Christum, verè rea-« liter, substantialiter.

« IV. Liturgiæ mysterium, communi sancto-« rum Patrum consensu, sacrificium vocari « incruentum, res evidens est. Sacrificium « autem rei viventis oblatio est : vivens autem « non est, nisi quod sub speciebus continetur; « aliàs enim nudum panem sacrificium vocari, « et falsum, et recto Patrum loquendi more « indignum est : Eucharistia communionis so-« lùm rationem indueret, incruenti verò sa-« crificii nequaquàm. » Atque hæc fusè probat ex Liturgiâ Basilii et Chrysostomi, de quibus dicit : « Liturgiæ mysterium ab Apostolis tra-« ditum esse Christianis manifestum est.

« V. Quid verò Calvinistæ dicent ad Litur-« giam præsanctificatorum, in quâ habetur, « quòd super altare requiescit Christus ?

« VI. Docere præsentiam, sed qualem fides « ipsis exhibet, est docere absentis præsentiam : « idem planè est, ac si quis dicat, cœnare nihil « ab imaginatione cœnandi differre.

« VII. Cur ab ortu recentibus pueris com-« munionem impertirentur Græci ? Nec enim « recens natis pueris, fidei præsentiam Christi « præbere potest; aliter quod objiciunt recens « genitorum labris, vini certè gutta foret : quòd « si vis illam esse communionem, voca etiam « lac è mammâ communionem.

« VIII. Unde videtur impossibile Calvinistis, « fontem miraculorum ipsorum Salvatorem, « simul quidem sedere à dextris Patris, simul-« que sacris signis contineri ?

« IX. Transubstantiatio panis non docet ta-« lem præsentiam. » Quam transubstantiatio-nem delere, probat esse coronidem blasphe-miarum.

« X. Nec Nestorius, nec Monothelitæ, nec « Iconomachi, nec hæreseon in Oriente exor-« tarum ulla, transubstantiationem et præsen-« tiam substantialem negavit.

« XI. Apud Orientales, non solùm ortho-« doxos, sed etiam hæreticos, *Hoc est corpus* « *meum,* semper intellectum est simpliciter, « secundùm suam maximè propriam significa-« tionem, » quod probat testimoniis Basilii, Chrysostomi, etc.

« XII. Si illa verba secundùm translationem « per fidem explicatam intelligerentur, quomo-« dò Judæis scandalizatis id non explicâsset ? « Quanquàm etiam hoc indignum ipsâ sapientiâ « Dei, si Calvinistæ verum dicerent. Quomodò « enim conveniebat Servatori nostro rectæ « fidei semina jacienti, nudam et claram non « tradere tanti mysterii congruentissimam ex-« plicationem, sed gratis præbere inutilis scan-« dali occasionem, propter quod multi discipu-« lorum retrorsùm abirent ?

« XIII. Hoc ipsum sentire compellet gram-« maticæ constitutionis rectitudo : ibi enim « figuratus sensus locum habet, ubi duo no-« mina substantiva usurpantur, ut : *Petra erat* « *Christus;* hujusmodi enim nominibus expri-« mitur concursus rerum naturâ differentium. « Tropicè igitur ita sumenda sunt, sicut et id : « *Semen est verbum Dei, spinæ divitiæ, sollicitu-* « *dines et voluptates vitæ,* etc. Ubi verò per de-« monstrativum pronomen propositio effertur, « cùm non duarum rerum concursus, sed unius « rei demonstratio significetur, non oportet « tropicè sensum colligere, sicut hic : *Hic est* « *filius meus dilectus : hic est discipulus, qui testi-* « *monium perhibet;* et in similibus. Si ergo Sal-« vator dixisset: *Hic panis est corpus meum,* esset « aliqua forsan Calvinistis in speciem malè sen-« tiendi excusatio. Cùm verò dixerit : *Hoc est cor-* « *pus meum,* omnem præcidit excusationem. Et « clarum est, emphasim proprietatis, et Aposto-« lorum traditionem, et germanam Ecclesiæ ca-« tholicæ fidem, et sacræ Liturgiæ perpetuum « usum, et unanimem doctorum determinatio-« nem, cogere ut credamus, verbis dominicis « nullum alium inesse sensum, perspicuum « esse, præter eum qui secundùm litteram de-« signatur. » Et hoc confirmat testimonio Chry-sostomi.

« XIV. Quid magnum foret, panem commu-« nem manducare, et Christum imaginari ? He-« bræi cùm manna acciperent pane pretiosius, « illud quidem in ore, Christum verò in mente « habebant, quem tunc expectabant, ita ut « manna, Eucharistia Judæis esset; quid enim « differt aut venturum, aut qui jam venerit « Christum cogitare, si cogitatio secundùm fi-« dem Christi sacramentum constituit ?

« XV. Si credere est communicare, et actio

« fidei est actio communionis, ita ut positâ fide « præsens sit Christus, remotâ verò absens, « quomodò Judas, inquit Chrysostomus, Orat. « in Prodit., proditor infidelis existens com- « municat sancto sacrificio ? »

Addit duo Caryophilus per modum objectionis et solutionis : « 1° Nec verò cuiquam co- « gitatio suboriatur divinum corpus in com- « munione discerpi et laniari. Non est neces- « sarium, ex eo quòd substantialiter suscipia- « tur, ipsum dentibus conteri et dividi : hoc « enim est carnaliter, sensibiliter, præposterè « mysterium intelligere ; at rursùs ex eo quòd « dentibus non conteratur, haud concludere « licet, non esse præsens substantialiter, sed « solo animi sensu intelligi ; subest enim cor- « pus ad *modum* substantiæ *neque naturalem*, « *neque sensibilem;* sicut enim in cruce corpus « quidem Christi fixum est, divinitas autem « Christi non item, sic in Eucharistiâ symbola « dentibus conteruntur, sed quod continetur « symbolis, manet impassibile. 2° At non vide- « tur, sicut dicit Aristoteles 2 de Animâ, c. 6, « videri hominem per accidens, quia per acci- « dentia videtur : sic per operimenta, id est, « accidentia, non in existentiâ, sed circumpo- « sita, cernitur Christus, et velatur divinissi- « mum mysterium operimentis circumpositis. »

Hic perpendant reformati, an magistri sui sibi constent, quando dicunt, doctrinam de transubstantiatione esse errorem fundamentalem ; quando dicunt, Ecclesiam Græcam non errare in fundamento, quæ tamen docet transsubstantiationem. An fortè continet errorem fundamentalem, quando disputant contra Catholicos ; et non continet errorem fundamentalem, ut videantur meritò gloriari de suo cum Græcis consensu ? Ita Joannes Hus tenuit et docuit transsubstantiationem ; et tamen apud reformatos est testis veritatis.

CAPUT XXXVI.

De sacrificio Missæ.

Reformati in Angliâ in multis constituunt eumdem ordinem Missæ, qui apud Catholicos observatur, juxta librum precum publicarum sive Ministerii ecclesiastici. Totum autem illud officium vocant Liturgiam, vocabulo Græco, quod Missam latinè dicimus.

Confessio Augustana, agens de Missâ, dicit eam apud Lutheranos non aboleri, sed retineri, et summâ reverentiâ celebrari, servatis usitatis cæremoniis ferè omnibus.

Joannes Hus tenuit sacrificium Missæ, et quidem propitiatorium pro vivis et defunctis. Tract. de Sacram. corp. et sang., cap. 1, fol. 39, et cap. 4, fol. 40.

Ecclesia Orientalis, uti semper, ita nunc eamdem de Missâ doctrinam tenet, quam ipsi vocant Liturgiam. Hanc enim unanimiter agnoverunt Orientales et Occidentales, uti constat ex definitione concilii Florentini. Lubet addere sententiam patriarchæ Constantinopolitani Hieremiæ agentis de sacrâ Liturgiâ : « Nos eam totam rem sic explicamus, Christum « sacram Hierurgiam, et quæ in eâ continentur « sacra mysteria nobis reliquisse. Quantùm « tremenda hæc arcana atque sacrificia ad « placandum Deum peccatis nostris offensum « valeant, Deus ipse demonstravit, etc.; quantò « magis Christus pro nobis sacrificium et obla- « tionem offerens, reconciliabit nos æterno suo « Parenti, tùm cùm integrâ spe ac fiduciâ ad « ejus sacra accedimus mysteria. Mutatur panis « in ipsum corpus Christi ; quamdiu quidem « panis hìc in propositione situs est, panis « solùm purus et simplex est, ad mysterium « Dei tantùm dicatus : post verò panis ille « verus qui de cœlo descendit, efficitur, Ver- « bique ipsâ veritate verè et realiter immuta- « tur ; illud ipsum vivum corpus et sanguinem « Christi sacris ad Deum precibus confectum « atque consecratum habemus. Fit autem in « ipsâ sacrâ Hierurgiâ sanctorum item memo- « ria, ad intercessionem quoque SS. omnium, « exorantes, offerentes, rationalem ex illius « donis et datis, illi ipsi cultum offerimus : « sicque ipsa oblatio perficitur invisibile Sa- « crificium, fitque specierum mutatio in ipsum « corpus et sanguinem Christi, divinâ ope- « rante gratiâ, invisibiliter mysticis precibus « hæc talia dona mutantibus. Et fontes quidem « primi sacrorum Missæ mysteriorum isti fue- « runt : Christus Dominus noster ipse primus « et summus pontifex, et qui ab eo quasi imme- « diatè profluxerunt, ipsi inspectores et mini- « stri ejus SS. Apostoli. Collectio igitur uni- « versarum cæremoniarum S. Hierurgiæ facta « est, 1° à divo Jacobo Apostolo Hierosolymitano « episcopo, à S. Basilio breviùs, deinde à san- « cto Chrysostomo : ex his libris ad hanc usque « diem mysticum offerimus sacrificium ; ita ut « magnæ quidem quadragesimæ, sacri pascha- « tis, dominicis diebus, et quibusdam aliis « magni Basilii Liturgiam legamus, atque ex « illâ sacrum oblationis mysterium perficimus, « in aliis autem diebus divum sequamur Chry- « sostomum. Duobus modis divina hæc Hierur-

« gia et sacrum hoc mysterium nos sanctificat, « uno quidem modo, ipsâ mediatione, eò quòd « offeruntur dona, sive ipso oblationis actu, « eos qui offerunt, sanctificant, et eos pro « quibus offeruntur. Deumque illis propitium « reddunt : alio autem modo, sacrâ ipsâ participatione et communione ; quia nobis verus « cibus et potus fiunt. Ex quibus quidem mo« dis, primus quidem communis est vivis atque « defunctis, secundus autem modus solus vi« ventibus proprius est, cùm mortui nec am« pliùs comedere nec bibere ampliùs possint. »

Vident Protestantes, Liturgiam à reformatis Angliæ, Missam à Lutheranis agnosci, ut frustra sit, quidquid de verbo, *Missa,* solet moveri. Vident, Joannem Hus, quem suum volunt esse prædecessorem, et veritatis testem, idem de Missâ docuisse, quod nunc docet Ecclesia catholica. Vident Orientalem Ecclesiam, à veritate necessariâ, ut ipsis placet, non aberrantem in negotio præsenti, ab Ecclesiâ Occidentali non dissentire. Atque ideò ea retulimus, ut depositâ nonnihil animositate, ad reliqua intelligenda accedant sedatiores.

CAPUT XXXVII.

De antiquitate Missæ, per auctoritatem receptam.

Missam hoc idem esse, quod Græci *Liturgiam* vocant, constat ex probatissimis auctoribus ; neque id existimamus à Protestantibus negandum.

Etiam quoad verbum reperitur, Apostolos Missam celebrâsse, testante de ipsis S. Lucâ λειτουργόντων καὶ αὔτων τῷ κυρίῳ, quod optimè vertitur : *Ipsis autem Liturgiam Domino celebrantibus ;* vel, ut Erasmus, *sacrificantibus,* vel, ut versio Vulgata, *ministrantibus autem illis Domino,* ministerio scilicet à Christo Jesu instituto, quod est sacrificium et celebratio Liturgiæ.

In concilio Chalcedonensi, quod est quartum generale, et in quo fuerunt Patres Græci et Latini, expressè legitur, quòd Liturgias sive Missas celebraverint. Imò refertur : « Stepha« nus presbyter meus fuit; quatuor annis me« cum missas celebrabat, mecum communica« bat, et communicabat mihi tanquàm episco« po. » Item : « In libello Ischyrionis, lecto in synodo contra Dioscorum archiepiscopum Alex.: « Tanta ausus est, ut etiam frumentum, « quod ab imperatoribus, Ecclesiis Lybiæ pro« pter ariditatem illius provinciæ, et quia ibi « omninò frumentum non nascitur, præstitum « est : in primis quidem ut incruenta ex ipso « hostia offeratur, non permanserit suscipere « sanctissimos episcopos illius provinciæ ; et ex « hoc neque terribile et incruentum sacrificium « celebratum est. Cæterùm clarissimæ memo« riæ Peristeriæ negotium nullus ignoravit. « Cùm enim illa pro suâ animâ in suo testa« mento jussisset, multam quantitatem pecu« niarum præstari monasteriis et pauperibus « Ægyptiacæ provinciæ, Dioscorus theatricis « personis dispertiri fecit, unde nec bonus « odor sacrificii ascendit ad Deum, » etc. Ecce sacrificium incruentum in Ecclesiâ offerri solitum, et quidem pro defunctis.

Similiter in secundo concilio Carthaginensi, sub pontificatu Cœlestini, cui etiam interfuit S. Augustinus, dicitur : « Chrismatis confectio, « et puellarum consecratio à presbyteris non « fiat; vel reconciliare quemquam in publicâ « Missâ presbytero non licere, hoc omnibus « placet. »

In concilio Ephesino præsidens nomine Cœlestini papæ Cyrillus dicit : « Sanctum ac vivi« ficum incruentumque in Ecclesiis sacrificium « peragimus, corpus, quod proponitur, simili« ter et pretiosum sanguinem, non communis « nobisque similis hominis cujuspiam esse cre« dentes, sed potiùs tanquàm proprium corpus « effectum et sanguinem etiam Verbi, quod « omnia vivificat, accipientes. »

In tertio Carthaginensi concilio, in quo pariter erat S. Augustinus, dicitur : « Ut Sacra« menta Altaris nonnisi à jejunis hominibus « celebrentur. Nam si aliquorum pomeridiano « tempore defunctorum, sive episcoporum seu « Clericorum sive cæterorum commendatio « facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui « faciunt, jam pransi inveniantur. »

Ecce rursùm in alio generali concilio, et duobus provincialibus, et sacrificium et commendationem defunctorum, et nomen Missæ.

Similia videre licet apud S. Leonem Epist. 81, cap. 2, pag. 416 ; Justinianum Novell. 7, cap. 11, et Novell. 59, et Gothefridum reformatum in dicta loca.

CAPUT XXXVIII.

Proponitur sententia catholica de Missâ.

Tenemus cum concilio Tridentino, totâque Ecclesiâ catholicâ, 1° Missam esse verè et propriè sacrificium ; 2° Esse propitiatorium pro vivis et defunctis. Quod ut rectè intelligatur, operæ pretium erit, idipsum ex Vasquio explicare, ut Protestantes, qui in præcedentibus viderunt sententiam antiquæ Ecclesiæ, liqui-

diùs perspiciant, non eam esse difficultatem, quam sibi persuadent.

« Sacrificium est nota existens in re, quâ « profitemur Deum auctorem vitæ et mortis. « Duplex est genus sacrificii : quoddam enim « est absolutum, nempe quod non est alterius « sacrificii commemoratio, veluti mactatio pe- « cudis, vel alterius rei consumptio ; aliud verò « dici potest relativum seu commemorativum. « Tale est sacrificium altaris, quod commemo- « rativum dici potest. Quamvis in hoc non fiat « mutatio rei, quæ hoc modo offertur, reperi- « tur tamen vera significatio et nota divinæ « omnipotentiæ, sicut in sacrificio absoluto, et « ita non minùs ei convenit vera ratio sacrificii « quàm sacrificio cruento et absoluto.

« Dico actionem consecrationis, eatenùs so- « lùm sacrificium seu actionem immolandi « esse, quatenùs per illam efficitur, ut ipso « corpore et sanguine Christi consecrato et « realiter ibi contento, cruentum illius sacri- « ficium, quod in cruce oblatum est, repræ- « sentetur.

« Quamvis sacrificium absolutum, hoc est, « non commemorativum alterius, postulet rei « oblatæ immutationem, tamen immutatio non « est ratio formalis sacrificii, sed ex parte ma- « teriæ illius necessariò requisitum ; ratio au- « tem sacrificii in significatione omnipotentiæ « Dei auctoris vitæ et mortis formaliter posita « est ; ac proinde si sit oblatio aliqua, per « quam absque rei oblatæ immutatione verâ et « reali, Deus auctor vitæ et mortis denotari et « coli possit, verè et propriè sacrificium dici « debet : hujusmodi autem est consecratio « corporis et sanguinis Christi, absque reali « immutatione ipsius Christi ob solam repræ- « sentationem mortis ejus ; illa igitur verè et « propriè sacrificium erit. Porrò autem per « solam repræsentationem mortis Christi in « consecratione, ita significari Deum aucto- « rem vitæ et mortis, sicut per ipsam cruen- « tam mortem Christi, manifestum est. Nam « commemoratio mortis Christi futuræ, qualis « fuit in consecratione factâ ab ipso Christo in « postremâ Cœnâ, aut mortis præteritæ, qua- « lis fit à quolibet sacerdote post mortem « Christi consecrante, eo ipso quòd mortem « Christi repræsentat et quasi præsentem eam « facit, denotat Deum auctorem vitæ et mor- « tis, ac si tunc Christus in honorem Dei « reipsà occideretur; atque hâc ratione ad « essentiam sacrificii universim immutatio rei « oblatæ non requiritur, quia commemorati- « vum sacrificium sine illâ esse potest, tametsi « ad essentiam sacrificii absoluti necessaria « sit, eò quòd ratio formalis sacrificii quæ est « significatio non in verbis, sed in rebus, quâ « denotatur Deus auctor vitæ et mortis, sine « tali immutatione in sacrificio commemora- « tivo reperiatur. Est tamen valdè observan- « dum ad sacrificium commemorativum, quod « verè et propriè sacrificium dicitur, non satis « esse, si solum sit signum nudum mortis « alicujus rei nullo modo in se continens rem « ipsam, cujus mors repræsentatur ; sic enim « non diceretur res illa, cujus mors repræ- « sentatur, in sacrificium offerri, neque verè « commemorativum sacrificium, quin potiùs « signum tantùm et larva sacrificii esset; sed « necessariò requiri, ut res ipsa, cujus mors « repræsentatur, sit signum mortis sui ipsius ; « verbi causâ : Si vera esset sententia, quæ « negat sub speciebus panis et vini corpus et « sanguinem Christi, et substantia panis et « vini ibi esset, repræsentari quidem posset « mors Christi, at Christus in sacrificium non « verè et reipsà, sed tantùm in figurâ offerri, « et ita non tantùm in solâ figurâ et similitu- « dine mori, sed etiam immolari diceretur ; « nam quo pacto verè et reipsà in sacrificium « offerri dici potest id, circa quod actio sacer- « dotis offerentis non reipsà, sed tantùm simi- « litudine quâdam et in figurâ versatur ? Cæ- « terùm cùm ipsemet Christus sit sub spe- « ciebus panis et vini, et circa illum actio « sacerdotis offerentis ipsa ita versetur, ut « ipsemet per species panis et vini ex modo « peculiari, quo à sacerdote consecratur, re- « præsentet cruentam et realem mortem suî « ipsius, et eâ repræsentatione denotet Deum « auctorem vitæ et mortis, quamvis non dica- « tur reipsà et verè, sed in solâ figurâ et simi- « litudine occidi et mori, tamen verè et reipsà « immolari et in sacrificium offerri dicitur. » Hæc Vasquez.

Quid autem facilius creditu, quàm tale sacrificium commemorativum, postquàm creditur realis præsentia Christi sub speciebus panis et vini? Nam sacerdos, quoties consecrat, offert tale sacrificium commemorativum; cùm separatim dicatur in Scripturâ, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* et separatim : *Hoc facite in meam commemorationem*, scilicet passionis et mortis.

Quoad doctrinam propitiationis, annotamus ex eodem Vasquio : Meritum sacrificii crucis et passionis Christi infiniti fuit valoris, et il-

lud ad redemptionem nostram satis superque sufficiens fuit, ac proinde opus non est aliâ immolatione et sacrificio, neque ejusdem repetitione, aut eodem aut alio modo, ut Christus gratiam redemptionis nostræ nobis mereatur. Atque hoc sensu Paulus, Hebr. 10, opponens Christum sacerdotibus leviticis, qui *easdem hostias* et sacrificia *sæpiùs* repetebant, v. 11, quòd meritum et causa universalis nostræ redemptionis in illis non esset, dixit de ipso : *Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, v. 14, hoc est, eorum redemptionem sufficienter promeritus est. Quòd autem quotidiè Christus alio modo, nempe incruento, in altari immoletur, nihil derogat dignitati mortis ipsius Christi; eo enim genere sacrificii non meretur Christus, et ita non est causa universalis nostræ redemptionis, sed particularis, per quam, sicut per sacramenta, Christus voluit fructum meriti sui universalis nobis applicari. Quod enim Calvinus dicit, ad fructum crucis applicandum, supervacaneum esse hoc sacrificium, cùm sint etiam alia media, per quæ possit applicari, frivolum est. Nam eâdem ratione probaretur, supervacaneum esse Baptismum et Cœnam Domini, prout ab ipsis celebrantur, quia sunt alia media, quibus applicari potest meritum passionis Christi, et prædicatione verbi excitari potest fides, quam Christus nobis meruit. Et quid, obsecro, nocere possunt plura media in Ecclesiâ, quibus variè meritum Christi nobis applicetur? Adde quòd ad cultum Religionis maximè pertinebat, aliquo genere oblationis, quæ propriè esset sacrificium, Deum colere; inter reliqua verò hoc maximè conveniebat in memoriam cruenti sacrificii, quo Christus nostram meruit redemptionem.

Dicit idem Vasquez, hoc sacrificium non habere vim instar sacramenti, non modò remittendi mortalia, sed nec venialia, vel conferendi gratiæ vel justificationis augmentum, sed tantùm impetrandi gratiæ auxilium, quo et à mortalibus et venialibus justificari, et in justificatione suâ homo crescere possit, seu impetrandi spiritum pœnitentiæ et contritionis, per quam peccata nobis remittuntur, aut alios sanctos motus animi, per quos homo possit crescere in justificatione.

Sic sacrificium Missæ minùs aliquatenùs est propitiatorium, quàm sint sacramenta, vel etiam contritio, quandoquidem istis et ista immediatè peccata nobis remittuntur, et sic nobis Deus fit propitius : non ita per sacrificium Missæ. Et hoc modo, scilicet *per impetrationem*, sunt propitiatoria fides et oratio, quia hæc impetrant attritionem.

Hoc sacrificium impetrat remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ vivis et defunctis. Nam cùm hoc sacrificium, juxta apostolicam traditionem, pro defunctis offerri possit, et illis nullo modo prodesse queat, quàm remittendo pœnam temporalem, vivis etiam eodem modo prodesse fatendum est.

In eodem opere sacrificii, sicut etiam sacramenti, distinguere debemus rationem meriti seu dignitatis, quam accipit opus ex ipso operante, eò quòd justus sit, et rectè, hoc est, secundùm normam virtutis ab eo fiat, et opus ipsum secundùm se, quatenùs fit secundùm divinam institutionem : et quia hoc non accipit dignitatem et vim ab ipso operante, sed ab instituente, ideò tantùm dicitur opus operatum, et ut operatum tantam virtutem habere. Primo modo, quia scilicet est bonum opus offerentis, et hâc ratione impetratorium etiam est pro alio. Cùm verò dicimus operari etiam quatenùs opus operatum, intelligimus vim etiam habere operandi et impetrandi, non quatenùs est opus meritorium et bonum ipsius offerentis, sed quia ita à Christo institutum est, ut eo exhibito, Deus hæc aut alia dona conferret, non respiciens dignitatem sacerdotis offerentis, sanctitatem et bonitatem moralem actionis ejus, sed Christi institutionem, quam voluit comitari rem ipsam oblatam, propter eximiam ejus excellentiam.

CAPUT XXXIX.

Pro Missâ probationes SS. Patrum per Scripturam.

Sanctus Irenæus sacrificium Missæ probat variis sanctæ Scripturæ locis : « Christus « eum qui ex creaturâ panis est, accepit, et « gratias egit, dicens : *Hoc est corpus meum;* « et calicem similiter, qui est ex eâ creaturâ, « quæ est secundùm nos, suum sanguinem « confessus est ; et novi Testamenti novam « docuit oblationem, Luc. 22, v. 19, 20; « Matth. 26, 26; Marc. 14, 22, et 1 Cor. 11, « 24. »

Sequitur altera probatio : « Quam (oblatio« nem) Ecclesia ab Apostolis accipiens in uni« verso mundo offert Deo. » Ita intellectum S. Scripturæ, quoad oblationem, accepit Ecclesia ab Apostolis.

Additur tertia : « De quo in duodecim pro-

« phetis Malachias : *Non est mihi voluntas in « vobis, dicit Dominus Omnipotens, et sacrifi- « cium non accipiam de manibus vestris, quo- « niam ab ortu solis usque ad occasum nomen « meum glorificatur inter gentes, et in omni « loco incensum offertur nomini meo, et sacrifi- « cium purum, quoniam magnum est nomen « meum in gentibus, dicit Dominus Omnipotens :* « manifestissimè significans per hæc, quo- « niam prior quidem populus cessavit offerre « Deo, omni autem loco sacrificium offertur « Deo, et hoc purum, nomen autem ejus « glorificatur in gentibus. »

Adest quarta probatio ex naturâ rei : « Igi- « tur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit « offerri in universo mundo, purum sacrifi- « cium reputatum est apud Deum et acceptum « est ei, non quòd indigeat à nobis sacrificio, « sed quoniam is qui offert glorificatur ipse in « eo quod offert, si acceptetur munus ejus, « per munus enim erga regem, et honos et « affectio ostenditur. »

Probatio quinta : « Quòd in omni simplicitate « et innocentiâ Dominus volens nos offerre, « prædicavit, dicens Matth. 5, 23, 23 : *Cùm igitur « offers munus tuum ad altare et recordatus fueris « quoniam frater tuus habet aliquid adversùm te, « dimitte munus tuum ad altare, et vade primùm « reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offeres « munus tuum ad altare.* »

Neque dicant Protestantes, S. Irenæum docere quidem, *sacrificium;* sed eum non addere, quòd sit *verum* et *proprium :* nam verba in propriâ et consuetâ significatione accipienda sunt, nisi contrarium probetur. Comparat etiam S. Irenæus sacrificium legis novæ cum sacrificiis veteris Testamenti, quibus ratio veri et proprii sacrificii indubiè convenit. Imò agens de eâdem materiâ prophetiæ, distinguit inter *incensum* et *sacrificium,* quòd *in omni loco* offeratur *incensum et sacrificium purum.* Incensa autem Joannes ait esse orationes sanctorum, quæ tamen sunt sacrificium impropriè. Consequenter, cùm Malachias addat, *et sacrificium purum,* tum propheta, tum Irenæus sacrificium *verum et proprium* intelligit.

S. Cyprianus variis S. Scripturæ locis eamdem veritatem probat : « Fas non est infrin- « gere, aut in aliud, quàm quod divinitùs « institutum sit, humanâ traditione mutare. « Nam si Jesus Christus Dominus et Deus no- « ster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, « et sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, « et hoc fieri in suî commemorationem præ- « cepit ; utique ille sacerdos vice Christi verè « fungitur, qui id quod Christus fecit, imita- « tur ; et sacrificium *verum et plenum* tunc « offert in Ecclesiâ Deo Patri, si sic incipiat « offerre secundùm quod ipsum Christum vi- « deat obtulisse. » Ad Cæcilium Epist. 63, pag. 145. Hæc probatio desumitur ex institutione Christi, Luc. 22, 19, et 1 Cor. 11, 24, etc.

Sequitur altera probatio : « In sacerdote « Melchisedech sacrificii dominici sacramen- « tum præfiguratum videmus, secundùm quod « Scriptura divina testatur, et dicit, Gen. 14, « 18 : *Melchisedech rex Salem protulit panem et « vinum; fuit autem sacerdos Dei summi, et bene- « dixit Abraham.* Quòd autem Melchisedech « typum Christi portaret, declarat Spiritus S. « psal. 109, 3, ex personâ Patris ad Filium « dicens : *Ante Luciferum genui te : juravit « Dominus et non pœnitebit eum. Tu es sacerdos « in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* « Qui ordo utique hic est, de sacrificio illo « veniens, et inde descendens, quòd Melchi- « sedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem « et vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. « Nam qui magis sacerdos Dei summi, quàm « Dominus noster Jesus Christus, qui sacrifi- « cium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem « quod Melchisedech obtulerat, id est, panem « et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem? « Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacer- « dotem benedictio circa Abraham possit ritè « celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in « pane et vino scilicet constituta : quam rem « perficiens et adimplens Dominus, panem et « calicem mixtum vino obtulit, et qui est « plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis « adimplevit. »

Ecce tertia probatio : « Sed et per Salomo- « nem Spiritus sanctus typum dominici sacri- « ficii præmonstrat, immolatæ hostiæ, panis « et vini ; sed et altaris et Apostolorum faciens « mentionem : *Sapientia,* inquit, Prov. 9, 5, « *ædificavit sibi domum, et subdidit columnas « septem ; mactavit suas hostias, miscuit in cra- « tere vinum suum, et paravit mensam suam :* « vinum mixtum declarat : id est, calicem Do- « mini aquâ et vino mixtum propheticâ voce « denuntiat. »

Quarta statuit propitiationem pro defunctis ex praxi totius Ecclesiæ ; epist. 65, pag. 160 : « Episcopi antecessores nostri salubriter pro- « videntes censuerunt, ne quis frater exce-

« dens ad tutelam vel curam, clericum nomi« naret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur « pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus « celebraretur. Neque enim ad altare Dei me« retur nominari in sacerdotum prece, qui ab « altari sacerdotes et ministros suos Levitas « avocare voluit. Et ideò Victor cùm Gemi« nium Faustinum presbyterum ausus sit tu« torem constituere, non est quòd pro dor« mitione ejus apud vos fiat oblatio aut depre« catio aliqua nomine ejus in Ecclesiâ fre« quentetur. » Nihil manifestius dici potest.

S. Optatus, contr. S. Donat. l. 6, p. 93: « Quid est tam sacrilegum quàm altaria Dei « (in quibus et vos obtulistis) frangere, radere, « removere, in quibus vota populi et membra « Christi portata sunt? Altaria, inquam, in « quibus fraternitatis munera non jussit Sal« vator poni, nisi quæ essent de pace condita: « *Depone*, inquit Matth. 5, 23, *munus tuum « ante altare, et priùs concorda cum fratre tuo,* « ut possit *pro te* sacerdos offerre. Quid enim « est altare, nisi sedes corporis et sanguinis « Christi? »

Similis probatio habetur ex S. Paulo Heb. 13, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Ubi post S. Chrysostomum Hom. 33, pag. 1964, Theodoretus, tomo 3, pag. 460: « Hoc, in« quit, est multò veteri præstantius. Illud « hostias rationis expertes recipit; hoc verò « rationalem et divinam. Quamobrem nullus « illorum sacerdotum hujus fit particeps, nisi « priùs fidem in Dominum suscipiant. »

Nota autem, quomodò *altare* in Epistolâ ad Hebræos dicatur Græcè θυσιαστήριον, quod ipso Dictionario Hennii Stephani teste, significat locum ubi sacrificatur Deo; venit enim à θυσιάζω., quod est, *sacrifico, immolo.* Et sic vox, *altare*, solet in S. Scripturâ accipi.

Ita etiam dicitur in concilio Chalcedonensi: « Conveniente sancto et universali concilio in « ecclesiâ sanctæ Martyris Euphemiæ, et resi« dente senatu in medio ante cancellos san« ctissimi altaris, θυσιαστηρίου. »

Pari modo loquitur secundum concilium Carthaginense: « Si quis fortè presbyter ab « episcopo suo correptus aut excommunicatus, « superbiâ inflatus, putaverit separatim Deo « sacrificia offerenda, vel aliud erigendum *al« tare*, contra ecclesiasticam fidem, discipli« namque crediderit, non exeat impunitus. » Vocem *altare* Græci in Codice canonum verterunt θυσιαστήριον. Et passim in conciliis et Patribus Latinis mentio fit *altaris*, et Græcis θυσιαστηρίου, pro loco seu sede, ubi *sacrificium verum et proprium* externum offertur.

Ergo cùm Matth. 5, et Hebr. 13, mentio fiat altaris, intelligendus est locus in quo proprium et verum sacrificium offertur juxta ordinariam vocis significationem. Et si explicatio adhibeatur, concilia et Patres idem nobiscum statuent, quoniam sententiæ novellis glossis meritò sunt præferendæ.

S. Chrysostomus agens de verbis Apostoli: *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum,* sic dicit, Hom. 24 in 1 Cor. p. 532: « Valdè fideliter et terribiliter « dixit; quod enim dicit, hoc est: Id quod est « in calice, illud est quod fluxit à latere, et « illud accipimus. Quamobrem si sanguinem, « inquit, cupis, non aram idolorum brutorum « cæde, sed meum altare meo rubefac sanguine. « Et in veteri quidem, quo affecti erant im« perfectiùs, quem idolis offerebant sanguinem, « eum ipse sustinuit suscipere ut ab illis ab« duceret: hic autem in eo quod est longè « horribilius et magnificentius, sacrificium « constituit, et victimam ipsam mutans, et pro « cæde brutorum seipsum jubens offerre. 1 « Cor. 10, 13: *Videte Israel secundùm carnem: « nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* « In Judæis quidem non dixit, quòd Dei sunt « participes, sed sunt participes altaris: ure« batur enim quod in altari fuerat positum. In « corpore autem Christi non sic. Sed quomo« dò? Communicatio corporis Christi est, non « enim altaris, sed ipsius Christi sumus parti« cipes. Scopus eorum qui sacrificant, et per« sona eorum qui excipiunt, reddit immunda « ea, quæ sunt apposita. Ad unitatem cum « fratribus nos vocat illud terribile et formi« dandum sacrificium, jubens ut cum concor« diâ maximè ad ipsum accedamus. Tu non in « præsepi vides corpus Christi, sed in altari, « non feminam eum tenentem, sed sacerdo« tem adstantem, et spiritum cum largitate « multâ propositis impendentem: non solum« modò hoc ipsum corpus vides, » etc. Similia habet S. Chrysostomus plurima, cujus libri de Sacerdotio videndi.

Antequàm tamen ab eo divellamur, unum addendum est, unde manifestum fiat, quid de sacrificio propitiatorio senserit. Hom. 41 in 1 Cor.: « Abierit peccator, decet niti ut juvetur « prece, eleemosynis, oblationibus. Non est « temerè hoc excogitatum, nec frustra memo« riam mortuorum inter sacra mysteria cele-

« bramus, aut accedimus pro istis agnum illum « jacentem, et peccata mundi tollentem de« precantes, sed ut his consolatio hinc aliqua « sit. Nec temerè qui altari assistit inter hor« renda mysteria clamat : Pro omnibus in « Christo dormientibus, et pro his qui memo« riam celebrant eorum. Nam si Jobi illius « liberos patris victima purgavit; quid dubites « è nobis quoque si pro dormientibus offera« mus, solatii quiddam illis accessurum? Gra« tificari Deus propter alios solet : ne defati« gitemur mortuis auxilium ferendo et preces « pro ipsis offerendo; jacet enim commune « orbis piaculum. Quid ergo doles, cùm impe« trandæ mortuo veniæ tot extent rationes? »

S. Augustinus : « In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquàm in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva hâc consuetudine claret auctoritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare fundantur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. » Item : « Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur. »

CAPUT XL.

De ordine et cæremoniis Missæ.

Integrum ordinem videre libet in Liturgiis SS. Chrysostomi et Basilii. Nolumus de Missâ Catechumenorum multa referre, quæ erat prima pars Missæ ordinariæ, post quam dimittebantur ab Ecclesiâ Catechumeni; continens orationes quasdam, lectionem Epistolæ, recitationem Evangelii et symboli; quam sequebatur homilia seu sermo; quia de istis nulla vel exigua cum Protestantibus est difficultas.

Missam fidelium, quam refert et exponit S. Cyrillus Hierosolymitanus, Cath. 5, Mystag., breviter subjiciemus : « Vidistis diaconum « aquam lavandis manibus porrigentem sacer« doti, et illis qui circum altare Dei stabant, « presbyteris. Manus abluere est symbolum, « non obnoxium esse peccatis. »

« Deinde clamat diaconus : *Complectamini « et osculemini vos invicem* : Signum est hoc « osculum reconciliationis animorum; pro« pterea Christus, Matth. 5, 21 : *Cùm offers « munus tuum ad altare*, etc., de quo 1 Petr. 5, « 14 : *In osculo dilectionis*. Postea clamat sacri« ficus : *Sursùm corda*. Vos respondetis : *Ha« bemus ad Dominum*; dicit deinde sacrificus : « *Gratias agamus Domino;* ad hæc vos subjici« tis : *Dignum et justum est*. Facimus deinde « mentionem angelorum, archangelorum, vir« tutum, dominationum, etc. Memoramus « etiam illa Cherubim Isaiæ 6, 2 : *Sanctus, « Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Post « hos hymnos spirituales, invocamus Deum, « ut mittat Spiritum sanctum super proposita, « ut faciat panem quidem corpus Christi, vi« num autem sanguinem Christi, omninò enim « quod attigerit Spiritus sanctus hoc sanctifi« catur et transmutatur. Deinde confectâ (seu « elevatâ) hâc spirituali hostiâ, hâc incruentâ « latriâ, super illam victimam propitiationis, « obsecramus Deum pro communi pace Eccle« siarum, pro bono statu mundi, pro regibus, « pro militibus, pro ægrotis et afflictis, in « summâ pro iis omnibus, qui egent auxilio. « Rogamus te omnes, et hanc tibi offerimus « hostiam, ut meminerimus etiam eorum qui « ante nos obdormierunt, primùm patriarcha« rum, prophetarum, apostolorum, martyrum; « ut Deus precibus eorum et intercessionibus « suscipiat supplicationem nostram. Postea « pro defunctis episcopis et omnibus qui inter « nos obdormierunt, oramus, credentes futu« rum juvamen maximum animabus pro qui« bus supplicatio offertur hujus sacrificii sancti « et maximè tremendi; quod multùm juvat, « quia nos precationes pro defunctis ei offe« rentes, quamvis sint peccatores, Christum « pro nostris peccatis mactatum offerimus, « propitiantes pro ipsis et nobis amatorem « hominum.

« Deinde dicimus orationem illam, quam « Salvator dedit suis discipulis : *Pater noster, « qui es in cœlis*, etc. Expletâ oratione dicit, « *Amen*. Orationem dominicam totam refert « et explicat.

« Post hæc sacrificus dicit, *Sancta sanctis; « sancta sunt quæ sunt proposita, quæ rece« perunt superventum Spiritûs sancti, etc. « Audistis deinceps ad sacrorum mysteriorum « Communionem vos adhortantem : *Gustate et « videte quòd suavis est Dominus*, psalmo 33, 9. « Num hoc corporeo palato ut dijudicetis? « Neutiquàm sed fide omnis dubitationis ex« perte : gustantes enim non panem et vinum « jubentur gustare, sed antitypum corpus et « sanguinem Christi. Accedens autem non « expensis manuum volis accede, neque cum « disjunctis digitis, sed sinistram faciens thro« num dexteræ, ut quæ susceptura est regem, « et concavâ manu suscipe corpus Christi,

« dicens, *amen*. Cum securitate ergo, sancti« ficans oculos contactu sancti corporis, com« munica. Accedens ne perdas aliquid ex hoc; « si enim aliquid amittis, hoc tanquàm ex pro« prio membro amiseris. Dic enim mihi : Si « quis tibi dedit ramenta auri, nonne cum « omni diligentiâ tenes, cavens ne quid ex « illis amitteres? Non multò ergo magis dili« gentissimè providebis de hoc, quod pretiosius « auro et lapidibus pretiosis, ne illius mica « tibi excidat? Tum verò post communionem « corporis Christi accede et ad calicem san« guinis, non extendens manus, sed pronus et « in modum orationis dicens, *Amen*. Postremò « expletâ oratione, gratias Deo age, qui te di« gnum reddidit tantorum mysteriorum. Re« tinete has traditiones immaculatas, et con« servate vos sine offendiculo. »

Apud S. Ambrosium non quidem habetur tam distinctus ordo Missæ integræ, ut qui ex professo solùm probat realem præsentiam et immutationem symbolorum panis et vini; invenitur tamen præcipua pars canonis, cui solent Protestantes obstrepere. Is ergo dicit, de Sacram. l. 4, c. 5, pag. 367 : « Vis scire quia « verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ « sunt verba. Dicit sacerdos : Fac nobis hanc « oblationem adscriptam, rationabilem, acce« ptabilem, quod fit in figuram corporis et « sanguinis Domini nostri Jesu Christi (fit enim « in panem ante consecrationem) qui pridie « quàm pateretur, in sanctis manibus suis ac« cepit panem, respexit in cœlum ad te, san« cte Pater Omnipotens, æterne Deus, gratias « agens, benedixit, fregit, fractumque Aposto« lis suis tradidit, dicens : *Accipite et edite ex « hoc omnes; Hoc est corpus meum, quod pro « vobis datur.* Similiter etiam calicem postquàm « cœnatum est, hoc est, pridiè quàm pateretur, « accepit, respexit in cœlum ad te, sancte « Pater Omnipotens, æterne Deus, gratias « agens, benedixit, Apostolis suis tradidit, di« cens : *Accipite et bibite ex eo omnes; Hic est « enim sanguis meus.* Vide, omnia illa verba « Evangelistæ sunt usque ad *Accipite*, sive « corpus sive sanguinem; inde verba sunt « Christi : *Accipite, bibite ex eo omnes; Hic est « enim sanguis meus.* Vide singula. Qui pridiè, « inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus « suis accepit panem : antequàm ergo conse« cretur, panis est : ubi autem verba Christi « accesserint, corpus est Christi; denique ad « dicentem : *Accipite et edite ex eo omnes; Hoc « est corpus meum* : et ante verba Christi, ca« lix est vini et aquæ plenus; ubi verba Christi « operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui « plebem redemit. Ergo videte quantis gene« ribus potens est sermo Christi, universa « convertere. Deinde ipse Dominus Jesus te« stificatur nobis quòd corpus suum accipia« mus et sanguinem; nonne debemus de ejus « fide et testificatione dubitare? » Item cap. 6 : « Et sacerdos dicit : Ergo memores gloriosis« simæ ejus Passionis, et ab inferis Resurre« ctionis, et in cœlum Ascensionis, offerimus « tibi hanc immaculatam Hostiam, hunc panem « sanctum, et calicem vitæ æternæ : et petimus « et precamur, ut hanc oblationem suscipias « in sublimi altari tuo per manus angelorum « tuorum, sicut suscipere dignatus es munera « pueri tui Abel, et sacrificium patriarchæ « nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus « sacerdos Melchisedech. »

CAPUT XLI.

De adoratione Christi in Eucharistiâ.

Docet concilium Tridentinum sess. 13, cap. 6 : « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ « sacramento Christum non esse cultu latriæ « etiam externo adorandum, etc., anathema « sit. » Nec alio sensu dicitur, « Latriæ cultum « qui vero Deo debetur, nunc sanctissimo Sa« cramento » esse exhibendum. Loquitur enim de adoratione absolutâ, quæ duplex fingi non potest; et ibidem additur : « Nam illum eum« dem Deum præsentem in eo adesse credimus, « quem Pater æternus introducens in orbem « terrarum, dicit : *Et adorent eum omnes an« geli Dei, quem* magi procidentes adoraverunt. » Christum in SS. Eucharistiâ præsentem, Catholici frequenter intelligunt nomine *sacramenti,* quia est causa gratiæ.

Fingunt quidam reformati, Catholicos adorare species sacramentales adoratione non relativâ, sed absolutâ; magnamque in hoc nobis faciunt injuriam, cùm ea sit apertissima idololatria. Concilium Tridentinum de relativâ symbolorum adoratione nihil habet; scholastici de eâ disputant variè, qui tamen opiniones suas pro articulis fidei non venditant. Cæterùm, sicut honoramus regem vestitum, ita Christum symbolis velut opertum; et sicut impossibile est regem honorare, et in vestes ejus expuere; sic quicumque Christum ibi adorat, symbola satis reveretur, quocumque nomine vocanda sit hæc reverentia. Christum adorandum esse in S. Eucharistiâ, ut in Baptismo, reformati concedunt : qui etaim do-

cent verbis S. Scripturæ honorem impendi licitè. De modo et nominibus ejus honoris multùm disputare, hîc est inutile, cùm nullus speciebus sacramentalibus tribuat vel tribuere possit adorationem absolutam; omnesque fateantur, eas tanquàm Christi Jesu quædam operimenta vel signa, cum honore tractandas.

Lutherani docent, Christum in pane existentem ibi licitè adorari ut Deum; Scheibler in Fid. antiqu. Cath. de Euchar. cap. 7, art. 7, § 3, n. 67, pag. 438 et 69, pag. 439; Theol. Wittemb. Refut. consens. Orthod. p. 670; Christi corpus in Eucharistiâ Græci elevant et adorant; Florimond de Ræmond lib. 5, cap. 12, pag. 587. At si ibi licitè adoratur Christus, uti omninò dicendum est, quid, quæso, in catholicis reprehendunt?

CAPUT XLII.

De Communione sub unâ specie.

Tenent Protestantes, Christum jussisse populo ad communionem accedenti porrigendam esse utramque speciem. Sed qui docent, abstemiis licitam esse solam speciem panis, quomodò sustinebunt esse præceptum divinum de communione sub utrâque specie? Qui docent Ecclesiam non habere potestatem dispensandi in præcepto divino, nolent ipsi in eo dispensare, quando abstemiis suis permittunt communionem sub unâ specie; sed potiùs dicent non esse præceptum divinum communicandi sub utrâque specie. Qui docent necessitatem excusare ab observatione præcepti, non autem dare licentiam transgrediendi præceptum, nolent permittere suis abstemiis licentiam transgrediendi, quâ, nullo existente præcepto, haud indigent. Qui docent, in necessitate pro vino licitum esse usum aquæ vel mulsi, nullam fingent necessitatem, cur eorum abstemii communicent sub unâ specie panis, quando ab aquâ vel mulso non abhorrent; ideòque necessariò dicent, non esse ejusmodi præceptum divinum. Ipsi Græci frequenter communicant sub unâ specie. Florimond de Ræmond lib. 4, cap. 5, pag. 422.

Considerent etiam Protestantes, quomodò ipsi teneant, sub unâ specie totum accipi Christum. Reformati dicunt Christum nos nutrire sui corporis et sanguinis substantiâ. Confess. Gall. art. 16. At substantia corporis et sanguinis Christi semper est unita: *Christus enim jam non moritur,* Rom. 6, 9. Ac proinde nonnisi utroque nutrimur; quod etiam statuunt reformati, quando volunt nos elevare corda in cœlum, ad habendam veritatem sacramenti, ubi est Jesus Christus in gloriâ sui Patris. Ibi autem integrè est Christus, qui nos integer nutriat; et blasphema foret cordis elevatio, si ad corpus Christi, tanquàm mortuum, dirigeretur. Lutherani etiam docent, sub unâ specie totum Christum esse, totum Christum accipi cum corpore et sanguine. Vide Cath. Gall. Rom. 53; Apolog. Conf. August. ad art. 10. Quapropter de solâ vini guttâ est omnis Protestantium querela, non difficulter, indulgente Ecclesiâ, sopienda, si in reliquis accederent. Conf. Vittemb. de Euchar.

CAPUT XLIII.

De extremâ Unctione.

Docet concilium Trid. sess. 14, can. 1: « Si quis dixerit extremam Unctionem non « esse verè et propriè Sacramentum, à Christo « institutum, et à B. Jacobo Apostolo promul« gatum, anathema sit. » Et probatione hâc utitur: « Instituta est sacra hæc Unctio infir« morum tanquàm verè et propriè sacramen« tum novi Testamenti à Christo: apud Mar« cum quidem, c. 6, v. 13, insinuatum, per « Jacobum autem fidelibus commendatum ac « promulgatum: *Infirmatur quis in vobis?* etc., « Jacob. 5, 14. Quibus verbis, ut ex apostolicâ « traditione per manus acceptâ Ecclesia didi« cit, docet materiam, formam, proprium mi« nistrum, et effectum hujus sacramenti. » Quid in hâc probatione desiderari possit, non videmus. Invenitur enim signum sensibile, *unctio.* Invenitur promissa et annexa peccati remissio, quæ non sit nisi per *gratiam.* Cur igitur sacramentum non sit, cùm auctor gratiæ solus possit instituere sacramentum? Et Protestantes quomodò probabunt, vel Baptismum, vel Eucharistiam esse sacramentum, si hæc probatio non est manifesta et efficax?

ANIMADVERSIONES.

Anglicani episcopales aliquid retinuerunt, quod ei sacramento respondet; quod nos *extremam Unctionem* vocamus. Id administrandi forma in publicarum precum Libro, titulo *visitationis infirmorum,* pluribus explicatur. Quamvis porrò infirmum non ungant, super eo tamen plures preces, tum ob corporis valetudinem, tum ob animæ salutem edunt. Hæc Liturgia mandat, ut infirmus, si quo peccato se obstrictum senserit, privatim presbytero confiteatur, qui, auditâ confessione, absolu-

tionem eidem conferet. En ipsa hujus absolutionis verba, prout legitur in editione Latinâ, quæ anno 1574 Londini prodiit : « Dominus « noster Jesus Christus, qui dedit potestatem « Ecclesiæ absolvendi à peccatis verè pœni- « tentes, et credentes in eum, ipse ex infi- « nitâ misericordiâ indulgeat tibi peccata tua. « Ego verò, auctoritate ipsius mihi commissâ, « absolvo te ab omnibus peccatis, in nomine « Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, Amen. »

CAPUT XLIV.

De sacramento Ordinis.

Docet concilium Trid, sess. 14, can. 3, sacram ordinationem esse verè et propriè sacramentum à Christo Domino institutum. Calvinus dicit, lib. 4 Instit., cap. 19, § 28: « Impositionem manuum, quæ fit introdu- « cendis veris presbyteris et ministris Eccle- « siæ in eorum statum, non repugno quin re- « cipiatur tanquàm sacramentum : primùm « enim est cæremonia sumpta ex Scripturâ, « quæ deinde vana non est, ut ait S. Paulus, « sed est signum gratiæ spiritualis Dei. Quòd « aliis duobus non adnumeraverim, inde est, « quia non est ordinarium nec commune inter « fideles. » Unde dicitur in Confessione Gallicâ, art. 35 : « Confitemur duo solùm sacra- « menta, » et additur : « Communia toti Eccle- « siæ. » Probatio Calvini ex S. Paulo 1 Tim. 14, est bona : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Ecce signum sensibile, *impositionem manuum*, et *gratiam* cum eo signo collatam. Rursùm probat Calvinus : « Christus in- « sufflavit in Apostolos, Joann. 20, 22, quo « signo repræsentavit virtutem spiritûs, quam « in eis posuit. » Et rectè : nam contulit Apostolis potestatem remittendi peccata : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Christus *insufflavit*, quæ insufflatio est cæremonia et signum sensibile : *Et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*, qui non datur sine gratiâ sanctificante. Ecce igitur gratiam signo annexam, et verum sacramentum.

Hoc si apud Protestantes non sufficiat, quomodò probabunt, vel Baptismum vel Eucharistiam esse sacramentum? Rectè S. Aug., contra Parmen. l. 2, c. 13 : « Explicent, quo- « modò sacramentum baptizati non possit « amitti, et sacramentum ordinati possit « amitti. Si enim utrumque sacramentum est, « quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, « et illud amittitur? Neutri sacramento in- « juria facienda est. » Calovius : « Ordinatio « ministrorum divini juris est, cui etsi addita « nonnulla in papatu, ordinationis tamen « essentia non immutata vel sublata est. » Synop. contr. disp. 33, th. 7, pag. 183.

ANIMADVERSIONES.

Etsi Protestantes Ordinem in sacramentorum numero minimè collocent, fatentur tamen pastores in Ecclesiâ esse debere, qui sacras res administrent, et his quidem ministris manus imponunt. Augustanæ Confessionis expressa hæc verba sunt, art. 14 : « De Ordine eccle- « siastico docent, quòd nemo debeat in Eccle- « siâ publicè docere, aut sacramenta admini- « strare, nisi ritè vocatus; sicut et Paulus « præcipit Tito, ut civitatibus presbyteros con- « stituat. » Ex omnibus Protestantibus, non alii episcopatum et presbyteratum altiûs quàm episcopales Anglicani evexêre. Eos enim tanquàm res ad religionis essentiam pertinentes spectant, et episcopatum divino jure supra presbyteratum esse censent. Quamvis autem in plerisque religionis articulis cum Calvinistis conveniant, eos tamen veluti sectarios notant, penes quos nullus sacramentorum usus, utpote quibus presbyteri nulli sint, qui ea administrent. Quamobrem cùm minister Calvinista ad episcopalium religionem migrat, nullam ministerii sui functionem obire potest, nisi juxta Anglicanæ Ecclesiæ ritum presbyter ordinetur.

CAPUT XLV.

De sacramento Matrimonii.

Concilium Trident. sess. 24, can. 1, docet matrimonium esse verè et propriè sacramentum. Baptismus et Eucharistia non nominantur in S. Scripturâ sacramenta; ubi tamen matrimonium sic appellatur Ephes. 5, 32 : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.*

Biblia Genevensia et alia habent, *mysterium hoc.* Sed rectè Calvinus, lib. 4 Instit., c. 14, § 2 : « Ubicumque translator Vulgatus novi « Testamenti exponere Latinè voluit dictionem « hanc Græcam, *mysterium*, dixit, *sacramen-* « *tum* : et notum est, Baptismum et Cœnam « appellari Græcè, *mysteria;* ita ut dubitandum « non sit, has duas dictiones ejusdem esse si- « gnificationis. » Cur ergo, qui Baptismum et

Cœnam ut sacramenta recipiant, ex eo numero repudiant Matrimonium?

Sed audiamus S. Augustinum de bono Conjug. c. 18, cap. 24: « In nostrarum nuptiis « plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœ« cunditas uteri. » Item: « Bonum nuptiarum « per omnes gentes atque omnes homines in « causâ generandi est, et in fine castitatis: « quod autem ad populum Dei pertinet, etiam « in sanctitate sacramenti, per quam nefas est, « etiam repudio discedentem alteri nubere, « dùm vir ejus vivit, nec saltem ipsâ causâ pa« riendi. Quæ cùm sola sit, quâ nuptiæ fiunt, « nec eá re non subsequente, propter quam « fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi con« jugis morte. Quemadmodùm si fiat ordina« tio cleri ad plebem congregandam, etiamsi « plebis congregatio non subsequatur, manet « tamen in illis ordinatis sacramentum Ordi« nationis, et si aliquâ culpâ quisquam ab of« ficio removeatur, sacramento Domini semel « imposito non carebit, quamvis ad judicium « permanente. Ad sacramenti sanctitatem per« tinet illud: *Uxorem à viro non discedere;* « *quòd si discesserit, manere innuptam.* Hæc « omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ « sunt, proles, fides, sacramentum, » etc.

ANIMADVERSIONES.

In articulo 27 Confessionis fidei, quâ pagi Helvetii Protestantes utuntur, *conjugium omnibus hominibus aptis, et aliò non vocatis divinitùs institutum* fuisse dicitur. Confessio hæc, quæ Basileensis Confessio nuncupatur, anno 1532, Germanico sermone composita, et Latinè reddita anno 1561 et 1581, typis impressa fuit.

Matrimonii penes episcopales Anglicanos solemniter celebrandi forma in publicarum precum Libro fusè describitur. Pastor, qui illud in ecclesiâ administrat, initio statim coram universo cœtu sermonem edit, in quo matrimonii sanctitatem commendat, quod à Deo in Paradiso terrestri institutum fuit, quodque suâ Christus præsentiâ condecoravit, cùm Canæ Galileæ nuptiis interfuit. Hic Anglicanæ Liturgiæ locus è pulcherrimis est, quæ in Anglorum Rituali occurrunt. In eo, qui matrimonium contrahunt, ipso nuptiarum die communionem suscipere expressis verbis jubentur: « Qui sacro conjugio copulantur, eodem « nuptiarum die debent sacram Synaxim reci« pere. »

CAPUT XLVI.

De peccato mortali et veniali.

Docent nobiscum Protestantes, non omnia peccata esse æqualia; docent nobiscum, etiam prædestinatos, post adeptam fidem et justificationem, incidere quandoque in peccata mortalia; docent nobiscum omnia peccata cum quibus moriuntur reprobi, puniri pœnâ æternâ.

Constat, venialis remissionem peccati gratuitum et supernaturale esse Dei beneficium; nullumque peccatum, *ex naturâ suâ*, eo sensu esse veniale, quasi ejus venia et remissio obtineri possit solis naturæ viribus, sine misericordiâ Dei condonantis; cùm nullius peccati culpa sit tam levis, ut viribus naturæ possit elui; nullum, in sese consideratum, habeat aliquid, quod remissionem mereatur. Volunt Catholici, veniale peccatum solùm temporariæ subjectum esse pœnæ; modò simul culpa diluatur, aut gratia adsit, quâ possit elui et expiari; nisi enim esset ab homine justo, Dei Gratiâ et charitate prædito, commissum, perpetuò puniretur. Quia autem illa peccata ex naturâ suâ non destruunt charitatem, nec Deus voluit, ut eam destruerent, dicuntur venalia: quamvis etiam propter misericordiam Dei, nolentis iis peccatis destrui charitatem, rectè dicantur venialia.

Quando igitur Protestantes dicunt, peccata venialia non imputari fidelibus, non hoc volunt, quòd per ea non constituantur verè peccatores, vel quòd non indigeant eorum remissione, sed quòd Deus non imputet omnem pœnam, quam justè posset imputare; quia scilicet non statuit auferre sanctitatem inhærentem propter peccata venialia, nec consequenter hominem ordinare ad pœnam æternam. Quando Protestantes dicunt, in reprobis omnia peccata esse mortalia, volunt omnia illa peccata æternùm puniri, cum quibus moriuntur, sive illa sint graviora, sive leviora. Quando dicunt Protestantes, quædam peccata cum fide consistere, non intelligunt per fidem nudum assensum, qui præbetur veritatibus revelatis; sed per fidem accipiunt fiduciam misericordiæ, quam fiduciam sic explicant, ut comprehendant quidquid Catholici requirunt ad justificationem. Et sic rectè dicunt, peccata mortalia non consistere cum tali fide, quæ accipitur pro fiduciâ; rectè etiam dicunt, peccata venialia cum tali fide consistere.

Ex dictis patet, Protestantium in hâc re sententiam sic non incommodè accipi, ut à

catholicâ doctrinâ non differat; quod moderatis sufficiet ingeniis. Omnis peccati pœna est mors temporalis, spiritualis et æterna. Cocceius, disp. 5, Corol. num. 2.

CAPUT XLVII.

Deum non esse causam peccati.

Gravis à multis annis agitata fuit quæstio; an Protestantes Deum statuerent auctorem peccati. Et in publicis quidem eorum confessionibus vix aliquid reperitur, quod in partem affirmativam propendeat. Hujus temporis Protestantes negativam apertissimè profitentur, declarantque reformati, se à Thomistis non dissentire. An priorum temporum Protestantes Deum statuerint auctorem peccati, non est opus hìc inquirere. Sufficit jam quòd sciamus, nullos superesse, cum quibus ea quæstio agitetur.

CAPUT XLVIII.

De peccato primi hominis.

Hìc solet quæri, cur Deus permiserit tentari hominem, quem sciebat casurum. Et Protestantes cum Catholicis dicunt, sed probabiliter (quis enim consiliarius Dei fuit)? id requisivisse misericordiam et justitiam Dei, ut jam de aliis rationibus taceamus. Si quæratur an Adæ peccatum fuerit necessarium, ita se explicant moderni Protestantes, ut Thomistarum sententiam ex integro sequantur. Nihil igitur hoc loco superest, unde Ecclesiæ catholicæ litem moveant; vel cur illi à Catholicis ob particularium quorumdam vel duriores sententias, vel errores reprehendantur.

CAPUT XLIX.

De peccato originali.

Docent cum Catholicis Protestantes 1° derivari ex peccato Adami in posteros ejus veri nominis peccatum. Docent cum Catholicis Protestantes 2° peccatum originale venire ad ejus posteros per generationem. Docent cum Catholicis Protestantes 3° peccatum originale non tantùm pertinere ad filios infidelium, sed etiam ad filios fidelium, quamvis velint filiis fidelium illud peccatum non imputari, de quo actum est in præcedentibus. Consequenter in tribus prædictis nihil est, cur à communione catholicâ abstineant Protestantes.

CAPUT L.

An concupiscentia in renatis sit verè peccatum.

Docent Catholici, corruptionem naturæ sive concupiscentiam, qualis remanet in hominibus post justificationem, non esse peccatum ex naturâ suâ verè et propriè, cùm tollatur in Baptismo illud omne quod veram et propriam rationem peccati habet. Protestantes contrarium tenent. Sed iidem Protestantes hoc tempore sic explicant suam sententiam, ut vix ulla possit superesse difficultas. Docent enim cum Catholicis: 1° Peccatum originale dicere privationem justitiæ debitæ inesse. 2° Concupiscentiam non tantùm residere in carne, hoc est, in parte hominis inferiore, quæ sensualitas dicitur; sed etiam in parte superiore, sive in animâ simile vitium reperiri. 3° Sub nomine concupiscentiæ contineri depravationem naturæ humanæ, per versionem omnem potentiarum, et propensionem ad malum; adeòque concupiscentiam non esse meram privationem, sed habitum corruptum. Vide Calovium Synop. contr. disp. 7, thes. 11, pag. 86.

Protestantes tenent, reatum et offensam Dei in Baptismo condonari; manente materiâ peccati originalis, quæ sit naturæ corruptio ad malum inclinans. Inde docent, per Baptismum non penitùs extingui et evelli peccatum originale; quia nimirùm reatus et offensa extinguitur, evellitur et aufertur, manente materiali ejusdem peccati, quod peccatum ideò dicitur fractum, debilitatum, et ex parte sublatum. Calixtus tamen dicit dissert. de Purgatorio, thes. 32: « Originale peccatum post Baptismum tam quoad formale, « quàm materiale manet. » Crocius verò Anti-Bec. contr. 8, sect. 3, num. 5, tomo 2, pag. 111: « Manet materiale, tollitur formale. » Idem Eccio placuit, Bucero et Melanchthoni in formulâ Concordiæ apud Cassandrum, ad art. 2 August. Conf. in Consultat. Cocceius, disp. 1 de Poten. script. corol. num. 20: « Datur peccatum originale et imputatum et « inhærens, quod dicimus et in regeneratis « locum habere. » Et disp. 17, corol. num. 3: « Peccatum originale quoad maculam etiam « manet in regeneratis post Baptismum. »

Quapropter, si nobiscum doceant Protestantes, in Baptismo tolli formale peccati originalis, constituens mentem à Deo aversam, aboleri reatum et offensam Dei, assentiuntur definitioni concilii Trid. quòd in Baptismo tollatur illud omne quod veram et propriam rationem peccati habet: ubi enim non est formale peccati, ibi nihil est quod sit verè et propriè peccatum. Vide S. Aug. Enchir. ad Laurent. cap. 48, tom. 3, pag. 74, C.

CAPUT LI.

De malis consequentibus peccatum originale.

Mala quæ consequuntur peccatum originale in hâc vitâ, vel nullam difficultatem excitant inter Catholicos et Protestantes, vel pertinent ad alias controversias.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, hominem per culpam peccati originalis, in hâc vitâ non remissam, damnationi subjectum esse; neque infantibus non baptizatis, nec regeneratis, vitam æternam esse tribuendam, aut naturalem beatitudinem, uti multis rectè probat Bellarminus, lib. 6, de amiss. Grat. Vide et S. Aug. hæres. 88, tomo 6, pag. 14, D; Euchir., ad Laur., cap. 93, tomo 3, pag. 80, D.

CAPUT LII.

De gratiâ ejusque partitione.

Gratia accipitur 1° pro alicujus dilectione: et sic dicimus militem habere gratiam regis, quia diligitur à rege. 2° Sumitur pro dono gratis dato; et sic dicimus: Hanc tibi facio gratiam. 3° Sumitur pro actione gratiarum ob beneficium acceptum. Secundum pendet ex primo; tertium à secundo. Hoc loco agimus de gratiâ, non quatenùs eo vocabulo venit quodlibet beneficium Dei, sed quatenùs significat donum supernaturale, quod indignis ex Christi merito confertur.

Prima partitio gratiæ est in æternam et temporariam. Gratia æterna consistit in amore et dilectione Dei, quâ ab æterno dilexit prædestinatos. Temporaria consistit in beneficiis vocationis et justificationis, ab æternâ gratiâ, ut effectus ex causâ, derivatis. Altera partitio est gratiæ temporariæ in gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem; illa præcipuè confertur ad aliorum salutem; hæc ad propriam uniuscujusque salutem spiritualem. Protestantes volunt, gratiam gratum facientem primariò dicendam esse gratiam Dei æternam; sed est quæstio de nomine; cùm gratia æterna effectivè gratum faciat, temporalis autem ut forma inhærens. Tertia partitio est gratiæ gratum facientis, in gratiam permanentem sive habitualem, et gratiam auxilii specialis. Rem ipsam non improbant Protestantes; an autem gratia habitualis, vel quomodolibet, inhærens gratum faciat, non est hujus loci. Quarta partitio est, auxilii specialis in auxilium excitans, et auxilium adjuvans. Neque volumus gratiam excitantem solummodò consistere in illustratione et inspiratione mentis, sed etiam in supernaturali quâdam vi, in voluntate receptâ. Utraque autem hæc gratia est præveniens. Quinta partitio tum excitantis, tum adjuvantis, est in sufficientem et efficacem. Sexta partitio gratiæ, est efficacis in operantem et cooperantem: quamvis non incommodè dicatur, eamdem esse gratiam operantem et cooperantem, quæ distinguatur secundùm diversos effectus. Consuevit moveri difficultas circa quintam gratiæ partitionem, quâ dividitur in sufficientem et efficacem. Sed cùm alii ex Protestantibus sequantur sententiam Thomistarum, alii sententiam Suaris et Vasquii, non est hìc magnoperè laborandum.

CAPUT LIII.

De communicatione gratiæ.

Quænam sit verè et propriè dicenda gratia sufficiens, aliter atque aliter sentiunt tum Catholici tum Protestantes: atque hinc fit, ut aliter atque aliter loquantur de communicatione gratiæ. Nos pro instituti nostri ratione per certiora gradiemur et communiora.

Post Bellarminum dicimus: 1° Auxilium gratiæ Dei non ita offertur omnibus hominibus, ut Deus expectet homines qui illud desiderent, vel postulent; sed prævenit omnia desideria et omnem invocationem. 2° Auxilium gratiæ Dei non æqualiter omnibus adest. 3° Nulla esset in Deo iniquitas, si non solùm aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret. 4° Sive detur sufficiens auxilium omnibus, sive tantùm aliquibus, nos tamen de nullius salute, donec in hâc vitâ fuerit, desperare debemus, neque ab ullo subtrahere correptionem, exhortationem et alia charitatis officia.

Cæterùm, uti de præcedentibus nulla est difficultas, ita non caret ea quæstio varietate, an auxilium sufficiens ad salutem omnibus detur. Et hìc quidem nullum est dubium, quin multi, etiam qui ad rationis usum perveniunt, non recipiant auxilium sufficiens supernaturale et intrinsecum ad producendum immediatè actus supernaturales fidei et spei. Sed quale est auxilium, cujus omnes sunt participes? Gentibus datur auxilium, quod per plures operum occasiones excitentur ad benè operandum, et ut in peccatum non consentiant, cogitationibus invicem accusantibus et defendentibus; quibus aliquid divinæ gratiæ impertitum est, dùm vident machinam universi prædicare Deum, qui invocandus sit.

Et si gentiles eâ gratiâ benè uterentur, non dubitamus, quin abundantior eis donaretur, quâ ad fidem possent pertingere. Non dicimus, homini benè operanti ex libero arbitrio gratiæ auxilia conferri; quasi Deus legem fecerit, dandi auxilia prævenientis gratiæ facientibus totum quod in se est ex facultate naturæ; sed si homo ex auxilio speciali rectè operaretur, etiam circa objecta naturalia, existimamus id congruere divinæ bonitati, ut tales ulteriùs illuminet. Concedimus ergo, non recipere gentiles ejusmodi gratias, quæ sint proximè sufficientes; sed quia non omni carent auxilio, etiam speciali, hæc gratia est talis, ut Deus rectè existimetur et verè sufficientem non negaturus, si istâ benè utantur. Unde nec malè dicitur, Deum gentilibus dare gratiam sufficientem, non quòd immediatè sit sufficiens, sed quòd præviâ bonâ cooperatione, et divinâ ulteriori gratiæ liberali collatione ad conversionem possint pervenire. Vide Arnobium lib. 2, Bibl. Patr., tom 3, pag. 170, B. Et citatum Bullingerum in Resp. necess. par. 1, pag. 120, 122; Overallum, ibid. pag. 146; Calovium Synop. Contr. disp. 17, th. 1, pag. 123.

CAPUT LIV.

De prædestinatione et reprobatione.

Reformati in puncto prædestinationis et reprobationis hoc tempore communiter sequuntur Thomistas et Bellarminum; neque scrupulosè indagamus, quid antehàc senserint. Ex Lutheranis in puncto prædestinationis, alii sequuntur Bellarminum, alii alios doctores catholicos; atque idem ipsis contingit in puncto reprobationis, quòd plerùmque à doctoribus catholicis non dissentiant. Ut quid igitur his temporibus nobiscum disputant, si aliquibus consentiant doctoribus catholicis? An fortè dicent, suam sententiam esse de necessitate salutis, et doctorum quorumdam catholicorum non esse permittendam? Id non existimamus.

CAPUT LV.

De libero arbitrio secundùm se.

Liberum arbitrium est facultas agendi ex consilio. Et ad libertatem requiritur intellectus et voluntas: intellectus, qui objectum debitè proponat; voluntas unum præ alio eligens; vel unum idemque acceptans, aut respuens. Hominem esse liberum à coactione, fatentur cum Catholicis Protestantes. Agnoscunt etiam Protestantes, libertatem voluntatis à necessitate naturalis determinationis ad unum: quia est libera ab omni necessitate, ut propriè non possit necessariò agere, quoad exercitium sui actûs; quamvis respectu divinæ ordinationis certò et infallibiliter agat, mediantibus prædefinitionibus et prædeterminationibus Dei, quas intellectus non potest penetrare, neque de earum indifferentiâ judicare.

Itaque convenit, liberum arbitrium esse formaliter in voluntate, radicaliter in intellectu. Requiritur ad liberum arbitrium, ut positis omnibus antecedenter ad actum prærequisitis possit operari, vel non operari; ita ut cum iisdem prærequisitis stet simul in libero arbitrio facultas et potentia, quâ possit operari si velit, vel non operari, si velit. Si Protestantes admittant cum Thomistis, concursum Dei specialem et determinantem actiones liberi arbitrii, non sunt ideò reprehendendi, quasi negarent liberum arbitrium, quia et Thomistas ejusmodi concursum Dei tradunt, et libertatem arbitrii defendunt.

An primi Protestantes aliter senserint, vel sint locuti, hìc non indagamus: sed sufficit nobis, quòd hoc tempore id teneant Protestantes de libero arbitrio, quod doctores catholici.

CAPUT LVI.

De libero arbitrio in naturalibus et civilibus.

Convenit inter Catholicos et Protestantes: 1° Naturæ viribus cognosci aliquod rerum mechanicum in artibus, et theoricum in scientiis. 2° Viribus naturæ posse cognosci, Deum esse, et esse unum, et alia id genus. 3° Hominem non regenitum habere liberum arbitrium in operibus naturalibus et civilibus. At initio prætensæ reformationis, gravis erat in hoc negotio cum Protestantibus controversia: quâ nunc cessante, non est opus præteriti temporis errores refutare, vel iisdem citra necessitatem immorari.

CAPUT LVII.

De concordiâ cooperationis divinæ cum libero arbitrio.

Circa concordiam cooperationis divinæ cum libero arbitrio variæ sunt doctorum catholicorum sententiæ. Bellarminus dicit, lib. 4 Grat. et lib. Arb., c. 16, in princ., « cooperationem divinam ita concurrere cum secundis causis etiam liberis, ut non solùm eis dederit, et conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat et applicet ad opus. »

Thomistæ idem tenent, et applicationem ad opus intelligunt de determinatione efficaci. Modernorum reformatorum sententiam juxta Thomistas explicat Crocius, Anti-Bec. tomo 2, contr. 15, sect. 1, n. 14, pag. 689 : « Providentia non tollit rerum naturas, sed sic gerit omnia, ut causæ necessariæ necessariò agant, voluntariæ voluntariè. Voluntarias ita determinat, ut proprios voluntatis motus retineant, et seipsæ determinent; absque quo si esset, periret, fateor, libertas essentialis, quippe quæ requirit, ut liberum arbitrium sit causa sui motûs, adeòque homo per illud ad agendum se moveat. Non autem requirit, ut homo seipsum solus determinet, quia non requirit, ut sit prima sui motûs causa, cujus est se solam determinare. Secunda causa se determinat quidem, sed sub primæ causæ determinatione, quippe à quâ pendet ut in essendo et existendo, ita in agendo. » Atque hæc sententia nunc est inter reformatos communissima. Neque hoc tempore dicunt, gratiam ita esse à seipsâ efficacem, ut excludat motionem moralem, quæ est per consilia et suasiones. Similiter hoc tempore non docent, Deum ita efficaciter movere voluntatem, ut postea non sit nostræ electionis, motioni ejus aut obtemperare aut refragari; tenent enim facultatem dissentiendi consistere cum gratiâ efficaci, et idipsum hìc tradunt, quod Thomistæ : libenter etiam fatentur, Deum per gratiam, vel motionem efficacem ita operari in nobis velle, et nos ad seipsum convertere, ut gratiæ prævenienti nostrum arbitrium, pedissequâ voluntate, obsequatur liberè. Non igitur est necesse indagare, quid Calvinus, quid alii antehàc senserint : sufficit eos nunc cum catholicis doctoribus sentire et loqui. Alii ex Protestantibus alios doctores catholicos sequuntur. Nulli hìc causam invenient, cur à communione Ecclesiæ catholicæ velint abstinere.

CAPUT LVIII.

De viribus liberi arbitrii in moralibus.

Prima quæstio est de vero morali cognoscendo. Sed verum morale non intelligitur hoc loco universè consideratum, ut Deum esse colendum, parentes honorandos; intelligitur autem cum omnibus circumstantiis, quæ necessariæ sunt, ut actio voluntatis, ei conformis, sit actio virtutis : ut cùm quis judicat, sibi hoc tempore eleemosynam esse faciendam, vel quod mutuò est acceptum, esse restituendum hoc tempore, quia ratio justitiæ nunc id fieri postulat. Nomine agnitionis intelligitur judicium, præcedens imperium voluntatis, quale inter consultandum exerceri solet, non autem judicium ultimum ex voluntate dependens, ad quod ex necessitate sequitur electio. Quando juxta prædicta quæritur, an possit viribus naturæ cognosci verum aliquod morale, variæ sunt inter Catholicos sententiæ, variè explicatæ ; affirmantem, quæ inter Catholicos communis, aliqui Protestantes sequuntur ; rectè explicatam vix ullus negabit.

Altera quæstio est : An possit homo, solis naturæ viribus, implere omnia mandata moralia, secundùm substantiam operis? Et hìc negant cum Catholicis Protestantes; utrisque probabiliter docentibus, aliqua mandata moralia, quoad substantiam operis, solis naturæ viribus impleri posse, utrisque docentibus solis naturæ viribus nullum morale præceptum servare posse hominem, si tentatione urgeatur.

Docent Catholici, hominem non renatum, si nulla tentatio urgeat, cum auxilio speciali posse aliquod bonum morale perficere, quia censent illis operibus nihil deesse, ut quæ proveniant ex principio supernaturali, et possint referri ad finem ultimum, Deum ipsum. Protestantes etiam ad opus bonum morale communiter requirunt, ut veniat à Deo, et referatur ad Deum ; unde dicendum est, ejusmodi opera, ab auxilio speciali procedentia, non esse peccata. Imò ejusmodi opera tali sensu procedunt ex fide, quòd certò intelligatur, illud opus quod suscipitur, ex earum rerum genere esse, quas Deus vult, et ex lege suâ jussit fieri. Et sic definivit concilium Tridentinum, aliqua opera, quæ justificationem præcedunt, non esse peccata ; illa scilicet, quæ procedunt ab auxilio speciali, et per quæ hominem Deus disponit ad gratiam justificationis. Non autem definivit concilium, esse alia opera, justificationem præcedentia, quæ non sint peccata, sicut non definivit prænominata opera, licet bona, esse meritoria justificationi etiam de congruo; neque enim definivit ulla opera esse meritoria, nisi post justificationem. Fatentur Protestantes, esse quædam opera, per quæ Deus ad justificationem nos adducit; eademque esse præparationes quasdam ad salutarem conversionem ; ideòque non videmus, quomodò à Catholicis possint dissentire, nisi etiam à seipsis dissentiant.

Consuevit etiam hæc quæstio proponi : « Sitne homo, in statu naturæ lapsæ, liberi

« arbitrii, in bono morali eligendo, et malo « evitando; sive, quod idem est, in præceptis « morum observandis aut prævaricandis. » Verùm si intelligatur quæstio, an sit homo liberi arbitrii, in bono morali eligendo et malo evitando, quoad substantiam operis, non negant Protestantes, hominem in statu naturæ lapsæ esse liberi arbitrii : sin autem intelligatur quæstio an homo in statu naturæ lapsæ sit liberi arbitrii, id est, habeat facultatem proximam bonum morale faciendi, malum mortale vitandi, ita ut non peccet, vel ratione principii à quo fluit, vel ratione finis ad quem deberet referri, sic coincidit cum iis quæ diximus hoc capite.

CAPUT LIX.

De viribus liberi arbitrii in supernaturalibus.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, ut mysteria supernaturalia à nobis percipiantur, requiri divinam revelationem, quæ per Scripturas, aut prædicatores à Deo missos proponitur; requiri aliquid externum, quod doctrinam revelatam faciat credibilem ; requiri imperium voluntatis captivantis intellectum in obsequium fidei. Convenit etiam, eum qui legit, vel audit doctrinam revelatam, cuique ea per externum aliquid est credibilis, non posse assensu christiano et salutifero captivare intellectum in obsequium fidei sine speciali illustratione divinâ. Convenit similiter, non posse voluntatem humanam aliquid velle, in iis quæ ad pietatem et salutem pertinent sine auxilio gratiæ Dei. Convenit insuper, non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam ullo modo se præparare, non tantùm ut ex condigno illa gratia conferatur, sed neque ut ex congruo. Convenit tandem, non posse hominem solis naturæ viribus Deum super omnia diligere, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ et gloriæ, sive perfectè, sive imperfectè.

Propter ea quæ hucusque sunt dicta, facultatem arbitrii voluntatis in homine non renato, vocant Protestantes *servum arbitrium, titulum sine re,* respectu supernaturalium. Non negant absolutè liberum arbitrium in homine non renato, uti patet ex antedictis, et quando dicunt servum arbitrium, intelligunt servitutem peccati et corruptionis, in quâ irregeniti liberè versantur ; negantes libertatem gratiæ, quam homo adipisci non potest, nisi per divinam misericordiam. Nos dicimus per peccatum esse imminutum liberum arbitrium, quia caret libertate gratiæ, respectu supernaturalium ; manere tamen liberum arbitrium, quamvis in servitutem redactum, quia manet naturalis illa animi facultas, manet cognitio, manet ad bonum universum propensio; et quod in eâ servitute agit, non à naturâ, quemadmodùm bruta animantia, sed proprio judicio movetur ; atque ita in servitute peccati constitutum est, à quâ homo non nisi per gratiam Dei liberari possit. Accedente autem gratiâ non confertur homini liberum arbitrium ad bonum supernaturale, quatenùs vis quædam media est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest, quæque naturaliter attributa est à creatione animæ rationali ; sed per gratiam liberatur à servitute peccati, et accipit libertatem gratiæ. Ethnici, qui nihil de Christo audierunt, dicuntur rectè habere liberum arbitrium ad bonum supernaturale, quia per creationem ejusmodi est, ut sit capax boni supernaturalis; quamvis interim, ob servitutem peccati, sese ad bonum supernaturale amplectendum exerere non possit, nisi per gratiam liberetur à servitute. Ita ligatus et infirmus rectè dicitur habere potentiam ambulandi, licet actu ambulare nequeat, nisi solutus, et viribus per medicamenta restauratis. Quapropter, posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum ; habere autem fidem, quemadmodùm habere charitatem, gratiæ est fidelium. Bona opera sunt in hominis potestate, et idem homo non habet potestatem ad bona opera : sed alia est potestas proxima, alia remota. Bona opera sunt in potestate hominis remotâ, cum quâ solâ nihil potest facere, ita ut operetur bonum ex solâ illâ potestate remotâ : nam ut operetur bonum, requiritur potentia proxima, quæ potestas nulla est, nisi à Deo detur. Unde homo nullam habet potestatem proximam ad donum supernaturale, quam à Deo non accipiat per gratiam; nullam etiam remotam, quam à Deo non acceperit per naturam. Hanc remotam potentiam si homo non haberet, deberet potentia illa animi, quæ dicitur voluntas, non tantùm præparari à Domino, sed nova creari, et sic duæ essent in homine voluntates. Et sic dicit Calvinus, vera Eccl. reform. Ratio, pag. 367 : « Fateor sanè, homini restare voluntatem, etiam dùm captivus tenetur sub peccati et Satanæ tyrannide. » Quando voluntas liberatur à servitute peccati, et novas accipit vires spirituales ad operandum, quod per naturam non poterat, rectè dicitur creari, licet

non eo sensu, quòd nova animi potentia creetur, sed quòd potentia quæ in actum sola exire non poterat, eas accipiat vires, quibus rectè operari possit, ablatis etiam impedimentis. Ita explicatâ hâc materiâ, nulla superest, quod sciamus, cum Protestantibus difficultas, uti hoc tempore docent.

CAPUT LX.

Hominem liberè consentire gratiæ Dei.

Quæstio est an sit homo post lapsum primi hominis verè liberi arbitrii in iis rebus quæ pertinent ad salutem, et quanquàm nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, et à Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit etiam non operari.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, 1° hominem in suî conversione non esse instar trunci, aut lapidis; 2° hominem in suî conversione volenter et spontaneè se habere; 3° gratiam ordine rationis et causalitatis prævenire cooperationem nostræ voluntatis: Deus enim priùs voluntatem hominis prævenit, et gratiam confert efficacem, quàm voluntas ipsa hominis sese moveat. Consensit Calvinus, vera Eccles. reform. Ratio pag. 367. Atque eo sensu rectè de libero arbitrio dicitur quòd sit potentia partim activa, partim passiva, quia voluntas se habet passivè in ordine ad prævium auxilium Dei; nam omne recipiens, ut tale, passivè se habet in ordine ad illud quod recipit. Cùmque illud auxilium prævium sit à solo Deo effectivè, et recipiatur in voluntate antecedenter ad ejus cooperationem, necesse est, voluntatem se habere passivè respectu illius auxilii. Neque inde sequitur, quòd in justificatione adulti voluntas se habeat merè passivè; quamvis enim passivè se habeat in ordine ad auxilium prævium, tamen respectu actûs liberi, ad quem eliciendum movetur, se habet activè. Contra Calorium, Synop. contr. disp. 18, th. 5, pag. 127.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, hominem in suî conversione cooperari gratiæ Dei: nam eodem momento efficit Deus, ut per gratiam velimus, et reipsà velimus, movendo et flectendo voluntatem, ut verè et propriè operemur actiones bonas, atque ut plenè assentiamur verbis Dei et promissis, in eo speremus, et eumdem diligamus, quo justificemur. Nostra tamen cooperatio respectu Dei, non est talis, qualis est cooperatio Dei respectu nostrî, quia tota nostra cooperatio etiam ipsius Dei operatio est facientis, ut faciamus: Dei verò cooperatio non est nostra operatio, quasi nos faciamus ut operetur.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, hominem in suî conversione liberè consentire gratiæ Dei: Deus enim quos convertit, libertatis suæ reddit participes, et liberè operantur, operante etiam Spiritu Dei, qui voluntatem adjuvat, non aufert gratiæ auxilium, non infert vim voluntati; sed eam perficit, ut liberè cooperetur; Deo voluntatem in suî conversione invitationibus et suasionibus alliciente, supernaturalibus viribus, quibus istis suasionibus obtemperare possit, eam instruendo, et efficaci suâ operatione ad reipsà obtemperandum inclinando et flectendo: efficit enim ex nolente liberè volentem, ad Deum se convertentem et credentem.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, hominem in suî conversione posse non cooperari gratiæ Dei: nam Protestantes hìc tenent cum Thomistis, potentiam ad non operandum stare simul in eodem subjecto cum gratiâ et auxilio quod requiritur ad operandum; negant autem posse in eodem subjecto reperiri gratiam efficacem ad certum actum, et carentiam ejusdem actûs, vel actum contrarium.

Cùm igitur in hâc causâ Protestantes hoc tempore non dissentiant à doctoribus catholicis, non est unde hìc ansam quærant abstinendi ab unione et communione Ecclesiæ catholicæ.

CAPUT LXI.

De justificationis nomine ejusque causis.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, vocem justificationis in S. Scripturâ accipi, 1° pro donatione, seu collatione justitiæ inhærentis; 2° pro augmentatione justitiæ inhærentis; 3° modo forensi, pro justum pronuntiare et declarare.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, dari justitiam inhærentem: volunt autem Protestantes, nos per eam sanctificari, et quamvis ab eâ possimus denominari justi, tamen in justificatione coram Deo, non esse justos per justitiam Christi nobis donatam et imputatam, de quâ agemus in sequentibus.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, finem justificationis esse gloriam Dei et Christi ad salutem æternam eorum qui justificantur; causam primariam efficientem nostræ justificationis esse Deum; causam efficientem justificationis per modum meriti sive meritoriam, esse Christi passionem. Causam materialem

possumus dicere voluntatem hominis respectu justitiæ inhærentis, vel totum hominem respectu justitiæ nobis donatæ et imputatæ; causam formalem justificationis, quatenùs dicimur justi à justitiâ inhærente, esse ipsam justitiam inhærentem; quatenùs verò possumus dici justi à justitiâ nobis donatâ, esse ipsam justitiam nobis donatam, quæ ut subjecto communicetur, requiritur, ut conditio causæ formalis, applicatio ex parte Dei erga nos.

ANIMADVERSIONES.

Super insequentibus capitibus, quæ ad justificationem spectant, haud longo sermone opus est. Quamvis enim in suæ separationis initiis potissimùm in hunc articulum Protestantes institerint, quippe qui in eorum scissione præcipuus esset, hàc tamen ipsâ de re longè aliter in præsentiâ loquuntur. Melanchthon ipse in suâ fidei Confessione ad Franciscum I missâ, fateri cogitur suæ factionis homines non ampliùs perinde atque initio super hoc negotio excandescere. Ita enim loquitur in titulo de Justificatione, Fide et Operibus, quæ fusiùs explicat : « Controversiam hanc, de quâ initio « magna fuerunt certamina, ipsa tempora mol« lierunt. »

Guillelmus Forbesius de Justif. l. 3, p. 93, fusè admodùm et graviter retulit quidquid ad hanc rem quod attinet dictum fuit. Doctus hic Protestans ostendit assectarum suorum complures haud satis modi servâsse, ac si quando ad eas omnes disputationes, quæ justificationem spectant, animum ad pacem compositum conferri libuerit, dissidentes partes duas conciliari facillimè posse; ita denique de suorum temporum infelicitate conqueritur : « Hoc in« felici seculo, rixarum et contentionum ad« modùm feraci, veræ pietatis et justitiæ ste« rili, plerique magis amant altercari inaniter « et inutiliter, quàm utiliter et fructuosè ope« rari. »

CAPUT LXII.

De objecto fidei justificantis.

Quæritur an objectum fidei justificantis sit sola promissio misericordiæ, an verò tam latè pateat quàm latè patet verbum Dei. Quæstio intelligitur de misericordiâ *speciali,* non quasi illa antecederet, vel esset aliquid in individuo revelatum de salute hujus vel illius credentis, quam revelationem quisque credens debeat apprehendere, sed de misericordiâ quæ per ipsam fidem specialis evadit, hoc est, quam hic et ille fidelis per fidem sibi applicat.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, 1° objectum fidei, *quæ justificat,* tam latè patere, quàm latè patet verbum Dei ; 2° objectum fidei, *quæ justificat*, comprehendere promissionem misericordiæ ; nam promissio misericordiæ est aliquod verbum Dei, sive à Deo revelatum ; 3° objectum attributionis sive principale objectum fidei justificantis esse promissionem misericordiæ : nam credendum est quicquid Deus revelavit et promisit, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, quæ est in Christo Jesu. Nam fides, cui S. Scriptura justificationem adscribit, est certus et firmus assensus, propter auctoritatem dicentis et revelantis Dei elicitus, quo vera creduntur ea quæ divinitùs revelata sunt ac promissa, atque illud maximè, à Deo impium justificari per gratiam Christi Jesu ejusdemque redemptionem.

Atque hìc observandum est, hominem per justificationem pervenire ad justitiam inhærentem, quâ incipimus esse justi, et efficimur consortes divinæ naturæ, et habemus charitatem diffusam in cordibus nostris : Pervenire etiam ad justitiam nobis cum Christo donatam, sive justitiam Christi cum omni ejus merito. Deus enim donavit nobis Christum, et omnia cum eo, quando *Filius natus est nobis, et Filius datus est nobis*, quem etiam in sacrificio offerimus Deo, de suis donis et datis ; ipsis etiam baptizatis, in morte Christi baptizatis, et cum eo sepultis, quasi ipsi personam Christi gerentes mortui fuissent, passi et consepulti cum Christo, et cum Christo resurrexissent in novam vitam.

Itaque si fidem justificantem consideremus, quatenùs per eam pervenimus ad justitiam inhærentem, rectè dicitur habere pro objecto quidquid Deus revelavit, inter quæ emineat promissio misericordiæ. Sin autem fidem justificantem consideremus, quatenùs per eam pervenimus ad justitiam nobis donatam, rectè dicitur ejus objectum sola promissio misericordiæ, cùm vi istius promissionis ea justitia nobis donetur.

Quoad misericordiam *specialem,* docent cum Catholicis Protestantes, quòd homines, peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, *fidentes,* Deum sibi propter Christum propitium fore. Nam initium et fundamentum necessarium est, tum fides catholica dogmatum, historiæ et promissionum :

hæc enim tria fides catholica et universalis complectitur; tum etiam fides privata promissionis, quâ quisque credat sibi Deum non defuturum, neque negaturum auxilium efficax, et se tandem à Deo justificandum : nam si aliquis existimaret, Deum sibi negaturum auxilium efficax ad salutem, omnis ad justificationem progressus et dispositio impediretur, ut manifestè constat. Inter reliqua enim necessaria ad justificationem primam, debet esse spes veniæ; hæc autem sine fide peculiari esse non potest. Nam quamvis aliquis crederet ea quæ universis promissa sunt, nempe verè pœnitentibus peccata remitti, et pœnitentiâ aliisque bonis operibus à Deo obtineri veniam et justificationem, tamen nisi etiam credat se iis operibus quæ exercet à Deo veniam consecuturum, quæ sanè est fides peculiaris promissionis, non poterit nunc veniam sibi à Deo sperare, ac proinde neque justificationis compos erit, siquidem spes non minùs necessaria dispositio est ad justificationem quàm fides. Vid. S. Aug. lib. 1 de Doctr. christ. cap. 18.

Hæc fides specialis promissionis pro objecto habet promissionem misericordiæ, et nihil aliud est quàm firma fiducia; cùm enim in Evangelio salus tribuitur fidei, per fidem intelligitur assensus veritatibus revelatis præstitus, fiduciâ ex omnipotente Dei bonitate conceptâ. Fides autem illa specialis per gratiam Spiritûs sancti accipitur, et est donum Dei per Christum; sed quia non nititur objecto quod est à Deo revelatum, neque omnem excludit formidinem, ideò fidelis indiget confirmatione, quam etiam per Dei instituta quærere debet.

Re totâ ad eum modum explicatâ, non videmus cur Protestantes in hâc causâ dissentiant à Catholicis.

CAPUT LXIII.

De subjecto fidei justificantis.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, ad fidem requiri motionem et piam quamdam affectionem voluntatis, intellectum inclinantis ad assentiendum huic testimonio propter veritatem Dei testantis : et sic fidem, quatenùs significat assensum, formaliter quidem esse in intellectu, sed tamen requirere concurrentem motionem voluntatis.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, ex fide oriri fiduciam, et hanc esse effectum fidei : fides enim est origo et radix fiduciæ. Sicut ergo ad obediendum fidei requiritur imperium voluntatis, ita ex fidei certitudine nascitur fiducia, quæ pertinet ad voluntatem, ut quasi circulo quodam incipiat à voluntate hæc fides, et desinat in voluntatem.

His positis, fiducia obtinendæ veniæ, qualis esse debet in homine pœnitentiam agente, præcedit justificationem, et hæc fiducia est fides specialis misericordiæ, ad obtinendam justificationem necessaria. Est et alia fiducia, quâ quis confidit, sibi remissa esse peccata, seque Deo gratum esse et hæredem regni, quæ pendet à bonâ conscientiâ et perseverantiâ in dilectione Dei et operibus bonis, ac proinde præexigit justificationem; non illam efficit, atque per hoc non est fides justificans, sed aliquid fide justificante posterius.

Observatâ hâc duplici fiduciâ, etiam illud notandum est, Protestantes fidem justificantem frequenter describere per certitudinem de remissione peccatorum obtentâ, de misericordiâ Dei in Christo specialiter applicatâ, cùm tamen ea certitudo sit aliquid posterius fide justificante, et sequatur justificationem. Ideò tamen id fieri, quia perfectio et consolatio fidei justificantis in eâ certitudine magis apparet, quando describitur fides justificans per illustrem effectum ejusdem fidei.

Atque hinc factum est ut fidem populariter ita soleant describere Protestantes, quasi partim esset in intellectu, partim in voluntate, intelligentes per fidem justificantem etiam fidem privatam promissionis, quam existimamus nihil differre à fiduciâ obtinendæ veniæ et justificationis, quæque ad justificationem prærequiritur, et eamdem fidem describentes per subsequentem fiduciam, quarum utraque pertinet ad voluntatem. Dicit Cocceius disp. 18 Cor. n. 10 : « Fidei subjectum æquè pro« priè est voluntas ac intellectus. »

CAPUT LXIV.

Sitne fides notitia an assensus.

Fides quatenùs est in intellectu, propriè est assensus, et supponit aliquam notitiam; et impropriè est notitia, et parit aliquam notitiam.

Diximus, *quatenùs est in intellectu,* ne latiore significatione intelligeretur fiducia quæ est in voluntate, quæque hùc non pertinet. Diximus, *propriè esse assensum,* et in hoc nulla est difficultas. Diximus, prærequiri, *sive supponi aliquam notitiam,* quia objectum fidei debet nobis esse credibile, et ut tale cognosci, antequàm assentiamur. Diximus, *esse impropriè notitiam,*

quia ita dici potest à notitiâ, quam supponit et quam parit. Diximus, *fidem parere aliquam notitiam,* quia est via et gradus ad intelligentiam.

Non putamus hoc loco Protestantes inventuros cur à Catholicis dissentiant.

CAPUT LXV.

An fides sola justificet.

Prout diversimodè accipitur justificatio, sive tendens ad justitiam inhærentem, sive ad donatam et imputatam, ita diversimodè loquendum est de fide, prout ad hanc vel illam justitiam obtinendam concurrit.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, 1° nulla opera, nullam dilectionem, nullum meritum ex naturæ viribus procedere, quo homo aut obtineat justificationem, aut se præparet ad eam recipiendam; 2° peccatorem, cùm justificatur, nullo modo mereri remissionem peccatorum, vel reconciliationem cum Deo, neque de congruo, sed fieri omninò gratis propter meritum Christi Jesu omnem justificationem.

Si quæratur an fides sola justificet per modum dispositionis, docent cum Catholicis Protestantes, ut fides actu justificet, requiri ut sit viva; fides enim, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit; rectè autem dicitur de fide vivâ, quòd sola justificet. Non igitur fides quatenùs est in intellectu, sola justificat, per modum dispositionis; sed requiritur aliarum virtutum præsentia: nulla enim remissio peccatorum obtinetur, nisi peccatoribus per cordis compunctionem dispositis, quando agnitione peccati et dolore præparantur ad accipiendam gratiam, et ad beneficium justificationis adducuntur, quamvis interim ejusmodi dispositiones prærequisitæ non acquirant peccatori jus aliquod ad accipiendam justificationem.

Si unum quæratur an fides sola justificet per modum instrumenti, dicent cum Catholicis Protestantes, fidem non esse solum instrumentum quo Deus applicet hominibus justitiam, sive inhærentem, sive donatam et imputatam: cùm enim et Sacramenta sint divinitùs instituta instrumenta, quibus Deus largiatur justitiam, fides non potest dici solum instrumentum justitiam applicans.

Verùm quia in justificatione adulti requiritur fides specialis promissionis, quæ generales promissiones in particulari applicat, illæque promissiones continent meritum Christi et justitiam Christi nobis donatam, rectè dicitur ista fides seu fiducia sola justificare, id est, apprehendere ex parte justificandi meritum et justitiam Christi credentibus promissam, idemque meritum et justitiam in particulari applicare, unde reliqua gratiæ auxilia deriventur, quibus ad internam renovationem et justitiam inhærentem pervenitur. Fiducia illa, quæ est apprehensio justificationis, ut possessionis nostræ præsentis, quâque post acceptam remissionem peccatorum, statuimus nos esse apud Deum in gratiâ, est aliquid consequens justificationem, ejusdemque fructus.

Istâ ratione explicatâ quæstione, non erit unde Catholicis contradicant Protestantes.

CAPUT LXVI.

An fides possit esse sola.

Quæritur an fides possit esse sola, et separata à dilectione, aliisque virtutibus? Convenit inter Catholicos et Protestantes, fidem, quatenùs significat assensum intellectûs, qui præbetur veritati revelatæ, posse in homine reperiri sine charitate aliisque virtutibus: nihil enim prohibet, quominùs sine charitate quis credat historiis, miraculis, dogmatibus et promissionibus generalibus. Convenit etiam fidem solam, quæ est in intellectu, separatam à spe et charitate, non justificare. Nam fides actu justificans semper habet adjunctam spem et charitatem, quibus absentibus non justificat.

Si tamen accipiatur fides pro fide speciali quæ promissiones generales in particulari applicat, cum adjunctâ verâ fiduciâ et reliquis necessariis, sic necessariò adjunctam habet spem et charitatem, neque potest inveniri sola, quia esset separata à seipsâ, et desineret esse talis fides.

Itaque, si per *fidem veram* ea intelligatur quæ habet objectum verum, non est dubium quin talis fides possit esse separata à charitate, Si per *fidem veram* ea intelligatur quæ est habitus à Deo infusus, inclinans ad assentiendum veritati revelatæ, non est dubium quin talis fides reperiatur sine charitate. Si per *fidem veram* intelligatur assensus veritati revelatæ præstitus, et ea potest esse sine charitate. Si per *fidem veram* intelligatur fides specialis, de quâ est actum, ea non magis potest esse sine charitate, quàm ultima dispositio ad formam sine formâ, quia fides illa specialis, reliqua necessaria habens conjuncta, est ultima dispositio ad charitatem.

CAPUT LXVII.

De perfectione justitiæ inhærentis.

Dari justitiam inhærentem, hoc tempore non negant Protestantes. Dicunt autem justitiam inhærentem esse inchoatam, respectu justitiæ, quam in cœlis possident beati, quæque, ut perfectior, eosdem tuetur ab omni peccato, nostrâ non impediente quominùs teneamur dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, ideòque necesse est ut in dies à Dei misericordiâ sustentemur. Potest etiam justitia nobis inhærens dici imperfecta respectu justitiæ Christi, ut quæ indubiè justitiam nostram infinitè excedit, et vi cujus, justitia inhærens homini à Deo tribuitur. Nulli, quod sciamus, dicunt, justitiam inhærentem esse potiùs vitium quàm virtutem, potiùs injustitiam quàm justitiam : omnes enim docent, justitiam inhærentem consistere in virtutibus à Deo infusis, quas vitia vel justitiam compellare, extremæ foret insaniæ. Docent aliqui Protestantes, etiam habitualem justitiam multis peccatorum sordibus esse contaminatam ; sed quomodò id verum sit in parvulis baptizatis et regeneratis, ipsi viderint ; si enim ibi justitia inhærens sit peccatorum sordibus contaminata, quomodò ea contaminatio non erit à Deo? quomodò enim in adultis contaminata erit habitualis justitia, quæ à Deo solitariè infunditur? Alii Protestantes recurrunt ad imperfectionem operum, quæ à justitiâ inhærente procedunt ; sed præterquàm quòd ea quæstio hùc non pertineat, si qua operibus istis adhæret contaminatio, ea secundùm ipsos non est à justitiâ inhærente ; est autem à radice concupiscentiæ : neque necesse est ut universa et singula justificati opera, quæ procedunt à justitiâ inhærente, etiam procedant ab initio vitioso, ut illi gratis asserunt. Sufficit nobis, si ejusmodi agnoscatur justitia inhærens, à quâ fideles rectè dicantur justi.

CAPUT LXVIII.

De justitiâ tum inhærente, tum donatâ, seu imputatâ.

Nullus dubitat quin detur justitia inhærens. Et quia in præcedentibus aliquoties dictum est de justitiâ donatâ, seu imputatâ, necesse erit de eâ hoc loco breviter agere.

Imputare quidquam alicui est idem atque inter ea quæ sunt ipsius et ad eum pertinent, aliquid connumerare et recensere. Dicit Bellarminus lib. 2 de Dei Justif. c. 7, § 4 : « Si solùm vellent (Protestantes) nobis imputari « Christi merita, quia nobis donata sunt, et « possumus ea offerre Deo Patri pro peccatis « nostris, quoniam Christus suscepit super se « onus satisfaciendi pro nobis, nosque Deo « Patri reconciliandi, recta esset eorum sen- « tentia. » Hæc sententia est Protestantium, uti habet Gerhardus. Conf. lib. 2, part 3, art. 23, cap. 4, pag. 700 ; Amesius, lib. 6, cap. 1, thes. 19. Dicit Bellarminus, ibid. c. 10, § *Deinde :* « Dicitur Christus justitia nostra, « quoniam satisfacit Patri pro nobis, et eam « justitiam ita nobis donat et communicat, « cùm nos justificat, ut nostra satisfactio et « justitia dici possit. Nam etiamsi per justitiam « inhærentem verè justi nominemur et simus, « tamen non per eam satisfacimus Deo pro « culpis nostris et pœnâ æternâ ; sed est illa « justitia inhærens cum remissione culpæ « effectus satisfactionis Christi, quæ, ut docet « conc. Trid. sess. 6, cap. 7, nobis in justifi- « catione confertur et applicatur. Et hoc modo « non esset absurdum si quis diceret, nobis « imputari Christi justitiam et merita, cùm « nobis donentur et applicentur ac si nos ipsi « Deo satisfecissemus, modò non negetur esse « in nobis præterea justitiam inhærentem, « eamque veram et absolutam esse justitiam, « cui justo Dei judicio non debeatur pœna, « sed gloria. Sic enim loquitur Bernardus, « epist. 190 ad Innocentium : *Nam si unus*, « inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes* « *mortui sunt.* Ut videlicet satisfactio unius om- « nibus imputetur ; sic omnium peccata unus « ille portavit. » Similia habet card. Hosius Consess. 73. Et hanc esse suam sententiam de justitiâ Christi nobis donatâ, seu imputatâ, testatur Gerhardus loc. cit., et Amesius, ibid. thes. 5 in probat. Dicit Bellarminus ibid. § *Respondeo : Non dicitur ;* « Nobis imputatur « justitia ejus (Christi) quoad satisfactionem, « quam pro nobis præstitit. » Item ibid. § *Hæc igitur :* « Justitia Dei est justitia ipsa divina, « quæ est in Christo. Quâ justitiâ nos justi « dicimur, non in nobis, sed in illo, quia ipse « est caput nostrum ; et quod convenit capiti, « convenit etiam membris, non ut sunt mem- « bra distincta à capite, sed ut faciunt unum, « et sunt unum cum ipso capite. » Hanc esse suam sententiam dicit Gerhardus, loc. c., et Amesius, ibid. thes. 7, in probat.

Atque hinc patet quid Protestantes intelligant per justitiam relativam : neque enim volunt eam consistere in otiosâ cogitatione,

sed resultare ex applicatione unius ad aliud : non volunt esse meram fictionem juris, sed actualem absolutionem et donationem justitiæ Christi. Et quia explicandum est, quomodò ea justitia aliquibus contingat, et non omnibus, rectè dicunt, id fieri ex communicatione quam vinculo Spiritûs sancti habemus cum ipso, qui est caput nostrum, et cujus quoque nos membra sumus : nam efficimur ejus membra per communionem ejusdem Spiritûs in cordibus nostris diffusi, ac proinde hæc relatio intelligitur tanquàm capitis ad membra, tanquàm membrorum ad caput, ita ut quod tribuitur Christo capiti, etiam tribuatur fidelibus tanquàm ejus membris.

Observandum est quòd sicut justificare acceptum more forensi, non importat immediatè, nisi solam actionem Dei justificantis, ita complectitur in suà latitudine, quòd justitia Christi nobis donetur, cujus intuitu et inhærens justitia communicetur, quæ sit terminus et proprius effectus justificationis sic acceptæ; est enim imputatio, seu communicatio meritorum Christi causâ, ut detur nobis aliquod donum et beneficium, hoc ipso, quòd talia sunt merita nostri capitis Christi, ut ipse voluerit esse suorum membrorum, ut ratione illorum membris etiam dona sua largiretur Deus.

Sic proposita et explicata Protestantium sententia, fortassè nihil incommodi inveniet apud doctores catholicos.

CAPUT LXIX.

De justificationis causâ formali.

Agnoscunt cum Catholicis Protestantes, vocem justificationis in S. Scripturâ et SS. Patribus sumi pro collatione justitiæ inhærentis, quam ipsi communiter dicunt sanctificationem : agnoscunt hujus formam esse justitiam inhærentem; esse virtutem, non vitium : agnoscunt denominatione absolutâ hominem ab inhærente justitiâ denominari justum : « Justi verè fiunt (inquit Calvinus, vera Ecc« cles. Reform. Ratio, pag. 368); non nega« mus, justos nominari Dei filios, aut à vitæ « sanctitate, aut à purâ conscientiâ. » Ibid. infusionem justitiæ inhærentis semper esse conjunctam cum forensi justificatione, ceu infallibile consequens.

Vicissim Protestantibus concedunt Catholici, justificationem forensem et judicialem veram esse, et rectè cum S. Scripturâ dici justificationem. Concedunt, ubi Scriptura agit de solâ liberatione à pœnâ et concessione veniæ, non includi infusionem justitiæ inhærentis tanquàm medium liberationis, quia mediante illâ non liberamur à pœnâ, neque conceditur venia. Et quamvis ubi abstractivè agitur de solâ liberatione à pœnâ et concessione veniæ, non includatur infusio justitiæ inhærentis, tanquàm medium liberationis, non tamen ideò excluditur infusio justitiæ inhærentis, tanquàm medii internè renovantis et justum facientis. Concedunt, propter meritum Christi nos pronuntiari liberos à pœnâ et culpâ, quando absolvimur, quia non tantùm remittitur debitum pœnæ, sed etiam ipsa culpa habetur pro non commissâ, et sic demeritoriè aufertur. Quapropter, si non agatur de justificatione omni et in genere, sed de eâ tantùm, quæ sit via et medium propter quod ex irâ Dei in gratiam, favorem et amicitiam Dei transferimur, atque acceptamur ad vitam æternam, concedimus, eam esse justitiam Christi solam; nam in primâ justificatione nullum concurrit nostrum meritum, sive agatur de justitiâ donatâ et imputatâ, sive de inhærente, et ad imputationem seu donationem justitiæ non concurrit justitia inhærens, quia hanc illa præcedit. Etenim per justitiam Christi nobis extrinsecam non tantùm censemur et reputamur non injusti, sed etiam censemur et reputamur participes justitiæ Christi, et in judicio divino exactè conformes; insuper positivè justi, si id intelligatur, quòd positivâ justitiâ simus extrinsecè justi; neque enim peccator propter propriam et inhærentem justitiam in gratiam recipitur, sed propter justitiam Christi; neque propter propriam et inhærentem justitiam acceptatur ad gloriam, sed ex gratiâ homini justitiam Christi donante, justitiam inhærentem infundente, in bonis operibus ducente, et vitam æternam fideliter et clementer donante.

Hæc nunc obiter, ex quibus constat, si agnoscenda sit in justificatis justitia donata seu imputata, et justitia inhærens, hominem denominatione absolutâ dicendum esse justum à solâ justitiâ inhærente, sive intrinsecâ, uti suo tempore per gratiam Dei pleniùs ostendemus.

CAPUT LXX.

In quo sit collocanda fiducia.

Fundamentalem et undique solidam fiduciam homini christiano collocandam esse in bonitate Dei nostram salutem volentis; in misericordiâ Dei, dona gratiæ propter Christum conferentis;

in liberalitate Dei vitam æternam promittentis, apud omnes in confesso est. Neque ullus diffitetur quin adultis necessarium sit bonorum operum exercitium, si salutem, uti oportet, desiderent. Quocirca non ita in solâ Dei misericordiâ est acquiescendum, quasi exercitium bonorum operum non esset necessarium; sed credendum est, vitam et gloriam æternam conferendam esse justis, tanquàm filiis Dei adoptivis, ex gratiâ et misericordiâ, ita tamen ut eadem vita et gloria æterna detur justis, tanquàm benè operantibus, ex fidelitate promissionis divinæ, ex liberalitate Dei originem ducentis. Misericordia Dei propter Christum justificantis, et fidelitas Dei benè operantibus salutem promittentis, sunt vera fundamenta solidæ fiduciæ. Nam sicut in misericordiâ Dei peccatores justificantis, justitiam ac meritum Christi nobis donantis, justitiam inhærentem gratis infundentis meritò confidimus, ita meritò confidimus liberalem et gratuitam Dei promissionem, de vitâ æternâ benè operantibus largiendâ, fideliter implendam. Cùmque vita æterna malè operantibus et in malo perseverantibus non sit adjudicanda, quibus lex posita est, ut benè operentur, si velint salvari, necesse est ut sine bonis operibus vitam non sperent, sed in bonis operibus se exerceant. Unde benè operantes experiuntur suas adversitates spem operari et abundantem fiduciam, nihil ambigentes de remuneratione, quando per bona opera vocationem suam certam faciunt, ubi patientia est necessaria, quò voluntatem Dei facientes reportent promissionem. Verùm quia justi meritò verentur omnia opera sua, et sciunt Deum ex propriâ justitiâ non teneri ad dandam fidelibus vitam æternam, tutissimum est spem omnem reponere in solâ Dei benignitate et misericordiâ, cùm non sine causâ videamus in Ecclesiâ catholicâ semper observatum, ut qui morti jam sunt proximi, diligenter admoneantur, quò propriæ justitiæ diffisi, in unâ Christi justitiâ spem suam et fiduciam omnem habeant collatam, illam Patri cœlesti repræsentent, illi uni innitantur.

CAPUT LXXI.

De certitudine justitiæ.

Quæritur utrùm debeat, aut possit aliquis sine speciali revelatione certus esse, certitudine fidei divinæ, cui nullo modo possit subesse falsum, sibi remissa esse peccata.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, etiam viros sanctos hæsitare de favore Dei, quando gravioribus premuntur tentationibus. Neque ullum est dubium quin gratia justificationis in fidelibus gaudium, pacem et fiduciam generet. Hanc autem fiduciam solent Protestantes vocare fidem (quæ quidem non nitatur speciali revelatione), sed provenientem ex fide justificante et virtutibus ei conjunctis, quæ hæsitationem et fluctuationem excludit, sollicitudinem tamen et cautionem non avertit. Et in hoc nulla difficultas. Calvinus Antid. synod. Trid. sess. 6, pag. 331, expressè loquitur de spei certitudine, et similiter loquitur Responsione ad Sadoletum pag. 151, de certâ spe.

CAPUT LXXII.

De certitudine prædestinationis.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, non posse cognosci à priori, sive per causam, an simus prædestinati, neque justum habere evidentem cognitionem suæ prædestinationis; quemlibet fidelem, in bonis operibus sese exercentem, debere firmâ et certâ spe expectare vitam æternam. Nam cognitâ Dei bonitate, oportet spem et fiduciam inde concipere consequendæ salutis æternæ, non rejicientes quidem timorem et tremorem in sacris Scripturis commendatum, sed dubitationem, hæsitationem et diffidentiam. Voluit enim Deus ut suam misericordiam haberemus præ oculis, et nostram infirmitatem, ut illâ erigeremur dejecti, hâc humiliaremur elati; ut si quis dicat in abundantiâ suâ : *Non movebor in æternum*, habeat considerationem infirmitatis suæ, in timore revocantem; si quis autem humilitate suâ conturbetur, habeat misericordiam consolantem. Sed quia Protestantes præcipuè urgent certitudinem fiduciæ, quam agnoscimus, non est, quòd huic materiæ diutiùs immoremur.

CAPUT LXXIII.

De bonis operibus.

Convenit inter Catholicos et Protestantes, non omnes justos esse æqualiter justos, si agatur de justitiâ inhærente, ut quæ accipiat incrementum per bona opera. Convenit etiam, bona opera esse necessaria et per ea fideles disponi ad salutem adipiscendam. Sunt enim necessaria, necessitate præcepti divini; necessitate medii ad Dei gloriam et salutem nostram ordinati, quia promissio vitæ æternæ est conditionata, et requirit bona opera.

Unde et nobiscum tenent Protestantes, bona opera esse media administrantia salutem, et eò tendentia ; justos efficienter operari suam salutem; opera bona esse conditiones ad vitam, viam ad vitam, omnemque viam habere rationem causæ, saltem sine quâ non. Qualis autem sit eorum causalitas, videri potest apud Vasquium, 1-2, disp. 220, cap. 7, num. 64, etc.

Docent Catholici, dari bona justorum opera, quæ non sint peccata. Quamvis enim multis justorum operibus conveniat ut peccatis non careant venialibus, et in multis offendant justi, non tamen dicendum est, omni actioni à justo procedenti conjunctum esse peccatum. Cur enim? An quia omnia vitiantur ab innatâ concupiscentiâ? sed unde probatur, ad universa et singula justorum opera concurrere vitiosum motum concupiscentiæ, quæ non semper movetur, et cui à justis frequenter resistitur? An quia justi non tanto fervore et perfectione dilectionis operantur, quanto operabuntur in cœlis? Sed unde probatur eum, v. g., non diligere Dominum Deum ex toto corde, qui constanter pro eo martyrium subit? Fieri potest ut perfecta mandati observatio reperiatur, ubi tamen in simili reperitur actio perfectior. Sic omnes Apostoli ex mandato prædicabant, non ideò imperfectè nonnulli, quia de Evangelio vivebant, quamvis perfectiùs S. Paulus, qui nullo audientium sumptu prædicabat. Quomodo sit possibile servare omnia præcepta, et tamen impossibile non offendere venialiter, vide Vasquium 1-2, tom. 2, disp. 212, cap. 1; et cap. 2, n. 14, pag. 700, etc.

Conclusio.

Habetis, domini Protestantes, in hoc quarto motivo plerasque controversias fidei quæ inter Catholicos et Protestantes agitantur, breviter deductas. Rogamus Deum, ut qui responsuri sunt (quos non defuturos facilè conjicimus) modestiam afferant et moderationem; modestiam si attulerint, rem facient convenientem, lectoribus jucundam, et universis utilem; moderationem si præstiterint, non tribuent Ecclesiæ catholicæ vel alienas vel particularium doctorum sententias; sed rem ipsam aggredientur, quæque universaliter definita et recepta sunt, liberè examinabunt; tum improbantes quod displicet, tum solidiora, si possint, proferentes. Ita enim ad pauciores venietur controversias, et quæ supererunt, minorem patientur difficultatem, si quidem præmissâ ratione procedatur.

FRANCISCI VERONII (1)

METHODUS COMPENDIARIA,

Sive brevis et perfacilis modus, quo quilibet catholicus etiam scholis theologicis non exercitatus, potest solis Bibliis, sive Genevensia illa sint, sive alia, et Confessione fidei religionis prætensæ, ministrum evidenter mutum reddere, et religionario cuicumque, quòd in omnibus et singulis prætensæ reformationis suæ punctis errore teneatur, demonstrare.

CAPUT PRIMUM.

Quomodò religionario demonstrari debeat, quòd nullum purum verbum Scripturæ sanctæ habeat, quo articulus aliquis Reformationis suæ prætensæ justificetur.

Cum ministro aliquo aut religionario ad nos veniente, sic procedendum : Vos in articulo 31 Confessionis fidei vestræ, sic loquimini : « Nostro tempore, quo status Ecclesiæ « interruptus erat, suscitavit Deus extraordi- « nario modo homines, qui vastatam ac deso- « latam Ecclesiam de novo erigerent. » Sic religio vestra prodiit, ut dicitis, ut nostros reformet errores. In articulo 5, hæc verba habentur : « Verbum quod his libris (de libris

(1) Vide Franc. Veronii vitam, Theologiæ vol. 1, col. 1313.

« Scripturæ sanctæ fit mentio) continetur, « est veritatis omnis regula, complectens « universa ad cultum divinum, nostramque « salutem necessaria; neque homini, vel etiam « angelo fas est quidquam addere, diminuere, « mutare. Ex quo sequitur, neque antiquita« tem, neque consuetudinem, neque multitu« dinem, neque sapientiam humanam, neque « judicia, neque aresta, neque dicta, neque « decreta, neque concilia, neque visiones, « neque miracula sacræ huic Scripturæ opponi « debere, sed contra res omnes juxta illam « examinandas, dirigendas et reformandas « esse. » Hæc sunt verba jam dicti articuli.

Sic tam in hoc quàm in altero articulo, si conjunctim sumantur, dicitis quòd vos, aut Religio vestra, vel ministri vestri (quod volueritis, accipite) suscitati sitis, et à Deo missi ad collustrandum nos lumine veritatis, et ad nobis errores nostros patefaciendum, et hoc per solum et purum Dei verbum in Scripturâ sanctâ contentum, quæ est *regula infallibilis veritatis*.

Primò tantisper oppugnare possum qualitatem Reformatorum, quam vobis adscribitis, donec mihi ostenderitis litteras missionis vestræ et commissionis. Possum legitimè excusari, si Reformationi vestræ non me subjiciam. Quod corpus, sive judiciale illud sit, sive aliud, vellet in titulum Reformatorum, legum et consuetudinum, secundùm quas in excidio muneris sui procedit, recipere quempiam, qui diceret se missum esse, ut regio munere fungeretur, si commissionis suæ litteras non posset ostendere? Tamen ultrò ad qualitatem hanc et titulum Reformatorum vos admitto, et placet ut me veritatem doceatis, et abusus meos, si qui sint, reformetis.

Secundò, quibus regulis et quâ formâ vultis me corrigere, errores meos detegere, et in veritate evangelicâ illuminare? Respondetis in articulo 5, jam nominato, quòd id facere velitis per purum verbum Dei, in Scripturâ sanctâ expressè positum; seponendo *antiquitatem, consuetudines, multitudinem, sapientiam humanam, judicia, aresta, edicta, decreta, concilia, visiones, miracula*. Possum ejusmodi reformationis modum rejicere; nam quare non etiam cum Scripturâ his omnibus regulis uta (ad veritatem cognoscendam, præsertim cùm Scriptura non dicat, quòd ipsa sola sit *regula omnis veritatis*? Durum est mihi valdè omni antiquitati renuntiare, conciliis, miraculis, et omnibus jam dictis. Nihilominùs, ut vobiscum collationem inire aggrediar, gratis titulum Reformatorum, per purum verbum scriptum vobis concedo, et paratus sum omnibus jam dictis renuntiare, modò promittatis, quòd per puram Scripturam sitis mihi errores meos manifestaturi.

Tertiò plures sunt hujus Scripturæ versiones; secundùm quam vultis me reformare? fortassis id facere voletis secundùm versionem Genevensem? recusare possum reformationem per ejusmodi Scripturam, cùm ipsa sit mutilata, aucta, depravata, plusquàm in 2000 textibus. Cæterùm, ut locus collationi detur, tertiam hanc vobis offero gratiam. Sum contentus oculos aperire, et religionem vestram amplexari, si per purum verbum contentum in versione Genevensi, et fidei veritatem, quam venditatis, et errores meos ostenderitis.

Vobis triplicem, et quidem non exiguum, exhibeo gratiam. Prima est, quòd vobis titulum Reformatorum non denegem; secunda, titulum Reformatorum per purum verbum; tertia, per purum verbum secundùm versionem Genevensem. Cæterùm memineritis quòd tantùm mihi purum verbum afferre debeatis; nam si loco illius interpretationes vestras mihi obtruseritis, confessionem vestram abnegatis, et fidem datam non servatis. Valdè imprudens essem, si toti antiquitati renuntiarem, conciliis, aut miraculis, necnon reliquis, propter interpretationem et judicium vestrum.

Conformiter iis quæ dicta sunt, promissioni vestræ ac iis quæ habentur in articulo vestro 5, duo à vobis peto: Primum, ut per purum verbum mihi ostendatis veritatem omnium articulorum, quibus, ut dicitis, fidem adhibere debeo; paratus sum credere, si eos per Biblia, etiam Genevensia, comprobaveritis. Secundum, ut mihi errores meos per ipsum purum verbum demonstretis; utrumque peto; nam id profitemini vos facturos, dùm asseritis, quòd Scriptura sit *regula omnis veritatis*, et quòd aliam non agnoscatis. Et posito quòd in fide meâ errore circumducerer, nollem tamen ab eâ desciscere propter aliam, quæ meâ pejor esset. Ecquis equum luscum pro cæco commutavit? Cupio igitur per purum verbum, fidei vestræ veritatem mihi manifestetis, nec est quòd vos excusetis, nam missi estis, ut nos illuminetis, et nobis veritatem aperiatis. Ego expressiùs primam petitionem meam formo, nimirùm, ut per purum verbum articulos Confessionis vestræ sub-

aperiatis, quibus vultis me illuminare, et mihi veritatem manifestare.

Dicitis in articulis 36 et 37, quòd per *fidem apprehendamus,* aut secundùm terminos inter vos usitatos, *per os fidei, corpus Domini nostri;* et quòd *cœna est figura corporis sui, quod tantùm in cœlo est.* Hoc ostenditur. In Bibliis omnibus Genevensibus non invenio mentionem aliquam fidei, *oris fidei,* nec ea loqui *de figurâ Jesu Christi absentis*, in locis in quibus agitur de cœnâ; si hoc commonstraveritis, jamjam ego credam, et primæ religioni mox renuntiabo : si non, vani estis et impostores. In articulo 11 dicitur quòd *peccatum originale post baptisma sit semper peccatum, quoad culpam, quamvis condemnatio aboleatur in infantibus Dei, dùm per bonitatem suam gratuitam illis non imputatur.* Hoc probatum per purum verbum Genevense. In articulo 24 : *Jesus Christus nobis datus est pro solo advocato.* Tantùm pro voce *solo* digladiamur; ostendite mihi in Scripturâ Genevensi. In articulo 20 habetur : *Credimus nos esse participes hujus justitiæ* (scilicet christianæ) *per solam fidem;* tantùm de voce, *sola*, contendimus. Etsi opera facta in fide Jesu Christi sint necessaria, ostendite mihi vocem hanc, *sola*, in locis in quibus fiat mentio operum factorum in fide Jesu Christi, et non in locis in quibus manifestè sola opera legis Judaicæ excluduntur à justificatione christianâ, de quo et non alio disputamus.

Ego capite 4 confero textus quos ibi citat Prætensa in margine omnium istorum articulorum, et ostendo quòd ne quidem unicus articulorum istorum ibi invenitur; ubi veritatem eorum mihi probaveritis, quæ vultis, ego credam: demonstrate mihi, sicut diximus, falsitatem articulorum quos ego credo.

Articuli fidei meæ sunt, exempli gratiâ, quòd sit *Purgatorium; intercessio sanctorum; confessio auricularis,* et alii; *sanctitatem peregrinationum, vota monastica agnosco.* E contrario articulo 24 dicitis quòd *sanctorum intercessio sit abusus, Purgatorium, vota monastica, peregrinationes,* et similia, illusio. Errorem mihi in his articulis monstrate, et quidem per purum verbum, quod non citatis in margine ejusdem articuli 24, unde signum est vos illo destitui. Respondebitis mihi, quòd ad probandum hæc omnia esse abusus, sufficiat, quòd non inveniantur in Scripturâ, quia concedenda tantùm sunt quæ in Scripturâ reperiuntur; huic respondeo, quòd, aut hæc propositio : *Nihil credendum, nisi quod in Scripturâ habetur,* continetur in puro verbo Dei, aut non : si non continetur, tu, Domine minister, hanc propositionem obtruendo, et volendo fidem illi adhibitam, fidem tuam mendacem esse ostendis, nec stas promissis tuis; nam pollicitus es mihi, quòd tantùm pro *regulâ omnis veritatis* sis Scripturam depromplurus, hoc est, non sis locuturus mihi nisi per Scripturam, et tamen propositionem hanc in medium profers, quæ in Scripturâ non extat, quæ propositio fundamentalis est, cui plures aliæ innituntur. Quòd si prædicta propositio est in puro verbo, ostende. Sed memineris, quòd tantùm purum verbum afferri debeas. Si per hoc purum verbum mihi veritatem articulorum vestrorum, et meorum falsitatem manifestam reddideris, jamjam paratus sum errorem meum agnoscere, et fidem vestram suscipere. Sed recordare, domine, quòd sponderis te mihi per purum verbum demonstraturum et veritatem vestræ fidei, et errores meos, imò renuntiavi omni antiquitati, conciliis, miraculis, arestis, edictis, visionibus, hâc conditione, et non aliâ.

In memoriam veniat quòd, loco puri verbi, mihi adducere non debeas interpretationes aut consequentias vestras : nam aut hæc interpretatio est in Scripturâ, aut non : si sit, proferat Scriptura, dicat Scriptura, quòd quævis propositio, quam mihi exponitis, intelligi debeat prout mihi interpretamini, et oportet, ut tantùm ad instar organi sitis, illa proferentis : si non sit, fidem vestram mendacii insimulatis. Aliam effingite ut volueritis, et tunc de eâ inter nos disceptabimus. Aliàs non mihi promissa servatis, et verè omni judicio destituerer, si propter interpretationem vestram renuntiarem conciliis, arestis, aut multitudini.

Si religionarius excusaverit suam insufficientiam producendi textus Scripturæ, quos ab ipso Catholicus exigit, propter fidei suæ justificationem, in primis ostendendum est, quòd obligetur, secundùm articulum suum 4, fidem non adhibere in negotio fidei suæ, communi concordiæ et consensui Ecclesiæ, multò minùs ministri alicujus sententiæ, quod non facit, dùm credit articulos Confessionis suæ, quia confidit quòd ministri textus aliquos Scripturæ habeant, qui ipsos justificent, quamvis ipsos textus ignoret. Secundum, ut ipsi evidens fiat, quòd non sint tales textus, conferendi sunt illi quos fidei Confessio citat in margine suo : cùm enim, ut titulus fert, facta

sit communi concordiâ et consensu partiariorum suorum, si dicti textus tanto studio et diligentiâ citati, non contineant id quod docet articulus, ne in speciem quidem probabile esse potest, alios inveniri meliores.

Obtuli pluribus ministris et aliis, quòd vestem meam mutare vellem, si ex omnibus locis citatis in dictis marginibus, articulorum controversorum, saltem unicus inveniretur, etiam traductionis Genevensis, qui manens purus, sine glossâ aut interpretatione ministrali (et glossâ quæ non potest esse verbum scriptum, cùm charta non legatur) contineret quod articulus continet. Incredibile videtur, quòd tam impudentes homines inveniri potuerint, qui cùm sint protestati non velle nisi verbum scriptum, centena tamen loca citent, nec unus inveniatur talis, qualem persuadere volunt esse credendum; et deploranda valdè res est, quòd milliones personarum fide ministrorum in animum suum induxerint dictos textus docere id quod continent articuli, nec unquàm inter se eos contulerint, et quòd propter hoc sanctos Patres rejecerint, concilia, etc.

Præcipuos simul confero capite 4 : eos inde desumet Catholicus, et religionario monstrabit, quòd errore implicetur. Ne seduceretur, oporteret nullum haberet articulum quem non probaret verbum in margine citatum. Catholicus pro exemplo proferet articulum 2 : ille dicit de peccato originali loquens, quòd post *baptismum sit semper peccatum, quoad culpam, quamvis condemnatio aboleatur infantibus Dei, dùm per bonitatem suam gratuitam illis non imputatur*. Videamus hoc purum verbum citatum in margine, quod dicat id quod docet articulus. Unicus textus citatur ad Romanos 7, v. 7 : *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces*. Hic est integer locus. Legat religionarius et relegat, sitque ipse judex, si hoc purum verbum scriptum et citatum dicat id quod docet articulus. Quàm impudens impostor hic adversarius, qui vult credamus in hoc loco legi *quòd peccatum originale post baptismum sit semper peccatum quoad culpam, quamvis condemnatio*, etc.! Estne ibi distinctio peccati, *quoad culpam*, et quoad condemnationem et pœnam? habeturne ibi, quòd culpa maneat? fitne mentio de non imputatione quoad condemnationem, culpâ manente? Estne ibi baptismi mentio?

Qui oculos prorsùs velatos gerit, legat quod oppugnamus, et in quo accusamur, judicamur, et condemnamur tanquàm errore circumventi, et propter quod ecclesiæ nostræ igne absumantur, monasteria compilentur, presbyteri jugulentur. Legat in hoc puro verbo, omnia supradicta, quæ sunt pura. Estne aliquid quod aliquo modo ad rem faciat? Numquid sensûs expers is esset qui diceret se in hoc textu per consequentiam evidentem et necessariam demonstraturum substantiam articuli hujus : *Peccatum originale post baptismum manet quoad culpam?* Et adversarius qui dicit, quòd prodeat, ut in hoc puncto nos reformet per purum verbum, nec facit nisi per hunc textum, numquid evidenter seductor est? et qui nos accusat, judicat et condemnat, quòd contrarium credamus, et protestatur quòd nos velit accusare, judicare et condemnare per puram Scripturam, nec facit nisi per hunc textum, nonne calumniator est, et falsus judex? Et in executione hujus sententiæ suæ, evertendo, comburendo, expoliando, quinque præliis concertando, sacerdotes contrucidando, et statum in Galliâ faciendo, numquid reus est millionum criminum, reus læsæ majestatis divinæ et humanæ? et huic parti adhærens, nonne adhærens est parti deceptrici et criminali?

Religionarii particulares non existimant ministros suos tantæ impudentiæ esse, ut dicant quòd locus in margine citatus probet quod docet articulus, nec tamen ita sit, et confidunt auctoritati et bonæ fidei ministrorum, etiamsi locum illum non examinaverint. Videte, religionarii (ut planum fit in hâc collatione), quàm impudenter et inverecundè ministri vestri, et Confessio fidei vestræ vos decipiant, et tam insolenter, quòd nisi oculis vestris impudentiam videretis, vix possetis vobis persuadere, homines tam dimisso pudore esse, qui audeant inde quinque certamina in Galliâ committere, etc. Quàm enorme hoc est crimen! Sed ad alios articulos contento studio pergamus.

Oportet Catholicus inducat religionarium ut componat alterum cum altero, sicut videbit me componere capite 4, et instet in unoquoque et in omnibus, ut religionarius fateatur quòd textus citatus non contineat quod docet articulus, accipiendo sine glossâ, interpretationibus et consequentiis, de quibus agemus inferiùs. Interpretationes et consequentiæ non leguntur in chartâ, unde non sunt verba scripta; in illis minister potest falli; nam si tota Ecclesia errare potest, secundùm doctri-

nam prætensæ Reformatæ, multò magis unusquisque particularis minister. Hìc consistendum est, et in omnibus faciendum, quod in articulo 2 feci. Si dicant adversarii quòd quando promiserunt purum verbum, intellexerint se velle obligare ad proferendum verbum conjunctum interpretationibus et consequentiis suis, instandum est, petendo, si pars adversa habeat aliquod verbum scriptum, quod seponendo omnem consequentiam et interpretationem, aliquem articulorum suorum pronuntiet, aut agnoscat se nullum habere. Verum est quòd verbum scriptum, injunctum consequentiæ suæ, non ampliùs sit purum verbum scriptum ; sed non est opus diutiùs consistere in hoc nomine, *purum;* res ipsa perurgenda est, nimirùm respondeat si textum aliquem habeat, qui sepositis interpretationibus et consequentiis, de quibus statim tractabimus, doceat et pronuntiet id quod continetur in articulo de quo agitur; nam quis non videat rationi consonum esse, ut priùs videatur hoc quod purus textus sine glossâ et consequentiâ dicit, quàm id quod dicit cum interpretationibus et consequentiis, quas erroneæ cervices dabunt et excogitabunt?

CAPUT II.

Quomodò invalidandæ sint interpretationes quas afferunt religionarii in Scripturæ textibus.

Si minister prætendat interpretationem, quam dat, ostendere bonam esse, per alium Scripturæ locum : exempli gratiâ, si prætendet non esse propriè accipienda hæc verba : *Hoc est corpus meum*, sed figuratè, eò quòd hæc : *Ego sum vitis,* non sint propriè accipienda, petendum est ab eo, primò, antequàm fiat progressus ad aliquam interpretationem, si textum aliquem formalem habeat, qui sine aliquâ interpretatione nos erroris condemnet, verbi gratiâ, in hoc quòd credamus in sancto Sacramento esse corpus Domini nostri; si habeat, afferat, obscurum relinquendo, et perspicuum eligendo ; si non habeat, ingenuè fateatur quòd nullum habeat purum verbum Scripturæ, per quod sine aliquâ interpretatione possit nos condemnare, arctandus est ut hoc confiteatur; ubi confessus fuerit, ad interpretationem quam dat, veniendum est.

Secundò quærendum est, si Scriptura dicat quòd verba ista : *Hoc est corpus meum,* debeant exponi per illa : *Ego sum vitis,* aut non : si dicit Scriptura, eam expromat; si non dicit, minister Scripturæ non servit ad instar simplicis organi.

Tertiò inquirendum est, quis sit judex noster futurus in controversiâ quam habemus, si interpretatio textûs, quam producit minister, bona sit, an non. Si judicat nos Scriptura, necesse est dicat interpretationem hanc esse veram ; si ipsa non loquatur, igitur minister se judicem constituit, et articulus fidei de quo contendimus, cùm habeat pro ultimo subterfugio hanc interpretationem, minister renuntiat articulo suo 5, in quo profitetur se pro solo judice suo accepturum Scripturam sanctam, et se arbitrum reddit ac judicem ultimum in controversiis nostris. Non est opus ulteriùs progredi; si hoc concessum fuerit, Prætensa jam velut vinculis quibusdam et nervis constringitur. Et fortassis satius est ibi quiescere, ut minister planè obmutescat; nihilominùs, ut aliâ quis potiatur victoriâ, si is, qui cum religionario agit, doctus est, et in Scripturâ versatus, post hæc tria jam dicta,

Quartò interrogandum est, si religionarius erret in explicatione suâ et interpretatione loci Scripturæ, de quo agitur, an non : si errat, articulus fidei suæ fundatus super hâc interpretatione etiam erroneus est, ac proinde non est ampliùs articulus fidei. Quomodò fidem suam stabilire potest super eo quod fallibile est? et observandum, quòd, secundùm articulum suum 4, non obligetur confidere interpretationi huic, spiritui et auctoritati ministrorum suorum (etiam rationabile non esset rejicere interpretationes Scripturæ quas nobis prodiderunt sancti Patres, ut ministrorum interpretationi, quæ fallibilis agnoscitur, adhærescamus), sed proprio suo judicio et persuasioni, quæ dictat interpretationem suam veram esse. Quanta hæc est dementia, quòd ensifer quispiam persuasionem articuli fidei suæ fundet super interpretatione suâ, quam fallibilem fatetur esse; interpretationem verò sanctorum Patrum, antiquitatis, conciliorum, etc., rejiciat? Si adversarius dicere vellet se non errare in suâ interpretatione, illi objiciendum est, 1° quòd dicat in articulo suo 31, totam Ecclesiam errare, imò errâsse his verbis : « Nostro tempore, quo status Ecclesiæ interruptus erat, suscitavit Deus, extraordinario modo, homines, qui vastatam ac desolatam Ecclesiam de novo erigerent. » Si tota errat Ecclesia, quomodò se non posse errare existimat? 2° Per quem Scripturæ locum ostendit se non errare? Quis non potiùs asserat Eccle-

siam errare non posse? 3° Ministri concedunt se omnes fallibiles esse.

Quintò audienda est interpretatio loci quam affert minister, et respondendum probationibus quas pro explicatione suâ producit. Sed in memoriam revocandum est quòd religionarius per confessionem fidei suæ obligetur ad instruendum nos, et proinde ad probandum interpretationem suam, et sufficit nobis eam, si non convincat, negare; nec astringimur negationis nostræ rationem reddere, quod familiare est ei qui partem defendentis sustinet. Et melius est simpliciter negare quàm rationes negationis in medium proferre; nam per illas minister occasionem arripit à proposito deflectendi, nec tam citò potest constringi; subterfugia tantùm quærit; sed removenda sunt, quantùm fieri potest. Sic procedendum est, quando minister vult errores nostros prætensos demonstrare, per textum aliquem interpretatum, non utendo aliquâ consequentiâ.

CAPUT III.

Quomodò religionarius sit abducendus à consequentiis quas ex puro verbo scripto deducere conatur.

Quando religionarius vult ostendere nos errare per consequentiam aliquam, quam deducit ex verbo Dei, exempli gratiâ : *Credimus corpus Domini nostri esse in Sacramento altaris,* vult per consequentiam deductam ex purâ et solâ Scripturâ probare quòd non sit, hoc modo : Actuum 3 dicitur quòd *eum oporteat cœlum recipere, usque in tempora restitutionis omnium ;* ergo *non est in terrâ.* Hic est ipsius syllogismus : Corpus quod in cœlo est, non est in terrâ; corpus Jesu Christi, ut dicitur Act. 3, est in cœlo: ergo non est in terrâ. Hoc modo procedendum est. Primò antequàm huic argumento respondeatur, petendum est ministro, si extet aliquod purum verbum, quod sine consequentiâ aliquâ in hoc puncto nos erroris condemnet, aut non. Si sic, exhibeat; nam promittit quòd per purum verbum velit nos reformare ; si non sit, fateatur se nullum purum verbum habere, quod seponendo omnem consequentiam, arguat nos erroris.

In hoc instandum est, et exigenda hæc ministri confessio, priusquàm ad alia progrediamur. Ubi minister hæc concesserit, quamvis, hæc victoria possit sufficere (nam coacti sunt renuntiare articulo 5 Confessionis fidei suæ, et evertere quod majorem religionariorum partem in erroribus fovet; qui parti isti adhærent, eò quòd à parte suâ habere existiment purum verbum Dei, et soli Scripturæ inniti), et fortassis satius esset in hoc gradu consistere, ut hoc auribus seductorum clariùs insonaret, qui tamen in suâ vult venatione perseverare, et cervum è munitione suâ expulsum, ulteriùs prosequi, admittat ministrum ad deductionem consequentiæ ; factâ ab adversario deductione, non statim Catholicus ipsius veritatem impugnet, non statim eam falsam esse ostendat, sed priùs premat eum, ostendendo consequentiam suam non esse deductam ex solo et puro verbo Scripturæ sanctæ, sicut se deducturum promisit, et ipsum obligat articulus 5.

Hoc modo progrediendum est : Certum est et ab omnibus receptum, quòd omnis consequentia, ut bona sit, deduci debeat ex duabus propositionibus ; si ergo altera earum, ex quibus minister suam deducit consequentiam, non sit in Scripturâ (sicut communiter contingit in argumentis quæ contra nos formant adversarii), et quando contingit quòd utraque sit in Scripturâ, oportet necessariò quòd saltem una sit quæ perperàm intelligatur, aut quòd argumentum non sit in formâ : nam ex duabus propositionibus veris in formâ debitâ positis, nihil falsi sequi potest. Sisti debet ibidem ; ostendendum est quòd adversarius Confessioni suæ renuntiet, nec stet promissis, cùm non probet errorem nostrum prætensum per consequentiam deductam ex purâ et solâ Scripturâ.

Exemplo uno illustrabitur, ut sit faciendum in syllogismo jam dicto : Corpus quod in cœlo est, non est in terrâ ; corpus Jesu Christi est in cœlo, ut habetur articulo 3 ; ergo non est in terrâ. Oportet non negando, aut concedendo primam propositionem, ab adversario petere 1° si hæc prima propositio sit in Scripturâ aut non, et si eam probare potest per textum expressum ; si non potest, ingenuè fateatur ; ubi confessus fuerit, urgendus est, et 2° probet per consequentiam deductam ex Scripturâ, et cùm non possit, premendus est, ut clarè admittat, ostendendo auditori ministrum non satisfacere promissis, qui receperat se errorem meum ostensurum per purum verbum, quod facere non potest ; imò nec ostendere in Scripturâ, per consequentiam deductam ex illâ, primam propositionem, ex quâ sibi persuadet quòd sit errorem meum prætensum per consequentiam deductam, manifestaturus

Elatâ voce dicendum est quòd jam tertiò minister puræ Scripturæ renuntiaverit. Quo facto, 3° danda est ministro potestas probandi propositionem suam prout voluerit. Probare non potest nisi dicendo, exempli gratiâ : Nullum corpus plus occupat quàm unum locum ; corpus quod in cœlo est, unum corpus est ; ergo non plus occupat quàm unum locum. Quod idem est ac si diceret : Corpus quod est in cœlo, non est in terrâ.

Urgendum est 1° ut minister ostendat majorem hujus argumenti in Scripturâ ; ubi fassus fuerit quòd non possit, compellendus est, probet per consequentiam ex purâ Scripturâ deductam ; 2° ubi innotuerit quòd non velit, rursùs ei permittendum est eam probet quo poterit modo ; quamvis distingui possit, et concedi naturaliter loquendo, et negari intelligendo supernaturaliter. Adversario incumbit illam probare, quod facere non potest, nisi dicendo, exempli gratiâ : Nullum corpus supernaturaliter potest sanum esse et infirmum, frigidum et calidum, vivum et mortuum ; si idem corpus potest supernaturaliter occupare plura loca, posset supernaturaliter esse sanum et infirmum, frigidum et calidum, vivum et mortuum ; igitur nullum corpus potest esse supernaturaliter in pluribus locis.

Instandum 1°, ostendat adversarius in Scripturâ, per textum expressum, majorem hanc propositionem ; ubi admiserit se non posse illam justificare, petendum est 2° illam probet per consequentiam deductam ex solâ Scripturâ. 3° Cùm compulsus fuerit fateri se non posse, permitti poterit ei confirmet sicut potuerit, semper postulando ostendat majorem et minorem novi argumenti, primò per textum; secundò, saltem per consequentiam, tertiò, eo quo poterit modo.

Catholicus potest, quando voluerit populo assistenti indicare quòd minister velit nos reformare per quindecim aut viginti propositiones philosophicas, et per illas nos inducere ut renuntiemus antiquitati, miraculis, etc.; et quòd valdè decipiantur, dùm existimant fidem suam solâ sacrâ Scripturâ suffulciri, quam ministri ex propositionibus philosophicis, iisque falsis eliciunt. Petendum est si quinquies collatis signis in Galliâ propter philosophiam decertaverint. Existimo permagni momenti esse, si hoc modo procedatur ; nam hâc ratione coguntur, quindecim aut viginti vicibus, expressè negare purum verbum scriptum ; ægerrimè ferunt ministri, qui sciunt se toties promisisse hoc purum verbum sectatoribus suis, et delusisse religionarios, qui illis non adhærerent, nisi propter hoc purum verbum. Petendum est insuper, si religionarius falli possit in deductione consequentiæ suæ, aut non, sicut capite præcedenti de interpretatione dictum est : si falli potest, quomodò super hâc deductione et consequentiâ fallibili articulum suæ fidei fundare potest ? Non potest ampliùs esse articulus fidei, quippe fides errori non subjacet aut falsitati ; quomodò ausus erit dicere quòd falli non possit, cùm profitentur articulo 31 totam Ecclesiam errare posse ?

Abhinc non longo tempore perurgebam ministrum præcipuum Parisiensem hoc dilemmate : confessus mihi est se posse falli in deducendâ consequentiâ textuum Scripturæ ; inferebam dicens : Igitur non potestis id credere tanquàm articulum fidei, quod probare non potestis, nisi per unam consequentiam, quam dicitis evidentem et necessariam, ex Scripturâ desumptam. — Sunt satis multæ veritates, respondebat ille, apertè revelatæ in textibus expressis Scripturæ, nec opus est disquirere quod non est in ipsâ, nisi per consequentiam evidentem et necessariam ; — cui replicabam hoc modo : Igitur liberum erit unicuique credere vel non credere id quod per vos non probatur, nisi per consequentias. — Hoc non dico, respondebat ille ; — quid dicis igitur ? aiebam ; dic si liberum sit unicuique hoc credere aut non credere : nunquàm potui eum inducere ut affirmativè responderet aut negativè.

Probabam neminem tali fidei obligari posse, ostendendo hoc argumento, non posse esse fidei articulum : Nullus articulus deductus per consequentiam fallibilem potest esse articulus fidei ; omnis articulus, quem minister sumit ex Scripturâ per consequentiam, quam dicit esse bonam, est articulus deductus per consequentiam fallibilem ; ergo nullus articulus, quem minister depromit ex Scripturâ per consequentiam, quam dicit esse bonam, potest esse articulus fidei. Major hujus syllogismi vera est, et recepta sine contradictione ab utrâque parte, cùm evidens sit fidem, quæ veritas est infallibilis, non posse desumere suam infallibilitatem ab eo quod illam non habet. Minor admittitur à ministro confitente quòd sit fallibilis, et possit errare in deductione consequentiæ suæ. Igitur existente argumento in formâ, vera sit conclusio opor-

tet. Hoc est ac si diceretur, quòd articuli, quos ministri non possunt probare sine consequentiis per ipsos ex Scripturâ deductis, quæ fallibiles sunt, ut fatentur, non sint articuli fidei. Et quia ministri compulsi per piæ memoriæ reverendum Patrem Gonterium justificare articulos suos per textus expressos, defectu textuum recurrentes ad suas consequentias, plures eorum fassi sunt articulos necessariò dependere à consequentiis; unde concludo quòd plures eorum articuli non sint articuli fidei. Et quia coacti toties per dictum reverendum Patrem, nunquàm potuerunt exhibere unum expressum pro aliquo suorum articulorum, et examen sequens satis monstrabit quòd facere non possint per inductionem factam in præcipuis, concludo quòd in omnibus eorum articulis ne quidem unus sit qui sit articulus fidei.

Præterea interrogandum est si Scriptura dicat quòd id quod sequitur per evidentem et necessariam consequentiam illius quod continet, debeat haberi tanquàm articulus fidei aut non. Nam aliud est, quòd articulus verus sit, et quòd contrarium dicere sit falsitati alicui adhærere; aliud quòd articulus sit articulus fidei; si dicit Scriptura, expromat minister purum aliquod verbum, quod dicat: *Quicquid sequitur per consequentiam evidentem et necessariam ex meis paginis, est fidei articulus;* nullus est talis textus in Scripturâ. Si non dicat, quomodò minister vocat articulos, quos probat per consequentias evidentes et necessarias, ut dicit, fidei articulos? Et quomodò, ut tales proponit in Confessione fidei suæ credendos? In quo fundatur quòd dicat quòd tales articuli non solùm sint veri, sed etiam fidei articuli; et cùm tota reformatio non consistat nisi in articulis quos deducit per consequentias (prout loquitur) evidentes et necessarias, reformatio ipsa nullum articulum fidei continebit; et quamvis nos reformaret, non reformaret in aliquo fidei articulo. Sed verumne est an falsum id quod deducitur ex Scripturâ per consequentiam, fidei articulum esse? Si verum, Scriptura, quæ regula est *omnis veritatis* (ut ait articulus 5 adversarii) pronuntiet necesse est; si falsum, quare Confessio fidei proponit illud, et in eo stabilit omnes fidei articulos? Quòd si adversarius dicat quòd plures theologi catholici pro articulo fidei habeant id quod necessariò et evidenter ex textibus Scripturæ deducunt, respondeo 1° non constare in Ecclesiâ quòd ejusmodi, quæ per consequentias deducuntur, sint fidei articuli; quòd liberum sit cuivis catholico negare, nec incurrat labem aliquam hæreseos, vel aliam. Ac proinde res ejusmodi nunquàm proponuntur in formulis et confessionibus fidei catholicæ, sicut patet in iis quæ communiter recitantur, quando emittitur professio fidei catholicæ, apostolicæ et Romanæ. Si igitur minister vult in hoc imitari Catholicos, expungere debet ex suâ fidei Confessione omnes articulos, et confiteri quòd non constet aliquem esse fidei articulum, et quòd liberum sit unicuique illos non recipere pro articulis fidei, et quòd liceat dicere quòd quamvis erremus in ipsis, non tamen erremus in articulis fidei. 2° Peto, utrùm minister fundetur super auctoritate doctorum catholicorum, ut dicat articulos suos esse fidei articulos, aut non? si fundetur, renuntiat articulo suo 5, et iis innititur, de quibus dicitur articulo suo 2, quòd veritatem in exilium amandârint, et quòd repleti sint idololatriâ; si non fundetur, super quo fundabitur? 3° Verum est quòd à doctoribus quibusdam catholicis pro opinione probabili habeatur prædictas consequentias esse fidei articulos; sed inde non sequitur quòd ministri id possint ne quidem pro opinione probabili tenere. Catholici possunt ita existimare, nec sibi contradicunt: nam pro principio non habent, quòd Scriptura sit *regula omnis veritatis,* imò contrarium credunt. Religionarii verò pro fundamentali principio prætensæ suæ Reformationis habent, cui evidenter contradicunt et renuntiant, quando hanc propositionem in medium afferunt: *Quod per evidentem et per necessariam consequentiam sequitur, est articulus fidei.* Nec enim hæc propositio est in Scripturâ.

Faciliùs altera hæc objectio solvitur, scilicet: *Sacra concilia generalia definiverunt, multa articulos fidei esse, argumentando per consequentias ex textibus Scripturæ deductas*: nam 1° quæro si minister concludat articulum fidei esse id quod ex Scripturâ deducit, eò quòd concilia, tanquàm articulum fidei proposuerint quædam puncta, quæ ex Scripturâ deduxerunt; si faciat, hanc propositionem fundamentalem stabilit, nempe: *Articulus est fidei, id quod per consequentiam evidentem et necessariam ex textibus Scripturæ deducitur* super auctoritate conciliorum, atque sic renuntiat articulo suo 5, qui dicit: *Purum verbum est regula omnis veritatis.* Et art. 4, in quo non vult accipere pro regulâ communem concor-

diam et consensum Ecclesiæ. Quid hoc? Igitur adversarii nos reformare volunt per auctoritatem conciliorum, nec tamen volunt articulo 5 allegentur. 2° Nunquàm concilia dixerunt quòd *regula omnis veritatis sit sola pura Scriptura*, quod dicit Prætensa, et hoc modo legem sibi imponit, ne per consequentias argumentetur, quæ ampliùs non sunt puræ Scripturæ.

Minister auctoritatem non habet hanc propositionem proferendi: *Quod ex purâ Scripturâ sequitur, est articulus fidei,* nisi textum aliquem depromat, qui ipsam pronuntiet, et aliter faciens renuntiat articulo 5 fidei suæ, ut supra. Jesus Christus assistentiam infallibilem Ecclesiæ suæ promisit, ratione cujus errare non potest proponendo verum sensum Scripturæ, et id quod ex ipsâ sequitur : quippe Filius Dei præcipit nobis ut eam audiamus; hæc assistentia nunquàm ministro alicui, aut particulari religionario fuit promissa, nec præcipit ut eos audiamus; falli siquidem possunt in intelligentiâ propositionum Scripturæ, et in consequentiarum deductione. Igitur argumentum nullum est.

Adhuc nullo negotio hæc tertia objectio diluitur : *Dominus noster per consequentiam argumentatus est.* Verum est, sed respondeo 1° quòd deducendo consequentias, novas Scripturas in lucem proferebat, quod nec minister, nec opifex religionista facere possunt. 2° Scriptura testatur quòd habuerit assistentiam infallibilem, ne in consequentiâ erraret, aut in alio sensu præmissas proponeret, quàm vero. Fidei est quòd argumentum Domini nostri benè concludat, et benè suam consequentiam deducat, hoc si quidem revelatum est; sed fidei non est, quòd minister benè suas consequentias ex antecedentibus suis inferat. 3° Dominus noster nunquàm proposuerat hoc principium, quòd *Scriptura est regula omnis veritatis*, ut proponit minister : nam hâc regulâ Dominus noster sibi potestatem ademisset agendi per consequentiam. 4° Respondeo quòd Dominus noster probet per consequentiam resurrectionem mortuorum; sed hoc argumento non dicit se ostendere quòd sit articulus fidei. Verum est quòd resurrectio mortuorum sit articulus fidei : sed Scriptura non pronuntiat esse fidei articulum, propterea quòd per consequentiam sequatur ex eo quod dictum est in Scripturâ : *Sum Deus Abraham, Isaac et Jacob;* secundùm principia religionariorum agendo, virtute hujus dici non potest, quòd sit articulus fidei; nam oporteret Scripturam dicere quòd *id quod sequitur ex ipsâ, per consequentiam sit articulus fidei.*

Loquendo etiam secundùm principia Catholicorum, certum non est quòd virtute prædictæ propositionis hoc sit articulus fidei : nam concors theologorum sententia non est, fidei articulum esse, quod per consequentiam sequitur ex duabus propositionibus, præcipuè quando una est philosophica, et ex ratione naturali. In argumento autem Domini nostri, una talis est Matthæi 22 : *Deus non vocatur Deus mortuorum, sed viventium; Deus vocatur Deus Abraham, Isaac et Jacob,* Exod. 3; *ergo Abraham, Isaac et Jacob, non sunt mortui, sed vivunt.* Argumentum hoc tantùm probat immediatè immortalitatem animæ, sed quia Sadducæi negabant resurrectionem; nam arbitrabantur animam esse mortalem, Actuum 23; etiam contra ipsos probat corporum resurrectionem, dùm fundamentum erroris eorum evertit.

5° Ostendendum est quòd omnis consequentia deducatur ex duabus propositionibus in bonâ formâ syllogismi positis, et quòd sic se inferat tum ex dictis propositionibus, tum ex formâ syllogismi, de quâ Scriptura non loquitur. nec de ipsâ regulas præstabit, sed Aristoteles et philosophia. Quare cùm minister vult articulos fidei suæ probare per consequentiam, non potest probare per solam Scripturam, quæ nunquàm de formis consequentiarum est locuta.

Et sicut Aristotelis est judicare, si bona sit consequentia an non, minister recurrendo ad consequentias pro judice controversiarum nostrarum fidei, non ampliùs puram Scripturam exhibet, sicut Prætensa promisit se facturam, sed Aristotelem; vel ad minùs proponit pro judice verbum Dei cum Aristotele.

6° Perquirendum est quis sit nos judicaturus in controversiâ quam habemus, si consequentia deducta per ministrum (quam dicit evidentem esse et necessariam) bona sit, an non, falsa, vel vera. Exempli gratiâ, in argumento supra allato : *Corpus Jesu Christi in cœlo est,* sicut scribitur art. 3; *ergo non est in terrâ,* quis de consequentiâ feret sententiam? Catholicus et religionarius admittunt antecedens, et eorum contentio tantùm est de consequentiâ; religionarius profitetur illam esse bonam, et eam in articulo fidei suæ conjicit, nimirùm quòd Jesus Christus realiter et secundùm propriam suam substantiam non sit in

Eucharistiâ, quòd *quærenda non sit sub elementis corruptibilibus panis*, etc. Et fundatus super hâc prætensâ consequentiâ, altaria nostra evertit, presbyteros jugulat. Catholicus negat prædictam consequentiam esse bonam, et à fortiori negat evidentem esse et necessariam. Quis judex erit hujus controversiæ? Minister qui tantùm hominum multitudinem seduxit, prætextu quòd Scriptura pro ipso in omnibus controversiis nostris judicet, et qui alium non admittit judicem, obligatur textum aliquem Scripturæ producere, qui in ejus favorem de hâc controversiâ decernat. Et quid est textus, qui de hâc consequentiâ ferat sententiam? Minister bonam esse non probat, nisi fundando eam super aliâ propositione majori philosophicâ, nempe: *Corpus, quod in cœlo est, non est in terrâ, imò nec per omnipotentiam Dei*, quam componit in formâ argumenti præscriptâ ab Aristotele. Biblia non loquuntur de dictâ majori, nec de formâ argumentandi: igitur nullâ ratione judicium ferunt decisivum de bonitate et veritate consequentiæ ministralis. Ad hæc, cùm minister protulit omnes suos Scripturæ textus, et Catholicus similiter suos, et tam ex unâ quàm alterâ parte allatum fuit quicquid dicit Scriptura, sacræ illæ paginæ ampliùs loqui non possunt, et tamen his finitis omnibus, Catholicus et religionariis adhuc de consequentiâ contendunt. Quomodò Scriptura, cùm omnia dixerit quæ dicere potuit, pronuntiare poterit decretum definitivum in favorem ministri? Verè minister se hujus consequentiæ judicem constituit, quod faciendo, ultimum se judicem prætensæ suæ reformationis et articulorum suorum, non Scripturam designat: nam articuli fidei ipsius, de quibus inter nos controvertitur, pro ultimo refugio, ipsius consequentias habent; unde qui se earum judicem stabilit, se arbitrum reddit et judicem articulorum controversorum, de quibus est quæstio.

Videte quemadmodùm ministri pulchro velamine Scripturam accipiendi pro judice, mundo imponant, et renuntient articulo suo 15, qui dicit *Scripturam esse regulam omnis veritatis*. Quòd bona sit eorum consequentia, verumne est an falsum? Si verum, cur non textum aliquem producunt, qui sit regula hujus veritatis? Si falsum, quare in medium afferunt, et in illâ fidei suæ articulum constituunt?

7° Si is qui cum ministro agit eruditus est, vult, postquàm cervum saltu suo puri verbi deturbavit et ejecit, per plenum campum, etiam rationum humanarum et philosophicarum, eumdem prosequi (quamvis, meâ quidem sententiâ, communiter consultius esset, si quis contentus iis omnibus, quæ supra fecit, conquiesceret), prædictis omnibus ita constitutis, potest de veritate et falsitate consequentiæ tractare: si propositiones, ex quibus deducitur (sive Scripturæ sanctæ sint, sive philosophicæ) falsæ sint, aut perperàm intellectæ, et si forma argumenti sit secundùm regulas philosophicas, potest negare ea quæ falsò allegantur à ministro. Sed meminerit quòd ministro incumbat probare, et non Catholico, qui personam instruendi repræsentat, et caveat ne qualitatem mutet; nam quicquid dolis suis intendit minister, est ut ab obligatione se eximat, quâ tenetur suam consequentiam probare. Quod facit dùm astutiis suis efficit ut defendens actoris personam subeat: exempli gratiâ, in argumento supra citato: *Corpus quod est in cœlo non est in terrâ; corpus Jesu Christi est in cœlo*, ut dicitur articulo 3; *ergo non est in terrâ*, neganda est prima propositio, et ministri est eam probare. Aut potiùs in argumento supra ad longum posito, prima propositio ultimi syllogismi, qui erat: *Si idem corpus posset supernaturaliter occupare plura loca, posset supernaturaliter sanum esse et infirmum, frigidum et calidum, vivum et mortuum;* debet hoc modo distingui: *Si unum corpus immortale et impassibile posset supernaturaliter occupare plura loca, sine coextensione cum locis quæ occupat, posset sanum esse et infirmum, frigidum et calidum, vivum et mortuum*, nego; nam existens immortale nihil posset pati, et adhuc minùs sine coextensione cum loco suo. *De corpore passibili et mortali, quod occupat plura loca cum coextensione cum tali loco*, concedo. Jam ministri munus est probare quod negavi in primâ parte distinctionis meæ, quippe Dominus noster est in Sacramento immortali, et sine coextensione corporis sui cum loco suo.

Quòd si probationes diutiùs protrahantur, et plus nimiò philosophiam ingrediantur, memor sit Catholicus quòd semper illi liberum sit, ministrum protinùs revocari quando voluerit, ab ipso petendo, si omnes propositiones, quas adducit ad probandam consequentiam suam sint in Scripturâ, an non; si sint, demonstret eas in illâ; sine dubio plures produxerit ex philosophiâ, aut fundatas

quibusdam humanis rationibus ; si non sint, minister qui ex suis deducit consequentiam suam, non ex puro verbo deducit ; aut quod idem est, non probat per consequentiam deductam, ex puro et solo verbo, quòd errore teneatur Catholicus, sicut promiserat, et confessioni suæ renuntiat; nam consequentiam suam deducit ex verbo Dei, conjuncto plus minùs viginti propositionibus philosophicis, quæ non sunt in Scripturâ sanctâ, et quarum unicâ falsâ existente, articulus fidei corruat necesse est.

Numquid hoc est promissa negligere, et articulis fidei suæ renuntiare ? aut potiùs minister, et ejus Confessio fidei deludunt, promittentes per se faciendum, quod non faciunt, nec facere possunt ?

8° Memoriâ repetendus est articulus 4, secundùm quem religionarius particularis, exempli gratiâ, cerdo quispiam, aut dolator, qui nunquàm nisi artis suæ instrumenta contrectare solitus est, profitetur in eo quod fidei suæ est, procedere, non tam secundùm communem consensum Ecclesiæ (nec consequenter, secundùm ministrorum) quàm secundùm testimonium et persuasionem interiorem. Hoc constituto principio, quomodò cerdo credere poterit id quod minister agnoscit non esse expressum in Scripturâ, sed deduci per consequentiam evidentem et necessariam? Exempli gratiâ, quamvis hæc propositio : *Corpus Jesus Christi non continetur in elementis corruptibilibus panis,* non sit in Scripturâ, dicit tamen quòd per consequentiam sequatur evidentem et necessariam ex eo quod dicitur art. 3 : *Oportet eum cœlum recipere usque in tempora restitutionis omnium.* Necesse igitur est ut cerdo per consequentiam evidentem et necessariam deducat ex hoc loco vel alio, quòd *corpus Domini nostri non sit in Eucharistiâ aut in Cœnâ :* nam cùm fides in hujus puncti non habeat fundamentum, nisi in unâ consequentiâ, oportet ut etiam ipse dolator, quamvis à suo ministro adjutus, ipsam deducat, et ita quidem, ut sibi evidens sit et necessaria ; nam si in hoc ad pastorem suum recurrat, fides ipsius fundatur in eo quòd confidat ministrum suum solertem esse, et quòd benè hanc consequentiam deducat ; hoc dum facit, renuntiat articulis 4 et 5, et cùm auctoritas ministri sui fallax sit, planè desipit, quòd præferat auctoritatem pastoris sui conciliis, decretis, etc.

Sed peto, potestne cerdo sine temeritate sibi persuadere quòd evidentiam habeat probationum hujus propositionis : *Corpus quod est in cœlo, non potest per omnipotentiam Dei esse in terrâ ?* Propositio quæ ex purâ philosophiâ dependet, et ea continet quæ in omnibus scholis sunt difficillima ; cerdo qui nunquàm, nisi artis suæ instrumentis tractandis occupatur, potestne sine stupiditate sibi persuadere quòd probatione has possit penetrare, et habere certitudinem et evidentiam propositionis, et probationem ejus ? Quam nisi habeat, consequentia quam ex hâc propositione trahit, cùm certior esse non possit quàm propositio et probationes ex quibus deducitur, non poterit nisi fiat per obstinationem, certus esse quòd verum id sit quod sequitur. Certitudo in propositionibus philosophicis tantùm provenit ex evidentiâ objecti ; cerdo capax non est, ut evidentiam habeat hujus propositionis, non solùm quia falsa est, et ideò valdè remota ut sit evidens, sed etiam quia sublimis est et perdifficilis. Rursùs, etiamsi certitudinem habeat hujus propositionis, opus tamen est ut ex ipsâ deducat conclusionem evidentem et necessariam, quæ ex bonâ formâ argumentandi procedit ; et quomodò pro comperto habere potest, consequentiam esse evidentem et necessariam, cùm ignoret quid sit consequentia, et si sit evidens et necessaria ? Meliùs scit, qualis esse debeat calcei forma, quàm argumenti, et minùs adhuc argumentandi regulas habet exploratas, et tamen, ut fatentur ministri, pauper cerdo non potest credere articulum de quo agitur, per consequentiam evidentem et necessariam, nisi ipsemet deducat ex principiis quorum habeat notitiam evidentem et necessariam. Sic ministri eum obligant ad id quod sine stultitiâ sibi persuadere non potest. Numquid verum est, cerdo, quòd non intelligas quæ dico ? hinc agnosce tuam stoliditatem, ad quam te astringunt ministri, et quod pejus est, volunt super hâc fidem tuam stabilias.

Verum est quòd etiamsi minister hanc demonstraret propositionem : *Corpus quod est in cœlo non potest esse per omnipotentiam Dei in terrâ,* essetque forma argumentandi, per quam conclusionem suam deducit, evidenter necessaria, tamen cerdo non est capax ut hanc habeat evidentiam. Sed quicquid facere potest, est judicare hanc propositionem et formam argumentandi, evidentem esse ut necessariam, fundatus et innixus auctoritati ministri, qui dicit omnia illa esse evidentia

et necessaria ; sed talis cognitio nonnisi dubia est, fallax et incerta ; nam judicium est, quòd cerdo habet unam propositionem evidentem esse propter auctoritatem ministri sui, quem hominem doctum esse arbitratur, et hæc vocatur fides humana, quæ auctoritas, cùm unius sit hominis, qui falli potest, hæc cognitio non potest non esse falsitati et errori obnoxia, valdè remota ut cognitionem evidentem in intellectu cerdonis producat ex propositione de quâ agitur.

Porrò ratione hujus auctoritatis renuntiare antiquitati, miraculis, conciliis, auctoritati Patrum, etc., nonne mera est stultitia? Et eam ob causam prælia committere, nonne grande crimen? Atque hinc perspicuum fit quòd fides articulorum, quam habet cerdo, sit tantùm fides humana, habens pro perfugio dicti ministri auctoritatem. Quicquid de cerdone dixi, de ensifero, mercatore et consimilibus intelligitur.

CAPUT IV.

Articuli Confessionis fidei Ecclesiarum prætensarum Reformatarum, collati cum puro verbo Scripturæ, ubi evidenter ostenditur loca Bibliorum etiam Genevensium, citata in margine dictorum articulorum, nihil eorum continere quæ dicti articuli docent contra doctrinam catholicam.

Hic brevis est modus et expeditus agendi contra quoscumque ministros et religionarios. Numquid et hæc ratio etiam personis facilis est in theologiâ parùm versatis? Oculis ad legendum et intelligendum idioma Gallicum duntaxat opus est, ut cognoscatur si purum verbum sine additionibus, interpretationibus aut consequentiis hominis alicujus, dicat aliquid, aut non dicat. Numquid et iste modus apertè manifestat, omnem ministrum seductorem esse, et omnes religionarios circumveniri? imò, et dupliciter seductor ; nam seductor est qui promittit se per purum verbum ostensurum id quod credendum proponit, et errores meos prætensos perspicuè detecturum, et tamen neutrum facere potest.

Ministri secundùm articulos 31 et 5 Confessionis fidei utrumque promittunt, nec tamen promissa evolvere possunt, sicut modus supra positus evidenter ostendit ; igitur impostores sunt, et dupliciter impostores. Quisque catholicus potest id facere quod cap. 1 exposui de modo isto, et in principio 2 et 3. Et hoc sufficit ad ostendendum omnia supradicta, unde promissis meis satisfeci de expediendâ brevi et facili methodo, quâ omnis Catholicus potest evidenter commonstrare omnem ministrum in omnibus et in unoquoque puncto religionis prætensæ seductorem esse, omnesque religionarios errore circumduci.

Hoc consilium ipsis religionariis tribuo, præcipuè iis qui bonâ fide in negotio salutis tuæ procedunt : Confessio vestra promittit vobis purum verbum Dei, et suppositâ hâc promissione cogitare, quòd nihil in articulis suis proferat quod non sit in hoc puro verbo ; hoc quod dicturus sum facite, et evidenter ac facilè agnoscetis quòd decipiamini : Articulos præcipuos fidei vestræ in unâ parte disponite ; hos superiùs citavi : *Quòd peccatum originale maneat post baptismum quoad culpam; quòd Jesus Christus sit solus advocatus; quòd sola fides justificet;* inter quos omnes præcipuus est, *quòd cœna sit figura corporis Domini nostri, quod per fidem apprehenditur.* Et in fine cujusque articuli, ponite loca quæ citantur in margine uniuscujusque illorum (sine dubio si fuerit purum aliquod verbum in Scripturâ, quod doceat id quod in illo articulo continetur, erit illud quod citatur in margine), et luculenter cognoscetis quòd purum illud verbum, purum manens sine interpretationibus et consequentiis ministralibus, non dicet quod dicit articulus ; tantùm oculis opus est, tantùm ut quis legere sciat necessarium, ad hoc ut sciatur, utrùm purum verbum illud dicat, vel non, præcipuè cùm ministri vestri doceant vos Scripturam facilem esse, et unumquemque in eâ salutem suam legere posse. Sed cùm significationem terminorum Gallicorum non ignoretis, cur non id observatis quod (prout dicunt ministri) purum verbum dicat ; si non videtis signum, est purum verbum non dicere. Igitur componite hoc purum verbum, citatum in margine articuli, cum articulo, et apertè deprehendetis vos delusos esse et circumscriptos.

Et adhuc ut hoc perspicaciùs videatis, hoc facite : In unâ lineâ articulorum unum scribite, aut si plures sint partes, unicam ipsius clausulam, quæ controvertatur inter nos et vos ; et si aliquem textum Scripturæ sanctæ inveneritis, in margine hujus articuli, aut clausulæ citatum, pro ejus confirmatione, scribite in unâ secundâ lineâ infra primam verba textûs citati ; si in eodem margine textum aliquem citatum non inveneritis (sicut in pluribus nullus est) scribite infra primam lineam, *zero,* quod indicat nullum textum, eò

quòd sine dubio, si textus aliquis esset, qui articulum hunc verificare posset, ibi citaretur. Hoc facto conferte primam lineam cum hâc secundâ; si in hâc secundâ inveneritis, *zero*, evidenter circumventi estis. Si aliquod verbum Scripturæ sanctæ deprehenderitis, videte utrùm ipso manente puro, et sine mixtione alicujus: *Hoc est dicere; oportet intelligere; hoc vult significare; hoc vult dicere*, contineat quod docet articulus; si non contineat, scitote vos esse delusos.

Ego contuli articulos cum textibus citatis in margine; idem facite, et vobis ego sincerè promitto quòd loco puri verbi persæpè inventuri sitis, *zero*. Aliquando in verbo citato ne unicum quidem terminum articuli invenietis. Et, ut paucis agam, unicum articulum non reperietis in clausulâ integrâ, de quâ contendimus. Videte quomodò sitis in errorem inducti.

Ut vobis, domini religionarii, aliquid solatii in hoc labore afferam, secundùm modum prædictum, articulos controversos Confessionis vestræ cum puro verbo in eorum margine citato conferam, et citabo loca Bibliorum secundùm versionem Genevensem; vos mecum conferte, et ut lucidiùs procedamus, in paragraphos diversos hoc caput distribuam, juxta diversitatem materiarum de quibus inter nos est controversia.

§ 1. **De Scripturâ sanctâ.**

In articulo 4 fundamentali Reformationis suæ pars religionaria sacrilegio execrabili exscindit 20,000 locorum verbi scripti, præter plures partes particulares aliquorum librorum. Tanquàm apocryphos explodit libros integros Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, Machabæorum. Quòd rejiciat libros omnes istos, perspicuum est: nam in enumeratione omnium librorum in particulari, quos judicat esse canonicos, quæ habetur articulo 3, nullam prædictorum mentionem facit. Deinde in principio Bibliorum suorum expressè eos appellat apocryphos. In quo igitur domini isti adimunt hæc 20,000 locorum? In quo? Si errant. 20,000 sacrilegiorum in unico articulo admittunt. Concedunt quòd nullum textum formalem habeant, qui pronuntiet hos libros esse apocryphos, nam nullum citant, et cùm refugium suum habeant ad *persuasionem interioris spiritûs*, quæ non est scripta, satis declarant se verbum scriptum non habere, unde alios decipiunt, et sibi contradicunt: nam spoponderant se non in medium prolaturos propositionem aliquam, quin eam essent justificaturi per verbum scriptum.

Et nunc sine aliquo textu credenda esse volunt 20,000 propositionum, scilicet unamquamque clausularum, quæ in prædictis libris habetur, volunt credamus esse apocrypham. Audiamus quâ adhuc causâ hos libros repudiant. Articulo 4, enumeratis libris omnibus quos pro canonicis recipiunt, sic aiunt: *Agnoscimus hos libros esse canonicos, non tam ob communem concordiam, et consensum Ecclesiæ, quàm ob testimonium et persuasionem interiorem S. Spiritûs, qui facit ut eos ab aliis libris ecclesiasticis separemus, qui licet utiles sint, non potest tamen super iis fundari aliquis fidei articulus*; igitur ostendunt hos libros esse apocryphos hoc modo: *Regula vera ad cognoscendum aliquos libros esse apocryphos, est persuasio interior S. Spiritûs, qui eos facit discernere;* hæc interior S. Spiritûs persuasio dicit unicuique *nostrùm quòd prædicti libri sint apocryphi; igitur prædicti libri sunt apocryphi*. Hoc argumento probare volunt per consequentiam deductam, ut aiunt, ex Scripturâ sacrâ, sed per textum formalem hoc non possunt justificare.

Religionario repræsentandum est, quòd nec major nec minor jam dicti argumenti sit in Scripturâ. Et ideò articulus non probat quod dicit, nec per purum verbum, nec per consequentiam deductam ex purâ Scripturâ; hoc seriò religionario inculcandum est, et perspicuè ostendendum: nam prima propositio non est in Bibliis, ut clarum est; igitur partiarii vestri vos errore implicant, dùm dicunt se nihil vobis velle proponere quod non sit in Scripturâ. Et vobis hanc propositionem obtrudunt, quæ non est, et efficit, ut 20,000 clausularum virtute ipsius exscindatis. Minor, scilicet, quòd Spiritus dictet ministro, aut alteri particulari, quòd Sapientia sit liber apocryphus, ubi est in Scripturâ? Sed quâ viâ poterit mihi constare, qui me Reformationi vestræ subjicio? An quis minister pollicetur mihi, qui reformator meus est, quòd spiritus suus hoc illi dictet, et quòd non sit verisimile, hominem probum, qualis est minister, velle mentiri, et asserere spiritum hoc illi suggerere, si non suggerat? Quod cùm ita sit, primum fundamentum et basis cui debeo inniti, et à quâ certitudo Reformationis meæ dependet, nulla est alia nisi quòd minister dicat se nolle mentiri. Fundamentum admodùm debile, præsertim cùm ejusmodi homines ad mentiendum propensi sint; porrò antiquitati renuntiare, quinque præliis concertare, stultitia est ac

crimen. Si minister jubet SS. Patribus renuntiare, quia *omnis homo mendax*, quid de ministro dicendum? Videtis quòd articulus non probet id quod continet, nec per Scripturam, nec per consequentiam desumptam ex Scripturâ, et quòd mera pertinacia expungat 20,000 locorum Scripturæ.

Hoc totum pleniùs religionario ostendendum est, et pleniùs, ut clarè videat quòd sine aliquo verbo scripto, Confessio fidei credendas proponat omnes has propositiones sequentes. Coram ipso sic scribendum :

1. Regula cognoscendi libros aliquos apocryphos esse, est persuasio interior spiritûs, qui eos facit discernere.

Probatio..... *zero*, id est, nulla.

2. Spiritus iste interior dictat cuique fideli quòd Scripturæ libri, Ecclesiasticus, Baruch, Tobias, Judith, et Machabæi sint apocryphi. — 3. Liber Baruch est apocryphus. — 4. Liber Sapientiæ est apocryphus.

Probatio harum trium propositionum..... *zero*

5. Liber Ecclesiastici apocryphus.

Probatio..... *zero*

6. Liber Tobiæ apocryphus.—7. Liber Judith apocryphus.—8. I et II Machabæorum apocryphi.

Probatio harum trium propositionum..... *zero*

Videtis quot sint propositiones fundamentales, quas volunt credatis sine aliquâ Scripturâ ; nam nullam citat articulus, ac proinde partiarii vestri vos decipiunt.

Quam regulam ipsi dant ad secernendos libros canonicos ab apocryphis, eamdem dant ad interpretandam Scripturam in vero sensu suo : nimirùm cùm magnum sit periculum ne quis decipiatur in sensu et interpretatione Scripturæ, (nam si quis in hoc decipiatur, in omnibus decipitur), partiarii volunt cognoscatur verus sensus non tam per *communem concordiam et consensum Ecclesiæ, quàm per testimonium* et persuasionem interiorem *spiritûs*. Estne in Scripturâ textus aliquis qui hanc propositionem proferat : *Regula dijudicandi quis sit verus sensus Scripturæ est, non tam concordia communis et consensus Ecclesiæ, quàm testimonium et persuasio spiritûs?* Ubi est hic textus? nullus est. Ubi etiam habetur in Scripturâ quòd *hæc persuasio dictet unicuique fideli quòd sensus horum verborum : Hoc est corpus meum*, sit : *Hoc est* figura corporis mei? Ubi habetur in Scripturâ quòd persuasio interior hoc dictet? et quomodò sciam? et si me ad ministri arbitrium referam, unde sciam eum non esse mendacem? fortassis non persentit persuasionem hanc, quam se habere dicit.

§ 2. **De Ecclesiâ et Hierarchiâ.**

In articulo 27 vos dicitis : *Credimus quòd conveniat diligenter et cum prudentiâ discernere quæ sit vera Ecclesia, eò quòd nimis magnus sit hujus tituli abusus ; dicimus igitur, secundùm verbum Dei, quòd sit fidelium congregatio.* Hucusque in eamdem sententiam conspiciamus, et propter has veritates citatis plures textus : controversia nostra est, quæ sint notæ ad probè judicandum quæ sit vera Ecclesia.

In hoc puncto, quod fundamentum omnium est, assignantes notas, quibus hæc Ecclesia discernatur, dicitis eam esse *fidelium congregationem, qui conveniunt in sequendo verbum Dei, et puram religionem, quæ ex eo provenit, ac in eâ proficiunt toto vitæ suæ tempore.* Negamus quòd tales qualitates sint notæ Ecclesiæ ; non sunt notiores ipsâ Ecclesiâ ; quomodò igitur eam manifestabunt? nullum textum citatis in confirmationem hujus articuli. Estne verum? quare igitur non profertis textum aliquem, qui sit *regula hujus veritatis*, cùm *Scriptura sit regula omnis* veritatis ; hunc articulum omnium fundamentum depromitis proprio cerebro, unde sic ei subscribo :

Probatio..... *zero*

In articulo 29 dicitis : *Quantùm ad veram Ecclesiam, credimus quòd gubernari debeat secundùm politiam illam quam stabilivit Dominus noster Jesus Christus.* Et citatis in probationem textus aliquos : in hoc concordes sumus; controversia nostra est, quæ sit hæc politia? Dicitis : Est *quòd sint pastores, episcopi et diaconi;* nomen *episcopi* nomen est desumptum è Græco, et in nostrâ linguâ eum signat qui vigilat : nomen *presbyteri*, seniorem; et nomen *diaconi* ex Græco etiam sumptum, significat ministrum. Hoc expendite; hierarchia vestra componitur ex ministris, senioribus et episcopis, aut, ut utar terminis usitatis in Bibliis translationis Genevensis, ex diaconis, senioribus et episcopis : peto à vobis 1°: Ubi invenitis in Scripturâ quòd diaconus presbytero antecellat et episcopo? et tamen credo quòd inter vos minister non se inferiorem seniori et episcopo sit dicturus. Constituitis pauperem episcopum, qui idem est quod vigilans, ultimo loco, et diaconum, qui idem est ac minister, primo loco; cerebro estis rebelli, et cùm diaconi sint ministri, qui pastores erunt? Vestri episcopi eruntne pastores? Et tamen tota Scriptura toties episcopos appellat pastores!

2° Episcopus in Scripturâ instituit presbyteros et diaconos; penes vestros episcopos non est hæc potestas. 3° Ministri interdùm se vocare volunt episcopos; si ita res se habeat, in quo Scripturæ loco invenietis episcoporum vestrorum institutionem? Ministros vestros prohibete ne in initio sibi nomen episcopi adsciscant, aut duo episcoporum genera in Scripturâ ostendite. Et quod magis est, diaconi iidem erunt ac episcopi : nam minister idem est quod diaconus; si tales non agnoscitis, quos alios diaconos habetis? Et dividendo in articulo vestro 29 politiam et hierarchiam in pastores, episcopos et diaconos, ubi in Scripturâ erit ministrorum institutio? Si designatis per nomen *pastorum*, idem pastor erit, sicut dicitis, episcopus, sicut dicit quòd idem sit superintendens et diaconus, qui græcè ministrum signat. 4° Si politia et hierarchia sit ex pastoribus, episcopis et diaconis, igitur extra hanc politiam erunt vestri seniores ; nam nec sunt episcopi, nec diaconi; ubi erunt? Et Patres vestri consistoriales quomodò politiam vestram ingredientur? Videte quantâ confusione repleatur, et rerum perturbatione Babylonia vestra ; sed pro confirmatione omnis vestræ hierarchiæ, nullum habetis textum in Scripturâ, sed nec aliquem citatis, qui ita politiam Ecclesiæ ordinet in pastores, episcopos et diaconos. Videte quomodò in errorem inducamini, dùm dicitur vobis, quòd Scriptura proferatur pro regulâ omnium quæ credere debebitis ; vobis hierarchia stabilitur et politia, pro quâ affertur, tanquàm regula, unicus textus. Itaque pro omni politiâ et hierarchiâ vestrâ subscribo :

Probatio. . . . . . . zero

§ 3. De Purgatorio, de Confessione, de Peregrinationibus et Indulgentiis, etc.

Ad particulariora puncta descendamus. Afferre possem maximum numerum propositionum vestrarum tam affirmativarum quàm negativarum, pro quibus non est aliquis textus in margine citatus; signum est vos non habere. Ministri ut hoc tegerent, hâc sunt usi astutiâ : Duo in eâdem clausulâ conjunxerunt, in quarum unâ cum Catholicis conveniunt; in alterâ volunt nos reformare; et in margine illius clausulæ aliquos textus citant, qui loquuntur de primâ parte clausulæ, et non de secundâ : simplex religionista legens clausulam hanc articuli sui, et videns textus citatos, putat quòd hi textus doceant integram clausulam, et sic à ministris decipitur. Hoc patet in duobus articulis examinatis in præcedenti paragrapho; possem similes producere. Articuli vestri exundant clausulis, pro quibus confessio fidei vestræ nullum textum citat, quia nullus est. Sufficiet sequentes adnotare.

In articulo 24 sequentes clausulæ habentur, et tamen ne unicus textus in margine pro verificatione alicujus illarum citatur. Sic loco puri verbi pono infra unamquamque clausulam, pro probatione : *Zero*

1. Tenemus Purgatorium pro illusione.

Probatio. . . . . . . zero

2. Ex abusu et fallaciâ Satanæ provenerunt vota monastica.

Confessio fidei hos omnes articulos verificat per. zero

Probatio. . . . . . . zero

3. Ex eâdem officinâ processerunt peregrinationes.

Probatio. . . . . . . zero

4. Ex eâdem officinâ promanavit confessio auricularis.

Probatio. . . . . . . zero

5. Ex eâdem officinâ eruperunt indulgentiæ.

Probatio. . . . . . . zero

6. Ex eâdem officinâ profluxerunt cætera omnia his similia, per quæ putant quòd quis gratiam mereatur et salutem.

Probatio. . . . . . . zero

7. Rejicimus omnia alia media quæ homines præsumunt habere, ut se apud Deum rediment ; nam derogant sacrificio mortis et Passionis Jesu Christi.

Probatio. . . . . . . zero

8. Nobis non est licitum orare, nisi secundùm formam quam Deus verbo suo nobis dictavit.

Probatio. . . . . . . zero

In articulo 31, dicitis : *Status Ecclesiæ tempore nostro interruptus erat, et oportuit Deum suscitare homines modo extraordinario, qui Ecclesiam vastatam ac desolatam de novo erigerent.*

Probatio. . . . . . . zero

Videte quomodò ministri et vestra fidei Confessio vos decipiant, et quoties in uno articulo promittunt se loqui non velle nisi per Scripturam sanctam, et tamen cùm velint vos ad credendas clausulas omnes jam dictas inducere, nullam illarum probant per textum aliquem, nullum sanctum verbum afferunt in confirmationem unius illarum. Examinate ar-

ticulos vestros, invenietis plusquàm centum clausulas, tam affirmativas quàm negativas, pro quarum confirmatione nullum citant textum, nam nullum habent. Itaque vos seducunt. Quis justè quempiam accusaverit, nisi legem aliquam, quæ præcipiat, vel prohibeat, per accusatum violatam, in medium proferat? omnis intentata accusatio, ut sit vera accusatio, non calumnia, fundari debet in lege aliquâ transgressâ, et esse debet probatione munita. Isti domini non solùm accusant, sed judices se constituentes, condemnant superstitionis, abusûs, criminis læsæ majestatis divinæ, sanctos Patres et nos omnes. In octo punctis citatis (et in pluribus aliis, quæ omitto) decretum cruentum pronuntiant, quo illos et nos omnes superstitiosos, deceptos, Satanæ organa in promulgatione illusionum satanicarum jam dictarum appellant.

Hoc decreto pronuntiato, pro illius executione monasteria nostra subverterunt, loca nostra sancta ac ecclesias igne absumpserunt. Cujus rei nos accusant et condemnant? quam legem divinam probant per nos esse violatam? non probant, nullam legem citant, nullum verbum Scripturæ, cui sancti Patres, aut nos repugnaverimus. Et tamen nos accusant et condemnant. Homines gnaviter impudentes, sed etiam mendaces, inverecundi, promittunt se velle tantùm organa Scripturæ sanctæ esse, nec nisi per illam loqui velle, et tamen pronuntiant octo decreta jam dicta, sine citatione alicujus loci Scripturæ. Videte, religionistæ, quomodò sitis decepti. Sed ut luculentiùs videatis, et ut ministris omnem excusationis modum adimatis, quæ vobis esse posset præjudicio, perlegite diligenter paragraphum quartum hujus capitis.

§ 4. De sanctâ Cœnâ.

In articulis 36 et 37, ubi dictum fuit quòd Jesus Christus nos nutriat et vivificet substantiâ corporis sui et sanguinis, quod etiam credunt Catholici, addunt (in quo sumus contrarii), sine citatione alicujus textûs in probationem, unde subscribam, ut supra feci :

Probatio. . . . . . . *zero*

1. Tenemus quidem quòd hoc fiat spiritualiter.

Probatio. . . . . . . *zero*

2. Cœna figura est, aut in cœnâ est figura corporis Jesu Christi.

Probatio. . . . . . . *zero*

3. Quia hoc mysterium cœnæ est cœleste, non potest apprehendi nisi per fidem, aut secundùm terminum vestrum vulgarem, *per os fidei;* qui puram fidem afferunt, tanquàm vas aliquod, verè recipiunt id quod signa testantur. Hoc dicitis communiter, quòd *in cœnâ manducetur corpus Christi, per os fidei.* Et in Catechismo, in Dominicâ 33, dicitur : *Ad habendam Sacramenti veritatem, elevanda sunt corda nostra in cœlum, ubi est.*

Probatio. . . . . . . *zero*

Ecce plures articuli et magni momenti probati per. . . . . *zero*

Videte, religionistæ, quomodò decipiamini; ministri hæc omnia vobis credenda proponunt, cùm non possint citare verbum aliquod scriptum. Unde oportet cœnam vestram aliud nihil esse quàm inventionem purè humanam. Per principia vestra ostendo, nam nullum purum verbum habetis, quod pronuntiet hoc quod affirmativè de cœnâ creditis.

Maximè tria prædicta creditis : *quòd sit figura,* etc.; *quòd per os fidei corpus manducetur,* etc. Debetis diligenter distinguere quod fidei nostræ est in hoc subjecto; vos autem negatis cum eo quod affirmativè creditis : nam quamvis erraremus (quod non fit, sicut statim ostendam), et propositiones vestræ negativæ : *Jesus Christus non est in Eucharistiâ,* et aliæ, veræ essent, non sequitur quòd id quod affirmativè creditis, verum sit, quòd propositiones vestræ affirmativæ veræ sint, quòd non erretis in ipsis. Si quis aberret, iter unum accipiens, qui aliud arripiet, estne propterea in bono itinere? numquid uterque potest à vero itinere deflectere? Examinate igitur propositiones vestras affirmativas; ne unicam umbram textûs invenietis, qui pronuntiet id quod docet quòd *cœna sit figura corporis,* etc., nec qui loquatur *de ore fidei,* etc. Igitur tota vestra cœna aliud nihil est, quàm inventio humana. Hoc posito, meâ sententiâ, manducando bonum caponem, aut gallum gallinaceum, faciliùs meminisse possetis mortis Filii Dei, quòd in eo fit mentio cantûs galli, quàm manducando buccellam panis. Proinde illum rationabiliùs figuram institueritis et memoriam, quàm panis frustum, quod non plus sacrum est quàm aliud quo communiter vescimini. Pensiculatiùs cœnam hanc examinemus.

Petendum est à religionistâ, 1° : Quid credis de pane, qui est in manibus ministri distribuentis cœnam, postquàm pronuntiavit omnia verba mystica, antequàm panis sit super linguam illius qui cœnam facit? Respondebit

figuram tantùm esse corporis Jesu Christi. 2° Quid credis manducare per os corporis ? Respondebit, se per os corporis manducare solam figuram. 3° Manducando per os corporis hanc solam figuram, credis te manducare per os fidei solam figuram , aut verè corpus Jesu Christi ? Respondere debet, secundùm articulum suum 36, quòd non manducet per os animæ solam figuram, sed quòd manducando per os corporis solam figuram, per os animæ, sive fidei, verè manducet corpus Jesu Christi ; nam in articulo suo 36, dicit : *Credimus quòd in cœnâ Jesus Christus nos nutriat et vivificet substantiâ corporis sui et sanguinis* ; et postea, de eâ re loquens, dicit : *Non ut loco effectûs et veritatis ponatur imaginatio aut cogitatio.* Urgendus est religionista, primùm producat textum aliquem, qui in cœnâ distinguat duas manducationes, unam oralem, et per os corporis, alteram animæ per os fidei, et quòd per priorem manducetur sola figura, per posteriorem, non solùm figura, sed verum corpus ; deinde, cùm religionista sibi persuadeat quòd manducando per os corporis solam figuram, per os animæ manducat verum corpus, oportet textum aliquem proferat, quo Jesus Christus promittat quòd manducando per os corporis solam figuram, dabit ad manducandum per os animæ substantiam corporis sui : nam si sine tali promissione hoc sibi persuaserit, non minùs est stultus quàm si imaginaretur se magnum esse regem Sinarum ; et nisi Jesus Christus hoc illi promiserit, quis illi dare poterit hoc corpus ad manducandum ?

Cogendus est religionista, ut textum aliquem in medium afferat, qui promissionem hanc contineat ; tantùm afferre potest : *Accipite, manducate : hoc est corpus meum ; qui carnem meam manducat,* etc. Cui replicandum est, quòd, quia hæc loca figuratè exponit, quando nos Catholici illis probabamus realem præsentiam corporis Jesu Christi, in manducatione per os corporis, sub speciebus panis et vini, aliter non potest ampliùs explicare ; nullus igitur restat illi textus ad probandam manducationem suam realem per os animæ. Et sic dùm nobis vult auferre loca quibus probatur manducatio oralis veri corporis Jesu Christi, sibimet auferunt loca pro suâ manducatione per os animæ : et dùm volunt evertere manducationem nostram oralem, suam destruunt per os fidei. Hoc modo egregiè premebam nobilem quemdam religionistam tam excellentis ingenii, ut optimè agnoverit vim argumenti ; cui etiam hunc formabam syllogismum in probationem fidei nostræ : Omnis potus qui in cruce effusus est, verus est sanguis Jesu Christi ; potus cœnæ, potus effusus est in cruce ; ergo potus cœnæ est verus sanguis Jesu Christi. Minor constat verbis Domini nostri Jesu Christi, Luc. 22, v. 20 : Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ἐκχυνόμενον : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Geneva, ut vim hujus loci vitaret, falsificavit hunc textum, traducendo *effusus,* loco, *effusa ;* et sic referunt effusionem ad sanguinem, et non ad cupam, seu calicem : hæc est versio : *Hæc cupa est novum testamentum in sanguine meo, qui effusus est pro vobis,* falsificatio evidentissimè constat ex textu Græco jam allegato. Videtis, religionistæ, impietatem ministrorum, qui per sanctam libertatem spiritûs sui volunt Scripturam reformare, sicut Ecclesiam ; et ex falsificatione agnoscite vim hujus loci pro fide nostrâ.

Pergamus. Vidimus quòd quæ religionistæ credunt affirmativè de cœnâ, non sint fundata nisi super opinione eorum et phantasiâ. Videamus quid in ipsâ negent, et examinemus fundamentum negationum illorum, eò quòd articuli 36 et 37, qui de cœnâ loquuntur, valdè obscurè scribantur ; ut illos illustrem, aliquid ex Catechismo vestro desumam.

PRIMA CLAUSULA ARTICULI 36. — *Fatemur quòd cœna sit nobis testimonium unitatis, quam cum Jesu Christo habemus, cujus corpus,* dicitis in vestro Catechismo, in lectione, aut dominicâ 53, *non esse inclusum in pane, nec sanguinem in calice, non esse quærendum in istis elementis corruptibilibus.* In probationem citatis hunc textum : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus,* 1 Cor. cap. 10, v. 16 et 17.

EXAMEN. — Non lego in hoc textu, *testimonium unitatis cum Jesu Christo,* igitur textus non pronuntiat id quod est in articulo. Sed lego : *Communicatio sanguinis, communicatio corporis,* quod aliud est quàm *testimonium unitatis cum Jesu Christo.* Et ostendit quòd corpus *Jesu Christi possit inveniri in elementis corruptibilibus specierum panis et vini,* quod negat articulus.

ALIA CLAUSULA ARTICULI 37. — In cœnâ sunt signa quæ testificantur quòd *corpus et sanguis*

Jesu Christi non minùs animæ serviant, quoad cibum et potum, quàm panis et vinum serviunt corpori. Articuli isti dicere nolunt expressis terminis quòd *corpus Jesu Christi non sit in Eucharistiâ.* Ut velo ablato, tenebrarum eorum aperiam errores, desumam ad hanc obscuritatem illustrandam, quod scriptum est in eorum Catechismo; ipse in lectione, aut dominicâ 53, dicit, *quòd non intelligat corpus includi intra panem, nec sanguinem intra calicem; sed è contrario ad habendam veritatem Sacramenti, elevanda sunt corda nostra in cœlum, ubi est Jesus Christus, et non est quærendus in his elementis corruptibilibus.* Pro hâc clausulâ citatis duos textus; prior : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.*

Examen. — Primò non lego in hoc textu *signa quæ testificantur,* sed quòd Jesus Christus sit *panis vivus,* panis non vulgaris confectus ex farinâ coctâ, sed qui sit *ipsius caro, quam,* ait, *dabo pro mundi vitâ;* sicut dando dicit : *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur;* fuitne signum, aut figura corporis, quod cruci fuit affixum? fuitne ipsius proprium corpus? Igitur hæc clausula decipit. Secundò, ministri qui promiserunt se nihil pronuntiaturos nisi verbum scriptum, quomodò hanc clausulam tantæ consequentiæ pronuntiant : *Corpus Jesu Christi non continetur, aut includitur intra panem, nec sanguis,* etc., sine aliquo verbo scripto? Videte impostores, qui promittunt, nec stant promissis etiam in rebus tanti momenti. Alter textus : *Accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquàm cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem,* 1 Cor. 23 et seq.

Examen. — Quis in hoc textu legit *signa quæ testificantur figuram; signa corporis Jesu Christi, quòd non est intra panem, nec sanguis intra calicem?* Purum igitur verbum non pronuntiat id quod dicit articulus. Sed quomodò textus posset expressiùs rejicere fidem adversariorum, quæ est *quòd corpus Christi non sit intra panem, nec sanguis intra calicem?* Videte, religionistæ, utrùm decipiamini. Vestrum est probare, ministri, per purum verbum, quòd cœna sit *signum testificans figuram corporis Domini nostri, quòd non sit intra panem, et sanguis non sit intra calicem.* Ad hoc probandum per purum verbum afferunt hunc locum; videte utrùm hæc ibi legatis; si ea sint scripta, legere poteritis; si non legatis, estis seducti. Sed numquid contrarium legitis? Itaque dupliciter seducimini.

Fortassis religionista quispiam, existimans se in Scripturâ magis versatum quàm ministros qui Confessionem fidei composuerunt, et in justificationem articulorum ipsius citârunt omnes sacros textus quos sibi magis favere existimârunt, in probationem proferre volet, quòd *cœna sit figura;* hoc dicit Dominus noster Joannis 6, v. 63 : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam; verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus et vita sunt.* Pro responsione, 1° vobis, religionistæ, repræsentabo quòd ministri vestri inter se decertent utrùm in hoc cap. 6 Joannis fiat mentio de cœnâ. Calvinus libro 4 suarum Institutionum, cap. 17, § 33, Kemnitius, Zwinglius, negant; et Moulinus in libro suo de Cœnâ, integrum fecit caput, ad probandum quòd S. Joannes, cap. 6, non loquatur de sacramento de quo agimus. Quomodò igitur stabilire potestis hunc firmum fidei vestræ articulum super hoc fundamento, de quo inter vos dubitatur? Quomodò uti potestis hoc loco contra nos, sive sit pro figurâ vestrâ, sive pro vestro *spiritualiter?* 2° Non lego in hoc textu, *figura.* Quòd si quis dicat idem esse spiritum et figuram, illius est probare, et quidem per puram Scripturam. Et quis non videat hoc esse ridiculum? Dæmones spiritus sunt, an etiam figuræ sunt? An ipse Deus, qui purissimus est spiritus, est etiam figura? meum non est explicare sensum hujus loci; solùm ostendo quòd hoc purum verbum non dicat id quod continet articulus, et per consequens quòd ministri sint impostores. Ego tamen obiter notabo sensum hujus textûs esse quòd Dominus noster non sit daturus ad manducandum carnem mortuam et dissectam (sicut communiter caro manducatur, quod existimabant Capharnaitæ, ut adnotat S. Augustinus in psalm. 98, de hoc subjecto tractans); nam hoc modo carnem manducare nihil saluti prodesset, sed carnem per spiritum animatam et vivificatam per vitam suam divinam, hoc modo manducamus, et, secundùm hunc modum, caro alia non potest manducari; nam oportet priùs sit mortua, ut nutrimentum afferat.

Memineritis, religionistæ, me per Scriptu-

ram hanc non probare fidem meam; satis est quòd non in his verbis legatis *figuram corporis*, nec *tenemus quidem quòd hoc fiat spiritualiter, eo modo ut corpus non contineatur*, ut agnoscatis vos deceptos esse; nam cùm hoc non legatis, purum verbum non dicit id quod est in articulo; si diceret, legere possetis.

§ 5. De cœlibatu et ciborum prohibitione, etc.

Dicitis etiam articulo 24 : *Ex eâdem Satanæ officinâ provenerunt prohibitiones matrimonii, et usûs ciborum, et dierum cæremoniosa observatio.*

Textus. — *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris*, etc., *prohibentes nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura bona est, et nihil rejiciendum*, etc.

Examen. — Per clausulam hanc, articulus vult Ecclesiam catholicam reprehendere, sed injustè : nam 1° non probibet nubere; aliàs nullus Catholicus posset matrimonium contrahere, nisi rebellis fieret Ecclesiæ præcepto. Tantùm vult observetur id quod Deus præcipit in Scripturis suis : nimirùm vota compleantur, ac proinde vult ut presbyteri et alii qui castitatem noverunt et continentiam, votum hoc observent, unde fit ut matrimonium inire non possint. Textus citatus nec verbum dicit contrarium. 2° Demiror ministrorum judicium infirmum; putantne medicos præcipientes ægrotis ut à quibusdam cibis abstineant ad tempus aliquod pro eorum sanitate, Apostolo reluctari, ac doctrinam diabolicam docere? Adhuc magis miror eorum impudentiam, qui legentes prohibitionem usûs ciborum, factam per Apostolos in primo concilio congregatos, Actorum 15, num. 18, hisce verbis : *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria;* et quæ sunt inter alia? *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato;* audent, abutendo textu citato, dicere non sine blasphemiâ execrabili, contra SS. Apostolos, et contra Spiritum sanctum, quòd *ex officinâ Satanæ provenerint prohibitiones usûs ciborum*, vocando hâc ratione Spiritum sanctum *Satanam*, et hoc primum sacrum Apostolorum concilium *officinam Satanæ*, et ejus prohibitionem, *abusum et illusionem!* S. Paulus, qui huic sacro concilio interfuit, multùm abest ut censuram ferat in præceptum, quod cum aliis tulit de abstinentiâ à quibusdam cibis, sed prævidens futuros aliquos hæreticos, qui prohiberent matrimonium tanquàm rem per se malam, et à dæmone introductam, et cibos tanquàm per se et ex suâ naturâ malos (sic fecit Manichæus, Marcion et Tatianus, ut refert sanctus Augustinus et alii), Apostolus eos damnat. Longè ab hoc errore abest Ecclesia. Sic S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, et S. Ambrosius, hunc locum exponunt; et ratio condemnationis suæ, quam affert Apostolus, in his verbis contenta : *Omnis creatura Dei bona est*, optimè eam justificat; et ministri est probare contrarium, cùm sit actor. Denique Ecclesia non prohibet absolutè cibos; nam piscem non prohibet, qui est cibus; nec in perpetuum; sed solùm quosdam cibos particulares, et ad tempus aliquod, quod non damnat Apostolus, qui loquitur de iis qui absolutè præcipiunt *abstinere à cibis*, et sine limitatione alicujus temporis. 3° Pro probatione tertiæ clausulæ de observatione dierum, articulus non citat textum aliquem, igitur decipit.

§ 6. De intercessione sanctorum.

Jesus Christus nobis datus est pro solo advocato; quicquid homines imaginati sunt de intercessione sanctorum defunctorum, aliud nihil est, quàm abusus et fallacia Satanæ. Tantùm oppugnamus hoc nomen (*solus*) in primâ clausulâ hujus articuli; ipse citat duo loca in margine. Pro secundâ clausulâ nullum citat. Primus locus habetur 1 Timot. 2, v. 5 : *Unus enim Deus, unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.*

Examen. — Volo citare locum integrum, ut evidenter appareat, quòd non dicat id quod articulus Confessionis docet; hæc sunt verba Apostoli : *Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Non invenio in loco jam allegato, terminum (*advocati intercessionis*) de quo agitur, nec invenio quòd sancti excludantur ab hoc munere *advocati*, quod dicit articulus. Quòd si minister dixerit nomen *mediatoris*, sicut S. Paulus accipit, idem esse ac nomen *advocati*, respondeo 1° quòd minister, aut potiùs confessio fidei suæ, probare debeat quòd in loco jam citato, hoc nomen *mediatoris* accipiatur pro mediatore et *advocato intercessionis*, et non pro mediatore et *advocato*

redemptionis; debet, dico, hoc probare, et quidem solâ Scripturâ, quod non facit. Igitur locus ille allegatus non id dicit quod confessio fidei docet, nec rejicit sanctorum intercessionem. 2° Respondeo (et hoc cognoscitur per locum integrè citatum), S. Paulum loqui de uno mediatore; propria sunt verba Apostoli : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Mediatorem talem dicit esse unicum et solum. Catholici non asserunt sanctos esse tales mediatores. Igitur locus nihil probat contra Catholicos, nec dicit quòd *Jesus Christus sit nobis datus pro solo* tali *advocato,* nec quòd *intercessio sanctorum defunctorum abusus sit et fallacia Satanæ.* 3° Nomen (*solus*) additum fuit per ministros in Bibliis Genevensibus ; in Græco non est, aut Latino. Et quod magis est, non est in Bibliis antiquioribus traductionis Genevensis, impressis anno 1546-1547, per Joannem Pidier, et anno 1564, per Franciscum Jaquii Genevæ. Plurimis post annis hi domini, secundùm libertatem suam sanctam, quam dat illis spiritus, hoc nomen (*solus*) adjunxerunt, super quo termino fundant vim argumenti sui. Videte, religionistæ, quomodò vos decipiant ministri. Et S. Paulus ad Galatas 3, Moysen vocat *mediatorem.*

Secundus locus citatus in dictâ confessione, est in Epistolâ primâ S. Joannis cap. 2, vers. 1 et 2; hæc verba sunt : *Hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; t ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Examen. — Numquid manifestum est quòd non de quovis advocato loquatur, sed de advocato, qui est *propitiatio pro peccatis totius mundi,* nimirùm per effusionem sanguinis sui? Catholici non dicunt quòd aliquis sit talis advocatus, qualis est Dominus noster; quorsùm igitur locum hunc proferunt, qui de eo non loquitur, de quo disputamus? Et adverte quòd ministri sit, siquidem actor est, ostendere quòd nomen advocati accipiatur hoc in loco pro omni intercessore, qui nec sit propitiatio peccatorum mundi per passionem suam, et per purum verbum hoc probare debet. Deinde, etiamsi obstinatè minister per nomen *advocati* intelligere vellet ipsum, qui non est propitiatio peccatorum mundi (quod minister dicit ex proprio cerebro, sine puro verbo, imò contra verbum allegatum), tamen nomen (*solus*) de quo tantùm contendimus, cùm non sit in hoc loco, ipse nullo modo dicit quod continet articulus, scilicet quòd *Jesus Christus sit solus advocatus.*

§ 7. De fide et bonis operibus.

In articulo 20 dicitis : *Credimus nos fieri participes hujus justitiæ*, videlicet christianæ, *solâ fide.* Ministri citârunt in margine articuli textus sequentes : *Arbitramur autem justificari hominem per fidem sine operibus legis,* ad Rom. 3, vers. 27. *Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi,* ad Galatas cap. 2, vers. 16. *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo,* ad Galatas 3, 24.

Examen. — Ne unicum quidem verbum in his textibus lego de operibus fidei christianæ, de quibus solis, et non aliis loquimur, et ea necessaria esse tenemus ad justificationem. Evidens est quòd hoc purum verbum allegatum, loquatur de operibus religionis Judaicæ, quæ à S. Paulo communiter appellantur nomine legis, et non de operibus religionis christianæ. Loca igitur ista solùm dicunt quòd lex christiana sine circumcisione et aliis cæremoniis Judaicis justificet. Quis negaverit? hocne est dicere quòd sola fides christiana, sine operibus, quæ ex dictâ fide in Jesum Christum procedunt, sicut est pœnitentia, justificet? Quod tamen dicit articulus. Impudentiam ac ignorantiam ministrorum admiror, cùm S. Paulus tam fusè quinque integris capitibus, in hâc Epistolâ ad Galatas, disputet contra eos qui circumcisionem et opera Judaismi fidei christianæ conjungere volebant; deinde cùm tituli eorumdem capitum Bibliorum Genevensium hoc adnotent, adversarii dicunt quòd contra eos agant, qui asserunt opera christiana necessaria esse ad justificationem.

Epistolam aperi, religionista, et hos impostores detestaberis : integra Epistola docet quod dico. In cujus probationem sufficit citare verba capitis 5, vers. 2 : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursùs omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratiâ excidistis. Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ, expectamus; nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Numquid seducimini? nonne

S. Paulus his verbis ultimis docet vestro articulo contrarium? Apostolus opponit christianam Religionem, quam vocat fidem in Christum, Religioni Judaicæ, quam vocat legem, et ostendit hanc non esse necessariam ad justificationem, sed primam illam sufficere, nec opponit fidem christianam operibus christianis.

Textus ultimus citatus per supradictum articulum non plus virtutis habet, quàm præcedens. Hic est in S. Joanne cap. 3, vers. 15 et 16: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nomen, *sola*, de quo controversia est, et quod est in articulo vestro, qui docet quòd *sola fides justificet,* non est in hoc textu. Itaque ipsa, nisi addatis hoc nomen, *sola,* nullo modo est ad propositum articuli; et quoties verbum *credere* in Jesum Christum, significat profiteri Evangelium, et secundùm illud vivere? Nam *fides,* ait Jacobus capite 2, vers. 17, *sine operibus mortua est.* S. Paulus ad Galatas capite 5, nonne dicit id quod justificat, *fidem* esse, *quæ per charitatem operatur?* Et Dominus noster numquid hanc pronuntiat sententiam: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata?* Sed meum non est probare quòd sola fides, sine operibus christianis, non justificet: vestrum est ostendere, et per purum verbum, quòd ipsa sola justificet; *sola* dico, nam de hoc solùm disputamus; articulos quosdam omitto, qui textus tam evidentes non habent.

§ 8. De traditionibus.

Non minùs attentè perpendite quod sequitur in articulo 5, et vobis credendum proponitur, nempe quòd sacrum *verbum contentum in libris Scripturæ sanctæ sit regula totius veritatis,* et quòd nihil credi debeat, nisi quod est in hoc puro verbo. Articulus iste magni momenti est, quia huic innixi et fundati, et non aliis rebus, rejicitis omnes traditiones Ecclesiæ Romanæ; plura decreta condemnationis contra nos pronuntiatis; vos non recipitis *nec antiquitatem, nec consuetudines, nec multitudinem, nec sapientiam humanam, nec judicia, nec aresta, edicta, nec decreta, nec consilia, nec visiones, nec miracula,* et quamvis hæc omnia doctrinæ vestræ opponantur, non ideò multùm laboratis; his renuntiatis, dicentes quòd tantùm puram Scripturam velitis; quòd *cætera omnia ab hominibus procedant, erroribus subjectis,* et quòd *omnia examinari debeant, ordinari et reformari secundùm purum illud verbum.* Articulus igitur iste est magnæ consequentiæ, et oportet, si credi debeat, ut is inveniatur in Scripturâ sanctâ. Quòd si ministri illum per seipsos in medium proferant, debent sine dubio procul repelli, tanquàm homines attritâ fronte, qui velint quòd mundus renuntiet omnibus jam dictis, propter propositionem aliquam à seipsis excogitatam, et seipsos mendaces reddunt, qui promiserunt quòd tantùm velut organa, velint Scripturæ sanctæ servire. Ponamus igitur articulum in lineâ, et inferiùs textum citatum in verificationem ipsius.

Articulus 5: *Verbum scriptum regula est totius veritatis,* aut, ut communiter dicitis, *nihil credendum est, nisi quod est in puro verbo.* In margine hujus articuli citatis tres textus, ad probandum id quod in eo continetur.

Textus primus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo,* Deuter. 4, 2. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam nec minuas,* Deuter. 12, 32. In his locis ne unicus quidem est articuli terminus; nam nec unicum est *verbum scriptum*, nec *regula totius veritatis,* qui sunt duo termini articuli 1. Igitur hoc purum verbum non dicit id quod continet articulus. Hoc fusiùs perpendamus. 1° Moyses Judæus loquitur de eo tantùm quod illis præceperat, scilicet de lege Judaicâ, et non aliâ; 2° non loquitur de verbo scripto, de quo solo loquitur articulus, sed universè de verbo; 3° quamvis Christianos alloqueretur, et de solo verbo scripto, an libros Moysi ingravamus? illis quippiam addimus? 4° Putatisne quòd prophetæ novas Scripturas sanctas componentes, et eas jungentes libris Moysi, hoc præceptum violaverint? 5° Si Moyses prohiberet ne aliquid crederetur quod non ordinâsset, credendi non essent nec Psalmi Davidis, nec alii prophetæ, nec Evangelium: nam nihil ordinavit de eo quod in ipsis continetur. An non planè ridiculum videtis, hunc textum proferre, ad probandum per purum verbum articulum vestrum, qui dicit: *Verbum scriptum regula est totius veritatis?* Idem articulus citat alium hunc locum ad Galatas c. 1, v. 8.

Textus II: *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Examen. — Non lego in hoc textu nec *verbum scriptum*, nec *regulam totius veritatis,*

quæ sunt duo termini articuli, unde non dicit textus quod docet articulus, sed nec unicum illius continet terminum. Hoc examen deducamus. 1° Estne in hoc textu verbi scripti mentio, de quo solùm disputamus, et tantùm de illo loquitur articulus? 2° Quis nesciat Apocalypsin revelatam fuisse, et scriptam post hanc sancti Pauli Epistolam? quam tamen credere oportet, *præterquàm quod evangelizaverat* S. Paulus; qui evangelizat et credit Apocalypsim, estne anathema? Sed et S. Paulus estne anathema, qui post evangelizavit multa quæ in Epistolâ ad Galatas non continentur? Quis adeò mentis inops est, qui caput legens non videat, quòd verbum, *præterquàm*, sit et significet idem quod *contra?* Apostolus, ut clarum est, in exordio Epistolæ, contra eos clamat qui cum lege Jesu Christi miscere volebant circumcisionem, contra doctrinam apostolicam. Verba præcedentia immediatè textum citatum hoc expressiùs declarabunt: *Miror,* ait ad Galatas cap. 1, v. 6, 7, 8, *quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium;* quod non est aliud, nisi: *Sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Numquid evidens est quòd S. Paulus rejiciat id solum quod est contra ea quæ evangelizaverat? Ergo clarum est quòd textus non dicat id quod continet articulus, scilicet, quòd *verbum scriptum sit regula totius veritatis.*

Textus III. Apoc. 22, 18: *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sanctâ, et de iis quæ scripta sunt in libro isto.* Non lego in isto loco, *verbum scriptum in Bibliis integris*, de quo solo loquitur articulus; nec, *regula totius veritatis:* igitur textus non dicit quòd *purum verbum Bibliorum integrorum sit regula totius veritatis*, quod pronuntiat articulus; imò textus non continet unicum terminum articuli. Hoc examinemus. 1° Numquid manifestum est quòd S. Joannes tantùm loquatur de verbo contento in Apocalypsi, quam ministri non admittunt pro *regulâ totius veritatis?* quorsùm igitur articulus, qui dicit *quòd purum verbum Bibliorum integrorum sit regula totius veritatis*, hunc locum in medium adducit? 2° Si S. Joannes diceret quòd non oporteat addere huic verbo Apocalypseos, hoc sensu, et cum isto ministrali: *Hoc est dicere (nihil credendum est, nisi quod in eâ continetur)*, maledictus esset qui Evangelio crederet, et Epistolis S. Pauli, S. Joannis ac aliis; imò veteri Testamento: nam nihil horum est in libro Apocalypseos; ministri nonne omnì cerebro sunt destituti, qui per hunc locum probare volunt nihil esse credendum nisi quod in Bibliis continetur? 3° Addere Apocalypsi, hoc est ingravare hunc sacrum librum; an hoc nos facimus? Quàm mente capti sunt ministri vestri! Vide, religionista, quomodò Confessio fidei tuæ te decipiat, et ita tecum agit, quasi tibi oculi non essent ad legendum, aut judicium ad intelligendum significationem unius puri verbi. Quot, *hoc est dicere*, ministerialia adjungenda sunt textibus citatis, ut quod est in articulo pronuntient! Pergamus.

Unde habetis quòd libri veteris et novi Testamenti sint Scripturæ sanctæ? unde cognoscitis hos libros esse canonicos? *Per persuasionem interiorem S. Spiritûs,* respondetis in articulo 4, *qui facit nos discernere illos ab aliis libris ecclesiasticis;* igitur non cognoscitis hoc per verbum scriptum; nam *persuasio* vestra *interior* non est verbum scriptum; ergo falsum sit oportet, quòd *purum verbum sit regula totius veritatis, et quòd omnia ab eo examinentur, ordinentur et secundùm illud reformentur;* nam non est regula hujus veritatis, veritatis magnæ consequentiæ, scilicet, quòd libri veteris et novi Testamenti sint libri canonici et scripti per revelationem divinam; et ad rejiciendum librum aliquem è numero canonicorum (ut, exempli gratiâ, rejicitis Tobiam, et Evangelium S. Matthæi admittitis), vos tanquàm regulâ non utimini verbo scripto, sed ut dicitis, *persuasione interiore Spiritûs sancti.* Videte quomodò articuli vestri sibi contradicant.

Sed, dicite mihi, tenetis, quòd possint et debeant baptizari infantuli; quòd non sint hæretici rebaptizandi, qui baptizati fuerint in nomine SS. Trinitatis: servatis non sabbatum, sed diem dominicum; creditis quòd Mater Christi virgo permanserit; et tamen non invenitis aliquod verbum scriptum, quod harum rerum aliquam confirmet; itaque vos ipsi articulum vestrum mendacem redditis, qui dicit *quòd verbum scriptum sit regula omnis veritatis.*

Quid? S. Paulus, 2 Thess. 2, v. 15, nonne dicit: *State et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram?* Videte quòd mentionem faciat verbi non scri-

pti. Et in 2 ad Timoth. 2, v. 2 : *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Agnoscitis verbum unum divinum non scripturâ, sed ore traditum? In 1 ad Cor. cap. 2 : *Cætera autem, cùm venero, disponam.* Ejusmodi constitutiones verbales, numquid tam sunt divinæ quàm sunt eæ quæ scriptis mandantur? Plura alia testimonia relinquo, tantùm hæc obiter profero, nam non constitui in hoc scripto nos justificare, et fid'm nostram probare; intentio mea alia non est \.isi ut vobis demonstrem quòd seducti sitis, et quòd purum verbum non doceat id quod continent articuli vestri. Hoc feci in hoc articulo, quem allegavi cum textibus quos citat; nam articulus dicit : *Verbum scriptum est regula omnis veritatis;* et in locis citatis non legimus nec, *verbum scriptum,* nec, *regulam veritatis;* quare in ipsis scriptum non est id quod est in articulo; si esset, videremus nos omnes, qui legere scimus.

Religionarii, in hoc articulo maximè consequentiæ seducimini, et ex consequenti in omnibus aliis quos supra adnotavi, et quos ex isto contra nos deducebatis; magnus est eorum numerus; de integro eos videte, et tot in rebus agnoscite vos errore circumventos esse.

CAPUT V.

Consilium inprimis notandum, modum docens agendi cum religionariis.

Fusè articulum hunc examinavi, tum quia magni est momenti, ut deduxi; tum quia ipsius nullitatem ostendendo, ego ministro aufero in omnibus nostris controversiis efficaciorem et magis ordinarium modum decipiendi, quem habere possit, et qui hâc propositione fulcitur : *Nihil credendum est, nisi quod in Scripturâ continetur.* Familiare est illis, ut à nobis petant : *Ubi in Scripturâ invenitis Purgatorium? Ubi præsentiam corporis Christi in Sacramento altaris?* etc.; nam, dicunt, *si non reperitis, superstitiosi estis, dùm creditis.* Et hâc ratione, ubi abusus nostros prætensos reformare deberent per purum verbum, ad probationem fidei nostræ nos adstringunt. Insignis fallacia.

Circumspecti estote, Catholici : quando ejusmodi vobis quæstiones proponunt, cavete ne qualitatem actoris assumatis; nolite proferre textus Scripturæ ad causæ nostræ justificationem, etiamsi plures habeatis; hoc non faciatis : adversariorum fraudem vobis subaperiam. Obligârunt se per articulum suum 31 quòd velint nos reformare; et per 5, quòd hoc sint facturi per *purum verbum,* ut hoc velo et speciosâ apparentiâ plures in suam partem allecient (quod fecerunt, et faciunt). Et cùm sciant se id præstare non posse, ad quod se obstrinxerunt, ut hâc se obligatione exonerent, dolo subtili omninò conantur nos actores efficere, quæstiones movendo, ut dictum est.

Si, ad eorum quæstionibus respondendum, textus vestros expressos deprompseritis, obligatione minister solvitur. Et ipse qui renuntiavit antiquitati, Patribus, miraculis, Scripturam pro libitu suo, hùc illùcque detorquebit, vos ludibrio habebit, etiamsi decem textus expressi aut plures vobis suppetant. Hanc permutationem nolite admittere. Promisit per Confessionem fidei suæ, quòd per *purum verbum* esset vobis errores vestros manifestaturus; ipsum in inquisitione istius puri verbi, quod errores vestros prætensos pronuntiare debet, continete : si feceritis, protinùs videbitis miserum ministrum torqueri, et tunc non liberetis eum, sed eum sinite angi. Quomodò? Illum premendo, ut vobis locum aliquem expressum proferat, qui dicat *non esse Purgatorium;* aut, *corpus Jesu Christi non esse in Eucharistiâ;* nam illius est hoc facere, qui pollicitus est, se per *purum verbum* nobis errores nostros ostensurum. Si ex hâc torturâ se hoc subterfugio evasurum arbitretur, ut putet quòd satis errorem nostrum monstret dicendo : *Non potestis per Scripturam probare Purgatorium, nec prædictam præsentiam realem;* quamvis plures textus formales habeatis, cavete ne proferatis, nam actores vos ipsos constitueretis; sed urgete eum dicendo ut vobis quod dictum est demonstret, 1° per textum expressum; ubi fassus fuerit se non habere, 2° dicite illi, ostendat per consequentiam evidentem et necessariam, deductam ex purâ Scripturâ. Hoc denegare non potest : nam promittit in articulis 31 et 5 quòd sit mihi demonstraturus errores meos per purum verbum, aut, ut jam interpretantur, per consequentiam desumptam ex puro verbo; non potest facere, nisi dicendo : *Quod non est in Scripturâ, hoc credendum non est; Purgatorium non est in Scripturâ; ergo credendum non est.* Et hoc est mihi ostendere per consequentiam errorem meum prætensum, eò quòd non possit textum aliquem in Scripturâ proferre, qui non esse Purgatorium pronuntiet. Tunc procedatur sicut dixit procedendum esse cap. 3, quando religionarius contra nos vult per consequen-

tiam agere. 1° Igitur oportet ipsum perurgere, ut probet majorem hujus argumenti; hoc non potest denegare, præcipuè cùm hæc propositio sit fundamentum viginti et plurium decretorum, quæ contra nos pronuntiat, nimirùm omnium propositionum suarum negativarum, quæ contrariæ sunt Ecclesiæ Romanæ; deinde fundatur in unâ affirmativâ, quam nisi probaverit, quomodò ostendet consequentiam suam esse bonam? Quando minister probabit illam, sciscitandum est ab eo ut probet per puram Scripturam; non potest, sicut patet in examine paragraphi ultimi capitis præcedentis. Cogendus est ut hoc fateatur; hoc facto, compelli debet ad probandum per consequentiam deductam ex Scripturâ; hoc facere non poterit. Ubi fuerit hoc confessus, detur ei potestas probandi sicut voluerit, secundùm ea quæ dixi in prædicto cap. 3. 2° Ab ipso postulandum est si in consequentiâ suâ falli possit, an non; nam cùm decretum condemnationis, quod contra nos pronuntiat, fundetur in hâc consequentiâ, et fides sua in hoc puncto innitatur huic consequentiæ, si in ipsâ falli potest, etiam fallax erit decretum, fallax et ipsa fides. 3° Urgendus est, quis sit judex futurus hujus consequentiæ, num bona sit, an mala; denique per alia media procedendum est, de quibus capite 3.

Sed respondebit minister quispiam, negativas non probare, et in probationem adducet Aristotelem, sic loquentem: *Quod non est, non scitur,* quare nostrum non est probare non esse Purgatorium, aut ejusmodi negativas, sed est Catholici Romani. — Respondeo 1° quòd minister tam ignarus sit philosophiæ quàm et theologiæ; nam Aristoteles probat mille propositiones negativas: ut non esse plures mundos; non esse vacuum in naturâ, et mille consimiles. Et inter modos argumentandi, duo primæ figuræ, qui in scholis vocantur: *Celarent et Ferio,* aliud probare non possunt, quàm propositiones negativas. Aristoteles loco citato intelligit per id, *quod non est,* id quod falsum est, et nihil aliud, sicut clarissimè patet ex textu: *Quod falsum est, non est, nec potest monstrari verum esse.* Sed videte quomodò minister ad Aristotelem recurrat. 2° Respondeo quòd Scriptura contineat mille propositiones negativas: dicit quòd Deus non velit peccatum; quòd in Deo non sit variatio et vicissitudo; quòd Deus non sit ut homo, qui mentiatur. Etiam mille probat negationes: S. Paulus probat fusè quòd Deus iniquus non sit in reprobatione et prædestinatione, etc.

3° Semper est accusatoris probare id quod in medium affert contra defensorem, sive affirmativum sit, sive negativum. Aliquis dicit in judicio, quòd domus quam inhabitat Caius, non sit ipsius Caii; Caius deturbabiturne ad solum verbum adversarii sui? 4° Adversarius dicere non potest non esse Purgatorium, si super hâc propositione fundetur: *Scriptura regula est omnis veritatis,* quæ est propositio affirmativa, nisi præsupponendo quòd Purgatorium non sit in Scripturâ, quod tamen falsum est; non S. Augustinus, S. Cyprianus illud invenerunt 1 Cor. c. 3, in 8 Lucæ, et in pluribus aliis locis. Infert quòd non sit Purgatorium: debet igitur probare prædictam propositionem affirmativam; nam non probando nihil potest contra nos inferre, ut manifestum fit ex iis quæ superiùs diximus.

Vos, Catholici, hoc observabitis: quando religionarius vobis objicit: Purgatorium non est in Scripturâ, nolite huic respondere, sed dicite illi, concludat vos errare: nam hoc se facturum promittit in articulis suis 31 et 5. Cogendus igitur est ut inferat: *Purgatorium non est in Scripturâ; ergo erratis credendo,* et tunc respondendum est non ad antecedens, nam hoc est actorem se constituere, sed ad consequentiam, et compellendus est illam probet. Notate hoc diligenter, et executioni date; dicite semper: Conclude, domine, et sistite illum in consequentiâ; nam hoc modo cogetur proferre, et probare hanc conclusionem: *Quod non est in Scripturâ, error est credere, aut credendum non est.* Idem facite in omnibus propositionibus negativis quas adducit, suntque nostris contrariæ, ac etiam in affirmativis. Hoc primum consilium est maximi momenti; et methodum subministrat agendi cum adversariis nostris, ad modum personis omnibus facilem: actorem agere in ingressu probationis non est consultum unicuique.

Hoc secundum consilium est etiam magnæ utilitatis, et hunc modum agendi valdè facilem reddit, quando religionarius vobis objicit locum aliquem Patrum, conciliorum (quæ loca semper sunt falsificata, aut ex cerebro ministrorum glossis plenissima), aut affert rationem aliquam humanam (quæ ratio est sophistica), vel petit è vobis rationem aliquam; exempli gratiâ dicet: Si honoratis crucem, quare non omnem ligni genus honoratis? etc. Respondete religionario quòd per articulum suum 5 profiteatur *Scripturam esse regulam omnis veritatis.* Unde sequitur quòd *nec anti-*

quitas, nec concilia, nec aresta, nec miracula ipsi opponi debeant. Sed è contrario res omnes juxta illam examinandas, dirigendas et reformandas esse. Quibus religionarius renuntiat, dùm in suâ fide non se fundat, nisi super puro verbo, et adstringit se ad omnia examinanda secundùm istud *purum verbum.*

Addendum est, quòd qui ipsum admisimus pro reformatore nostro per purum verbum, obligaverimus nos quòd eum non simus audituri, nisi per purum verbum loquatur. Petendum est si mihi per purum verbum satisfacere potest, aut non ; si non potest confiteatur, et post hanc confessionem, veniamus ad Patres et ad rationem, et reddemus illi rationem ejus quod à nobis exiget : sed id primùm admittat, illi ostendendum est quòd cùm nolit in decisione controversiarum nostrarum se referre ad judicium Patrum, sed eos deceptos esse existimet, nullum habeat jus nos per ipsos reformandi, et cùm eorum judicium vilipendat, quam affert instructionem nostra responsio? Hoc modo procedendum est : nam aliàs irrito conatu pergeremus, infinitè quæstiones suas multiplicaret, et occasionem premendi adversarium perderemus. Et hoc modum istum perfacilem reddit, ne quis aliquâ difficultate implicetur. Quisque hoc facere potest. Tantùm docti possunt omnium reddere rationem, et omnibus objectionum generibus satisfacere. Ubi tamen doctus hâc ratione adversarium compresserit, poterit, si voluerit, efficere, ut tribus verbis solutio petitionis aut objectionis decurrat, modò tamen illi non immoretur, sed statim ad id redeat quod dictum est.

Tertium consilium : Si minister aliquam quærens tergiversationem, voluerit proferre textum Græcum, aut Hebraicum, dicendum est, quòd agere desideremus per Biblia traductionis Genevensis ; quòd minister in iis habeat quicquid ei potest patrocinari ; quòd reliqua præsentes non intelligant. Habes aliquid, dicam, in Bibliis Genevensibus contra me? Videamus in eâ linguâ quam omnes intelligunt, et tunc ad Græcam veniemus, et Hebraicam.

Hic est modus quem in exordio disputationis hujus promisimus, et est sufficiens ad pudore suffundendos mille ministros, etiamsi omnes in unum caput colliquescerent. In hoc modo Catholicus jus suum servat, quod habet, manetque defensor. Astringit adversarium dùm fugam parat, ad probationem articulorum suorum hoc brevi syllogismo : Illa pars deceptrix est, quæ profitetur articulos fidei suæ justificare, et ostendere errores nostros prætensos per purum verbum, nec potest hoc facere ; pars religionaria hoc promittit, ut patet in articulo 31 et 5, nec potest efficere, ut in toto hoc libello ostendi ; ergo pars religionaria deceptrix est, ac proinde religionarii decepti sunt, et criminum rei, quòd eam ob rem, tot excitârint rebelliones, incendia, etc. Ultima clausula minoris cogit religionarium ad probationem articulorum suorum per *verbum* scriptum, prout explicavi capite 1.

Hic modus facilis est, evidens et efficacissimus, et qualitates omnes promissas habet in titulo hujus libelli positas. *Brevis est, et facilis :* nam in duobus tantùm consistit, quæ Catholicus firmiter menti debet imprimere, et fundantur in promissione factâ à parte religionariâ articulis 31 et 5, quòd velit nos reformare per *verbum scriptum.* Et articulo 2, in quo nos condemnet *omnium generum superstitionum* et idololatriarum, et dùm se accusatorem constituit et judicem, in executione sententiæ suæ, ecclesias nostras ultrice flammâ consumpsit, presbyteros nostros jugulavit, etc.

Primum est, ut Catholicus semper accusati personam subeat, et se habeat tanquàm eum quem vult minister reformare. Compellendus est religionarius ut id exsolvat, quod promittit. Hoc Catholicum liberum efficit, ut non teneatur textum aliquem aut probationem pro suâ fide proferre. Accusatus obligari non potest, nisi ad invalidandas probationes adversarii sui, qui in defectum probationum calumniator declaratur, et ad reparationem condemnatus est. Secundum est, quòd premi debeat religionarius, ad ostendendum nobis errores nostros prætensos per *purum verbum*, nec permitti debet ut aliter agat ; nam profitetur se velle facere, et hoc prætextu, ejus partiarii rebellionem excitaverunt in Franciâ, eam expilaverunt, incenderunt, sacerdotes jugulaverunt, etc. Hoc eximit Catholicum ab obligatione respondendi quibusdam locis, ex sanctis Patribus decerptis, quibusdam rationibus philosophicis, etc., quas afferre posset religionarius, ac rationibus omnibus, quas ab eo posset exigere. Unde necessarium non est ut Catholicus, ad ministrum convincendum, legerit sanctos Patres, aut philosophiæ, vel theologiæ studuerit ; tantùm illi parvo opus est judicio, ne se ab hâc semitâ permittat abduci, et separare sciat illud : *Hoc est dicere, hoc vult dicere, sequitur ;* quod à ministro dici solet, ab eo quod purum

verbum Scripturæ pronuntiat. Et dùm minister non potest ostendere per istud *verbum purum* (ut insinuavi in capitibus præcedentibus) errores nostros prætensos, semper inferendum est : Igitur pars vestra falsa est, accusatrix sine judice, deceptrix, et obligata ad restaurandas ecclesias nostras exustas, expilatas prætextu verbi scripti, etc. Quis hoc facere nequeat, etiamsi non studuerit? Verum est quòd qui theologus est, aut ad minus philosophus, potest adhuc faciliùs ministrum confundere, illum modis omnibus supradictis, imò et ipsius consequentias rejiciendo. Idem modus efficacissimus est et evidentissimus, et in eo Catholicus non utitur nisi Bibliis secundùm traductionem Genevensem, et Confessione fidei prætensæ, ut ex dictis fit clarum. Igitur præstiti quod in hujus libelli initio promisi.

Sed, objiciet Catholicus quispiam, cùm lectio Bibliorum Genevensium et Confessio fidei prætensæ, sit nobis prohibita, quâ ratione poterimus uti modo isto? — Respondeo et assevero, quòd ego fideliter citaverim textus Bibliorum Genevensium, et articulos Confessionis jam dictæ. Conferendo cum uno religionario potestis ei dicere : Lege talem clausulam articuli vestri, et talem locum citatum in illius probationem (hoc nobis non est prohibitum; hoc facere potestis in commodum religionarii, qui satis ex se dispositus est, et ad talem lectionem propensus), et hoc modo convincetis eum erroris quo irretitur.

Domini religionarii, uti potestis hoc modo propter utilitatem vestram contra ministros; compellite illos ut articulos vestros justificent, et errores nostros prætensos demonstrent per verbum scriptum, secundùm modum præscriptum in præcedentibus capitibus hujus libelli; pastores vestros torquete, et instanter petite ut hoc verbum scriptum vobis proferant. Si feceritis, nec permiseritis eos uti subterfugiis, eos videbitis citò obmutescere, et evidenter cognoscetis vos delusos esse.

Hanc methodum conscripsi tum ut vobis modum traderem, quo instrui possitis; tum ut Catholicum docerem quâ ratione facilè se tueri possit, quando illum aggredimini, ac vos in erroribus vestris confundere. Cæterùm hæc confusio vobis utilis est et salutaris.

CAPUT VI.

Continens loca Bibliorum Genevensium contraria et opposita Confessioni fidei religionis Prætensæ.

Agendo cum uno ministro aut alio, qui cum fallaciâ et malâ fide procedit, non consulo ut quis unquàm relaxet jus defensoris; sed tractando cum religionario, qui veritatis cognoscendæ cupidus est, si fortassis non est tam capax ut concipere possit subtilitatem consequentiarum, de quibus egimus : postquàm cum illo actum est, secundùm id quod dictum est capite primo et in principio secundi et tertii, operæ pretium erit, meo quidem judicio, facere quod sequitur.

In præcedentibus capitibus demonstravi quòd religio Prætensa nullum ex parte suâ textum habeat; hoc autem caput probat quòd Biblia etiam Genevensia plura loca contineant directè opposita Confessioni fidei prætensæ; suffecerit hoc in 5 vel 6 punctis planum facere. 1° In articulo 20 Confessionis fidei supradictæ dicitur : *Credimus nos fieri participes justitiæ christianæ per solam fidem.* Et S. Jacobus in Epistolâ suâ, capite 2, v. 24 (articulus 3 jam dictæ Confessionis illam recipit pro canonicâ), dicit : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm?* Unus dicit : *Per solam fidem;* alius, *non solùm per fidem;* numquid opponuntur? 2° In articulo 22 dicitur : *Fatemur quòd bona opera quæ facimus duce Spiritu sancto, non computentur ad nos justificandum.* Et S. Jacobus in capite allegato, v. 21, dicit, et exemplo Abrahæ probat contrarium : *Abraham pater vester nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm?* Hoc opus Abrahæ bonum erat, factum instinctu Spiritûs sancti; et, ut ait S. Jacobus ex illo *justificatus est;* et hoc facto particulari S. Jacobus propositionem suam generalem sequentem confirmat. Quis non videat oppositionem articuli cum hoc textu? 3° Articulus 3 dicit : *Nostro tempore, quo status Ecclesiæ interruptus erat, suscitavit Deus extraordinario modo homines, qui vastatam ac desolatam Ecclesiam de novo erigerent.* Et Dominus noster, per promissionem irrevocabilem dicit Petro apud S. Matthæum, cap. 16, v. 18 : *Dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* 4° Articulus 2 dicit : *Peccatum originale post Baptismum manet quoad culpam.* Et S. Paulus 1 Cor. 6, v. 11, enumeratis diversis peccatis, Corinthiis baptizatis sic loquitur : *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis.* 5° Articulus 24 sic loquitur: *Ex officinâ Satanæ processerunt prohibitiones*

usûs ciborum. Et in Act. capite 15, v. 28, dicitur : *Visum est enim Spiritui sancto et nobis, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Primum concilium Ecclesiæ hoc Christianis prohibet, et Prætensa vocat has prohibitiones, illusiones, quæ *ex officinâ Satanæ procedunt.* 6° Articulus 24 dicit : *Jesus Christus solus est advocatus ; et intercessio sanctorum abusus est, et fallacia Satanæ.* Et Zachariæ capite 1, v. 12, habetur : *Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequò tu non misereberis Jerusalem, et urbium Judææ, quibus iratus es ?*

Possem plures alios articulos commemorare, et illos locis Bibliorum opponere, sed suffecerint hi ex Bibliis secundùm versionem Genevensem; et ex libris quos religionarii pro canonicis admittunt, deprompti.

CAPUT VII.

Biblia falsificata per ministros in suâ Genevensi traductione, in omnibus præcipuis articulis fidei, qui magis atque magis in nundinis sibi succedentibus controvertuntur.

Huic parvo tractatui finem imponere volo, per ejus confirmationem, quod titulus hujus capitis præ se fert; si justificavero, agnoscetis 1° ministrorum impietatem, *qui per sanctam libertatem spiritûs eorum,* Scripturam reformare volunt, sicut et Ecclesiam. 2° Quàm miserè animos vestros circumscribunt et implicant ! Vos compulerunt ut renuntiaretis traditionibus divinis, antiquitati, sanctis Patribus, conciliis, miraculis, eò quòd accipiant, ut loquuntur, solum *verbum scriptum* pro *regulâ omnis veritatis.* Ex his Bibliis exsciderunt 20,000 locorum, et hoc merâ perversitate, sicut capite 4 probavi, § 1. 3° Quia reliqua, quæ remanent integra, disertè docent præcipua puncta fidei nostræ, et ea condemnant quæ sunt eorum fidei, illa depravârunt. Quomodò decipimini ?

Premimus eos, ut aliquem textum nobis expromant in confirmationem articulorum suorum ; dùm non inveniunt, excogitant, et textui librorum inserunt. Articulos nostros pluribus locis confirmamus, et quia se nimiùm eorum vi premi sentiunt, subtrahunt aliquas particulas, et enervant ; et quia magis atque magis eos urgemus, ut nobis textus proferant, et eosdem per nostrorum productionem acriùs in singulis nundinis impugnamus, cudunt sibi novos textus, et de nundinis in nundinas loca nostra falsificant. O sacrilegium ! Aperite oculos, ut cognoscatis quomodò prætextu verbi Dei seducimini. Si hæc falsificatio esset in punctis quæ non controvertuntur inter nos et ipsos, posset ipsa attribui soli eorum ignorantiæ ; si in uno aut altero tantùm puncto, minùs esset intolerabilis ; sed hæc est in articulis controversis, et ferè in omnibus. Quis eos malitiæ et maximi criminis læsæ Majestatis divinæ non condemnaret ? Per dictam falsificationem agnoscite vim locorum falsificatorum, pro fide nostrâ ; nam in vanum illa ministri corruperunt.

Eorum inconstantia et progressus in istâ depravatione clarum efficiet quàm inconstans et vacillans debeat esse una religio suffulta fundamentis de nundinis in nundinas variantibus, de quo certi esse poteritis, si probavero Biblia vestra de nundinis in nundinas mutari, non in parvis particulis, quæ non concernunt ea de quibus inter nos controversia est, sed in omnibus præcipuis punctis religionis vestræ. Quomodò probabo vobis hanc falsificationem ? Per relationem textûs originalis cum traductione ? Bonus modus, illum non missum faciam. Cæterùm quia non omnes Græcum intelligunt idioma, aut Hebraicum, et quia in votis est modum præscribere qui omnibus usui esse possit, et ex quo agnoscatis omnem vim, aliter faciam : nimirùm opponam textus antiquæ versionis Genevensis, cum textibus ejusdem traductionis Genevensis modernæ ; hinc deprehendetis falsificationem, et hujus criminis, quod perpetratum est, augmentum. Et quia depravaverunt has paginas sacras in omnibus præcipuis punctis controversis, dividam falsificationes, easque ad materias diversas referam. Septem Biblia Genevensia diversorum annorum proferam. Prima impressa sunt anno 1546 ; secunda anno 1547, per Joannem Pidier, Lugduni ; tertia anno 1554, per Joannem de Tournes, Lugduni ; quarta anno 1556, per Philibertum Hapelin ; quinta anno 1557, per dictum Joannem de Tournes, Lugduni (quisque scit quantæ aliquando potestatis fuerint religionarii in hâc urbe, et quod magis est, adhuc nunc imprimuntur Genevæ plura Biblia, quibus imponitur nomen Lugduni) ; sexta, anno 1564, per Franciscum Jaquii, Genevæ ; septima recentiora anno 1605, per Matthæum Berion Genevæ.

Omnia ista Biblia traductionis Genevensis esse, compertissimum est, non solùm ex falsificatione textuum, quos Geneva corrupit in initio rebellionis suæ, et qui ibidem habentur ;

sed apertè ex eo quòd omnia Biblia apocryphorum librorum catologo, adscribant Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Tobiam, Judith, Machabæos, quos Ecclesia catholica pro canonicis recipit. Ut hunc discursum contraham, non citabo Biblia supradicta, nisi per annum impressionis suæ. Loquamur de Ecclesiâ triumphante, deinde de militante, ac postmodùm de purgante.

§ 1. *Textus falsificati concernentes sanctorum intercessionem.*

In primâ ad Timotheum cap. 2, v. 5, S. Paulus in primis traductionibus Genevensibus ita loquebatur : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Sic invenietis in Bibliis impressis anno 1546, 1547, 1554, 1556, 1564, per Jaquii Genevæ; sed in Bibliis anno 1605 impressis etiam Genevæ ampliùs dicit : *Unus enim solus Deus, et solus mediator Dei et hominum, scilicet Jesus Christus;* videtis nomen, *solus*, loquens de mediatore, nomen magnæ consequentiæ (nam disceptatio nostra est ut sciamus utrùm sit unus solus mediator, aut advocatus) additum ab ultimis nundinis? Urgebamus dominos istos, ut nobis producerent textum in verificationem articuli sui 24, qui asserit quòd *Jesus Christus nobis sit datus pro solo advocato,* non invenientes in Scripturâ nomen, *solus*, de quo erat concertatio inter nos, illud addidêre.

Videte quomodò vobis falsa Scriptura supponatur; in primis nundinis dabatur vobis una, quæ de, *solo*, non loquebatur; at in sequentibus ipsam vocem pronuntiat; sed cui adscribendum est, quòd hoc novo idiomate Scriptura loquatur? Traductio antiqua bona erat, et conformis originali dicenti : Εἷς γὰρ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Ad hæc nomen, *solus*, impertinens est discursui S. Pauli, qui probat rem Deo gratam esse si pro omnibus mundi hominibus orationes fiant, eò quòd Deus mediatorem dederit pro toto mundo. Bona ratio, quæ nulla esset, si negativa foret; scilicet non est nisi unus mediator : nam propositione affirmativâ existente, ipsius probatio non potest esse hæc negativa. Deinde non sequitur ex eo quòd sit tantùm unus mediator, pro toto mundo orandum esse et Deo gratum esse; quis non videat hujus probationis nullitatem? Igitur ministri additione suâ enervant argumentum S. Pauli. Sed etiamsi non enervarent, quis eos à sacrilegio eximat, quòd Scripturæ verbum hoc addant, et illud tanquàm ex Scripturâ proponant, ac in hoc articulum fidei suæ stabiliant? O fallaciam! Etsi hoc verbum esset Scripturæ, quomodò non esset in primis traductionibus?

Sed, respondebit mihi minister aliquis, quando docet Scriptura *mediatorem unum esse,* exponi debet, quòd *unus solus sit mediator,* proinde hæc additio non est damnanda.—Respondeo 1° quòd ostenderim interpretationem vestram non esse bonam; 2° quis vobis auctoritatem tribuit dandi interpretationem vestram pro verbo Scripturæ sanctæ? Quas Apocalypsis minas ei intentat, qui Scripturæ aliquid addit? Et super hâc additione fundatis articulum unum reformationis vestræ. O execrationem! 3° Initio rebellionis vestræ falsificâstis locum cap. 1, v. 15, Epist. 2 S. Petri : non possum tamen vobis falsificationem ostendere per oppositionem Bibliorum vestrorum; justificatur per originale dicens : Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι.

Geneva per transpositionem particulæ *quòd* vim hujus loci enervat; nam vertit in Bibliis supradictis : *Dabo autem semper operam, quòd post obitum meum, horum omnium memoriam faciatis,* referendo : *Post obitum meum,* ad memoriam fidelium; quòd fideles memoriam essent habituri post obitum S. Petri, et non quòd S. Petrus post obitum suum daturus esset operam, quòd fideles memoriam essent habituri, etc. Quod fecerunt per mutationem particulæ *quòd*, quæ non est in Græco, ut evidens est, unde ut hunc locum nobis auferatis, Scripturam mutatis. Et S. Petrus prædicens quòd brevi esset moriturus, et opponens id quod faciebat ei quod post mortem erat facturus, satis ostendit quòd de sollicitudine loquatur, quam suscepturus erat post mortem in gratiam fidelium, quæ est pro vivis orare, et (ἑκάστοτε) ait, hoc est, pro unoquoque particulari, et non solùm in generali.

§ 2. *Textus falsificati concernentes sacramenta, et primò sacramentum Ordinis.*

In Actis, cap. 14, v. 23, secundùm traductionem Genevensem 1546, 1547, 1554, 1556, 1557, de Apostolis dicitur : *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros;* ad evertendam hierarchiam ecclesiasticam, et ad transferendam laicis auctoritatem aliquam, hæc verba addiderunt (*par la duis des assemblées*, quod Latinè sic sonat : *Per consilium congregationum*), et quia nomen *presbyteri* illis

est exosum, propriâ traductione expunxerunt, mutantes illud in nomen *seniorum*.

Hæc additio non est ex ultimis nundinis sicut præcedens. Invenitur in Bibliis impressis Genevæ per Jaquii anno 1564, et continuatur nunc in Bibliis Berion Genevæ. In Bibliis autem anni 1605 habetur : *Et postquàm per consilium congregationum constituissent seniores per singulas Ecclesias*. Videte libertatem spiritûs ministralis addendi Scripturæ aliquid, in re tanti momenti sicut est ordo hierarchicus. Unde provenit, domini, hæc additio : *Per consilium congregationum?* à quâ revelatione, à quo spiritu? Antea in vobis dormiebat? Vestra prima traductio non erat bona, aut hæc est ex vestro cerebro? prima est secundùm originale dicens : Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' Ἐκκλησίαν, et secundùm aliquam vulgarem.

§ 3. *Textus corrupti de Eucharistiâ tractantes.*

Insignis admodùm est falsificatio capitis 22 S. Lucæ, vers. 20, quam notavi, supra, capite 4, § 2, ubi S. Lucas secundùm Genevam refert effusionem ad sanguinem, textus originalis refert ad cupam, seu calicem : sic hunc textum corruperunt ad ejus vim diminuendam. Hæc falsificatio clarè invenitur in Bibliis anni 1568. Traductio anni 1547, 1554 et 1557, ambiguè scribitur, sed apertè anni 1556, 1561, 1564, Genevæ per Jaquii, et 1605, per Berion Genevæ. Hic est processus horum dominorum. Primò textum obscurârunt, et deinde manifestè corruperunt.

Hæc verba tam clara : *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus,* scripta per S. Matthæum, S. Lucam, S. Marcum, et per Apostolum Paulum valdè torserunt spiritus ministrorum. Variè in Bibliis suis illa falsificârunt. Primò in traductione Genevensi, anno 1546 et 1556, per Hamelin dicebatur : *Est hic corpus meum, quod pro vobis datur; est hic sanguis meus;* et anno 1547, per Pidier, 1554, per Joannem de Tournes, habebatur : *Istud est corpus meum, et istud est sanguis meus.* Gallica sic habet : *Ce est mon corps, et ce est mon sang.* Inconstantes in varietatibus suis traduxerunt anno 1557, per de Tournes : *C'est cy mon corps, ce est mon sang.* Latinè sic reddi potest : *Est hìc corpus meum, et hìc est sanguis meus.* Quamvis Evangelium sit semper usum hoc nomine τοῦτο. In nundinis sequentibus falsitatis per Catholicos convicti traduxerunt : *Hoc est corpus meum, hic est calix meus;* sic impresserunt anno 1561, 1564, 1605, Genevæ, quæ traductio Græcæ conformis est, quæ sic habet : Τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου :. τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμα μου.

S. Matthæus, cap. 26, v. 26, et S. Marcus, cap. 14, v. 22, dicunt quòd in cœnâ Jesus εὐλογήσας ἔκλασε, hoc est : *Accepit panem, et benedicens fregit.* Ministri statim in principio rebellionis suæ hoc vocabulum *benedictionis* abhorrentes (est siquidem benedicere Dei efficax, benedicendo operatur), transtulerunt : *Postquàm gratias egit, fregit*; sic imprimi jusserunt in Bibliis anni 1546, 1547, 1554, 1556, 1557, 1561, 1564, 1605; sed per Catholicos coarctati, in margine Bibliorum impressorum Genevæ anno 1605; posuerunt : *Aut benedixit,* quasi idem esset, gratias agere et benedicere, et particula *ipsum,* quam ad panem referunt, non est in originali textu; eam addiderunt.

In S. Joanne, cap. 6, v. 50, Dominus noster dicebat, secundùm traductionem Genevensem anno 1546, 1547, 1554, 1556, 1557, 1561, 1564 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, quia verè hic textus ostendebat panem cœnæ esse *vivum*, et ideò ipsum esse corpus Filii Dei, non panem materialem aut figuram, eò quòd nec ille nec hæc sit animata. Traduxerunt in Bibliis Genevæ impressis anno 1605 : *Ego sum panis vivificans*, scientes quòd talis possit esse panis, qui non sit vivus : nam panis noster vulgaris sustentat vitam nostram; proinde est vivificans, et inconstantes in suâ versione, posuerunt in margine, *aut vivens.* Prima versio erat bona, nam Græca habet : Ἐγώ εἰμὶ ὁ ἄρτος ζωός. Quales sunt hi auctorum omnium Græcorum reformatores, sicut et Ecclesiæ? Quem proferre auctorem possunt, qui dicat quòd vocabulum ζωός, aliud significet, quàm vivum?

§ 4. *Textus falsificatus tractans de Confessione.*

Sanctus Jacobus, cap. 5, v. 16, dicebat in Bibliis Genevensibus, anno 1546 : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra;* idem anno 1547, 1554, 1556, 1557 et 1564, dicebat. Cæterùm, quia non admittunt quòd alteri fieri debeat confessio quàm Deo, nunc in Bibliis impressis Genevæ 1605, voluerunt diceret : *Confessez vos fautes l'un envers l'autre*, hoc est : *Confitemini peccata vestra erga invicem.* Prima versio conformis erat Græcæ : Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. Ipsi hunc textum corruperunt, ne ab ipso impugnarentur; aliud quippe est peccata quæ admisimus confiteri erga invicem; aliud confiteri alicui peccata nostra, quod dixit S. Jacobus.

§ 5. *Textus falsificati de Matrimonio.*

Apostatæ monachi, qui egregii fuerunt hujus rebellionis promotores, in eo statim in initio desudârunt, ut textus quosdam depravarent, et ut per regulam omnis veritatis concubinatus suos propugnarent. S. Paulus ad Hebræos cap. 13, v. 4, sic loquitur : Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι. Geneva in suâ versione, impressâ anno 1546, traduxit : *Mariage est entre tous honorable*, hoc est, matrimonium est inter omnes honorabile. In hâc traductione perseveravit in Bibliis anni 1547, 1554, 1556, 1557, 1564, et perseverat in iis quæ sunt impressa anno 1605, per Berion : *Honorabile*, dicunt hæc Biblia, *est matrimonium inter omnes.* Ab his Veneris advocatis peto ubi inveniunt quòd ἐν πᾶσι significet inter omnes? scilicet homines, nec enim, *omnes,* ad aliud potest referri. Siccine sunt dictionaria Græca reformanda, et nova Græca lingua excogitanda est, ac S. Paulus producendus, ut velo quodam vestram nequitiam obtegatis? S. Paulus dicere vult matrimonium honorabile esse in omnibus suis membris, et partibus, ita ut nec contractus matrimonii, nec ejus usus malus sit, nam, ἐν πᾶσι, idem est ac, *in suo toto.*

Paulus, ad Ephesios 5, v. 32, dicebat anno 1546, 1556, 1557 : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Sed anno 1547, dixit : *Secretum hoc magnum est, sed dico Christi et Ecclesiæ.* Et anno 1564 : *Secretum hoc magnum est, ego autem dico quantùm ad Christum et Ecclesiam.* Idem anno 1605, originalis textus dicit : Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶ, ἐγὼ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, ubi novi hi linguæ Græcæ inventores invenerunt quòd εἰς Χρίστον καὶ Ἐκκλησίαν, significet Christi et Ecclesiæ? Quales sunt hi dictionarii Græcæ linguæ depravatores?

Versio vulgaris ipso S. Hieronymo antiquior dicit : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Ministri posuerunt *secretum,* ne admitterent Matrimonium esse sacramentum; et quia hoc nomen, *secretum*, aut mysterium particularitatem aliquam designat, nec volunt matrimoniis Christianorum aliud concedere, quàm quòd sint contractus civiles, voluerunt S. Paulus diceret anno 1547: *Ego autem dico Christi et Ecclesiæ,* contra vim Græci vocabuli, εἰς, eum compellentes ne loqueretur de Matrimonio inter Christianos. Eamdem ei vim intulerunt anno 1564 et 1565.

§ 6. *Textus depravati concernentes extremam Unctionem.*

Etiam in initio textum istum S. Jacobi cap. 5, vers. 14, corruperunt anno 1546, 1547, 1556, 1557, 1564 : *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros.* In Græco est πρεσβυτέρους, sed vocabulum hoc nostrorum rebellium cor commovet : *Et orent super eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et allevíabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* In Græco est : *Et orent super eum :* Καὶ προσευξάλθησαν ἐπ' αὐτόν. Ubi unquàm invenerunt quòd ἐπ' αὐτὸν significet pro illo? significat *super eum*, et valdè differt orare *super eum*, quod notat aliquid particulare, et orare pro ipso.

Hunc textum falsificârunt, eò quòd nihil particulare in hâc oratione velint agnoscere, et illam tanquàm non sacramentalem, rejicere; ac se à modo quo Ecclesia hoc sacramentum administrat, abstrahere, cujus forma est per modum orationis, et hoc proprium est huic sacramento, quo omnia alia privantur. Geneva convicta falsificationis hujus textûs, incœpit ponere in margine anno 1605, aut *super eum.*

§ 7. *Textus corrupti tractantes de libero arbitrio.*

Sanctus Paulus in Epistolâ ad Philemonem, v. 14, dicebat in Bibliis Genevensibus anno 1546, 1547, 1554, 1556, 1557, 1564, eidem Philemoni : *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Quia hoc textu probamus quòd libertatem habeamus bonum aliquod faciendi (quod est habere *liberum arbitrium* ad bonum, quod non credit doctrina prætensæ Reformatæ), ministri ad hunc textum enervandum voluerunt S. Paulus adjiceret, unum *velut*, in Bibliis impressis Genevæ per Berion 1601, sic loquentem proferunt, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, *sed velut voluntarium.* Videte eorum in addendo Scripturæ libertatem id quod non erat secundùm eorum versionem, nec est in originali, quod dicit : εἰ ἵνα μὴ ὥς κατ' ἀνάγκην τὸ αγαθὸν σοῦ ἦν, ἀλλὰ κατ' ἑκούσιον, prima eorum versio bona est.

Sapiens in Ecclesiastico, cap. 15, vers. 17, docebat in Bibliis Genevensibus anni 1547, 1554 et 1557 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Quia hic textus, per hæc verba : *Quod placuerit ei*, notat quòd *liberum* habeamus ar-

bitrium, voluerunt aliter loqueretur in Bibliis impressis annis 1564 et 1605, Genevæ, et diceret: *Ante homines vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illis.* In hâc versione, *Quod placuerit ei*, non, *ad hominem* refertur, sed ad alium, scilicet *ad Deum;* atque sic corruptio hæc enervat textum istum; prima eorum versio vulgari nostræ antiquæ et Græcæ conformis erat.

§ 8.—*Textus corrupti concernentes fidem et opera.*

Sanctus Paulus, 1 Cor. cap. 9, v. 27, dicebat in Bibliis nostrorum religionistarum anni 1546, 1547, 1554, 1556, 1557: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, reprobus efficiar.* Quia per hunc textum fiduciam stultam eorum impugnamus, quam de salute per fidem suam consequendâ habent, et ostendimus quòd falsò de infallibili salute suà sint securi, aliter S. Paulum loqui fecerunt in suis Bibliis impressis Genevæ 1605, per Berion, hoc modo, et dicere: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne in aliquo modo, postquàm aliis prædicavero, ipsemet inveniar non recipiendus.* Videte mutationem, quæ longè distat à Græco: μή πως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Et optimè transfert Vulgaris: *Castigo corpus meum*, etc., *ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

S. Paulus ad Rom. 6, vers. 19, dicebat in Bibliis Genevensibus anni 1546, 1547, 1554, 1556, 1557: *Nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem;* Græcus textus dicit: Εἰς ἁγιασμόν, quod signat motum ad sanctificationem, et huic conformiter traductio nostra vulgaris dicit: *In sanctificationem*, quia in hoc textu Apostolus ostendit quòd sanctificari quis potest per opera justitiæ et virtutis.

Geneva voluit hunc loquendi modum mutaret, et in Bibliis impressis per Berion anno 1564 et anno 1605, diceret: *Nunc exhibete membra vestra ad serviendum justitiæ in sanctitate.* Prima traductio, accepta, ut paulò ante notavi, bona est: 1° Est secundùm Græcam; 2° est secundùm intentionem Apostoli, qui ostendit quòd sicut iterata peccata magis atque magis animam defendant, ita actus boni sanctificant; 3° Geneva traduxit: Εἰς ἁγιασμὸν, in v. 22, *in sanctificationem;* quare igitur non reliquit, *in sanctificationem*, v. 19? hoc fecit quia non vult fiat mentio *sanctificationis*, per opera justitiæ et virtutis.

§ 9. *Textus falsificati quantùm ad Purgatorium.*

Sanctus Paulus, 1 Cor. 15, v. 29, dicebat in Bibliis Genevensibus anni 1547, impressis per Pidier: *Alioquin, quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omninò mortui non resurgent, ut quid et baptizantur pro mortuis?* Geneva ne hoc loco prematur, illum in suis Bibliis corrupit, impressis anno 1505, per Berion, quæ vult dicat Apostolus: *Alioquin quid facient qui baptizantur prout mortui? Si omninò mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur prout mortui?* Aliud est *baptizari pro mortuis;* aliud *baptizari, prout mortui*, tanquàm si mortui essent. Prima versio bona erat et conformis vulgari nostræ; et illud, *pro mortuis*, Gallicè sonat, *pour les morts;* at in secundâ versione, *pro mortuis*, Gallicè habetur, *pour morts.* Prima versio etiam conformis est originali. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Quales sunt hi dictionarii Græci reformatores? In quo unquàm auctore invenient, quòd ὑπὲρ τῶν νεκρῶν significet, prout mortui, tanquàm mortui? deberet esse, ὡς νεκροί. Fabricant linguam novam Græcam ad defendendam reformationem suam imaginativam, et volunt de eâ hoc in loco S. Paulus loquatur, et aliis præcedentibus. Cur hunc textum corruperunt? Quia hoc in loco probat resurrectionem mortuorum, quia vulgare erat admodùm tempore suo, opera pœnalia exercere pro defunctis, quæ nomine Baptismi nuncupat, sicut Dominus noster passionem suam crudelem vocat Baptismum suum apud S. Marcum cap. 10, v. 38. Geneva, ne urgeatur hoc textu, ipsum enervavit per falsificationem supra citatam.

S. Petrus Act. cap. 2, v. 27 et 31, dicebat in Bibliis Genevensibus 1546, 1547, 1554, 1557, quòd de Jesu Christo fuisset prophetatum: *Non derelinques animam meam in inferno.* et quòd secundùm hanc prophetiam Ipsius anima non fuisset in inferno derelicta; volunt hanc prophetiam mutet, et aliter loquatur in Bibliis impressis Genevæ per Berion 1605, scilicet: *Non derelinques animam meam in sepulcro;* nam ejus anima non fuit in sepulcro derelicta. Magna est differentia inter infernum et sepulcrum. Spiritus interior gyros agit in vobis, ministri; jam unum dicit, jam aliud, et semper nobis magis atque magis impertinentia suggerit. Inducitis S. Petrum, ut valdè incommodè loquatur; efficitis siquidem, ut enumerando privilegia facta Jesu Christo, censuram faciat inter alia, quòd ejus anima non fuerit derelicta in *sepulcro*, quasi animæ aliorum sub his lamiis requiescerent, et ipsius

anima aliquandiù ibidem fuisset. Prima versio vera erat, conformis originali : Ἐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ἄδου. Et paulò post : Ὅτε οὐ κατελείφθη ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ἄδου, etiam conformis antiquæ Vulgari ; Geneva hunc textum falsificavit, ne aliquem locum subterranneum agnosceret, præter locum damnatorum, in quem Jesus Christus descenderit. Eam ob causam depravârunt locum ad Ephesios cap. 4, v. 9, ubi dictum est de Jesu Christo : Κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μερὶ τῆς γῆς : *Descendit primùm in inferiores partes terræ*. Geneva traducit primò : *Descendit in partes inferiùs terræ*, adjungendo in margine, *in hoc mundo*, (quàm reformidant tertium illum locum !) et diù perseverârunt in hâc traductione, scilicet in Bibliis impressis anno 1546, 1547, 1554, 1556, 1557. Eadem est versio anni 1564. Genevæ per Jaquii, excepto quòd nihil in margine posuerint. Sed tandem convicti falsificationis, traduxerunt in Bibliis Genevæ impressis 1605, per Berion : *Primùm descendit in partes inferiores terræ*. Igitur in omnibus Bibliis vestris præcedentibus Scripturam falsificâstis.

§ 10. *Textus depravati ad tollendas traditiones.*

Sanctus Paulus 2 Thess. c. 2, v. 15, dicebat in traductione Genevensi 1546, 1547, 1554, 1556, 1557 : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Nomen *traditio*, cor ministrorum lancinat, profitentur se nolle illas recipere, etiamsi S. Paulus præcipiat, et pro clausulâ fundamentali tenent quòd *verbum scriptum sit regula omnis veritatis.* Unde cùm nobis hunc textum integrum non possint auferre, ademerunt et corruperunt vocabulum *traditionis*, et Bibliis suis inseruerunt impressis Genevæ per Jaquii 1564 et 1605, per Berion : *State, et tenete documenta quæ didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Prima versio bona erat, secundùm originale, quod dicit : Κρατεῖτε τὰς παραδόσεις : tamen textus iste nihil de vi suâ disperdidit per hanc falsificationem ; adhuc optimè probat quædam documenta non scripta (quæ nos traditiones vocamus) : igitur verbum scriptum non est regula omnis veritatis.

§ 11. *Confessio ministrorum de falsificatis à se sanctis Bibliis.*

Ex omnibus à me superiùs dictis, intelligetis verum sensum verborum, quibus ministri in præfationibus Bibliorum traductionis Genevensis anno 1546, 1556, 1605, impressis Genevæ per Berion et alios, concedunt sub terminis honestis et occultis se reos esse falsificationum hactenùs citatarum. In præfationibus Bibliorum anni 1546 et 1556, dicitur quòd « primo traductori Bibliorum Genevensium, « errores multi obreptaverint, » et quòd « ad « emendandum quod ibi deerat, fideliter la« boratum sit, tam in poliendâ et emolliendâ « linguæ ruditate, quàm in reducendis omni« bus ad sensum verum et naturalem. Anno « sexto post eum, qui manum huic admoverat, « se eidem diligentiùs applicavit, ut in inte« grum restitueret, etc. Multùm emendavit « translationes præcedentes, imò magis quàm « dixerim. De novo, quòd non essent alii, « aggressus est id quod Deus ei dederat. Se« cundùm dexteritatem spiritûs traduxit, et « judicium, quod sibi à Deo datum erat. » Isti correctores huic operi manum admoverunt (dicitis vos, pastores Genevenses, in eorum Bibliis impressis ibidem, anno 1605), « ut illud in quibusdam locis corrigerent et « illustrarent, ac etiam polirent, sicut placuit « Deo dona sua iis distribuere qui conati sunt « se fideliter ei impendere. » Beza primas habuit in istâ traductione, et præfatio jam dicta anni 1556 dicit quòd in suâ translatione *secutus sit id quod bonum ei visum fuit.* Denique pastores Genevenses, ultimi correctores hujus *regulæ totius veritatis*, quæ toties in vestris præcedentibus impressionibus Genevensibus tortuosa deprehensa est, dicunt quòd in ultimâ suâ traductione usi sint præcedentibus translationibus, « ita tamen, addunt ipsi, quòd « nos non omninò alicui illarum subjeceri« mus. Sed in hoc usi sumus sanctâ libertate, « prout Deo nobis placuit elargiri spiritum « discretionis suæ. Quantùm ad hebraismos, « aliqui per nos demitigati fuerunt, aliquando « etiam eos, coacti, ut sic loquamur, muta« vimus. » Ecce confessionem ministrorum, « hæ illustrationes, hæ correctiones hoc in « medium proferre, quod iis Deus largitus est ; « hæc spiritûs dexteritas, hoc judicium quod « iis Deus dedit ; hæ politiones, hæ demiti« gationes, hæ mutationes per modum lo« quendi, hæc sancta libertas, hæc discretio « spiritûs, » quæ agnoscunt se in suis traductionibus attulisse, in tot correctionibus, de nundinis in nundinas sunt sacrilegæ illæ falsificationes supradictæ, ut cùm addunt S. Paulo : *Solus mediator*, aut Actibus, *per consilium congregationum*, etc., quæ excreverunt

magis atque magis, de nundinis in nundinas.

Quæ sint futura Biblia, in proximis nundinis sum inscius, si perseveraverint, sicut hucusque fecerunt, intra annos aliquot, eorum Biblia omninò phantasiis ministrorum complebuntur, dùm quisque vocabulum suum adjunget, et excurrere faciet pro puro verbo Scripturæ sanctæ. Confirmavi quod in titulo hujus libelli posui, nimirùm *quòd Biblia Genevensia essent falsificata per ministros, in omnibus punctis præcipuis* fidei, controversis, *magis ac magis de nundinis in nundinas;* vos, domini religionarii, reflexione factâ, ea videte quæ in hujus capitis exordio tractavi.

Quod sequitur etiam perpendite: ministri in prædictâ præfatione anni 1546 et 1556, de primâ traditione Bibliorum suorum Genevensium loquentes, aiunt, *multos errores obrepsisse, et eam ob causam elaboratum fuisse, ut emendaretur;* atque sic prima regula *vestra omnis veritatis* (quæ sunt Biblia), tortuosa erat usque ad annum 1540. Qualia erunt secunda Biblia? Postea, sex annis exactis, primus hic corrector alios errores agnoscens, iterùm *se applicuit, ut in integrum* restitueret, etc.; *multa emendavit*, etc.; sic prædicta loquitur præfatio; unde hæc *regula veritatis* tunc adhuc obliqua erat. Qualia erunt tertia? Hìc primus corrector in præfatione supra positâ dicit: *De novo, quòd non essent alii, aggressus est id quod Deus ei dederat; secundùm dexteritatem spiritûs, et judicium quod sibi à Deo datum erat. Quidam manus admovêre,* sic loquuntur Biblia anni 1605, ut ea quibusdam in locis corrigerent, eaque illustrarent, et politiora redderent. *Cæterùm non obstante omni labore qui impensus est,* addit præfatio anni 1556, *tantùm abest, ut opus sit perfectum,* ut etiam is cui hoc unus principaliter incubuit, necdùm sibi satisfactum esse arbitretur eo quem in hoc navare potuit, labore; optaret ut aliquis cui otium suppetit, et omnibus iis instructus est, quæ ad *ejusmodi opus exiguntur,* senos *annos impenderet, ac deinde laborem suum hominibus peritis communicaret.*

In præfatione anni 1605 dicit *quòd non obstante hâc diligentiâ, quæ apparet in diversis impressionibus Bibliorum Gallicorum, non fuerit possibile omnibus satisfacere, et non immeritò* eam ob rem eidem operi iterùm manum admoveant. Et sic tertia adhuc traditio errore non caret. Qualia erunt ultima? Pastores Genevenses postquàm de novo ea traduxerunt et correxerunt, *sanctâ libertate utentes, prout placuit Deo eis largiri Spiritum suum discretionis,* certi non sunt quòd *hæc omnis veritatis regula* adhuc certa sit; nam in præfatione horum Bibliorum ultimorum, impressorum anno 1605, Genevæ, per Berion, dicunt quòd nolint promittere, se *in omnibus benè* traduxisse, *hoc omninò eorum capacitatem transcendere;* hanc traductionem non suscepisse *cum fiduciâ eam plenè ad finem suum perducendi, se optare ut informentur, in quo videbuntur fuisse allucinati in idiomate linguarum, aut in intentione prophetarum et Apostolorum.* Hoc dicunt ministri, cui si addatis quæ ab eis audivistis, etiam confitentur paulò ante falsificationes quas probavi superiùs à seipsis commissas. Altiori mentis acie perpendite quæ jam vobis sum repræsentaturus.

Videtis prima Biblia Genevensia impressa usque ad annum 1540 aut 1550, per ministros vestros judicata multis scatere erroribus. Idem agnoscunt in secundâ traductione; idem in tertiâ, nec certi sunt quòd in hâc ultimâ non aberraverint à suâ *regulâ omnis veritatis* quæ sunt Biblia. Igitur ipsorum *regula omnis veritatis* tortuosa erat, à primâ ipsorum rebellione usque ad an. 1550, et ab hoc anno usque ad an. 1556, et ab hoc tempore usque ad an. 1605.

Obliquâ eorum regulâ existente, non erat possibile quin fides quæ ei adhibebatur, etiam fuerit obliqua: nam aut perfectè tunc fidem adhibebant huic tortuosæ regulæ, aut non; si non adhibebant, abnegabant articulum suum 5, qui eos obligat *ad res omnes dirigendas et examinandas juxta hanc regulam*, et ad id tantùm recipiendum, quod in eâ habetur. Et quæ alia esset regula, secundùm quam judicare possent? regula proprii judicii, regula bella! si perfectè fidem huic regulæ adhibebant, necessariò multis implicabantur erroribus, sicut ipsorum Biblia implicabantur. Hoc luculenter apparet, nam quod regulæ tortuosæ perfectè convertitur, necessariò in aliquâ suî parte obliquum est.

Sic fides fratrum in Christo, qui præcesserunt annum 1550, judicari debet plena multis erroribus, à fratribus in Christo, qui postea prodierunt, qui judicârunt talia esse eorum Biblia; et hi condemnantur tanquàm errantes per eos qui fuerunt anno 1556, et hi ultimi etiam tanquàm illusi ab iis habentur, qui fuerunt anno 1561; denique hi novissimi reprobantur ab iis qui Biblia traductionis Genevensis ultimæ sequuntur, impressa anno 1605.

Argumentum paulò ante productum optimè eos convincit.

Hi etiam ultimi correctores, cùm pro comperto non habeant utrùm in *idiomate linguarum, aut intentione prophetarum et Apostolorum* impegerint, ac proinde incerti sint utrùm *regula sua omnis veritatis* sit tortuosa, et si in varios errores prolapsi sint, ipsis constare non potest fidem suam rectam esse et sine errorum mixtione; nam profitendo quòd articuli eorum non contineant veritatem aliquam, nisi eam ex hâc scaturigine hauriunt, eorumdem articulorum certitudinem habere non possunt, nisi cum proportione quòd certi sint Biblia sua, quibus innituntur, bona esse. Sed unde aliàs certitudinem habere possunt? fatentur se certitudinem non habere quòd eorum regula sit recta; igitur certi esse non possunt quòd eorum articuli obliqui non sint et falsi.

Hic etiam valdè observandum est, nimirùm quòd secundùm articulum 4, religionarii particulares, nobilis aut opifex, obligentur ipsimet fidem suam (nec teneantur se referre ad ministros suos) ordinare secundùm Scripturam tanquàm *regulam omnis veritatis*. Secundùm quam regulam formabunt? Haud dubiè cùm Græcæ linguæ aut Hebraicæ ignari sint, non possunt eam secundùm originale continuare, sed secundùm traductionem aliquam duntaxat. Quam? Eam delineârunt, et delineant ad traductionem factam per eos qui stant à suis partibus, et in honore fuerunt, aut nunc sunt; quomodò aliter facerent? Quamobrem necessarium erat ut ii qui ante annum 1550 in vivis erant, fidem suam stabilirent super Bibliis quæ tunc extabant, et qui anno 1550, super suis Bibliis emendatis à multis erroribus, et qui anno 1556, super suis correctis, et qui anno 1561, super suis de novo emendatis, et hæ omnes emendationes semper factæ fuerunt in punctis præcipuis fidei controversæ.

Hoc argumentum ostendit quòd religionarii particulares moderni fidem habere non possint, nisi incertam: nec enim certitudinem habere possunt, quòd regula secundùm quam fidem suam ordinare debent (quæ non potest linguâ Græcâ esse aut Hebraicâ, quam non callent, sed traductio aliqua) non sit tortuosa. Et addo quòd eorum Biblia, quæ nunc passim recipiuntur, cùm falsificata sint et depravata in mille locis, ipsi qui originale non intelligunt, et fidem suam fundare debent super ejusmodi Bibliis, fidem habeant erroribus necessariò permixtam.

Si dicunt se Biblia nostra accepturos pro *regulâ omnis veritatis*, dico quòd non intelligendo originale, et in articulo 28, profitendo quòd *pura veritas apud nos in exilium pulsa sit*, certi esse non possunt quòd Biblia nostra recta sint regula. Et quomodò judicabitis Biblia nostra certò recta esse, quæ tantoperè vestris repugnant, quæ bona esse arbitramini? Virtute totius argumenti à me facti, concludo oportere 1° quòd profiteamini fratres vestros in Christo qui ante annum 1605 vixerunt, fidem habuisse erroribus permixtam; 2° quòd concedatis vos non posse fidem habere nisi incertam; 3° quòd ad impossibile obligemini, nimirùm ad unam fidem certam, quam vos ipsi stabilitis super traductione quam non potestis vobis polliceri bonam esse; 4° quòd fides complicum vestrorum ab exordio suo mutari debuerit de nundinis in nundinas, et de facto mutata est, *regulâ omnis veritatis* se de nundinis in nundinas mutante.

Fortassis spiritus aliquis sceleratus ministrum aliquem nequam subornabit, et Biblia vestra mutabuntur in primis nundinis, et deinceps fides vestra una cum ipsis. Si nec parti alicui adhæretis, has nundinas expectate.

Ego, ô religionarii, hâc adnotatione finem impono. Vos qui originale non intelligitis, compellimini traductioni alicui Bibliorum confidere, de quibus impossibile est ut judicium feratis: his ita constitutis, quanta stoliditas est antiquæ Vulgari nuntium remittere, quæ antiquior est S. Hieronymi versione, et quæ ab omni antiquitate summoperè venerata est, pro Genevensibus, de quarum infidelitate ampliùs non potestis ambigere, cùm sibi ita invicem repugnare cernatis?

Harum traductores profitentur se transtulisse *secundùm dexteritatem spiritûs et judicii, se usos fuisse in hoc libertate spiritûs, prout Deo placuit illis spiritum discretionis elargiri, se modum loquendi mutâsse.* Et has vobis probavi in omnibus præcipuis punctis fidei depravatas esse, et magis atque magis depravari de nundinis in nundinas. Et cùm judicare non possitis de convenientiâ quam habent Biblia cum Græco et Hebraico, quâ prudentiâ christianâ Genevenses potestis deligere? Et inter has cur potiùs harum nundinarum quàm aliarum? et super illas fidem vestram, et per consequens, salutem vestram, et felicitatem æternam stabilire?

Rursùs in articulo 24 Confessionis vestræ profitemini quòd *Purgatorium aliud nihil sit quàm ludibrium, procedens ex officinâ Satanæ, à quâ etiam promanârunt confessio auricularis, prohibitiones matrimonii, et ciborum usùs.* Idem dicitis de fide nostrâ *quoad præsentiam realem et corporalem Jesu Christi. Idem de libero arbitrio, de justificatione ex operibus, de traditionibus*, etc., quia, ut dicitis, *nihil horum in Scripturâ reperitur.* Et ut obiter dicam, potior pars Confessionis vestræ ex propositionibus negativis conflatur : *Nullum est Purgatorium; confessio non homini fieri debet, sed soli Deo*, etc. Unicum propositionum vestrarum omnium negativarum fundamentum, aliud non est quàm hoc : *Nihil credendum, nisi quod in verbo scripto extet. Scriptura de Purgatorio non loquitur, de confessione*, etc. *Igitur ejusmodi non sunt credenda.* Hoc argumentum latè superiùs sub examen revocavi, et ostendi propositionem majorem ministrorum cerebro adinventam esse, ac proinde consequentiam non esse recipiendam. Nunc dico vobis ampliùs : Esto, propositio illa major sit vera, inveniatur in Scripturâ (quod falsum est), si secundùm Confessionem vestram fidei progredi velitis, et secundùm articulum vestrum 5, quòd *Scriptura sit regula omnis veritatis;* non potestis pro certo compertoque habere omnia supradicta figmenta esse, et de illis in Bibliis mentionem non fieri, exempli gratiâ, de Purgatorio, aut de extremâ Unctione, etc. Cæterùm quando textus videtis, quos pro confirmatione ejusmodi articulorum producimus, per ministros depravatos esse, qui fieri potest, ut vos, qui originale non intelligitis, saltem in dubium non revocetis, quòd fortassis in Scripturâ fiat mentio de Purgatorio? Quis certissimè vobis contrarium asseverabit? Idem dico de omnibus aliis punctis, in quibus tot ministrales falsificationes detexi : haud dubiè pastores vestri non sine causâ hæc loca potiùs falsificârunt quàm alia; omne genus prudentiæ vos debet suspectos reddere ob has depravationes, et ex consequenti efficere ut in animo hoc dubium concipiatis : *Fortassis Purgatorium in Scripturâ reperitur,* quod augebitur, si attentè consideraveritis textus alios, quos Catholici, post sanctos Patres, proferunt in confirmationem hujus articuli. S. Augustinus in Ps. 37, probat per S. Paulum 1 Cor. c. 3, v. 15, et in libro quem de hoc subjecto conscripsit, cujus titulus est : *De Curâ pro mortuis agendâ.* Postquàm per traditionem et modum alium ostenderat, etiam illud probat per 2 Machabæorum, c. 12, v. 39. S. Cyprianus in suo Epistolarum libro, Epistolâ 2, confirmat per S. Matth. cap. 5, v. 25, et S. Luc. cap. 12, v. 58, omnes alii Patres in eamdem sententiam concurrunt, et per jam dictos textus probant, et per plures alios consimiles. Quomodò fieri potest, ut cùm vobis hos omnes textus ob oculos ponitis, saltem in animo dubium aliquod non concipiatis : *Fortassis Purgatorium in Scripturâ docetur?* Nescio quì fieri possit, ut homo cui sapientiæ granum inest, saltem hoc illi in dubium non veniat. Dubium hoc habetis, certi esse non potestis quòd *Purgatorium sit ludibrium,* sed necesse est dicatis : Fortassis est Purgatorium unum. Quod dùm facitis, non facitis id ad quod articulus vester 24 vos obligat, nimirùm ut tanquàm articulum fidei credatis quòd Purgatorium sit ludibrium, et per consequens non ampliùs statis à partibus religionarii, qui jam dictam Confessionem fidei profitetur.

Quòd si dixeritis : Mihi nihil eorum credendum est, quæ in Scripturâ obscura ponuntur, quis vobis *pro regulâ omnis veritatis* dedit Scripturam clarè loquentem? et quòd licitum sit credere illud esse *Satanæ ludibrium,* quod docet, licet obscurè? sic fides sanctæ Trinitatis *esset illusio procedens ex officinâ Satanæ;* nam non evidentiùs in Scripturâ proponitur quàm Purgatorium.

Quod de propositione hâc vestrâ negativâ in medium attuli, etiam dico de aliis vestris negativis : *Non oportet sacerdoti confiteri; non est sacramentum extremæ unctionis; Jesus Christus non est corporaliter sub elementis corruptibilibus panis et vini; non ex operibus fidei christianæ justificamur, non sunt traditiones agnoscendæ,* etc., et de compluribus articulis Confessionis vestræ, qui ferè omnes sunt negativi.

Item allatum argumentum probat, vos certos esse non posse, quòd in Scripturâ sanctâ non inveniantur, nec consequenter, pro comperto habere. Et ideò, quòd sine stoliditate non possitis Confessionem vestram fidei, et partem religionariam, quæ in Galliâ viget, tenere, sed quòd propriam religionem debeatis vobis excitare, templa ædificare, novos ministros constituere non minùs in doctrinâ cum iis qui in Galliâ tolerantur discrepantes, quàm cum Catholicis.

Conclusio,

Disputationis hujus summam complectens.

Pro conclusione, summam hujus methodi et libelli hoc syllogismo complector; hæc pars adversa calumniatrix est, falsa accusatrix, judex iniqua, rea millionis enormissimorum criminum læsæ majestatis divinæ et humanæ (et quisquis ei sese associat). Venditat se modo extraordinario à Deo missam esse, ad erigendam Ecclesiam, per purum verbum Scripturæ sanctæ; Ecclesiam accusat; dicit eam omni superstitione et idololatriâ deformari; eamdem condemnat; et, quod magis est, hanc sententiam executioni mandans, compilationibus, incendiis, jugulationibus omnia depopulatur, statum instituit particularem, præliis decertat, etc. Et tamen nec errores nostros prætensos potest ostendere, nec articulos suos comprobare, vel per purum verbum, vel per consequentias evidentes et necessarias ex ipso deductas.

Pars religionaria dicit, se *missam esse à Deo modo extraordinario, ad reformandam Ecclesiam per purum Dei verbum,* prout patet ex articulis 36 et 5 Confessionis fidei ipsius. Et hinc pronuntiat nos *superstitionibus et idololatriis plenos,* articulo suo 28. In hujus sententiæ executione, diripit ecclesias nostras, sacerdotes contrucidat, in Galliâ quinque committit certamina, etc., ut manifestum est. Et tamen dicta pars errores nostros prætensos non potest demonstrare, nec aliquem articulorum suorum justificare, neque per purum verbum Bibliorum, etiam secundùm traductionem Genevensem, neque per consequentias evidentes et necessarias ex puro verbo decerptas, sicut quinque capita priora hujus libelli fidem faciunt. Omne confirmatur ex eo quòd (res observatione dignissima) ministri Biblia sua depravârunt in omnibus præcipuis fidei punctis controversis. (Biblia hoc modo falsificata esse, probavi capite ultimo.) Sed per tot corruptiones, plura habemus loca in eorum Bibliis quæ articulos nostros comprobant, suosque condemnant, sicut liquidò constat ex capite 6. Igitur pars religionaria calumniatrix est, accusatrix falsa, judex iniqua, rea millionum criminum, etc.

Quid vobis, domini religionarii, pro fidei vestræ fundamento superest? Quid sunt hi omnes articuli nostri et fidei vestræ Confessio? Congeries opinionum imaginativarum, quæ cerebris vagis et rebellibus quorumdam apostatarum et ministrorum turbulentorum, excogitatæ fuerunt.

Ut his adhærescatis phantasmatis, nuntium remittitis antiquitati, conciliis, decretis, arestis, miraculis, etc. Quid responsi Deo dabitis in die illo assensionum reformandarum? Attento, ô domini, spiritu, et ab omni passione libero vos, qui coram Deo, et ante ejus tribunal manifestari debetis, perpendite syllogismum hujus summarii, et deductionem, ac ipsius probationem in hoc toto parvo libello comprehensam. Sine verâ fide salus vobis non potest obtingere.

Substantiam ejus, quod in primo hujus libelli capite continetur, accepi à piæ memoriæ R. P. Gontero, insigni illo venatore, auctore et inventore hujus methodi, quæ tantæ efficacitatis est, et tantæ facilitatis ad venandum per purum verbum scriptum, etiam versionis Genevensis. Aliâ in disputationibus, quæ contra ministros illi crebræ fuerunt, non utebatur, ratus hanc omnium optimam esse. Hâc methodo pastores Ecclesiarum prætensarum Diepensium, Cadomiensium, Sedavensium, etc., confudit, et ad fugam capessendam compulit, quibus nullâ ratione permittebat, ut in puncto aliquo controverso, per consequentiam agerent, quam dicebant se velle deducere ex Scripturâ, quin priùs sigillo subsignarent, quòd contra nos agere non possent per purum verbum scriptum. At hoc nunquàm ausi fuerunt facere, non ignorantes, quantùm damni in omnes eorum partiarios ex hâc confessione posset irrepere.

Adversarii nostri cernentes se premi per hunc strenuum athletam, et compelli ad propugnaculum suum puri verbi scripti deserendum, ad instar vulpium, in antra consequentiarum quarumdam, quas ex puro verbo deducere pollicentur, transfugerant, et vulpinâ fraude utentes, volunt ut istæ consequentiæ pro verbis sanctæ Scripturæ recipiantur; ad minus eamdem volunt vim habeant, quam habet Scriptura.

Principalis in hoc opusculo intentio non est, ut eos hoc ultimo subterfugio deturbem, et modum præscribam, quo quisque idem facere valeat. Præscribo cap. 2 et 3 hunc modum, æquè facilem ac solidum. *Facilem* reddere volui, ut in praxim etiam ab iis possit assumi, qui in theologiâ non sunt versati; *solidum,* ut etiam à doctioribus recipiatur, quem agnoscent ad theologiæ subtiliorem methodum concinnatum esse, quam scholasticam vocitant, ac

secundùm ipsius leges severiores examinatum; quamobrem eum prorsùs judicabunt inflexibilem.

Hunc scribens libellum, plures, hoc subjecto, feci academias in duobus collegiis celebrioribus, quæ in Galliâ habeamus (in quæ me inter prædicationes Adventûs et Quadragesimæ recepi), tum ut plures in hoc agone spirituali instruerem, tum ut disputationibus hoc exactius redderem; hujus vim ministris Ambianensibus luculenter ostendi, præsentibus illustrissimo duce Longevillano, ejus nobilitate, ac plus minùs 200 personis, in medio civitatis capitalis Picardiæ. Subjectum erat SS. Altaris sacramentum, per sola Genevensia Biblia. Disputatio tribus continuis diebus transacta. In primo effeci ut minister renuntiaret omnibus Bibliorum textibus, etiam versionis Genevensis. Secundo die illum mutum reddidi in consequentiis suis, horæ dimidiæ spatio. Et tertiò in fugam se conjecit cum alio ministro accersito, qui venerat nocte præcedenti, ut muto succurreret. Omnia acta sunt præsente tam nobili et tantâ hominum coronâ, et subsignata per personas tam fide dignas, quæ etiam ibidem aderant, ut ipsemet adversarius, quodam scripto suo præcipua eorum, quæ scripsi, fateatur. Iteratæ collationis hujus impressiones, ut præcipuis Galliæ civitatibus factæ, eam admodùm celebrem reddiderunt; hoc non aliam ob causam dico, quàm ut hoc facto vim hujus methodi omnibus reddam perspicuam. Ego me offero ad ejus efficacitatem integram demonstrandam, omnibus ministris cujuscumque illi generis, et qualescumque illi fuerint, et in quanto voluerint numero, ac quamcumque materiam elegerint, modò mihi collum submittere non renuant. Obligo, inquam, me ad reducendum eos in eosdem terminos, in quos ministrum Hucherum reduxi. Et quod majus est, omni promitto Catholico, modò armorum horum usum habeat, quòd nullo negotio idem sit facturus. Ego, finitâ jam dictâ disputatione, pollicitus sum quòd junior omnium regentium collegii nostri Ambianensis, ad ejusmodi angustias reducturus esset miserum prædictum pastorem, ad quas ego eum deduxeram, modò plus minùs unius horæ spatium concederetur, ut eum hunc venandi modum docerem, et modum excogitaret, quo fugitivus minister de integro in arenam descenderet.

Libellus iste quemcumque, præcipuè si philosophicis studiis incubuerit, capacem exiguo tempore reddere potest, ut feliciter hoc modo venari queat. Hanc methodum in cude limâque recudi volui, omnibus ut fieret communis. Principale propositum meum agnoscitis.

MONITUM.

Postquàm in quarto nostri Theologiæ Cursûs volumine monuimus visum esse egregiis quibusdam professoribus haud sat integrè vindicatas sanctæ sedis partes, editâ tantùm fratrum Ballerini elucubratione *de primatu summorum Pontificum*, sollicito animo illud à nobis præstitum, ut ipsorum votis ac consilio satisfieret, ideòque Gallicanum Regnier de Ecclesiâ tractatum opere altero Petitdidier de *infallibilitate summorum Pontificum* ultramontano sensu mitigavimus, ac per modum compensationis correximus. Illâ verò animi nostri obsequentiâ efficere non potuimus ut omnes æquè gratos haberemus; nam alii pro aliâ opinione decertantes, adversariorum placitis nimis delatum à nobis arbitrati sunt. Omnium igitur desideriis, quantùm fieri potest, indulgentes, præsertimque servaturi promissam à studio partium abalienationem, Theologi cujusdam ingenio non minùs quàm animi moderatione commendandi laborem subjecimus. Nec plus equidem quàm par est Gallicanorum principiis addictum lectores invenient; neminem verò novimus qui Gallicanas opiniones auspicatò magis, necnon verbis ad sibi devinciendos adversarios accommodatioribus unquàm enuntiaverit. Et hæc nostra fiducia, animique intentum, inde pacem omnibus ac charitatem inter unius corporis membra nascituram. Nunc loquatur eximius dissertationis auctor.

DE CONTROVERSIIS INTER CATHOLICOS AGITATIS,

CIRCA AUCTORITATEM SUMMI PONTIFICIS (1).

Nostrum non est dirimere controversias quas theologi in scholis catholicis movent, de auctoritate sedis Apostolicæ; hanc curam sibi assumant alii doctiores; nobis, ne videantur Editores promissis datis et scopo intento deesse, hoc unum sufficere arbitramur, scilicet limites quibus continetur hæc controversia exponere, et quousque conciliari possint sententiæ discrepantes.

Dissidia exorta inter Gallicanos et Ultramontanos de auctoritate summi pontificis, non attentant dogma catholicum, seu prærogativas sanctæ sedis, quas Ecclesia definivit, sed pro objecto tantùm habent opiniones theologicas discussas in famoso conventu cleri Gallicani, anno 1682, quædam consectaria primatûs sedis Apostolicæ, de quibus hactenùs lis est, cùm nondùm de iis quidquam determinare pro opportuno habuerit Ecclesia.

Theologos catholicos in hâc materiâ de dogmate esse concordes clariùs constat quàm ut quis de eâ re dubitare possit, qui eorum scripta sedulò legerit, et non sit prorsùs alienus ab scholarum placitis; nullus est ex omnibus theologis quos possumus annumerare inter Gallicanos et Ultramontanos, qui non doceat summo Pontifici competere, ex divinâ Christi institutione, primatum honoris et jurisdictionis, et qui non fateatur vi hujus jurisdictionis Ecclesiam Romanam esse centrum unitatis catholicæ, matrem ac magistram omnium Ecclesiarum; cætera autem quæ ex illis principiis ulteriùs sequuntur, doctores, illæsâ fide, in sensu diverso exponunt, nec suas sententias ut fidei articulos tuentur, nec iis contradicentes pro hæreticis habent.

Duos præ cæteris celebriores theologos citare satis erit, Bossuetium et Fenelonium, qui etsi diversimodè opinati fuerint, in eo tamen sunt concordes, quòd fidei integritas nihil lædatur in alterutrâ parte. Quid de hoc sentiat Bossuetius, nulli dubio subjacere sinit dissertatio prævia Defensionis Declarationis, quæ inscripta est: *Gallia orthodoxa;* §§ 6 et 10, testatur longè alienissimum fuisse à mente cleri Gallicani, ut decretum conderet in comitiis anni 1682, sed sibi tantùm proposuisse eam opinionem tanquàm potiorem adoptare, quæ in quatuor articulis consignatur, « opinionem sanè, ait illustrissimus auctor, non catholicæ fidei formulam, quæ animos constringeret..... Sanè præsules ab initio Declarationis memorantur Ecclesiæ Gallicanæ decreta: an decreta de fide, ad quæ sub animarum periculo constringantur? de his ne verbum quidem: decreta dixerunt, notissimis vocibus, priscam et inolitam, id est, consuetam in his partibus sententiam, non fidem quâ omnes tenerentur. » Hoc confirmat per ipsammet historiam hujusce conventûs, quam apprimè noverat, et præsertim per habitam in eo orationem ab archiepiscopo Cameracensi, D. de Brias, cui omnes præsules assenserunt.

Ex adversâ parte, Fenelonius, quamvis non adhæreret opinionibus quas propugnaverat episcopus Meldensis, tamen agnoscebat in eâ materiâ non agi de fide, sed de sententiis quas Ecclesia scholasticis permittit disputationibus. Illud probant plurimæ ad cardinales Gabrielli et Fabroni Epistolæ, quæ sub formâ appendicis dissertationi de auctoritate R. Pontificis editæ sunt in vol. 2 operum Fenelonii, edit. Versall. In his Epistolis, et præsertim in primâ, respondet quibusdam Italis sibi et cæteris præsulibus Galliarum exprobrantibus quòd omisissent invocare Papæ infallibilitatem in suis mandatis pastoralibus contra *casum conscientiæ*. Eâ occasione observat, ad rectè stabiliendum dogma catholicum contra novatores, omninò semovendas esse quæstiones

(1) In hâc dissertatione duos inprimis consuluimus auctores qui summâ prudentiæ ac moderaminis laude in hoc incubuerunt, ut Gallicanorum simul et Ultramontanorum diversas conciliarent opiniones, quod quidem, nostrâ sententiâ, sat feliciter præstiterunt, alter in libro cui titulus: *Nouveaux opuscules de Fleury*, cum præfatione ac notis D. Emery, S. Sulpitii superioris; posterior verò in opere inscripto: *Revue de Fénelon,* quod legere est operum Fenelonii tom. 23, edit. Versall. Et hæc quidem opera haud parùm nobis profuêre: cùm verò intra congruos laboris sui limites auctores supra dicti nimiùm restringerentur, è re nostrâ visum est, lectorumque placitis simul ac utilitati magis accommodatum, arduam hanc quæstionem altiùs introspicere ac modo generaliori tractare.

quarum libera discussio in scholis permittitur. « Pace vestrâ dixerim, scribebat ad em. card. « Gabrielli, et summo cum honore Ecclesiæ « matris, quam totis visceribus, quoad spira« vero, amare, colere, venerari, singulari ob« sequio prosequi certum est, *nullo hactenùs « cujusquam vel concilii, vel pontificis decreto « definitum fuit Papam esse infallibilem.* »

Innumeros theologos eodem sensu afferre operosum non foret, si postularet necessitas; sed illud supervacaneum arbitramur (1) : omnes nôrunt quàm summo omnium Catholicorum plausu prodierit opusculum sub eo titulo : *Exposition de la foi catholique*, auctore Bossuetio. In eo dùm recensentur diligentissimè singula fidei dogmata adversùs hæreticos, altum silentium servatur de infallibilitate S. Pontificis, et cæteris prærogativis in controversiam adductis; imò hæc indirectè expunguntur è numero dogmatum, dùm asseritur sufficere Catholicis ut agnoscant Papam esse caput pastorum, sedem verò Apostolicam unitatis sive communionis centrum. En auctoris verba : « Nous reconnaissons cette même primauté « dans les successeurs du prince des Apôtres, « auxquels on doit, pour cette raison, la sou« mission et l'obéissance que les saints conciles « et les saints Pères ont toujours enseignées à « tous les fidèles. Quant aux choses dont on « dispute dans les écoles, quoique les ministres « ne cessent de les alléguer pour rendre cette « puissance odieuse, il n'est pas nécessaire « d'en parler ici, puisqu'elles ne sont pas de la « foi catholique : il suffit de reconnaître un « chef établi de Dieu, pour conduire tout le « troupeau dans ses voies, ce que feront tou« jours volontiers ceux qui aiment la concorde « des frères et l'unanimité ecclésiastique. » (*Exposition*, n° 21.) Procul dubio si Ultramontani de fide certarent cum Gallicanis, grande fuisset piaculum in eâ Expositione silentio prætermittere infallibilitatem R. Pontificis, illius superioritatem in concilia generalia, et catholici doctores, imò ipsa sancta sedes non tam impensissimè favisset huic libello Bossuetii, de quo Innocentius XI in suo ad auctorem Brevi dicebat : « Non solùm à nobis commendari, « sed ab omnibus legi atque in pretio haberi « meretur; » et occasione secundæ editionis in altero Brevi : « Libenti animo confirmamus « uberes laudes quas tibi de præclaro opere « meritò tribuimus, et susceptas spes copiosi « fructûs exinde in Ecclesiam profecturi. »

Constat proinde, illæsâ fide, disputari posse de consectariis primatûs pontificii, de quibus lis est Ultramontanis cum Gallicanis, unde gravi animadversione digni sunt qui ultimis hisce temporibus, duce D. de Lamennais, eò usque temeritatis processerunt, ut non dubitaverint, errores circa fidem, hæresim, infanda dogmata suis adversariis imputare, et totam Gallicanam Ecclesiam commovere, perindè ac si ageretur de fide; quinimò actum foret de ipsâ Religione christianâ, et inducendus foret nescio qualis atheismus, ut aiebant, nisi abjuraretur doctrina in quatuor articulis consignata. (*De la Religion dans ses rapports avec l'ordre civil; Mémorial catholique*, etc.) Hæc indigna certè viro theologo, mentis præjudicia, et non levem ignorantiam doctrinæ ecclesiasticæ arguunt.

Opponi forsitan posset, sententiam faventem sedi Apostolicæ necessariò sequi ex principiis quæ omnes admittunt ut totidem dogmata fidei definita à sacris conciliis, et præsertim à Florentinâ synodo; insuper Declarationem cleri Gallicani, datam in conventu anni 1682, non semel fuisse à sanctâ sede proscriptam. Sed ad hæc facilis responsio. Ad primum dicemus : Doctrina seu propositio non est de fide, nisi sit immediatè revelata explicitè vel implicitè; si desit immediata hæc revelatio, erit certa certitudine theologicâ, à quâ recedere nemo potest quin notam vel censuram mereatur, quando Ecclesia declaraverit hanc propositionem esse cum principiis connexam, adeò ut omnis via legitima disputandi fidelibus intercludatur : jam verò propugnari non potest, Deum immediatè revelâsse ea de quibus in præsenti agitur; hoc nemo sanè edixerit; quòd si velint Ultramontani saltem sua placita esse connexa cum veritatibus revelatis, et prærogativas quas sanctæ sedi proprias agnoscunt, esse consectaria legitimo ratiocinio deducta ex Evangelico textu necnon ex decretis conciliorum, quæstio erit utrùm illa ipsamet connexio conclusionum cum præmissis ab Ecclesiâ declaretur, an sit adeò certa ut inuri debeat censurâ qui eam non agnoscit; quis summus pontifex, quodnam concilium, qualeve decretum Ecclesiæ, ademit theologis libertatem inter se disputandi de legitimitate horum consectariorum? Nihil hujusmodi occurrit in monumentis Ecclesiæ. Non reperitur talis de-

(1) Vid. La Hogue, tract. de Ecclesiâ; Walemburgenses, de Controversiis, Theologiæ Cursûs completi vol. 1; Veronium, de Regulâ fidei, ibid.; Bossuetium, Gall. orthod., etc.....

terminatio in actis pontificiis contra Declarationem cleri Gallicani. Innocentius XI, per litteras in formâ Brevis datas, rescidit quæ in cleri conventu peracta fuerant. Alexander VIII, Innocentii successor, constitutione solemniori quæ incipit : *Inter multiplices,* eamdem Declarationem rursùs annullavit et irritam omnique effectu omninò vacuam decrevit; sed dùm in comitiorum acta animadvertit, nihil de ipsomet objecto Declarationis pronuntiat, vel aliquid Gallis contra fidem imputat, ut patet cuicumque qui eam protestationem attentè legit et expendit. Si quid hæreticum, si quid schismaticum docuissent Gallicani præsules, Alexander VIII non prætermisisset tam gravem accusationis partem; imò, ut observat Bossuetius, non studiosè evitâsset omnes quæ doctrinis erroneis ac perversis inuri solent, notas. (Gall. orthod. § 10.) Decretum igitur summi Pontificis non ipsam doctrinam attingit, proscribit, sed Declarationem præsulum, quam meritò quidem improbat et irritam decernit, quia etsi in mente cleri non esset decretum de fide, tamen cùm pertineat ad juris divini interpretationem, speciem decreti habet, quod inconsultâ et contemptâ sedis Apostolicæ auctoritate, ferre visus est actu solemni, in materiis de quibus nec etiam pertractare in comitiis publicis debuisset.

His in antecessum missis, quibus præcaveatur præjudicium, unitati catholicæ offensum, eorum qui putent decertari de fide ab Ultramontanis contra Gallicanos, præcipua puncta controversiæ obiter percurremus, exponendo in quo omnes convenire debeant, et quousque concilientur sententiæ discrepantes, si stetur intra terminos ab auctoribus utriusque partis doctissimis et maximè moderatis, assignatos. Dicendum erit 1° de infallibilitate summi Pontificis; 2° de illius superioritate in concilia; 3° de independentiâ regum, seu potestatum secularium, in ordine temporali; 4° de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. In his quatuor est summa controversiarum.

§ 1. *De infallibilitate S. Pontificis.*

Præcipuum disputationum punctum est infallibilitas in docendo, quam Ultramontani volunt esse consectarium certum promissionis divinæ factæ S. Petro et illius successoribus, dùm hoc inerrantiæ privilegium Gallicani sustinent competere solùm unanimi episcoporum consensui, sive in conciliis œcumenicis, sive extra concilia, quando, dispersi per provincias, adhærent definitionibus sedis Apostolicæ.

Hæc evidenter sunt contradictoria; attamen non tantum est discrimen quantum primo intuitu apparet, si ritè intelligantur placita utriusque partis, et in ordine ad praxim eadem ferè est omnium agendi ratio, si ament unitatem catholicam, nec transiliant metas quas probati doctores et vera theologiæ principia statuunt. 1° Ultramontani hæc duo admittere debent quæ reapsè communiter satis admissa videntur à plerisque : 1° S. Pontificem ut doctorem privatum errare posse; 2° definitionem, seu constitutionem à S. Pontifice etiam ex cathedrâ docente editam, non esse perfectam et omnimodam regulam fidei catholicæ, usquedùm accesserit consensus episcoporum.

Quòd S. Pontifex ut doctor privatus errare possit, à nemine negari potest, cùm nulla sit divina promissio quæ attribuat privilegium personale infallibilitatis pontifici; re quidem verâ, Christus committendo Petro et Petri successoribus regimen Ecclesiæ universalis, et eum constituendo centrum unitatis, omnium Christianorum doctorem, eximia ei dona contulit, et specialem assistentiam spopondit; sed hæc non hominem privatum spectant, sub quo respectu persona pontificis non est fundamentum Ecclesiæ. Hinc communiùs admittitur, nec etiam repugnare quominùs Papa sit hæreticus, eò quòd hæresis nihil addat errori in materiâ fidei nisi contumaciam, et non magis repugnet aliquem contumaci animo errori adhærere, quàm in ipsum errorem incidere, si speciali auxilio non suffulciatur; hoc tamen nec hucusque accidit, nec in futurum unquàm eventurum speramus, pro suavi Dei providentiâ, quæ à fidelibus removebit hoc scandalum. (Vid. Bellarminum de S. Pontifice lib. 2, cap. 3, n. 13; lib. 4, cap. 2, n. 7, 10; ibi referendo acta VIII synodi, in quibus agitur de Papâ Honorio, addit : « Negare non possumus quin « Adrianus cum Romano concilio, imò et tota « synodus generalis senserit, in causâ hæresis, « posse Romanum Pontificem judicari. »)

Secundum punctum non minùs admittendum est ab omnibus, scilicet, perfectam et ultimam fidei regulam non in solius Pontificis decretis reponendam, sed in consensu episcoporum cum Pontifice Romano. Etenim supra ostensum est non esse dogma fidei catholicæ quòd S. Pontifex gaudeat infallibilitatis dono, etiam dùm solemnes dat definitiones; atqui decreta quæ emanant ab auctoritate cujus infallibilitas non certa est certitudine fidei ca-

tholicæ, non possunt induere naturam regulæ fidei, ut apertum est; insuper talis esse debet regula ultima fidei, quam omnes agnoscere teneantur, ut fas non sit ab eâ recedere, quin disrumpatur unitas, et in hæresim ac schisma prolabantur refragantes; nihil quippe magis fundamentale et ab omni controversiâ alienum esse debet, quàm tribunal supremum, quo lites et dubitationes terminantur, et fidei integritas contra novatores servatur; igitur cùm scholis catholicis permittantur disputationes de infallibilitate S. Pontificis, et plures tum episcopi tum sacerdotes in Galliis renuerint agnoscere hanc regulam, licet conjuncti remanerent communione sanctæ sedis et cæterarum Ecclesiarum, concludere omnes debent regulam ultimam fidei catholicæ reponendam esse solùm in consensu Ecclesiæ universalis, seu majoris partis episcoporum cum Romano Pontifice. Possunt quidem Ultramontani habere veluti certam infallibilitatem Pontificis, imò et fide theologicâ seu divinâ huic puncto adhærere, si persuasi sint hoc in revelatione Christi implicitè includi; sed ulteriùs non progrediantur: nam præter divinam revelationem, requiritur insuper ad constituendum punctum quoddam inter fidei catholicæ dogmata, ut illa revelatio proponatur ab Ecclesiâ seu formali definitione, seu symbolis, seu disciplinâ quæ inureret notam et pœnas hæreseos eis qui ab eo recederent. « Auctores, « inquit Suaresius, solent distinguere inter « fidem catholicam et fidem theologicam. « Fides catholica dicitur, doctrina illa quæ « toti Ecclesiæ universali credenda proponi« tur.... Fides autem theologica continet « quidquid à Deo revelatum fuerit, etiamsi ad « communem Ecclesiæ doctrinam non perti« neat. » Vid. Veron., *Regula fidei,* cap. 1, § 4.

2° Gallicani admittere debent hæc tria: primum, sanctam sedem esse indefectibilem in fide; secundum, gravissimam esse auctoritatem S. Pontificis aliquid circa fidem determinantis, et illius decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; tertium, hæc eadem decreta per se omnes fideles obligare ad aliquem consensum internum, seu mentis obsequium.

Indefectibilitas in fide in eo consistit quòd sedes Romana, etsi erraret aliquis pontifex, nunquàm posset ab unitate catholicâ avelli per hanc pertinaciam quæ est propria hæresis indoles. Hujus indefectibilitatis privilegium singulare fundatur divinis promissis et ipsâmet constitutione Ecclesiæ. Christus pollicitus est fidem Petri nunquàm esse defecturam, et eum in personâ successorum qui ad usque finem seculi illius locum tenebunt, voluit esse fundamentum Ecclesiæ, centrum unitatis, patrem et doctorem omnium fidelium quos veluti gregem sibi commissum pascere debet doctrinâ evangelicâ; ergo quod accidit miserabiliter aliis Ecclesiis, ut sedi Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, quæ fidem amiserunt, hoc ab Ecclesiâ Romanâ Christus semper malum repellet; Petrus vivet usque ad consummationem mundi, et fideles reget in suis successoribus. Hæc est fides catholica et signum constans unitatis pro variis Ecclesiis privatis. Traditio aliud non assignat quàm communionem fidei cum sede Apostolicâ, cui, ut verbis Bossuetii utamur, promissum est eam semper fore non solùm unam ex catholicis Ecclesiis, sed primam omnium catholicarum, ita ut sit æternum fundamentum, caput atque centrum catholicitatis ad confirmandos fratres. Hanc doctrinam, quam in conventu cleri anni 1682 fidenter tuitus est Bossuetius, contra quosdam præsules, solemniter probatam fecit in primâ parte orationis de Unitate Ecclesiæ Gallicanæ, quam meritò habere possumus veluti documentum fidei Ecclesiæ Gallicanæ; en verba oratoris: « L'Église Romaine, enseignée par S. Pierre « et ses successeurs, ne connaît point d'hé« résie...... Les hérésies ont pu y passer, « mais non pas y prendre racine: ainsi l'É« glise Romaine est toujours vierge; la foi « Romaine est toujours la foi de l'Église; on « croit toujours ce que l'on a cru; la même « voix retentit partout, et Pierre demeure, « dans ses successeurs, le fondement des fi« dèles. C'est Jésus-Christ qui l'a dit, et le « ciel et la terre passeront plutôt que sa pa« role. »

Independenter à prærogativâ indefectibilitatis quâ sedes Romana præeminet cæteris Ecclesiis privatis, quæcumque sint, ipsa decreta singulorum pontificum, gravissimam sibi auctoritatem conciliant, pro dignitate suæ sedis, et speciali auxilio quo Spiritus sanctus ipsis providet. « Omnes, ait Veronius, « concedunt, gravis esse auctoritatis quod à « pontifice tantæ sedis docetur, etiam cum « solo concilio privato, et privatim solùm « rescribente aliquot episcopis; gravioris, « quod cum concilio provinciali; gravissimæ « quod ex cathedrâ, toti Ecclesiæ illud propo« nendo, sive cum concilio privato, sive in

« concilio provinciali, temerariumque est à sic « pronuntiatis discedere. » (De Regulâ fidei cap. 1, § 4, n. 2.) Hanc auctoritatem in negotio fidei exprimebat clerus Gallicanus in quarto articulo suæ Declarationis, dicendo in fidei quæstionibus, *præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.* Auctoritas illa adeò gravis, quæ tantam reverentiam conciliat decretis solemnibus Papæ, et sin absolutam infallibilitatem, ad minus moralem certitudinem inerrantiæ, fatentibus ipsis Gallicanis peritioribus, fundatur, ut modò insinuatum est, monumentis traditionis, dotibus inhærentibus sanctæ sedi; argumentis, uno verbo, Ultramontanorum, quæ ab adversariis solvi nullatenùs possunt, quin saltem fateri cogantur tantum esse pondus constitutionis pontificiæ, ut nihil gravius supponi possit præter summam et ineluctabilem auctoritatem decretorum concilii œcumenici. Hæc argumenta cùm abundè explanata legantur apud Ballerinium et Petitdidier, hìc de novo non discutiemus.

Ex duobus præcedentibus aliud assertum sequitur etiam ab omnibus Catholicis admittendum, nempe decreta saltem solemnia Pontificis per se et antequàm innotuerit assensus episcoporum, omnes obligare ad aliquem consensum internum et obsequium mentis. Hoc assertum sic exponit Turnelius theologus scholæ Parisiensis, et placitis Gallicanis addictus : « Concedimus ultrò definitis à Pontifice « circa fidem et mores debere fideles interiori « mentis obsequio acquiescere, nisi aut hypo« critæ haberi velint, aut rebelles.... » Et infra: « Tenentur fideles pontificum de fide consti« tutionibus acquiescere etiam mentis obse« quio, quamquàm nondùm constet de accep« tatione ac consensu Ecclesiarum. » (De Ecclesiâ Christi, t. 2, p. 277-285.) (1).

Obligationem hujus assensùs interni, possemus probare praxi constantissimâ Ecclesiæ; nam haud semel Romani pontifices pronuntiârunt de fide contra novatores non convocato concilio generali, ut contra Pelagianismum, et tamen ubique fideles venerati sunt religioso mentis obsequio has definitiones, non expectando quoadusque illis constaret de exterarum regionum assensu. Sed quorsùm hæc extranea? habemus in Galliis nostris exempla maximè memoratu digna, et quæ explicant sensum quo clerus Gallicanus ipse interpretatur doctrinam evangelicam de obedientiâ summo pastori præstandâ.

Quid actum sit occasione Quietismi, neminem latet. Vixdùn in Galliis introductum est Breve Innocentii XII, quo proscribebantur variæ propositiones libri Fenelonii : *Explication des maximes des saints*, Fenelonius, tum Cameracencis archiepiscopus, se publicè et absque ullâ restrictione submisit judicio sanctæ Sedis, non solùm antequàm acceptatum esset ab Ecclesiâ universali, sed dùm ne à Gallicanis quidem episcopis adoptatum. Hæc tam prompta obedientia nullatenùs tunc visa est contradicens principiis cleri Gallicani et Bossuetii de infallibilitate S. Pontificis. Omnes è contra, in Galliis sicut apud exteros, omnes, inquam, eam summis laudibus extulerunt; ipsemet Bossuetius res gestas in negotio Quietismi referens in comitiis cleri quæ habita sunt anno 1700, de eâ obedientiâ locutus, dixit, esse *naturalem effectum humilitatis christianæ et ecclesiasticæ subordinationis.*

Iisdem principiis, eâdem viâ semper incessit clerus Gallicanus, tum ante, tum post famosam anni 1682 Declarationem, quando prodierunt constitutiones pontificales contra Jansenismum. Datis et promulgatis de fide decretis, præsules festinanter et suum præstiterunt filiale obsequium, et à fidelibus suo pastorali regimini subditis eamdem submissionem petiêre, non expectatâ adhæsione epi-

(1) Idem theologus de Ecclesiâ Christi, p. 278, ut occurrat objectioni quam ex illâ necessitate obsequii interni Ultramontani moverent contra systema Gallicanum de fallibilitate S. Pontificis, hæc habet : « Quòd si (quod Deus avertat!) Pontifex Romanus publicè errorem toti « Ecclesiæ proponeret, haud dubiè, ut jam « sæpiùs diximus, errorem non admitteret Ec« clesia, sed statim, Deo ita providente, re« clamarent ac insurgerent episcopi, ac Ponti« fex ipse admonitus quàm citò errorem revo« caret; sicque nunquàm permittet Christus, « fideles in errorem abduci, consentientibus « per orbem dispersis episcopis; adeòque nun« quàm continget casus, in quo possint privati « tutâ conscientiâ suum interiorem mentis as« sensum pontificiis de fide decretis denegare, « ubi illis accessit Ecclesiæ consensus; qui fortè « si non accederet, ac reclamarent episcopi, « certum esset falsæ et erroneæ definitionis « argumentum, cui proptereà obsequi ex animo « fideles non tenerentur. Sed vanam et inuti« lem esse hanc hypothesim, spem certam fa« cere videtur experientia septemdecim secu« lorum : nusquàm enim hactenùs contigit, « ut aliquod sedis Apostolicæ de fide ac mori« bus decretum, ad consultationem episcopo« rum, et iis conditionibus factum, quas exigit « ordo à Christo institutus, erroneum fuerit, « aut cæterarum Ecclesiarum non habuerit « consensum. »

scoporum aliarum regionum. Hoc eis constanter visum fuit necessarium et certum consectarium principii universaliter admissi de primatu sedis Apostolicæ et de lege christianâ, quæ omnes fideles submittit judicio hujus Ecclesiæ matris et magistræ. Sic anno 1653, præsules nostri ad Innocentium X hæc scribebant, exponentes motiva acceptationis bullæ ab eo pontifice latæ contra quinque propositiones Jansenii : « Eo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodùm ad episcoporum Africanorum relationem Innocentius I Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum episcoporum consultationem hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X suâ auctoritate proscripserit. Enimverò vetustæ illius ætatis Ecclesia catholica, solâ cathedræ Petri communione et auctoritate fulta, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione, sed ex actis priorum pontificum et ex anathematismis adversùs Apollinarium et Macedonium nondùm ab ullâ synodo œcumenicâ damnatos, à Damaso paulò antea jactis, judicia pro sanciendâ regulâ fidei à summis pontificibus lata, super episcoporum consultatione, divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti, *cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur ;* eâ nos quoque sententiâ ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in summo pontifice Innocentio X viget, auctoritatem debitâ observantiâ colentes, constitutionem divini Numinis instinctu à beatitudine vestrâ conditam, promulgandam curabimus in Ecclesiis ac diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. » (Vid. Collectio judiciorum D. d'Argentré, t. 3, part. 2, p. 276.)

Hæc est summa doctrinæ Ultramontanorum et Gallicanorum, quæ si penitùs inspiciatur, fatendum omnibus erit non tantam esse contrarietatem sententiarum, quanta primo intuitu apparet. Primi agnoscunt Papam ut privatum doctorem esse errori obnoxium, consideratum autem prout publicum doctorem, licet infallibilis sit, non tamen posse suâ solâ auctoritate condere definitiones quæ sint ac haberi debeant veluti articuli *fidei catholicæ,* unde juxta illos plena, perfecta ac ultima regula fidei catholicæ, quam omnes, quò sint Catholici, tenere debeant, cujusque *contrarium sit hæreticum* et removens à gremio Ecclesiæ, hæc regula solùm reperitur in consensu episcoporum cum Romano Pontifice. Ex alterâ parte, Gallicani, licet existiment absolutè fieri posse ut Papa etiam ut doctor publicus erret, attamen fatentur, sedem Romanam esse indefectibilem, unde si quis papa erraret, error ille non diù persisteret ; eamdem sedem tantâ prærogativâ esse insignitam, ut gravissima sit, ac omnes Ecclesias spectans, auctoritas decretorum quæ à singulis pontificibus eduntur, et tandem hæc decreta omnes Christianos obligare ad aliquem consensum internum, qui sit verum ac sincerum obsequium mentis... Igitur Pontifice ex cathedrâ docente, cuncti fideles incunctanter obtemperant, omnes vocem Petri venerantur et auscultant in doctrinâ illius successoris, cum eo solùm discrimine, quòd Ultramontanus se submittit absolutè, veluti veritati fidei theologicæ seu divinæ, dùm Gallicanus præstabit obsequium mentis sincerum quidem, sed veluti quodam modo suspensivum, cum morali certitudine quòd Pontifex sanam doctrinam tradiderit, non tamen eam ut fidei dogma sive divinæ sive catholicæ, usquedùm constiterit de universalis Ecclesiæ sensu ; prior dat obsequium fidei, alter verò obsequium humilitatis et hujus obedientiæ ac ecclesiasticæ subordinationis, quâ inferiores debent audire vocem superioris, eò majori reverentiâ quò excellentior est superioris dignitas, dicente Domino : *Qui vos audit, me audit.*

Punctum istud discriminis, ad quod ultimatò videtur reducenda controversia theologorum, non discutiemus, quia nostri non est instituti, nec nostræ exiguitati conveniens, dirimere quæstiones in scholis agitatas ; hæc tantùm obiter notabimus... Cùm ea sit forma quâ Christus Dominus suam Ecclesiam instituerit, ut constet capite et membris arctissimè conjunctis, et unio catholica quam pro singulis diebus spopondit, in eo consistat quòd pastores, in sede Petri velut in centro uniti remaneant, sua semper erit et capiti et membris gratia, Romano pontifici ut in singulis temporum punctis fungatur munere capitis, membris verò ut ab eo nunquàm avellantur. Christus perpetuò docet cum capite et cum membris, cum capite quidem in quo sunt præcipuæ partes, ut ritè doceat cum membris ipsi conjunctis, ut in eâ unione suum officium ritè exequantur ; sive ergo audierim vocem S. Pontificis, sive vocem majoris partis episcoporum

primam acceperim, securus incedam; non minùs quippe impossibile erit, ut caput à reliquo corpore se avellat, quàm ut membra se à capite separent, ob unitatem quæ in perpetuum et singulis diebus erit vera conditio et signum indubium Ecclesiæ catholicæ.

Antequàm transeamus ad aliud controversiæ punctum, fortassis abs re non erit, nec nostris lectoribus ingratum, subnectere quæ observata sunt à D. Emery, viro maximè erudito et sapientiæ conspicuæ in articulum 4 Declarationis cleri Gallicani; hæc autem sunt verba illius, prout leguntur in opere inscripto : *Nouveaux opuscules de Fleury*, p. 298 : « Nous « étonnerons peut-être nos lecteurs en leur « disant que le dernier article : *In fidei quoque « quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse « partes, ejusque decreta ad omnes et singulas « Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile « esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit;* « que cet article, celui qui tient le plus à cœur « aux étrangers, et qui est véritablement le « plus important de tous, ne touche point à « l'opinion de l'infaillibilité du Pape, et la « laisse en son entier; que le clergé de France, « mettant à l'écart cette question de l'infailli« bilité, dont on dispute dans les écoles, et se « proposant de prescrire des règles de prati« que, a voulu seulement établir en principe, « que *le consentement de l'Eglise est nécessaire « pour que les décrets du Pape soient entièrement « règles de foi;* qu'en cela il est d'accord avec les « défenseurs les plus habiles de l'infaillibilité du « Pape, que le docteur Duval, si distingué parmi « eux, enseigne en propres termes, et prouve « que *le décret du Pontife Romain n'est pas de « foi, par cela seul qu'il est émané de lui; qu'il « ne l'est que lorsque l'Eglise universelle l'accepte;* « qu'en faisant ces observations, nous ne fai« sons que *dévoiler le secret*, ou développer le « véritable sens du quatrième article ; que cet « article pourrait en rigueur subsister et se « concilier avec l'opinion de l'infaillibilité du « Pape parlant *ex cathedrâ* ; qu'il ne s'agit que « d'appliquer aux décisions pontificales *ex cathe« drâ* ce qui est vrai des conciles œcuméniques, « et de dire qu'ainsi que les Catholiques, qui « croient tous que les conciles œcuméniques « sont infaillibles de droit, ne sont cependant « jamais bien assurés dans le fait qu'un tel « concile est œcuménique que par le consente« ment de l'Eglise; de même, en supposant « comme très-certain que le Pape est infailli« ble quand il juge *ex cathedrâ*, on ne sera « jamais parfaitement assuré qu'il a jugé ainsi, « ou que toutes les conditions pour qu'un ju« gement soit censé *ex cathedrâ* ont été rem« plies, que par l'acceptation qu'en fait l'E« glise.

« Mais si nous étonnons nos lecteurs en te« nant ce langage, nous les étonnerons bien « davantage en leur apprenant que nous ne « faisons ici que rapporter et traduire littérale« ment quelques textes de M. Bossuet, extraits « de son ouvrage sur les quatre articles, et de la « *Dissertation préliminaire* (1). Nous rassemblons

(1) Hic enim patere volumus Gallicanæ Declarationis arcanum, Gallicanos Patres non id edixisse, ne Romanus Pontifex infallibilis haberetur, de quo in scholis tantæ rixæ sint..... Ad praxim maximè respicere placuit, atque illud pro certo figere, utcumque scholastica ac subtilis quæstio se habeat, tamen convenire inter omnes Catholicos pontificium decretum non haberi pro irreformabili, neque ultimum robur esse consecutum, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Quo dogmate constituto, tota infallibilitatis quæstio speculativas inter vanasque quæstiones habeatur. Hunc in sensum si accipiplacet Gallicanam Declarationem, non ipsi Gallicani Patres, credo, refugient. (Coroll. Defens. § 8.)

Sic habet Duvallius : « Observandum est, « ut aliquod dogma tanquàm hæreticum habea« tur, non esse necessariam concilii generalis « celebrationem, sed sufficere summi Pontificis « condemnationem, unà cum acceptatione to« tius Ecclesiæ per orbem diffusæ. » En, ut aliquid de fide sit, Ecclesiæ consensum, sive acceptationem, omninò necessariam, cujus quidem rei hanc rationem reddit : « Licet « enim, inquit, decretum Pontificis, quatenùs « ab eo solo promanat, DE FIDE NON SIT, cùm « ejus in decernendo infallibilitas fide catholicâ « minimè constet, nihilominùs, si hæc con« demnatio ab universali Ecclesiâ, licet diffusâ « et non coactâ in concilio, approbetur, jam « nemo citra fidei detrimentum ei potest con« tradicere. Est enim de fide Ecclesiam non « tantùm ut congregatam in œcumenico con« cilio, sed ut diffusam, errare non posse. » Nec semel dixisse contentus, hæc addit : « Respondeo definitiones Pontificis non esse « de fide, donec universalis Ecclesia, quam « de fide est errare non posse, eas acceptave« rit. » Quod quid est aliud quàm id quod unum Declaratio Gallicana voluit, nempe ut decreta pontificia plenum fidei robur obtineant, ad consensum Ecclesiæ recurrendum ? (Dissert. præviæ § 21.)

Sanctus Antoninus pontificiam definitionem valere quidem dicit summâ et ultimâ firmitate, sed *acceptatam, examinatam, approbatam*, ut cùm varii varia, de eo quod sit *pro cathedrâ dictum*, attulerint, certissimum signum sit, *pro cathedrâ esse dictum*, cùm Ecclesiæ consensus accesserit..... Certum est apud Catholicos concilia generalia infallibilia esse; at cùm dubitari possit conciliumne aliquod generale sit, id ex Ecclesiæ consensione repetatur ; ita certum firmumque, si velint, habeatur, ponti-

« dans la note ces textes si précieux, si peu « remarqués jusqu'à présent, et si dignes cependant d'être pris en grande considération. « Car il en résulte que la quatrième proposition du clergé : *Judicium S. Pontificis non est irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accesserit,* de l'aveu de M. Bossuet, qui semble se « faire fort de l'aveu des évêques de l'assemblée de 1682, signifie au fond que les jugements du Pape n'ont point le caractère ni les « effets d'une définition de foi catholique, « avant que le consentement de l'Eglise intervienne, et n'emporte rien de plus ; en sorte « que la proposition pourrait être ainsi rendue: « *Summi Pontificis judicium non est de fide, neque plenum fidei robur obtinet, seu non est regula fidei, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* « Ah ! combien d'oppositions et de troubles « n'aurait-on pas prévenus, si l'on avait exposé que la quatrième proposition du clergé « pouvait et devait être prise en ce sens ! Il « est bien étonnant que tant de personnes « intéressées semblent n'y avoir fait aucune « attention. Il faut excepter cependant un défenseur de Jansénius déja cité; car cet endroit de la *Défense* est apparemment un de « ceux qui lui ont fait dire que les *Ultramontains ne trouvent que trop d'armes dans cet ouvrage.*

« Ce n'est point dans les derniers temps « seulement de la vie de M. Bossuet, et lorsqu'il s'est agi de rendre les quatre propositions du clergé de France moins odieuses « aux théologiens ultramontains, que M. Bossuet a imaginé de donner au quatrième article le sens dont nous avons parlé : on voit « que, dans l'année même où les quatre articles « furent adoptés par le clergé, et rendus publics, c'est-à-dire, en 1682, il était dans le « même sentiment. En voici la preuve : il était « en correspondance avec M. Dirois, docteur de « Sorbonne, résidant alors à Rome. Celui-ci « écrivait alors à M. Bossuet que *le quatrième article lui paraissait s'accorder avec la doctrine des Ultramontains*, et, par conséquent, avec « l'opinion de l'infaillibilité du Pape. M. Bossuet « lui répond : « Nous n'avons pas eu ce dessein, quoique d'autre part nous ayons bien « vu que, quoi qu'on enseignât en spéculative, « en pratique il en faudrait toujours revenir à « ne mettre la dernière et irrévocable décision « que dans le consentement de l'Eglise universelle, à laquelle seule nous attachons « notre foi dans le Symbole. »

« Voilà donc la quatrième proposition du « clergé, qui, bien entendue, ne peut pas « être, si l'on veut procéder sans aigreur et « de bonne foi, un sujet de division entre les « théologiens ultramontains et les Français » (1).

ficem *pro cathedrâ* docentem esse infallibilem; at cùm dubitari possit an *pro cathedrâ* dixerit, adhibitis omnibus conditionibus, ultima nota ac tessera sit Pontificis *ex cathedrâ* docentis, *cùm Ecclesiæ catholicæ consensus accesserit.*

Id si Romæ placeat, pacique profuturum sit, haud equidem contradixerim. (Coroll. Defens. § 8.)

§ 2. *De superioritate S. Pontificis in concilia.*

Quando disceptatur in scholis de superioritate S. Pontificis in concilia, vel de præeminentiâ conciliorum in S. Pontificem, supponitur ex unâ parte Papam esse certum ac canonicè electum, ex alterâ autem parte concilium tale esse, quod in his circumstantiis repræsentare valeat corpus episcopale, seu moralem episcoporum unanimitatem. Quòd si Pontifex esset dubius, ut fit tempore schismatis, quando concurrunt plures summum pontificatum prætendentes, quorum jura sunt dubia, vel si extra tempus schismatis gravis suboriatur difficultas de canonicitate electionis, concilium episcoporum esset certè supra talem pontificem ; nam juxta axioma juris canonici, *Papa dubius, Papa nullus;* hæc aliunde sola via est quâ fideles possint è periculo schismatum eripi, et Ecclesiæ in hâc tempestate servari unitas. Admisso quòd Papa sit certus, supponendum etiam est agi de concilio satis numeroso et in iis circumstantiis adunato quod repræsentare valeat unanimitatem moralem episcoporum ; de fide enim est S. Pontificem habere primatum in singulas Ecclesias, in concilia proindè privata etiam nationalia, quantùmvis numerosa sint : hæc enim non ipsam Ecclesiam, sed partem solùm Ecclesiæ valent repræsentare.

Gallicani et Ultramontani in diversas et contrarias abeunt sententias de auctoritate respectivâ S. Pontificis et conciliorum, quæ contrarietas resultat ex aliâ quam modò exponebamus circa infallibilitatem. Reverà, si supponatur S. Pontificem esse errori ob-

(1) Vid. Fenelonium, de summi Pontificis Auctoritate, cap. 5 ; Muzarelli, de Rom. Pont. Auct. t. 1, proœm. p. 72, etc. ; card. Litta, *Lettres sur les quatre articles*, lettr. 15-16.

noxium, etiam dùm docet, ut aiunt, *ex cathedrâ,* summa ac suprema auctoritas in eo non potest residere, sed in eo solùm tribunali quod sit infallibile, qualis est synodus composita ex unanimitate morali episcoporum; si è contra existimetur gaudere absolutâ infallibilitate, satis erit principiis consentaneum fateri illius præeminentiam in cœtum qualemcumque episcoporum, sicut caput naturaliter præeminet membris, pastor gregi sibi commisso. Solutio ergo quæstionis præsentis ab alterâ pendet; nos eâdem methodo incedentes, ab alterutrâ amplectendâ abstinebimus, sed in quo omnes conveniant et quæ consectaria practica ex discrimine opinionum nasci possent, ostendemus. Hìc sicut in præcedenti materiâ, minoris momenti nobis videtur in praxi hæc controversia, quàm multi prætenderunt.

Vel agitur de concilio adunando aut jam adunato, vel de concilio cui adfuit illa approbatio.

1° In priori casu hæc sunt observanda : I. Generaliter loquendo, haberi nequit veluti œcumenicum ac repræsentans Ecclesiam universalem concilium quod nec convocare voluit, nec convocatum suâ auctoritate approbare S. Pontifex. Ita omnes theologi catholici tenent nec ab eâ doctrinâ discedere possent, nisi abnegando primatum jurisdictionis, et certas ac inconcussas prærogativas S. sedis; Ecclesia, prout eam Christus constituit, nec in solo Pontifice, nec in solis episcopis subsistit, sed in corpore episcopali cujus S. Pontifex est caput; ergo cœtus præsulum divertens à Romano Pontifice et ab eo non approbatus, non repræsentat nisi partem, seu membra Ecclesiæ. Hoc assertum nulli Catholicorum dubium, disertis verbis pronuntiat Bossuetius, in Defensione Declarationis, in quâ legitur : « Parisienses ultrò consentiunt, ex antiquissimis « regulis, synodos generales absque Romano « Pontifice nullas esse et irritas. Hinc Ariminensia decreta vana esse quòd huic synodo « Damasi Papæ defuit auctoritas; harum ergo « rerum de quibus nemo dubitat..., resecandæ probationes. » (Gallia orth., § 84.)

II. Circumstantiæ in quibus prævaleret auctoritas concilii in S. Pontificem, nec illius indigeret approbatione, sunt, præter casum schismatis, de quo supra, hæresis et necessitas evidens tuendi fidem aut mores reformandi, cui obstinatè obsisteret Pontifex. Hæ circumstantiæ sunt rarissimæ et valdè extraordinariæ, ut manifestum; quapropter minùs periculi habet opinio Gallicana, et in cursu communi rerum nullatenùs in praxi differt à doctrinâ Ultramontanorum. « Les cas, ait Bossuetius, auxquels la France soutient le « recours du Pape au concile, sont si rares, « qu'à peine en peut-on trouver de vrais « exemples en plusieurs siècles : d'ou il suit « que c'est servir le Saint-Siége que de réduire « la dispute à ces cas; et c'est, en montrant « un remède à des cas si rares, en rendre l'au- « torité perpétuellement chère et vénérable à « tout l'univers. » (Lettre au card. d'Estrées, 1681.)

De allatâ duplici hypothesi pauca notabimus : quoad primam, quâ supponeretur Papam esse hæreticum, Ultramontani vix dissentiunt à suis adversariis; non existimant quidem eventurum unquàm esse quòd S. Pontifex hæresim decreto solemni doceat, eamque tueatur animo obstinato; verùm si casu accideret quòd Papa ut doctor privatus prolaberetur in hæresim, omnes dicunt eum vel judicandum ac deponendum à concilio, vel ipso jure divino dejici à dignitate pontificali. « Pontifex, ait Bellarminus, in casu hæresis « potest ab Ecclesiâ judicari ac deponi, ut « patet dist. 40, canone *Si Papa.* » (De summ. Pontif. lib. 2, cap. 30, n. 43.) Ita Fenelonius, de Auctoritate Rom. Pontif., cap. 38, n. 1. Parvi referret dicere Papam tum non judicari aut deponi à concilio, sed ipso jure cadere à pontificatu; hoc enim à multis doctoribus excogitatum, ad idem ferè recidit, cùm Ecclesiæ, seu concilii sit judicare utrùm reverà Papa sit hæreticus; quapropter Bossuetius in Epistolâ modò citatâ, meritò observat hanc distinctionem esse non tam de re ipsâ quàm de terminis : « Je dis que le Saint-Siége ne « perd rien dans les explications de la France, « parce que les Ultramontains même convien- « nent que, dans le cas où on met le concile « au-dessus, on peut procéder contre le Pape « d'une autre manière, en disant qu'il n'est « plus Pape; de sorte qu'à vrai dire, nous ne « disputons pas tant du fond que de l'ordre « de la procédure. »

Quoad aliam hypothesim, quâ diceretur agi non de fide, sed de reformatione Ecclesiæ, vel aliâ urgenti necessitate cui Papa obstinatè negaret suum assensum, hæc majorem habet difficultatem, nec est modus conciliandi opinionem contrariam theologorum, nisi dicendo disputari de merâ hypothesi, seu de casu qui

nec unquàm contigit, nec unquàm eventurum certò speramus pro suavi providentiâ Christi in suam Ecclesiam ; addimus quòd si res contingere videretur, multò melius fore ac longè utilius Ecclesiæ expectare tempora meliora, spem in Deum pro renovatione disciplinæ reponendo, quàm exponere fideles scandalo graviori ac periculo schismatis. Tali in conflictu Papæ cum cœtu episcoporum, prima certè necessitas Ecclesiæ est unitas episcopalis quæ multùm detrimenti caperet ab eâ collisione... III. Extra casus memoratos prævalet principium generale, et auctoritas sanctæ sedis necessariò accedere debet decretis conciliorum, ut hæc decreta considerari possint veluti leges Ecclesiæ universales, omnes Christi fideles obligantes. Si esset in concilio conflictus, et una pars vellet condi aliquam legem disciplinarem, alterâ reluctante, difficultas sic videretur resolvenda arguendo ex principiis communiùs admissis : vel legem condere vellent episcopi S. Pontifice dissentiente, vel ipse Pontifex eam proponeret. In priori casu lex omni efficaciâ careret ad obstringendum in conscientiâ fideles, quia extra suam diœcesim episcopi nullam habent auctoritatem in Christianos sibi non subditos, nisi quatenùs efforment synodum œcumenicam, et repræsentent Ecclesiam universalem ; verùm, juxta ipsos Gallicanos, synodi generales sunt nullæ et irritæ, si destituantur auctoritate pontificiâ, exceptis solis circumstantiis admodùm raris, in quibus Christus ad Ecclesiæ conservationem permisit ut recederetur ab ordine communi et hierarchico. Tales synodi non repræsentant Ecclesiam catholicam cùm separatæ supponantur à suo capite ; ergo, etc. In altero casu, non etiam videretur lex urgenda, non forsan defectu potestatis in legislatore (siquidem S. Pontifex habet, ratione sui primatûs, in omnes et singulas Ecclesias auctoritatem legislativam, quam nullo titulo sibi vindicare possunt episcopi ab eo separati, non ei consentientes), sed quia hujusmodi lex non esset ad bonum commune, ad ædificationem Ecclesiæ ; præsumendum est enim episcoporum dissensum oriri ex imperfectione seu defectu decreti quod prævident inutile et nocivum ; imò, licet ratione suî ea lex vitio careret, attamen lata in hujusmodi circumstantiis, nullum ferè produceret effectum ad generalem utilitatem, ut satis patet ; fideles non incitarentur ad venerandam, ut sibi utilem, legem quam conditam noverint reluctantibus episcopis, et episcopi minori zelo moverentur ad urgendam illius observantiam. Ergo in casu conflictûs, sive dissensus oriatur ex parte S. Pontificis, sive ex parte episcoporum, nihil actum erit, et decreta infirma erunt, vi et effectu destituta.

2° Quando agitur de concilio jam confirmato auctoritate sanctæ sedis, nullus ferè est locus quæstioni de superioritate : evidens quippe est Papam non esse superiorem se ipso vel suo prædecessore cœtui episcoporum unito. Cùm summa et infallibilis sit auctoritas concilii omnibus conditionibus ad œcumenicitatem desideratis vestiti, Ultramontani non dicunt contra illud aliquid decerni posse à Papâ : sola difficultas, si quæ sit, refertur ad jus dispensandi à legibus in concilio œcumenico latis ; si enim supponatur potestatem S. sedis esse inferiorem potestati conciliorum, concludendum videretur Papam non posse suo proprio nomine dispensare, sed tantùm nomine concilii, veluti delegatum jus exercendo.

Hæc nos non morantur ; nam vel est ratio dispensandi à lege, vel non : si sit ratio dispensandi, omnes fatentur Papam posse eximere à lege ; hæc potestas, juxtà plerosque, quibus adhærendum putamus, non est delegata, sed ordinaria ; non venit ab ipso concilio, vel ab aliquo tacito consensu Ecclesiæ, sed ab ordinatione divinâ Christi, quam nec Ecclesia, nec concilium quodcumque immutare potest ; scilicet Christus præposuit Petrum ad pascendum universum gregem et exercendam potestatem ordinariam administrationis, regiminis; porrò hujus potestatis officium est urgere legum observantiam, et ab eis eximere quando circumstantiæ temporum vel utilitates personarum postulant : proprio igitur jure Papa dispensat. Si non sit ratio dispensandi, omnes adhuc fatebuntur illicitam esse dispensationem, cùm Christus dederit jura non ad destructionem, sed tantùm ad ædificationem Ecclesiæ. « Il serait inutile, observat Fenelonius, de « vouloir rendre odieux le terme de plénitude « de puissance, en représentant une puissance « arbitraire qui peut tout détruire : il ne s'agit « que d'une plénitude de puissance modérée « par la nécessité d'observer les canons, et « qui peut tout pour édifier. » (*Mémoire pour l'érection de Cambrai en archevêché.*) Illicita igitur erit omnis dispensatio concessa sine ratione necessitatis seu utilitatis ; an insuper invalida reputari debeat, ignoramus : Gallicani fortè pro nullitate certarent, quia Ecclesia, cujus auctoritate leges illæ latæ et sancitæ

sunt, non præsumitur consentire his dispensationibus; hoc tamen non est consectarium necessarium systematis de superioritate concilii, nec fundatum in se existimamus; quidquid enim statuatur de illâ quæstione, Papa non delegatam, sed ordinariam habet potestatem dispensandi; potestatem igitur independentem à concilio et voluntate tacitâ episcoporum: porrò actus potestatis in suo ordine summæ ac independentis suam habent validitatem abstrahendo à legitimitate motivorum quibus superior inducitur.

§ 3. *De potestate indirectâ Rom. Pontificis in principum temporalia.*

De potestate Rom. Pontificis in regum temporalia theologi olim et canonistæ diù disputârunt, et inani labore operam daremus conciliandis inter se tot systematibus contradictoriis quæ suos habuère patronos; hæc penè oblivioni nunc data non expenduntur nisi more historico, vel ad tuendam contra hostes Ecclesiæ agendi rationem pontificum, qui non contradicentibus conciliis, contra principes sententias tulerunt depositionis.

Theologi Ultramontani, si qui nunc forent qui, veteris scholæ Bellarmini placitis addicti, propugnare contenderent potestatem indirectam, ad id adducerentur præsertim aut animo vindicandi praxim Ecclesiæ per decursum plurium seculorum, aut persuasione quòd aliquid eâ de re fuerit definitum à sede Apostolicâ, aut tandem ne læderentur jura Ecclesiæ, si privetur jurisdictione in principes christianos: si proindè omnia conciliari possint eo modo qui in tuto reponat Ecclesiæ auctoritatem, hi theologi incunctanter Gallicanis adhærebunt, nec ulla ampliùs subsistet sub eo respectu disceptatio; hanc conciliationis viam nunc aggredimur.

Jurisdictio Ecclesiæ et Rom. Pontificis in personam principum alia est merè spiritualis, alia foret veluti temporalis eo sensu quòd præter effectus spirituales ac immediatos, indirectè alios temporales produceret, ut, v. g., depositionem, amissionem jurium regalium.

1° Ecclesia habet spiritualem jurisdictionem tum directivam, tum etiam coactivam in principes, adeò ut quoad ipsam regiam dignitatem illius auctoritati subjiciantur (1).

Sensus hujus propositionis est quòd Ecclesia officium habeat docendi ipsos principes quæ sint obligationes quibus jure naturali et divino obstringuntur, et illos puniendi censuris, ut interdicto vel excommunicatione pro peccatis quæ commiserint in administratione reipublicæ, ut si leges condant iniquas, si subditos tyrannicè opprimant, si extraneos bello evidenter injusto prosequantur. Propositionem sic intellectam Gallicani non secùs ac Ultramontani omnes admittunt, contra quosdam nimiùm faventes independentiæ regum, de quibus conqueritur ipse Fleury in dissertatione de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: « Pour soutenir l'indépendance des « souverains, on a donné en divers excès: plu- « sieurs ont prétendu qu'ils ne pouvaient être « excommuniés, comme supposant que l'ex- « communication donnerait atteinte à leur di- « gnité.... On a soutenu de même que les offi- « ciers des rois ne pouvaient être excommuniés « pour le fait de leurs charges, comme s'ils « ne pouvaient y excéder. » (Nouv. opusc. de Fleury; Discours sur les Libertés de l'Eglise Gallicane, n° 5.) Ratio quæ theologos unanimiter adduxit ad illud principium, est potestas clavium quam Christus Ecclesiæ suæ dedit sine ullâ exceptione exerendam in omnes Christianos. Reges et magistratus, si sint virtute baptismi de ovili Christi, debent agnoscere pastorem universo gregi præpositum; alioquin ab unitate discedunt; insuper iidem principes, quatenùs officium publicum exercent, et ratione hujus officii, multis tenentur obligationibus, quas si contemnant, in suæ et aliorum salutis perniciem, reos se constituunt crimine et pœnis spiritualibus obnoxios; hinc in totâ retrò traditione extulerunt sanctum Athanasium, qui Theodosium imperatorem censuris ligavit ob infandum abusum potestatis politicæ, et eum à communione Ecclesiæ separavit usquedùm suâ emendatione mereretur absolutionem. Ab omni discussione hujus puncti abstinemus, cùm sit in scholis unanimiter admissum. Concludemus ex illo sensu communi, D. de Lamennais immeritò inculpâsse clerum Gallicanum, veluti suis placitis omnimodam declararet independentiam regum ab auctoritate spirituali docendi, arguendi, pœnis spiritualibus prosequendi; hæc alienissima sunt à doctrinâ

(1) De potestate absolutâ hìc loquimur, quam omnes Catholici agnoscunt. Cæterùm hanc potestatem Ecclesia nunquàm exercuit nisi summo moderamine, attentis præsertim temporum et necessitatis publicæ circumstantiis.

Gallicanismi. (*De la Religion dans ses rapports*, etc., 2e part., pag. 127.)

2° Sedes Apostolica nullo decreto dogmatico declaravit, sibi competere jure divino, jurisdictionem sive directam, sive indirectam in temporalia regum, vi cujus posset illos è suo statu dejicere. Non dicimus Romanos Pontifices nunquàm fuisse in eâ opinione versatos, quòd haberent jure divino potestatem deponendi principes qui in graviora crimina lapsi, suâ dignitate abuterentur ad detrimentum subditorum; sed illud solùm asserimus nullum decretum dogmaticum edidisse quo solemniter declaretur illa doctrina. Ultramontani non tenent infallibilitatem pontificiam extendi ad privatas sententias Pontificum, nec ad ea omnia quæ in suis decretis aut supponere videntur, vel obiter exprimunt, sed ad ea tantummodò quæ sunt objectum proprium definitionis, sicut de ipsismet conciliis œcumenicis communiter traditur: porrò nullum novimus decretum, nullam definitionem dogmaticam quâ de potestate indirectâ aliquid proponatur fidelibus credendum: Constitutio quam Bonifacius VIII anno 1302 edidit (*Unam sanctam*), sola haberet aliquam speciem judicii dogmatici de quæstione præsenti; verùm si penitùs inspiciatur, et sedulò ea quæ exponit ab eis quæ definit ac decernit secernantur, patebit nihil esse declaratum de potestate indirectâ, quod plerique theologi observaverunt. Præmissa ad id conducere videbantur Bonifacium, ut definiret, Romano Pontifici omnem potestatem esse subditam etiam in temporalibus; sed eò usque reipsà non processit, sed sic simpliciter definit: « Subesse Romano Pontifici « omnem humanam creaturam declaramus, « dicimus, definimus, atque pronuntiamus « omninò esse de necessitate salutis. » Quod quidem omnes Catholici fide indubitatâ tenent, si de spirituali potestate intelligatur. (Vide Bossuet. Defens. Declarationis lib. 3, cap. 24.) Cardinalis de Litta, agens de opinione Gallicanorum circa independentiam regum in ordine temporali, ait: « J'observe que la pre« mière opinion n'a jamais été ni prohibée ni « condamnée. On prétendait trouver une au« torité contraire dans la bulle *Unam sanctam* « de Boniface VIII. Mais on a reconnu qu'il « n'a rien décidé ni défini là dessus. D'ailleurs « il est certain que plusieurs docteurs et plu« sieurs écoles l'ont enseignée, et qu'elle n'a « jamais été notée d'aucune manière; ainsi on « ne peut la désapprouver ni la condamner. » (*Lettres sur les quatre articles*, lettre 7e.) In confirmationem asserti card. Litta de scholis et variis universitatibus, citari possent declarationes expressæ, quas seculo elapso, 1789, celebriores universitates ediderunt ad postulata Anglorum Catholicorum, occasione emancipationis. Hæc responsa collecta leguntur in opusculo inscripto: *Antidote contre les aphorismes de M. de Lamennais*, pag. 20, 80 et seq.

3° Facta summorum Pontificum et conciliorum quæ, vel tulerunt sententias depositionis in principes, vel has sententias suâ adhæsione firmaverunt, explicari possunt independenter à doctrinis theologorum circa dependentiam aut independentiam principum ab auctoritate ecclesiasticâ, si ad quorumdam regnorum constitutionem attendatur, et ad jus commune quod in aliis vigebat.

Fenelonius in tract. de Auctoritate summi Pontif., expendens in cap. 30, quâ ratione laici principes ab ecclesiasticâ potestate depositi fuerint, hunc explicationis modum proponit: « Sensim catholicarum gentium hæc « fuit sententia animis altè impressa, scilicet « supremam potestatem committi non posse « nisi principi catholico, eamque esse legem « sive conditionem tacito contractui appositam « populos inter et principem, ut populi prin« cipi parerent, modò princeps ipse catholicæ « Religioni obsequeretur. Quâ lege positâ pas« sim putabant omnes solutum esse vinculum « sacramenti fidelitatis à latâ gente præstitum, « simul atque princeps, eâ lege violatâ, catho« licæ Religioni contumaci animo resisteret... « Porrò hoc erat hujus moris temperamen« tum, quòd ea depositio non fieret nisi con« sultâ priùs Ecclesiâ. In eâ autem disciplinâ « quæ multùm viguit, *nulla est Ecclesiæ do« ctrina quæ in dubium vocari possit, sed solum« modò agitur de placito, quod apud omnes ca« tholicas gentes invaluit*, nimirùm ut secularis « auctoritas non committeretur principi, nisi « eâ certissimâ lege, ut ipse princeps catholi« cæ Religioni per omnia tuendæ et obser« vandæ incumberet. Itaque Ecclesia neque « destituebat, neque instituebat laicos prin« cipes, sed tantùm consulentibus gentibus « respondebat, quid ratione contractûs et sa« cramenti, conscientiam attineret. » In alio capite, nimirùm 27, aliud observatu dignum exprimit: « De cætero, inquit, nihil est quod « pontifices regibus imperare velint, nisi *ex « speciali titulo aut possessione aliquâ peculiari*,

« *id sibi juris in aliquem regem feudatarium sedis Apostolicæ adepti fuerit.* »

Textus Fenelonii explanant duplicem titulum mox assignatum, quo innitebantur sententiæ depositionis quæ haud semel lata est in principes, jus quoddam quod passim invaluerat apud catholicas gentes, quòd pontifices habebantur ut arbitri sacramenti fidelitatis, et specialem quorumdam principum conditionem, qui, cùm essent feudatarii sanctæ sedis, poterant à Romano Pontifice deponi. His accessit sæpè consensus principum quo valuerunt multa decreta conciliorum quæ excessissent limites naturales jurisdictionis Ecclesiæ, ut Bossuetius animadvertit his verbis : « Demonstravimus.... quæ à sacris conciliis œcumenicis circa temporalia decreta sint, nunquàm auctoritate clavium facta esse, nunquàm adscriptum eâ auctoritate fieri; *imò explicatum iri, mutuatâ à regibus potestate.* » (Defens. Decl. lib. 4, c. 17.)

Operæ pretium foret educere ex monumentis historiæ mediæ ætatis argumenta hujus disciplinæ, seu consensûs communis, cujus ope Fenelonius existimavit explicari posse sententias et decreta tum pontificum, tum conciliorum contra nonnullos reges : verùm, cùm illa discussio longè progrederetur ultra metas theologiæ, coacti sumus remittere eos qui hocce punctum gravis momenti vellent studiosè perscrutari, ad auctores qui ex professo his elucubrationibus operam navaverunt. Inter alios citabimus traductorem historiæ S. Gregorii VII, et præcipuè editorem operum Fenelonii. Primus majorem partem introductionis ad opus D. Voigt composuit his documentis, ad vindicandam agendi rationem sancti Pontificis in causâ imperatoris Henrici IV. (*Histoire du pape Grégoire VII, Introduction*, pag. 45 ad 86.) Editor Fenelonii operum idem argumentum eximiâ eruditione prosecutus, extendit ad disciplinam generalem Pontificum, in dissertatione quam operibus Fenelonii subjunxit sub eo titulo : *Revue de quelques ouvrages de Fénelon;* extat volumine 25 edit. Versall. Ibi relata multa leguntur maximi momenti quæ confirmant assertiones Fenelonii, nimirùm : *Leges et constitutiones* plurium regnorum in quibus valuerat illud placitum quòd vi contractûs taciti principes obstringebantur ad obsequium erga Ecclesiam catholicam, nisi velint disrumpi vinculum fidelitatis quo suæ gentis incolæ sibi devinciebantur; *consensus et confessio ipsorum principum* qui non semel hanc jurisprudentiam agnoverunt, tùm in propriâ causâ, tùm in causâ aliorum; tandem *testimonia* juris canonici peritorum et historicorum qui horum temporum in scientiâ magis versati videntur. Fleury ipse, qui sanctissimos Pontifices ambitionis et superbiæ incusat, ob tentatas sententias depositionis contra reges, coactus tamen rei veritate, fatetur, eos obsecutos esse sensui cuidam communi quo hâc tempestate omnes ferè arbitrabantur hæc non excedere jura Ecclesiæ Romanæ. « Il faut avouer qu'on était alors tellement prévenu de ces maximes (nimirùm per excommunicationem amitti jura temporalia), que les défenseurs du roi Henri se retranchaient à dire qu'un souverain ne pouvait être excommunié. Mais il était facile à Grégoire VII de montrer que la puissance de lier et de délier a été donnée aux Apôtres généralement sans exception de personnes, et comprend les princes comme les autres. » (*Troisième discours sur l'histoire de l'Eglise*, n. 18.) Idem possemus in multos alios animadvertere, qui sibimet contrarii arguunt Gregorium VII, Innocentium IV cæterosque Pontifices horum vestigiis inhærentes, eos, inquam, arguunt veluti reos ordinis divini ac naturalis subversores, dùm aliis in locis quando volunt aut detegere mores ac placita publica hujus ævi, aut à censurâ malevolorum tueri concilia etiam œcumenica, quæ nullo modo contradixerunt decretis in suo sinu latis à pontificibus, imò, quidquid dicatur, hæc implicitè saltem et tacitè sanxerunt, recurrunt ad sententiam communem quæ omnium ferè animos penetraverat, *jure publico* vestitos esse illâ potestate pontifices.

His monumentis expositis, et quantùm par erat discussis, editor Fenelonii suam dissertationem sic concludit : « Il résulte, ce semble, assez clairement de tous ces faits, que le sentiment de Bossuet et de Fénelon sur l'usage et les maximes du moyen-âge, relativement à la déposition des princes temporels, ne manque pas de fondement dans l'histoire. En effet, on peut conclure de tous ces faits, 1° que d'après la persuasion alors générale, et d'après les maximes du droit public alors en vigueur, un prince rebelle envers Dieu et envers l'Eglise, encourait la privation de ses droits; 2° que, d'après les mêmes principes, le serment de fidélité qui attache les sujets à leur souverain, était alors purement conditionnel, et

« ne les obligeait point à l'égard d'un prince « notoirement rebelle envers Dieu et envers « l'Eglise ; 3° que, d'après l'usage et la juris- « prudence du temps, l'excommunication rom- « pait tous les liens qui attachent les sujets à « leur prince ; 4° qu'indépendamment de ces « maximes, alors généralement admises, le « Saint-Siége avait des droits particuliers et « généralement reconnus sur plusieurs états « catholiques, tels que l'Allemagne, l'Angle- « terre, la Sicile et plusieurs autres ; 5° enfin « que les souverains pontifes, qui ont autre- « fois déposé des princes temporels, n'ont fait « qu'appliquer des *maximes de droit public* alors « généralement admises et reconnues des sou- « verains eux-mêmes. » (*Revue*, n° 113.)

Disputent alii de incommodis quæ secum inducere potuit hoc jus publicum, hæc disciplina moribus temporum insita et quæ universaliter agnoscebatur; incommoda non ad eò graviora fortè reputabuntur, si consideremus felicem exitum quem habuêre decreta pontificum ad tuendam rempublicam christianam contra imminens subversionis periculum, cui et fidem, et mores, et ecclesiasticam disciplinam exposuisset, his infaustis temporibus, pravitas principum... ; hæc ad philosophos et publicistas remittimus; nobis, ad intentum propositum, satis est ut in confesso sit tale fuisse per decursum seculorum quibus efformatur epocha, ut aiunt, *mediæ ætatis*, jus publicum (1).

Fortè objicient, hanc jurisprudentiam fundatam fuisse interpretatione juris divini, eò quòd consuetum fuerit S. Pontificibus quando sententias ferebant, invocare potestatem ligandi et solvendi, ut videtur in sententiâ Innocentii IV contra Fridericum latâ in concilio Lugdunensi. Huic difficultati solvendæ multa occurrunt, sed duo præsertim quæ multùm considerari cupimus : 1° Certum est tunc temporis, potestatem pontificiam usu seu consuetudine et quorumdam regnorum conditione repositam multos arbitratos esse, abstrahendam à jure divino; hoc probat exceptio quam in favorem regum Galliarum, tùm in Galliis, tùm apud extraneos, prætendebant; si enim jus publicum quale vigebat non fuisset superadditum juri divino, sed mera illius declaratio atque ad casus particulares applicatio, quis existimâsset, illud esse speciale privilegium Franciæ, quòd non penderet in temporalibus à Pontifice Romano? (*Revue de Fénelon*, n. 109-112.) Idem etiam confirmant multæ epistolæ Gregorii VII, in quibus sanctæ sedis jura tuetur, tùm effectibus quos constans consuetudo excommunicationi tribuebat, ut qui intelligeret, ait Bossuetius, eâ re omnem causæ suæ vim contineri; tùm ditione quâ multa regna se devoverant Ecclesiæ Romanæ; tùm tandem conditione imperatorum Germaniæ quos regnum tenere ab eâdem Ecclesiâ reputabat. (Vid. Defens. Declarat. lib. 3, c. 4; lib. 1, sect. 1, cap. 13, 14; *Revue de Fénelon*, n. 111.) Qui recenter scripserunt historiam Germaniæ, observant hanc fuisse persuasionem satis communem, cui ipsi imperatores favebant, dùm nomen ac titulum imperatoriæ dignitatis non nisi post acceptam unctionem sacram et coronam à Romanis Pontificibus sumebant. 2° Quoad allegationem juris divini, dici potest summos Pontifices et scriptores qui illud invocabant in materiâ præsenti, non jus illud in se ipso solùm consideràsse, sed

(1) Inter Protestantes, permagni sanè nominis philosophus, dùm hanc mediæ ætatis jurisprudentiam de facto agnoscit, et, quod ad ejus consequentias attinet, omnem criminis labem ab ipsà removere intendit, hæc notanda habet : « Multos principes constat aut « imperii Romani, aut certè Ecclesiæ Romanæ « beneficiarios, sive vassalos esse, à Cæsare « aut pontifice reges aut duces appellatos, et « reliquos etiam non priùs regno quàm Chri- « sto inaugurari, cujus Ecclesiæ fidelitatem « spondent, cùm ab episcopo unguntur. Sic « enim Christus regnat, vincit, imperat, cùm « plerosque Occidentis populos studiosâ pie- « tate se Ecclesiæ submisisse historiæ osten- « dant. Nec disputo an hæc sint juris divini ; « *illud constat, omnium voluntate esse facta et* « *fieri rectè potuisse, et à communi christianæ* « *rei utilitate non abhorrere* : *nam sæpè eadem* « *est salutis animarum et publici boni cura*..... » (Leibnitzius, operum tom. 4, de Jurisprudentiâ, pag. 331.)

Alter ejusdem sectæ vir, eruditione commendandus, et qui recentiori ætate scripsit, non aliud judicium tulit de exercitio juris pontificii eàdem epochà : « Dans le moyen âge, « où il n'y avait pas d'ordre social, la papauté « seule sauva peut-être l'Europe d'une entière « barbarie : elle créa des rapports entre les « nations les plus éloignées; elle fut un cen- « tre commun, un point de ralliement pour « les états isolés. Ce fut un tribunal élevé au « milieu de l'anarchie universelle, et dont les « arrêts furent quelquefois aussi respectables « que respectés; elle prévint et arrêta le des- « potisme des empereurs, remplaça le défaut « d'équilibre, et diminua les inconvénients du « régime féodal. » (Ancillon, *Tableau des révolutions du système politique de l'Europe depuis la fin du* 15e *siècle*, tom. 1, pag. 133-137.) Alios multos scriptores qui in idem consentiunt citatos habemus in opere sæpiùs à nobis laudato (*Revue de Fénelon*, n. 120-123.)

cum extensione quam ex usu et consuetudine habebat. Eo sensu Fenelonius putabat explicandam esse sententiam latam in concilio Lugdunensi ab Innocentio IV contra Fridericum II. Jus ligandi et solvendi quo Pontifex suam sententiam firmat, spectat ad potestatem excommunicandi peccatores obduratos, et interpretandi sacramentum fidelitatis quo subditi tenentur erga suum principem; depositio quæ eâdem sententiâ pronuntiatur, erat merum consectarium hujus excommunicationis, maximè congruum consuetudini horum temporum atque receptæ jurisprudentiæ... Si hæc non sufficiant ad plenam solutionem difficultatis, adderemus cum editore operum Fenelonii, summos Pontifices et auctores ecclesiasticos potuisse infirmis ratiociniis quandoque uti ad tuenda jura cæteroquin certa; hoc non rarò accidit in re difficili, nec satis adhuc elucidatâ; neminem autem latet, has probationes, seu argumenta quæ adducuntur in confirmationem juris, nihil ei nocere, modò jus aliàs solidiori fundamento innitatur: quamvis Pontifices persuasi fuerint, persuasione privatâ, suam potestatem in principes reponi jure divino, illud nunquàm definière decretis dogmaticis.

His concludimus quæ dicenda erant de auctoritate sedis Apostolicæ in regum temporalia. Summa totius discussionis hæc est. Romanus Pontifex, ut caput Ecclesiæ, habet jurisdictionem spiritualem in principes non tantùm ut individuos, sed etiam quoad regiam dignitatem, adeò ut possit virtute hujus jurisdictionis, illos submittere pœnis spiritualibus pro sceleribus quæ committerent in administratione regni; nec fides docet, nec praxis Ecclesiæ, seu agendi ratio Pontificum, probat illos habere ullam jurisdictionem temporalem indirectam in principes, quâ valeant eos de regiâ dignitate dejicere, dispensando subditos à juramento fidelitatis; sententiæ depositionis, latæ per decursum mediæ ætatis contra quosdam reges, non debent verti in crimen Pontificibus qui eas tulerunt, et possunt explicari abstrahendo à jure divino, attentâ jurisprudentiâ hujus temporis, quam generatim olim immixam moribus, et communi sensu populorum catholicorum, certa monumenta probant. Hæc si benè attendantur, facilis erit in eo capite Gallicanorum cum Ultramontanis conciliatio.

§ 4. *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.*

Ultimum aggredimur caput conciliationis Gallicanorum cum Ultramontanis, dicturi de *Libertatibus* Ecclesiæ Gallicanæ. Nihil fortè est quod Gallicanis acriùs exprobraverint extranei theologi quàm obstinatum animum conservandis tuendisque suis privilegiis, suis, ut aiunt, libertatibus, contra ipsam sedem Apostolicam; multis visum est quòd dùm illi speculativè agnoscunt ac venerantur Ecclesiam Romanam ut matrem et magistram omnium aliarum Ecclesiarum, reipsà tamen se ab illâ *independentes volunt, schismatis principium* foventes in sinu Galliarum. Hæc, suo more, multùm exaggeravit schola Menesianorum, ut videre est in *Memoriali catholico* passim et in aliis scriptis quæ prodierunt ultimis hisce temporibus. Non possumus quin indignanter feramus ab his neotericis et ab extraneis inuri notam schismatis clero quem Benedictus XIV æquior judex laudavit ut *Apostolicæ sedi obsequentissimum et sacrorum canonum religiosissimum custodem* (de Synodo diœcesanâ, lib. 9, cap. 2, n. 4); verùm cùm hæc tam falsa et injuriosa æstimatio cleri Gallicani orta sit maximè ex confusione idearum et abusu rerum quæ sæpiùs in præsenti materiâ contigit, omninò necessarium est discernere veras, germanas libertates Ecclesiæ Gallicanæ, à principiis heterodoxorum, qui sub inani prætextu Gallicanismi, seculo penè elapso, evertere conati sunt fundamenta auctoritatis ecclesiasticæ, et Ecclesiam naturali suâ independentiâ privatam, submittere potestati laicali. Hos novatores regiæ auctoritatis adulatores et Romanis Pontificibus infensos, confutavit vir apud nos doctrinâ conspicuus, Pey, in opere inscripto : *De l'autorité des deux puissances*, 3 vol. in-8°. De iisdem suo tempore Fleury ipse conquerebatur, veluti injuriosis erga sanctam sedem et Ecclesiæ subversoribus. « Tous ceux qui traitent « de ces matières, inquit, et particulièrement « les laïques, devraient penser qu'ils n'en par« lent qu'en qualité de Chrétiens, et considé« rer de bonne foi s'ils n'en parlent que par « principe de religion... Si l'on examine sur « ces maximes les auteurs du Palais, et princi« palement Dumoulin, on y verra beaucoup « de passion et d'injustice, peu de sincérité « et d'équité, moins encore de charité et d'hu« milité. » *Nouveaux opuscules de Fleury*, art. *Libertés gallicanes*, p. 186, 187 (1).

(1) Idem Fleury, in oratione de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, n. 23, hæc habet : « Mais « il faut dire la vérité : ce ne sont pas seule« ment les étrangers et les partisans de la cour

Injuriosum certè est in clerum Gallicanum, sua placita confundere cum pravis systematibus quæ constanter respuit, et libertates Gallicanas easdem reputare quas ipse tuetur et quas laici magistratus et minimi theologi prætenderunt. Quando in lucem prodierunt tractatus de Juribus et Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ..., argumenta in favorem libertatum, e. g., *Preuves des libertés de l'Eglise Gallicane,* auctore Dupuy, præsules tunc Parisiis adunati, anno 1639, hæc censurâ confixerunt veluti fœdata falsis atque hæreticis principiis. « Nusquàm, aiebant in epistolis ad suos collegas « in episcopatu directis, fidei christianæ, Ecclesiæ catholicæ, ecclesiasticæ disciplinæ, « nocentioribus dogmatibus quisquam aversatus est, quàm his quæ istis voluminibus sub « tam leni titulo recluduntur... Compilator « ille multis pessimis bona quædam immiscuit, et inter falsas et hæreticas, quas detestamur, Ecclesiæ Gallicanæ adscriptas servitutes potiùs quàm libertates, vera quædam « et legitima privilegia exposuit. » (Vide Bossuetium Defens. Declar. lib. 11, cap. 20, et alibi passim.) Fleury, *nouveaux opuscules*, p. 183, eodem sensu dixit hæc omnibus nota : « Si quelque étranger zélé pour les droits de « l'Eglise et peu disposé à flatter les puissances séculières, voulait faire un traité des « servitudes de l'Eglise Gallicane, il ne manquerait pas de matière, et il ne lui serait pas « difficile de faire passer pour telles les appellations comme d'abus, » etc. Tandem addemus, ad manifestandum magis ac magis, quàm clerus Gallicanus semper abhorruerit à sensu horum magistratuum quæ scribebat Bossuetius ad card. d'Estrées, occasione orationis de Unitate Ecclesiæ, habitæ in comitiis anni 1682 : « Je fus indispensablement obligé « à parler des libertés de l'Eglise Gallicane » et je me proposai deux choses : l'une de le « faire sans aucune diminution de la véritable « grandeur du Saint-Siége ; l'autre, de les expliquer de la manière dont les entendent les « évêques, et non pas de la manière que les « entendent les magistrats. (*Lettres diverses,* lettre 91[e] au card. d'Estrées.)

Aliæ sunt igitur libertates Gallicanæ, in sensu cleri et omnium verè orthodoxorum, aliæ autem in sensu jurisperitorum plurium, qui falsas sibi opiniones efformârunt de auctoritate Ecclesiæ. Nos alienissimi à privilegiis et prætensis juribus quæ nos separarent à filiali obedientiâ quam profitemur erga matrem Romanam Ecclesiam, et vincula firmissimæ connexionis possent disrumpere, unum tantùm conamur conciliare, germanas Ecclesiæ Gallicanæ libertates cum principio hujus unitatis, sicque Gallicanos cum Ultramontanis, ut non semel monuimus.

Multa hìc supponimus quæ disseruit Regnier in tractatu de Ecclesiâ, circa præsentem materiam, eadem quippe revocare supervacuum; vide t. 4 Cursûs Theol. col. 1099 ad 1111. Quæstio in scholis agitanda non est de commodis vel incommodis disciplinæ Gallicanæ; sub eo respectu unusquisque in suo sensu abundet; sed agitur solummodò de collatione systematis seu principiorum quibus reponuntur libertates Ecclesiæ Gallicanæ, cum principiis necessariis de supremâ sedis Apostolicæ auctoritate in Ecclesiam universalem; si enim hæc principia non sibi invicem adversentur, sed simul integra servari possint, jam cessat tota disputationis causa, et facilis evenit utriusque scholæ conciliatio. Hoc nunc expendemus, præmissâ brevi expositione libertatum de quibus controversia movetur.

Auctores nostri observant nullam esse legem quæ in specie determinaverit in quo sitæ sint libertates Gallicanæ, et hæc fuit causa et origo multorum abusuum et difficultatum ; verùm deduci potest ex doctrinâ satis communiter receptâ, fundamentum commune harum libertatum, esse (præter independentiam regum in ordine temporali) reponendum in quodam jure quod prætendit Ecclesia Gallicana, inhærendi canonibus, præsertim antiquis, et consuetudinibus ad statum Ecclesiarum particularium accommodatis, legitimoque usu advectis et firmatis, simul et consequenter in jure repudiandi seu non acceptandi mandata extraordinaria quæ naturalem epi-

« de Rome qui ont affaibli la vigueur de l'ancienne discipline, et diminué nos libertés; « *les Français, les gens du roi, ceux-là même qui « ont fait sonner le plus haut ce nom de libertés, « y ont donné de rudes atteintes, en poussant les « droits du roi jusqu'à l'excès;* en quoi l'injustice de Dumoulin est insupportable. Quand « il s'agit de censurer le pape, il ne parle que « des anciens canons ; quand il est question « des droits du roi, aucun usage n'est nouveau « ni abusif; et lui, et les jurisconsultes qui ont « suivi ses maximes, inclinaient à celles des « hérétiques modernes, et auraient volontiers « soumis la puissance même spirituelle de « l'Eglise à la temporelle du prince. Cependant ces droits exhorbitants du roi et des « juges laïques, ses officiers, ont été un des « motifs qui ont empêché la réception du concile de Trente. »

scoporum jurisdictionem læderent, et novella jura quæ cùm necessaria non sint ad fidei unitatem et morum reformationem, ordinem consuetudinibus invectum immutarent; ita rem intelligunt plerique theologi et canonistæ, Bossuetius, Fleury, Domat, d'Héricourt, Collator Andegavensis, Regnier, etc., quorum testimonia referre, brevitatis causâ, omittemus. Præcipua consectaria quæ ex principio generali procedunt, et efformant libertates, ad ea puncta reducit Fleury (illius verba referre juvat, omissis tamen nonnullis capitibus quæ causas beneficiales spectabant, et non habent in ordine præsenti applicationem) : « Voici « donc à quoi se réduisent nos libertés effectives : 1° à n'avoir point reçu le tribunal de « l'inquisition, ou plutôt à l'avoir aboli... 2° Les « clercs ordonnés à Rome de l'autorité du Pape « sans démission de leur évêque, ne sont reçus « en France à aucune fonction. (Id est, nullum « jus habent ad exercendum officium clericale « nisi episcopus velit eos promovere.) 3° Nous « ne recevons les nouvelles bulles qu'après « qu'elles ont été examinées, comme il a été « dit. 4° Nous ne recevons pas toutes sortes « de dispenses, comme celles qui seraient « contre les louables coutumes et les statuts « autorisés des églises. 5° Les sujets du roi ne « peuvent être tirés du royaume, sous pré- « textes de citations, appellations ou autres « procédures. 6° Le nonce du pape n'a aucune « jurisdiction en France. 7° La jurisdiction « du légat est limitée, comme il a été dit. » N° 20 has limitationes sic exponit : « Le « pape ne peut en envoyer en France qu'à « la prière du roi, au moins de son consente- « ment; étant arrivé, il promet avec serment « et par écrit, de n'user de ses facultés que... « conformément à nos usages... Il ne peut sub- « déléguer personne pour l'exercice de sa « légation, sans le consentement exprès du roi. « 8° On a aboli en France les franchises ou « asiles des églises et monastères. » Si quædam ex articulis citatis et aliis omissis circa beneficia, videantur parùm consona cum principiis de potestate jurisdictionis quam Galli admittunt in Rom. Pontifice, non omninò abnuit Fleury, sed putat hæc saltem firmari consuetudinibus non damnatis ab Ecclesiâ. « Il est impossible, quand on veut rai- « sonner juste, d'accorder ces usages si diffé- « rents avec nos maximes sur la puissance « des papes et sur l'autorité des conciles uni- « versels....... Mais il ne s'en suit pas qu'il « faille abandonner nos principes... Il faut les « conserver, et ne tenir pas moins chères le peu « de pratiques que nous avons conservées en « conséquence de ces principes. Quant à celles « qui ne s'y accordent pas, elles ne laissent « pas d'être légitimes, *étant fondées en cou- « tumes notoires et reçues depuis long-temps au « vu et au su de toute l'Eglise.* » (*Discours sur les Libertés de l'Eglise gallicane,* n° 25.)

Ultima hæc verba viam aperiunt solutionis, sed ut plenior detur, res erit sub vario respectu consideranda, et attendendum ad ea quæ theologi omnes, tùm Gallicani, tùm Ultramontani admittunt : Gallicani fateri debent et reipsà implicitè saltem agnoscunt omnes, 1° Rom. Pontificem posse recedere ob ordine consueto, si exigat Ecclesiarum necessitas; 2° virtute ejusdem auctoritatis posse etiam, urgente gravi necessitate, libertates, seu privilegia et consuetudines Ecclesiarum mutare, tollere, partim vel ex integro abolere; 3° tandem privilegia quæ eximerent à jure communi inducto aut inducendo, fundari tacito consensu Ecclesiæ Romanæ. Ex alterâ parte Ultramontanis admittendum erit, 1° jus quoddam naturale esse Ecclesiis nationalibus inhærendi suis consuetudinibus quæ in illarum utilitatem firmatæ sunt, et non periculosæ evaserint mutatione circumstantiarum; 2° easdem Ecclesias posse suspendere observationem legum sive à conciliis, sive à sede Apostolicâ promulgatarum, et quæ suam propriam disciplinam immutarent, quoadusque S. Pontifex hanc observationem urgeat; 3° hanc suspensionem esse præsertim licitam, si non possent executioni demandare hæc novella jura, sine gravi perturbationis et dissidiorum periculo... Hæc tria puncta si utrinque admittantur, integrum certè remanet principium unitatis, sua servatur Ecclesiæ Romanæ auctoritas, et libertates Gallicanæ non obstante incommodo cui fortè obnoxiæ sunt, nihil tamen habent schismaticum, nihil quod extraneos offendere debeat; ea proindè sigillatim percurramus.

1° Gallicani, stando suis placitis, absque ullâ cunctatione profitentur ea quæ modò asserebamus. Primò, dicent S. Pontificem posse recedere ab ordine in Galliis consueto in exercitio sui primatûs jurisdictionis, si urgens exigat necessitas. « Le gouvernement de l'E- « glise n'est pas un empire despotique, ait « Fleury, mais une conduite paternelle et cha- « ritable, où l'autorité du chef ne paraît pas, « tant que les inférieurs font leur devoir

« mais elle éclate pour les y faire rentrer, *et « s'élève au-dessus de tout pour maintenir les « règles.* » (Discours sur les Libertés de l'Eglise Gall. n° 20.) Ratio in aperto est; eam suggerit doctrina catholica : nullum jus, nulla consuetudo prævalere debet contra ordinem divinitùs institutum, et impedire quin Ecclesia quam Christus instituit aliarum Ecclesiarum matrem et magistram, suam in eas sollicitudinem extendat, exerceat jurisdictionem prout temporum necessitas postulaverit; porrò, si summus Pontifex non posset recedere ab ordine in Galliis consueto, in exercitio jurium, quando urget necessitas, pessumdaretur divina ordinatio, pastorale ministerium omni virtute vacuum maneret. Supponamus, exempli causâ, clerum Gallicanum prolapsum in eum statum qui promptam reformationem exigat, vel regnare in Galliis principem Ecclesiæ offensum, qui decreta sanctiora tum fidem, tum disciplinam spectantia promulgari formis consuetis, impediat ; quis dicet, nisi prorsùs ignarus hierarchiæ christianæ, in eo rerum statu, sanctiones pontificias, leges, decreta à summo pastore lata, nullam vim obligatoriam habere usquedùm vel clerus ipse ultrò consentiat observationi decretorum qui suos abusus reformant, vel princeps voluerit ab impiâ suâ obstinatione recedere ? Hæc certè non aliâ indigent discussione, et manifestum est, nunquàm Gallicanos voluisse sub obtentu suarum libertatum, cohibere exercitium supremæ jurisdictionis cui subduntur, sicut alii Christi fideles; ergo S. Pontifex potest recedere ab ordine consuetudinibus inducto, v. g., urgere legum observationem, quamvis promulgatæ non fuerint formis assuetis, legatos mittere qui suum officium exerceant, aut alio modo quo voluerit et expedire existimaverit, providere urgenti Ecclesiarum necessitati, vel, ut verbis citatis Fleury utamur, illius potestas summa est et supereminens, ad tuendam fidem et procurandam juris observationem.

Ratio eadem necessitatis et divinæ ordinationis Gallos inducit ad agnoscendum quòd summus Pontifex, præter casus particulares quibus ab ordine consueto recedit, possit insuper ipsas consuetudines, ipsa privilegia immutare, partim vel omninò abolere, licet rarissimè occurrant tales necessitates. *Concedimus*, ait Bossuetius, *in jure ecclesiastico Papam nihil non posse, cùm id necessitas postulârit.* (Defens. Declar. lib. 11, cap. 20). Evenire re quidem verâ potest tantam rerum immutationem, ut statuta quæ olim salubriter fuerant instituta, sint maximè periculosa, imò causam gravis ruinæ foveant; quapropter necesse foret ad providendum Ecclesiarum conservationi, ut esset aliqua potestas Ecclesiis privatis superior, quæ vim habeat eas tuendi ; hujusmodi potestatem nullam præstò esse præter primatum successorum Petri, tenet fides catholica, cùm non recurri possit ad medium conciliorum generalium, quæ rarò ac magnâ difficultate adunantur ; ergo, modò illæsum servetur jus divinum, et de solo ecclesiastico jure agatur, nihil non poterit S. Pontifex, cùm postulârit necessitas. Exemplum memoratu dignum habemus hujus exercitii potestatis pontificalis in celebri Concordatu quem ultimis temporibus Pius VII iniit cum Napoleone. Eâ occasione, anno 1808, hæc sapienter observabat D. Emery in editione opusculorum Fleury; illius verba transcribimus : « Nous avons absolument besoin de ce principe, quand il s'agit « de défendre le Concordat de 1801, et de « faire regarder comme légitimes tous les « changements qui ont été faits à cette époque « dans l'Eglise de France; car il est très-vrai « que ce que nous appelons nos libertés y « répugnait absolument, et qu'elles ont été « ouvertement violées dans leurs articles prin« cipaux, et ceux même que nous regardons « avec justice comme étant les mieux fondés. « Par un seul acte, tous les évêchés ont été « supprimés, ceux même dont l'établissement « était aussi ancien que le christianisme dans « les Gaules; d'autres ont été créés, sans aucun « égard aux anciennes limites. Tous les évêques « de l'Eglise Gallicane ont été dépouillés de « leurs évêchés, sans aucun délit de leur part, « sans aucune forme de procès. Il est vrai « qu'on a commencé par demander leur dé« mission, et que plusieurs l'ont accordée; « mais cette démission même a-t-elle été, de « la part de tous ces derniers, bien constam« ment et bien pleinement volontaire, puis« qu'en la demandant, on donnait clairement « à entendre que, si elle était refusée, on « n'irait pas moins en avant ? Tous les cha« pitres, toutes les abbayes, tous les prieurés, « tous les bénéfices, toutes les fondations « sans distinction et sans exception, ont été « anéantis ; tous les biens ecclésiastiques ont « été irrévocablement cédés, » etc.

« On ose dire que les papes qui ont porté le « plus loin leur autorité, et en général, tous « les papes, n'ont point fait dans la suite des

« siècles, de changements, de coups d'autorité « aussi grands, aussi importants que ceux « qui ont été faits en un moment par Pie VII. « Nous croyons son opération très-légitime : « il est bien nécessaire de le croire; autre- « ment, combien faudrait-il reconnaître au- « jourd'hui dans l'Eglise de France, d'évêques « sans titre, et de ministres sans pouvoir! « Mais cette opération ne peut être légitime, « qu'autant que le Pape avait l'autorité, le droit « de la faire; et pour établir qu'il avait cette « autorité, il est nécessaire de dire, avec M. « Fleury, que, dans certaines circonstances, « *son autorité est souveraine et s'élève au-dessus* « *de tout.* » (Nouveaux opuscules de Fleury, préface, p. 41-43.)

Tandem Gallicani suas consuetudines, in quantum recedunt à jure communi, vel obstant introducendo juri novo quod aliis ecclesiis proponitur, firmandas censent consensu saltem tacito sedis Apostolicæ. Istud ultimum principium clerus Gallicanus apertè exprimit in articulo tertio famosæ Declarationis anni 1682. Sic habet articulus ille qui refertur ad *libertates :* « Valere regulas, mores et instituta « à regno et Ecclesiâ Gallicanâ recepta, Pa- « trumque terminos manere inconcussos; at- « que id pertinere ad amplitudinem sedis Apo- « stolicæ, *ut statuta et consuetudines tantæ sedis* « *et Ecclesiarum consensione firmata*, propriam « stabilitatem obtineant. » Hæc ultima interpretando, Bossuetius animadvertebat Gallicanos præsules non quæcumque inducta à magistratibus probare, sed ea tantùm quæ Apostolicæ sedis consensione firmata erant. (Defens. Decl. l. 11, c. 20.) Hæc valent quidem quoad nonnulla capita veteris juris communis quæ olim Ecclesiarum et inprimis sedis Apostolicæ auctoritas sanciverat, et quibus constanter adhæsit Ecclesia Gallicana, dùm aliis in regnis mutarentur per introductionem juris novi; sed non levis occurrit difficultas quoad alia puncta disciplinæ Gallicanæ, de quibus nihil statutum reperitur olim, et quæ relata vidimus inter nostras libertates : v. g., consuetudo se eximendi ab observatione legis novæ omnibus Ecclesiis propositæ, nisi promulgata sit in Galliis formâ assuetâ. Hæc et alia hujusmodi nec sedes Apostolica, nec Ecclesia universalis, suâ consensione sancivit!... Deest quidem consensus formalis, sed in favorem harum consuetudinum Gallicani invocare possunt consensum tacitum, qualis est consensus legislatoris, qui non contradicendo firmat invictas consuetudines; hùc veniunt verba citata Fleury : *Elles ne laissent pas d'être légitimes, étant fondées en coutumes notoires au vu et au su de toute l'Eglise.* De his infra erit disserendi locus; in præsenti sufficit probare Gallicanos non existimare quòd valere possint suæ consuetudines independenter à consensu Ecclesiæ Romanæ. Tanta est necessitas hujus dependentiæ, ut negari non possit quin subverterentur dogmata fidei, et Gallicani sua abjurarent principia : enimverò licet imbuti persuasione quòd concilium œcumenicum et Ecclesia universalis auctoritate prævaleat Romano Pontifici, putent illum non jus habere legem imponendi Ecclesiæ catholicæ collectivè sumptæ, credunt nihilominùs, eumdem Pontificem habere veram et propriam jurisdictionem atque potestatem legislativam in omnes diœceses, in omnes Ecclesias nationales seorsim consideratas, hunc primatum inter dogmata fidei ponunt; atqui illa potestas necessariò supponit ex parte subditorum necessitatem obtemperandi, acceptandi et observandi decreta ab eâ jurisdictione prolata; ergo Ecclesia Gallicana non secùs ac cæteræ Ecclesiæ, non retinet sua privilegia quæ aberrarent à jure communi, nisi consensu præsumpto sedis Apostolicæ, sint illi sartæ tectæ suæ libertates, quousque conciliabuntur cum universalis Ecclesiæ bono; verùm non de eâ re supremum sibi judicium reservet, nec in eam incidat hæreticam existimationem, illas obstinatè tuendi contra summum pastorem qui suum retraheret consensum!... Quàm semper alienus fuerit clerus Gallicanus ab eâ schismaticâ obstinatione, seu independentiæ præsumptione, manifestè probant gesta seculo decimo sexto, occasione receptionis concilii Tridentini. Habita sùnt tunc temporis concilia in plerisque Galliarum provinciis, ad acceptandum decreta Tridentina; cùm autem nonnulla ex illis decretis adversari viderentur consuetudinibus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quid præsules sanxerunt? In majori parte provinciarum, acceptatio fuit simplex, absoluta, nullâ adjectâ exceptione in favorem harum libertatum; in aliis legitur facta reservatio, sed cum eo moderamine, quòd invocaretur auctoritas sedis Apostolicæ ad firmandas eas exemptiones : « Protestando validitatem privilegiorum no- « strorum et exemptionum *nobis firmam fore* « *auctoritate sedis Apostolicæ,* si sanctissimus « dominus noster Papa, nostris rationibus « exhibitis, det seu interpretationem, seu

« moderationem decretis concilii Tridentini. » Hæc fuit formula reservationis quandoque adhibita. Eodem sensu, anno 1605, clerus à rege expostulans publicationem concilii, aiebat : « Concile duquel nous espérons la pu« blication, sans préjudice des immunités et « exemptions concédées aux chapitres et com« munautés par les SS. Papes, dont sa Sainteté « sera suppliée. » Et anno 1615, in libello quod obtulit Ludovico XIII, legitur eamdem sollicitatam fuisse publicationem, « sans préjudice, « toutefois, des libertés de l'Eglise Gallicane, « priviléges et exemptions des chapitres et « communautés; pour lesquels priviléges, li« bertés et exemptions, sa Sainteté sera sup« pliée à ce qu'elles soient réservées et demeu« rent dans leur entier. » (Vid. Concilia Galliæ edita à P. Odesdun, p. 625; *Collection des procès-verbaux des assemblées,* t. 2, année 1615; *Pièces justificatives.*) Muzarelly utitur his monumentis ad probandum nunquàm eam fuisse mentem cleri Gallicani, quòd voluerit propriâ auctoritate excipere à jure communi suas libertates. (Vid. de auctoritate Rom. Pontif. procemium, pag. 21 ad 33). Eadem jure et meritò invocamus ad confirmandum assertum nostrum. Sic concludimus explanationem principiorum quæ à Gallicanis admitti debent, et reipsà admittunt viri doctiores et moderati, qui eâ de re scripserunt.

2° Ultramontani, rati his principiis sufficienter servari unitatem, et integram manere auctoritatem Romani Pontificis, non diffitebuntur quin Ecclesiæ privatæ, præsertim majores, ut puta nationales, jus quoddam naturale habeant inhærendi suis consuetudinibus et privilegiis, quæ ad illarum utilitatem longo usu firmata et nationis moribus insita nullum aliunde supponuntur periculum grave abusûs procreare. Hæc fuit in totâ retrò traditione mens Ecclesiæ, ut laudabiles consuetudines servarentur, et generatim sancitum videmus in synodo Nicænâ, quæ canone 6 voluit ut *antiqua consuetudo servetur.* Sedes Apostolica, nedùm adversetur observantiæ harum consuetudinum et juribus quæ inde oriuntur Ecclesiis particularibus, è contra suâ auctoritate firmat ac tuetur, ut non semel ostensum fuit à scriptoribus ecclesiasticis; notissima sunt hæc verba Gregorii Magni : « Sicut nostra defendi« mus, ita singulis quibuscumque Ecclesiis jura « servamus... Absit à me ut statuta majorum « consacerdotibus meis in quâlibet Ecclesiâ « infringam, quia mihi injuriam facio, si fra« trum meorum jura perturbo » (1). Lib. 2, epist. 48-52, tom. 2, col. 611-618. Hujusmodi multa occurrunt in decretalibus summ. Pontificum. (Vid. Regnier, tract. de Ecclesiâ, in Theologiæ Cursu, t. 4, col. 1103-1104; Bossuet, Defens. Declarat. lib. 2, cap. 3, 12, 13.) Nunquàm eorum mens fuit, arbitrariâ voluntate dominari Ecclesiis privatis, et illarum privilegia confundere; quinimò scimus illos tantâ benignitate usos in regimine Ecclesiarum, ut identidem revocaverint quæ inscii determinaverant in detrimentum privilegiorum, et summâ benevolentiâ excepisse reclamationes episcoporum qui ad suam sedem confugiebant, jura propria tuendi ratione. Quòd si aliquorum agendi ratio correpta fuit, ut evenit in causis S. Hilarii Pictaviensis, S. Mamerti Viennensis, S. Ignatii Constantinopolitani, hoc exinde provenit, quòd erraverint, fictitia jura prosequendo, et ultra fas in suo sensu obfirmati perstare visi fuerint. Sic sanctus Ignatius patriarcha Constantinopolitanus unà cum vicariis Orientalium patriarcharum, definiit in concilio Bulgariam debere suæ sedi subesse, et reclamantibus frustra legatis Ecclesiæ Romanæ, ipse propriâ auctoritate Bulgaris constituit episcopum, quemdam Theophilactum. Summi

(1) Quâ œconomiâ sancta sedes vel toleraverit, vel etiam commendaverit diversam Ecclesiarum disciplinam, ubique monumenta traditionis testantur. Unum aut alterum sub oculis lectorum liceat objicere. Sanctus Augustinus, Anglorum Apostolus, consuluerat Gregorium Magnum cur cùm una sit fides, sint tam diversæ Ecclesiarum consuetudines. Hocce responsum à S. Pontifice accepit : « Novit fra« ternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudi« nem, in quâ se meminit nutritum; sed mihi « placet ut sive in Romanâ, sive in Galliarum, « sive in quâlibet Ecclesiâ aliquid invenisti quod « plus omnipotenti Deo placere possit, sollicitè « eligas... Non enim pro locis res, sed pro rebus « loca nobis sunt amanda : ex singulis ergo « Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa sunt, elige. » Extat apud Gratianum, distinct. 12, can. 10. Leo IX, missis legatis ad Michaelem Cerularium, patriarcham Constantinopolitanum, ad eum hæc scribebat : « Ecce in hâc parte Ec« clesia Romana quantò discretior, moderatior, « et clementior vobis est; siquidem cùm intra « et extra Romam plurima Græcorum monaste« ria reperiantur, sive Ecclesiæ, nullus eorum « perturbatur vel prohibetur à paternâ tradi« tione, sive à suâ consuetudine, quin potiùs « suadetur atque admonetur eam observare. « Scit namque Romana Ecclesia quia nihil « obsunt saluti credentium diversæ pro loco « et tempore consuetudines, quando una fides « per dilectionem operans bona quæ potest, « uni Deo commendat omnes. » (Concil. Labbei t. 11, col. 1336.)

Pontifices adversùs hoc factum apostolico zelo insurrexerunt, et Joannes VIII Ignatium arguit tanquàm violatorem decretorum Patrum. Hæc historici dùm narrant, S. Ignatii resistentiam excusant, quòd et jura Ecclesiæ suæ defendere tenebatur, et ipse in eâ opinione erat, Bulgariam consuetudine vel veteribus sanctionibus ad suam sedem, non verò ad Ecclesiam Romanam pertinere. Benedictus XIV, in libro de Synodo diœcesanâ, ubi datâ occasione hæc dissidia inter quosdam eximiæ sanctitatis præsules et sedis Apostolicæ Pontifices, refert, eos simili motivo à graviori deliquio immunes existimat, quia, inquit, « eorum quilibet, pro « certo habuit, tam solidas rationes suæ causæ « favere, ut eam omni studio tueri licitè pos« set; » addit tamen cum iisdem historicis quos supra memorabam, his præsulibus illud vitio vertisse quòd præter fas aliquâ pertinaciâ restiterunt apostolicis decretis. (De synodo lib. 9, cap. 8, n. 5, 6, 7, 8, 9.) Abstinemus ab aliis probationibus adducendis, in confirmandâ thesi quam omnes admittere arbitramur, nimirùm Ecclesias jus habere suas consuetudines, sua jura servandi, modò non intervenerit mutatio circumstantiarum quæ illa noxia reddat, et illa tueantur cum justo moderamine debitâque erga sanctam sedem reverentiâ (1).

Hæc nos ad aliud ducunt, in quo gravior est difficultas, nimirùm Ecclesias nationales (quando ea est consuetudo locorum) posse suspendere promulgationem et observationem legum quæ feruntur sive à conciliis sive à Romano Pontifice, et quæ suam propriam disciplinam immutarent, vel novellas institutiones sibi non necessarias inducerent, quousque sancta sedes harum legum observationem urgeat. Nescimus an theologi formaliter admittant hoc principium, vel illud ex professo expenderint; attamen arbitramur, hoc esse ab illis admittendum, et fluere ex doctrinâ scholarum circa vim consuetudinum, legum promulgationem, etc.

Sola terminorum expositio indicat hìc agi non indiscriminatim de omni legum genere, sed solummodò de lege merè disciplinari, quæ nullam habeat necessariam connexionem cum fide aut regulis morum, sed variabilis esse possit, salvo Religionis honore, in diversis Ecclesiis; insuper supponimus Ecclesias privatas non abstinere ab acceptandâ illâ lege quâcumque ex causâ, pro arbitrio, sed ob grave motivum, quale foret inutilitas legis propositæ, attento rerum statu in his locis, periculum perturbandæ pacis harum Ecclesiarum, jus consuetudine inductum, vel alia hujusmodi; nisi his considerationibus tenerentur præsules qui Ecclesiis præsunt, deberent procul dubio et absque ullâ cunctatione admittere leges prolatas à sede Apostolicâ, et illis obsequium præstare, cùm subditi auctoritati successorum Petri Pontificem pro tempore existentem venerari debeant ut patrem ac legislatorem sibi cæterisque omnibus Ecclesiis præpositum. Tandem in nostro principio declaramus, legem pontificiam obligatoriam fore, si rebus perpensis, cognito locorum statu, et non obstantibus consuetudinibus vel privilegiis, Papa urgeret illius acceptationem et obligationem. Hæc, quamvis in asserto insinuata, explicare tamen disertis verbis debuimus, ne daretur locus ambagibus, et Ultramontani principium admittere recusarent.

Sic expositam et explicatam assertionem paucis probamus, argumenta sumendo extra placita scholæ sive Gallicanæ, sive Transalpinæ: Vel episcopi qui Ecclesiis majoribus præsunt abstinent ab acceptando decreto apostolico usquedùm consuluerint sedem Apostolicam, vel abstinent inconsultâ eâdem sede, quasi lex illos non spectaret..... In priori casu nulla est difficultas; nam, ut observat Benedictus XIV, disciplina varia est pro locorum et temporum ratione, et fieri potest ut aliqua constitutio, licet plerisque orbis christiani diœcesibus utilis, alicui tamen provinciæ minùs opportuna dignoscatur; id cùm compertum non fuerit legislatori, qui peculiares res omnes locorum perspectas habere nequit,

(1) Benedictus XIV, loco supra citato, refert exemplum hujus observantiæ in sedem Apostolicam, è vitâ sancti Caroli Mediolanensis archiepiscopi. Cæterùm, quando non obstabat jus Ecclesiæ Romanæ, illustrissimus præsul, disciplinæ veteris custos, summâ curâ invigilabat ne consuetudinibus et juribus suæ sedis derogaretur, ut satis ostendit in decreto de Recitatione breviarii. Ægrè ferens quòd clerici recitarent aliud breviarium, vel etiam Romanum, dùm Ecclesia Mediolanensis jure gaudebat servandi breviarium Ambrosianum, præcepit omnibus clericis et regularibus, qui jure, consuetudine, etc., Ambrosiano more divina officia obire debebant, ut ad hujus breviarii præscriptum horas canonicas exsolverent, tam publicè quàm privatim, declarando eum qui secùs faceret, obnoxium fore pœnis à jure latis. Decretum illud tulit eo motivo quòd officii Ambrosiani rationem et formam *antiquissimam* esse constabat, et ipse omni conatu curare debebat *ut prisca suæ Ecclesiæ instituta veteresque ritus retineantur et conserventur.* (Acta Ecclesiæ Mediol. t. 1, part. 2; Synod. diœces. 2.)

episcopus intelligens legem in suâ provinciâ noxium effectum producere posse, non solùm non prohibetur suas rationes legislatori, seu Romano Pontifici exhibere, quin potiùs ad id omninò tenetur, ut docent omnes. (De Synodo diœcesanâ, lib. 9, cap. 8, n. 3.) In secundo casu, hæc non acceptatio legis, positis conditionibus ut supra, legitima est, si fundetur constanti consuetudine, quæ nec decretis conciliorum, nec decretis pontificum fuerit damnata. Decreta disciplinæ, cùm pendeant ab arbitrio legislatoris, subditos non obligant nisi dependenter à positivâ illius voluntate; atqui meritò præsumimus in circumstantiis de quibus nunc agitur, voluntatem hujus superioris non esse ut sua decreta obligent provincias in quibus præsules abstinendum ab illorum promulgatione expediens reputaverunt. Quòd prudenter præsumatur ille consensus superioris, multa suadent, nimirùm moderamen regiminis ecclesiastici, agendi ratio pontificum, ipsamet consuetudo, quæ supponitur in Ecclesiis majoribus introducta. 1° Moderamen regiminis Ecclesiæ. Quando summi pontifices canones disciplinares constituunt, illos profectò eâ mente condunt, ut prosint Ecclesiis secundùm locorum utilitates, adeòque cum istâ conditione tacitè semper annexâ eos subditis imponunt, si modò salva sit pax Ecclesiarum, et nationis moribus temporumque conditioni attemperentur (1), unde si Ecclesiæ nationales, scilicet corpus episcoporum iisdem Ecclesiis divinâ ordinatione præpositorum, ex speciali quam habent utilitatum et incommodorum pro tempore, loco et personis cognitione, judicent propositos canones disciplinares recipi non posse quin agitentur antiqui mores, aut sine ratione utilitatis consuetudines immutentur, prudenter existimabitur summum Pontificem consentire, ut dicti canones executioni non mandentur. Benedictus XIV, agens de legibus quæ à populo nunquàm recipiuntur, dicit peccare non recipientes, sed tandem illas leges desinere obligare, quoniam præsumitur nolle legislatorem, cum maximo animarum detrimento, suæ legis vinculo irretitam diù tenere communitatem quæ nunquàm passa est se eo constringi (2). Hæc observatio deducta ex regulis æquitatis et charitatis, quibus moderatur regimen ecclesiasticum apprimè convenit materiæ præsenti, cum hoc discrimine tamen, quòd non peccent episcopi qui ab acceptandâ lege abstinent, quia hanc non repellunt ullo contemptu sedis Apostolicæ, aut independentiam prætendentes, sed vel ad majus bonum Ecclesiarum, ne decreto disciplinæ variabilis non satis opportuno ac circumstantiis localibus attemperato exagitentur, vel vi consuetudinis quæ hanc agendi rationem sibi permittit. 2° Illa consuetudo non perperàm invocatur: nam etsi, generatim loquendo, Ecclesiæ particulares non debeant sibi arrogare libertatem determinandi, nullâ relatione factâ ad sedem Apostolicam, nec expectatâ ejus sententiâ an conveniens sit supersedere executioni decretorum, aut illa modificari, tamen nihil obstat quin illud eis liceat, si ita ferat consuetudo, et non reclamet S. Pontifex. Ea est vis consuetudinis jure canonico et civili, ut jura inducat, immutet, disciplinam informet, modò sit constans, à superiore non reprobata, et juri divino aut naturali minimè adversa; porrò nunc supponimus in Ecclesiis nationalibus eam vigere more veteri firmatam consuetudinem, vi cujus possint, ad servanda sua propria instituta, supersedere executioni mandatorum, non consultâ sanctâ sede, quando illa decreta episcopis videntur minùs opportuna; hujusmodi consuetudo eatenùs solùm adversaretur juri divino, quatenùs oriretur à præsumptione independentiæ ac rebellione in Pontificem Romanum. Si autem illæ Ecclesiæ paratæ sint ad obtemperandum, casu quo Pontifex urgeret, et aliundè suis privilegiis non inhæreant nisi quia existimant inniti consensu tacito sedis Apostolicæ, jam non est cur consuetudo dicatur læsiva juris divini. 3° Nostra ratiocinatio confirmatur agendi ratione summorum pontificum erga Ecclesiam Gallicanam. Neminem latet priscam esse in Galliis consuetudinem, non habendi, generatim loquendo, ut obligatorias, constitutiones pontificias, vel etiam conciliorum leges, nisi formis quibusdam assuetis fuerint acceptatæ et promulgatæ, et supersedendi huic acceptationi, quando adversantur illa decreta privilegiis, juribus, seu libertatibus Gallicanis (1). Ex illâ disciplinâ venit quòd episcopi nostri dent suis diœcesibus breviaria propria, quòd generatim non teneamur decretis con-

(1) Vide Delort, Instit. discipl. eccles., t. 1, p. 125.
(2) De Synodo diœcesanâ, lib. 13, cap. 5, n. 3.

(1) Vid. Gibert, Corp. jur. can. t. 1, p. 179; d'Héricourt, *Lois ecclésiastiques*, p. 279, et alios passim canonistas Gallos.

gregationum Romanarum, ut congregationis *Indicis, Rituum,* etc. (Illa decreta omnes venerantur veluti prolata à viris prudentissimis quos summus Pontifex advocavit in partem sollicitudinis, et quibus divina Providentia speciali auxilio præest pro gravitate curarum quæ illis demandantur, sed non ea habent in Galliis pro statutis obligatoriis.) Constitutiones enim quibus præscriptum fuit recitandi horas canonicas ad normam breviarii Romani, quibus institutæ fuerunt variæ illæ congregationes, in Galliis nunquàm promulgatæ nec acceptatæ fuerunt; alias nonnullas exceptiones sat gravis momenti citare possemus, sed omnibus notæ sunt, et allata exempla ad propositum sufficiunt... Hæc certè nec exteros qui eâ de causâ querelas non semel moverunt in Gallicanos, nec sedem Apostolicam latent; attamen ea fuit agendi ratio SS. Pontificum ut nunquàm decreto authentico condemnaverint supradictam disciplinam, vel ab episcopis virtute obedientiæ sibi debitæ, exegerint ut ab eâ recederent; nec dicatur summos illos Pontifices hanc disciplinam, licet ratione suî pravam, non proscripsisse, ob vitandum majus malum. Talis solutio injuriam inferret tum sedi Apostolicæ, tum præclarissimæ Ecclesiæ Galliarum. Injuriosa est Ecclesiæ Galliarum, quæ arguitur rea fovendi in suo sinu systema disciplinare vitio schismatis infectum, dùm suorum præsulum pietate ac doctrinâ semper in orbe christiano floruerit; nec minùs probrosum foret sedi Apostolicæ, quòd præclaris laudibus toties extulerit clerum Gallicanum, veluti moribus, sanctitate ac disciplinâ ornatissimum, veluti Ecclesiæ Romanæ *obsequentissimum* et *sacrorum canonum religiosissimum observatorem* (verba sunt Benedicti XIV alibi relata), dùm supponitur eumdem clerum inhærere institutis quibus disrumperetur nervus disciplinæ ecclesiasticæ, à quorum condemnatione Ecclesiam non abstinet nisi ob præcavendum gravius malum. Potiore jure dicemus, Ecclesiam Romanam, pro eâ œconomiâ quâ constanter usa est erga majores Ecclesias, consentire ut hæc consuetudo in Galliis servetur, quæ, etsi minùs opportunâ ratione suî judicari possit, attamen nihil habet adversum necessariæ dependentiæ quâ omnes subdi debent cathedræ Petri. Eodem et majori moderamine usa est et etiam nunc utitur erga Ecclesias Orientales, quibus permittit suam disciplinam sequi, quamvis sub multiplici respectu à jure communi ecclesiastico alienam.

Hìc gradum sistimus, nec fusiùs disserendum arbitramur de casu quo Ecclesia nationalis non posset morem gerere alicui legi disciplinari regimen externum spectanti, quin graves sibi concitaret perturbationes ex parte gubernii temporalis; tunc enim nisi aut periclitetur fides, aut vindicandum sit principium obedientiæ erga sanctam sedem, impio conatu principum impetitum, manifestum est voluntatem Pontificis non esse ut lex executioni mandetur. Sic multa olim apud nos viguêre vel etiam adhuc vigent, quæ potiùs toleramus ac patimur quàm probamus; sed graviora nos manerent incommoda, si vellemus apertâ fronte his reluctari; quapropter, modò fides et principia in tuto serventur, Ecclesia hæc sustinet, feliciora tempora præstolans, quibus licebit majori cum libertate et independentiâ suam instaurare disciplinam.

Explanatis principiis quæ ad præsentem materiam pertinent, hoc nobis in concludendo grande solatium est, quòd fidenti animo profiteri possimus, Ecclesiam Gallicanam, eo modo suas libertates intelligere, qui nullum afferat detrimentum unitati catholicæ vel obedientiæ quam pro religione sacratissimâ semper duxit præstandam sedi Apostolicæ. Principia hæc si eâ quâ par est attentione considerentur, facilis erit conciliatio Gallicanorum cum Ultramontanis, imò nulla erit, nî fallor, dissidiorum causa, non magis quàm cum aliis gentibus catholicis, Hispanis, Belgis, Germanis (ne quid de Orientalibus dicam), qui omnes ferè sua etiam habent jura propria, suas consuetudines quas Gallicani *libertates* appellant; nec enim de nomine decertandum. Sint pro coronide hæc verba illustrissimi præsulis, Spondani, continuatoris Annalium Baronii ad ann. 1639: *Nescit Ecclesia Gallicana libertates quæ malum operentur; nescit jura quæ illam à Romanæ Ecclesiæ matris suæ firmissimâ connexione et filiali obedientiâ divellant ac separent.*

Nota. Fortassis otiosum videbitur, disputâsse in præsenti rerum statu de libertatibus Gallicanis, cùm abrogatæ et extinctæ dicantur per constitutiones pontificias quæ prodierunt occasione Concordatûs anni 1801. Reverà, si quibusdam fides, omnia inter nos penitùs innovata sunt, adeò ut nec veteres consuetudines, nec prisca instituta liceat invocare. Si hæc sic se haberent, non multùm certè de amissione *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* anxii essemus; de plerisque diceremus quod Bossuetius de famosâ Declaratione cleri Gallicani:

Abeant quò libuerit; licet enim rectè possint exponi, nec ullum principium per se violent, nec unquàm fuerint damnatæ à sanctâ sede, attamen non ignoramus illas à SS. Pontificibus minùs probari, et identidem abusibus, sin causam, saltem occasionem et prætextum dare. Non ii igitur sumus, qui votis prosequeremur multas ex antiquis libertatibus, si reapsè abrogatæ fuissent; verùm errare nobis videntur qui ita sentiunt, et malè interpretari sensum constitutionum de quibus loquuntur. En textus bullæ, *Qui Christi Domini* : « Supprimimus, an« nullamus et perpetuò extinguimus titulum, « denominationem, totumque statum præsen« tem infra scriptarum Ecclesiarum archiepi« scopalium et episcopalium, unà cum respe« ctivis earum capitulis, juribus, privilegiis et « prærogativis cujusvis generis....., ita ut « omnes supra dicti archiepiscopatus et epi« scopatus... haberi debeant in posterum tan« quàm non ampliùs in primo statu existentes, « quia aut omnimodè extincti, aut in novam « formam erigendi. » Ex illâ constitutione nata est quæstio inter theologos, an omnia privilegia Ecclesiarum archiepiscopalium fuerint suppressa, an ea tantùm quæ obstitissent novo ordini constituendo, novæ sedium circumscriptioni; hanc controversiam movent theologi, præsertim in tract. de Legibus et de Matrimonio. (Vid. tractatum qui nuper prodiit, auctore D. Carrière, t. 2, n. 1096 et seq.) Quæcumque solutio detur, hæc controversia nostram quæstionem non attingit. Effectus constitutionis extendi non deberet ultra terminos quibus concipitur, nullâ id exigente necessitate. Porrò constitutio Pii VII supprimit sedes episcopales cum prærogativis suis sedibus affixas; neutiquàm verò, generalia statuta priscas consuetudines quibus universa Ecclesia Galliarum regebatur; de iis ne verbum quidem; hanc generalium statutorum suppressionem subintellectam non exigit natura rerum, seu finis constitutionis; prætérquàm enim quòd tanta derogatio debuisset exprimi more solito in tali materiâ, insuper manifestum est nihil eam importare ad determinationem sedium ac illarum novam circumscriptionem, de quo solùm agitur in bullâ.

Dicendum est proinde constitutionem, *Qui Christi Domini,* non omnes consuetudines, seu libertates Ecclesiæ Gallicanæ abrogâsse, sed eas tantùm quæ aut objectum non ampliùs habent, ut multas quæ versabantur circa materias beneficiales, aut quæ conciliari non possent cum novâ sedium episcopalium circumscriptione; hoc confirmat doctrina et praxis tum præsulum, tum virorum in theologiâ et jure canonico peritorum, qui nihil innovatum arbitrati quoad veteres libertates de quibus silet Concordatus et nulla prodiit nova constitutio, suorum prædecessorum vestigiis inhærent, multa sibi et aliis absque ullo scrupulo permittunt, quæ deviant à jure communi, et non nisi in veteribus Galliarum privilegiis suam rationem habent.

Et hæc ad nostrum intentum dicta sufficiant, in quibus propositum nobis duntaxat fuit, ut duas inter diversas opiniones mediam partem teneremus, quod utinam sæpiùs egissent nonnulli, præsertim inter Gallicanos, theologi! Cæterùm si quid præter animum ac conjecturas nobis fortè nimiâ charitate abreptis exciderit SS. Sedis majestati minùs congruum, illud pro non dicto haberi volumus, D. Hieronymi verba usurpantes : *Cathedræ Petri communione consocior.* Illud enim nobis statutum fuit semper, nos et quidquid aggredimur æterno potiùs obtegi silentio, quàm ne ullum quidem verbum enuntiare quod vel minimùm læderet reverentiam ardensque studium et amorem quibus summo Apostolorum principi toto corde et animo sumus addicti. Hæc nostra fides, hoc profitemur, beatum Petrum in successoribus vivere, docere, ac omnes Dei filios supremâ potestate regere et gubernare.

N.

DE MAISTRE VITA.

Tractatum de *Religione* cùm dedimus ad demonstrandum nostram tantùm esse veram, omnes verò alias esse falsas; cùm Græcos schismaticos ad unitatem, Protestantes ad veritatem et Catholicos ad mutuam inter se charitatem vocavimus, hæc omnia quodam modo tantùm speculativa coronare decet aliquo quod ad praxim attineat argumento, vanam scilicet eruere opinionem quâ assertum est nefandam esse viro probo religionis mutatio-

nem, et omnes in quocumque cultu posse salvari. Quâ de re duas celebres clarissimi de Maistre epistolas hûc vocamus, ut practico modo concludant operosas discussiones in quatuor primis voluminibus inclusas.

De Maistre (Josephus) in aulâ Pedemontii publicæ rei administrator necnon et politicus religiosusque scriptor, Camberiaci natus est nobili familiâ, primo die aprilis anno 1753. Studiorum curriculum multo honore emensus, juvenis adhuc magistratum iniit anno 1775. Maturiùs aliquot opuscula politica typis mandavit in quibus progressum demonstrabat quorumdam principiorum, quæ luendam rerum Gallicarum perturbationem erant paritura. Ad senatoriam dignitatem anno 1787 evectus est, sed anno 1793 invasione Gallici exercitûs in Sabaudiam patriâ emigrare coactus, Pedemontium petiit, fugientemque regem suum in Sardiniam fideliter secutus est. Anno 1803 Sancti Petri Vici aulam adiit cum summâ potestate legatus. Ex hâc legatione in patriam redux, novas dignitates à rege illustrior accepit, et his insignitus morti succubuit anno 1821, philosophi christiani insigne mundo præbens exemplum.

Ex numerosis operibus quibus religionem et litteras illustravit, hæc sequentia tantùm citabimus : *Considérations sur la France,* opus multoties editum, Parisiis verò corrigente auctore impressum an. 1821, in-8° ; *Essai sur le principe générateur des constitutions politiques et des autres institutions humaines*, Parisiis, 1821, in-8° ; *Du Pape*, 1821, ibid., 2 vol. in-8° ; *De l'Eglise Gallicane dans ses rapports avec le souverain Pontife*, ibid., 1821, in-8° ; *Soirées de Saint-Pétersbourg, ou Entretiens,* etc., ibid., 1821, 2 vol. in-8°.

A UNE DAME PROTESTANTE,

Sur la maxime qu'un honnête homme ne change jamais de religion.

Madame,

Vous exigez que je vous adresse mon opinion sur la maxime si fort à la mode, *qu'un honnête homme ne change jamais de religion.* Vous me trouverez toujours disposé, Madame, à vous donner des preuves d'une déférence sans bornes, et je m'empresserai d'autant plus à vous obéir dans cette occasion, que, si je ne me trompe infiniment, il ne reste plus entre vous et la vérité que ce vain fantôme d'honneur qu'il est bien important de faire disparaître.

Il m'eût été bien plus doux de vous entretenir de vive voix ; mais la Providence ne l'a point voulu. Je vous écrirai donc, puisque nous sommes séparés pour très long-temps, peut-être même pour toujours ; et j'ai le ferme espoir que cette lettre produira, sur un esprit aussi bien fait que le vôtre, tout l'effet que j'en attends.

La question ne saurait être plus importante, car, si nul honnête homme ne doit changer de religion, il n'y a plus de question sur la religion. Il est inutile et même ridicule de s'informer de quel côté se trouve la vérité. Tout le monde a raison ou tout le monde a tort, comme il vous plaira ; c'est une pure affaire de police dont il ne vaut pas la peine de s'occuper.

Mais pesez bien, je vous en supplie, l'alternative suivante : pour que tout honnête homme soit obligé de conserver sa religion, quelle qu'elle soit, il faut nécessairement *que toutes les religions soient vraies, ou que toutes les religions soient fausses.* Or, de ces deux propositions, la première ne peut se trouver que dans la bouche d'un insensé, et la seconde dans celle d'un impie. Ainsi je suis bien dispensé, avec une personne telle que vous, d'examiner la question dans son rapport avec l'une ou l'autre de ces deux suppositions ; et je dois me restreindre à une troisième, je veux dire à celle qui admet une religion vraie et rejette toutes les autres comme fausses.

Je le dois d'autant plus, que c'est précisément de cette supposition que l'on part pour prétendre que chacun doit garder la sienne. En effet, le latin dit qu'il a raison, le grec dit qu'il a raison, le protestant dit qu'il a raison : entre eux qui sera le juge ? Ma réponse serait bien simple, si c'était là l'état de la question.

Je dirais : c'est Dieu qui sera le juge; c'est Dieu qui examinera si l'homme ne s'est point trompé lui-même ; s'il a étudié la question avec toute l'attention dont il est capable, et surtout s'il ne s'est point laissé aveugler par l'orgueil; *car il n'y aura point de grâce pour l'orgueil.*

Mais ce n'est point du tout de quoi il s'agit; on change l'état de la question pour l'embrouiller. Il ne s'agit nullement de savoir ce qui arrivera d'un homme qui se croit de bonne foi dans le chemin de la vérité, quoiqu'il soit réellement dans celui de l'erreur; encore une fois, Dieu le jugera, et il est bien singulier que nous ayons tant de peur que Dieu ne sache pas rendre justice à tout le monde. Il s'agit, et il s'agit uniquement de savoir *ce que doit faire l'homme qui professe une religion quelconque, et qui voit clairement la vérité ailleurs?* Voilà la question ; et il n'y a ni raison, ni bonne foi à la changer pour en examiner une toute différente, puisque nous sommes tous d'accord qu'un homme qui change de religion sans conviction est un lâche et même un scélérat.

Cela posé, quel téméraire osera dire que l'homme à qui la vérité devient manifeste doit s'obstiner à la repousser? Il n'y a rien de si terrible que l'empire d'une fausse maxime une fois établie sur quelque préjugé qui nous est cher; à force de passer de bouche en bouche, elle devient une sorte d'oracle qui subjugue les meilleurs esprits. De ce nombre est celle que j'examine dans ce moment : c'est le coussin que l'erreur a imaginé pour reposer sa tête et dormir à l'aise.

La vérité n'est pas, quoi qu'on en dise, si difficile à connaître. Chacun, sans doute, est maître de dire *non*, mais la conscience est infaillible, et son aiguillon ne saurait être écarté ni émoussé. Que fait-on donc pour se mettre à l'aise, et pour contenter à la fois la paresse qui ne veut point examiner, et l'orgueil qui ne veut point se dédire? On invente la maxime *qu'un homme d'honneur ne change point de religion* : et là-dessus on se tranquillise, sans vouloir s'apercevoir, ce qui est cependant de la plus grande évidence, que ce bel adage est tout à la fois une absurdité et un blasphème.

Une absurdité : car que peut-on imaginer de plus extravagant, de plus contraire à la nature d'un être intelligent, que la profession de foi expresse et antérieure de repousser la vérité si elle se présente? On enverrait à l'hôpital des fous celui qui prendrait un tel engagement dans les sciences humaines; mais quel nom donner à celui qui le prend à l'égard des vérités divines?

Un blasphème : car c'est absolument et au pied de la lettre la même chose que si l'on disait formellement à Dieu : « Je me moque de « ce que vous dites ; révélez ce qu'il vous « plaira ; je suis né juif, mahométan, idolâ« tre, etc., je m'y tiens. Ma règle sur ce point « est le degré de longitude et de latitude. Vous « pouvez avoir ordonné le contraire, mais peu « m'importe. »

Vous riez, Madame; mais il n'y a ici ni exagération ni rhétorique, c'est la vérité toute pure ; jugez-en vous-même dans le calme de la réflexion.

En vérité, il s'agit bien d'un vain point d'honneur et d'un engagement d'orgueil dans une matière qui intéresse la conscience et le salut.

Mais je ne prétends pas en demeurer là, et j'ai la prétention de vous montrer que l'honneur même, tel que nous le concevons dans le monde, ne s'oppose nullement au changement de religion ; pour cela remontons aux principes.

Il y a aujourd'hui mille huit cent neuf ans (1) qu'il y a toujours eu dans le monde une Église catholique, qui a toujours cru ce qu'elle croit. Vos docteurs vous auront dit mille fois que nous avions innové ; mais prenez garde d'abord que si nous avions réellement innové, il serait assez singulier qu'il fallût publier tant de gros livres pour le prouver (livres au reste réfutés sans réplique par nos écrivains.) Eh ! mon Dieu, pour prouver que vous avez varié, vous autres, qui n'existez cependant que d'hier, il ne faut pas se donner tant de peine. Un des meilleurs livres de l'un de nos plus grands hommes contient l'*histoire de vos variations*. Les professions de foi se sont succédé chez vous comme les feuilles se succèdent sur les arbres; et aujourd'hui on se ferait lapider en Allemagne, si l'on soutenait que la confession d'Ausbourg, qui était cependant l'Evangile du XVIe siècle, oblige les consciences.

Mais allons au devant de toutes les difficultés. Partons d'une époque antérieure à tous les schismes qui divisent aujourd'hui le monde. Au commencement du Xe siècle, il n'y avait qu'une foi en Europe. Considérez cette foi

(1) Ceci a été écrit en 1809.

comme un assemblage de dogmes positifs, l'unité de Dieu, la trinité, l'incarnation, la présence réelle; et, pour mettre plus de clarté dans nos idées, supposons qu'il y ait cinquante de ces dogmes positifs. Tous les Chrétiens croyaient donc alors cinquante dogmes. L'Église grecque ayant nié la procession du Saint-Esprit et la suprématie du pape, elle n'eut plus que quarante huit-points de croyance, par où vous voyez que nous croyons toujours tout ce qu'elle croit, quoiqu'elle nie deux choses que nous croyons. Vos sectes du xvie siècle poussèrent les choses beaucoup plus loin, et nièrent encore plusieurs autres dogmes; mais ceux qu'ils ont retenus nous sont communs. Enfin, *la religion catholique croit tout ce que les sectes croient;* ce point est incontestable.

Ces sectes, quelles qu'elles soient, ne sont donc point des religions, ce sont des *négations,* c'est-à-dire *rien* par elles mêmes, car dès qu'elles affirment elles sont catholiques.

Il suit de là une conséquence de la plus grande évidence : c'est que le catholique qui passe dans une secte APOSTASIE véritablement, parce qu'il change de croyance, et qu'il nie aujourd'hui ce qu'il croyait hier; mais que le sectaire qui passe dans l'Église n'abdique au contraire aucun dogme : il ne nie rien de ce qu'il croyait, il croit au contraire ce qu'il niait, ce qui est bien différent.

Dans toutes les sciences, il est honorable de faire des découvertes et d'apprendre des vérités qu'on ignorait. Par quelle singularité la science de la religion, la seule absolument nécessaire à l'homme, serait-elle exceptée? Le mahométan qui se fait chrétien passe d'une religion positive dans une autre du même genre. Il peut donc en coûter à son orgueil d'abdiquer des dogmes positifs, et de confesser que ce même Mahomet qu'il regardait comme un prophète envoyé de Dieu n'est cependant qu'un imposteur.

Il en est tout autrement de celui qui passe d'une secte chrétienne dans la mère Église. On ne lui demande pas de renoncer à aucun dogme, mais seulemeut d'avouer qu'outre les dogmes qu'il croit et que nous croyons tous comme lui, il en est d'autres qu'il ignorait, et qui, cependant, se trouvent vrais. Tout homme qui a de la raison, doit sentir l'immense différence de ces deux suppositions.

Maintenant, je vous prie d'arrêter votre esprit sur la considération suivante, qui est digne de toute votre attention. Pourquoi la maxime qu'*il ne faut jamais changer de religion* est-elle anathématisée par nous comme un blasphème extravagant? et pourquoi cette maxime est-elle canonisée comme un oracle de l'honneur dans tous les pays séparés? Je vous laisse le soin de répondre.

Voilà ce que j'avais à vous dire sur cette grande question. Je n'emploie, comme vous voyez, ni grec, ni latin : je n'invoque que le bon sens, qui parle si haut qu'il est impossible de lui résister. Pour peu que vous y réfléchissiez, vous ne pouvez pas douter que le catholique qui passe dans une secte est nécessairement un homme méprisable, mais que le Chrétien qui d'une secte quelconque repasse dans l'Église (s'il agit par conviction, cela s'entend assez) est un fort honnête homme, qui remplit un devoir sacré.

Permettez moi d'ajouter encore l'expérience à la théorie : nous avons dans notre Religion des listes (si nombreuses que nous en avons fait des livres) d'hommes éminents par leur dignité, leur rang, leurs lumières et leurs talents, qui, malgré tous les préjugés de secte et d'éducation, ont rendu hommage à la vérité en rentrant dans l'Église. Essayez, je vous prie, de faire une liste semblable de tous les hommes qui ont abjuré le catholicisme pour entrer dans une secte. Vous ne trouverez en général que des libertins, des mauvaises têtes, ou des hommes abjects. J'en appelle à vous-même, Madame; vous n'avez pas voulu confier vos enfants au moine défroqué qui arriva ici il y a quelque temps. Il ne s'agissait cependant que de leur apprendre la géographie et l'arithmétique, objets qui n'ont rien de commun avec la foi. Il faut que vous le méprisiez bien profondément; mais il ne dépend pas de vous de mépriser, par exemple, le comte de Stolberg, ou le prince abbé Gallitzin (1). Des gens qui n'ont pas votre franchise pourront les blâmer, parce que, encore une fois, on ne peut empêcher personne de dire *oui* ou *non;* mais j'en appelle de bon cœur à leur conscience.

La route étant aplanie, il ne s'agit plus que

(1) Si cette lettre eût été écrite de nos jours, l'auteur n'eût pas manqué de joindre ici le nom de M. de Haller à celui du comte de Stolberg. Ces deux hommes, également célèbres, ont eu l'un et l'autre plus d'un genre de sacrifice à faire pour retourner à la foi de leurs ancêtres. Depuis quelques années l'Église catholique a été consolée par le retour d'un grand nombre de ses enfants égarés; en France, en Angleterre, en Allemagne, les conversions sont presque journalières.

de marcher. Vous allez me demander : *Que faut-il faire?* Je ne veux rien brusquer, Madame ; vous savez combien je redoute les publicités inutiles ou dangereuses. Vous avez un époux, une famille et des biens. Un éclat de votre part compromettrait tout cela sans fruit ; je n'entends pas du tout presser ce point avec une rigueur théologique : mais il y a des moyens doux qui opèrent beaucoup et sans inconvénient. En premier lieu, si vous ne pouvez encore manifester la vérité, vous êtes tenue au moins de ne jamais la contredire. Que l'usage, le respect humain ou la politique, que l'orgueil national surtout ne vous arrachent jamais un mot contre elle. En second lieu, songez qu'une dame de votre caractère est une véritable souveraine dans son cercle. Ses enfants, ses amis, ses domestiques sont plus ou moins ses sujets ; agissez dans l'étendue de cet empire. Faites tomber autant qu'il est en vous les préjugés malheureux qui ont tant fait de mal au monde ; vos devoirs ne s'étendent pas au-delà de votre pouvoir. Pour le bien comme pour le mal, l'influence de votre sexe est immense ; et peut-être que, pour ramener l'orgueil qui s'obstine, il n'y a plus d'autre argument efficace que celui d'une épouse respectable dont les vertus reposent sur la foi.

Favorisez la lecture des bons livres qui vous ont amenée vous-même au point où vous êtes. Voltaire a dit : *Les livres ont tout fait.* Il n'avait que trop raison ; prenez-lui sa maxime, et tournez-la contre l'erreur.

Enfin, Madame, ceci est le principal ; mettez-vous en règle avec votre conscience, c'est-à-dire avec Dieu. La bonne foi ne périt jamais. Soumettez-vous parfaitement à la vérité ; tenez pour vrai tout ce qui est vrai, pour faux tout ce qui est faux ; désirez de tout votre cœur que l'empire de la vérité s'étende de jour en jour, et laissez dire tous ceux qui auront la prétention de vous deviner. Quand vous serez ainsi disposée, je vous dirai, comme Lusignan : *Allez, le ciel fera le reste.*

J'ai l'honneur d'être, etc., etc.

A UNE DAME RUSSE,

Sur la nature et les effets du schisme, et sur l'unité catholique.

La lettre à une dame protestante ayant été lue à une dame russe, sur qui elle fit beaucoup d'impression, cette dame demanda à l'auteur la permission de lui faire une question, et lui adressa bientôt le billet suivant.

MONSIEUR,

Si une religion ne diffère de l'autre que par deux points très-peu importants, il me semble qu'il n'y a point d'erreur, et que l'une est aussi bonne que l'autre ; il me semble même qu'il n'y a point de schisme, et que c'est la même religion professée en deux idiomes différents.

Je ne sais, Monsieur, si j'ai bien compris vos idées ; mais je vous soumets les miennes. Vous avez été assez bon pour me permettre de vous faire une question : si elle n'est point indiscrète, je réclame la promesse que vous m'avez faite, et j'attendrai votre réponse avec beaucoup d'impatience.

J'ai l'honneur d'être, etc.

Saint-Pétersbourg, 29 janvier (10 février) 1810.

Cette question produisit la lettre suivante :

MADAME,

En jetant les yeux sur la question que vous m'avez adressée le 29 janvier dernier, il est extrêmement flatteur pour moi de voir que l'écrit dont j'avais eu l'honneur de vous faire lecture a fait sur votre esprit tout l'effet que j'en attendais, puisque vous souscrivez pleinement, quoique tacitement, à la thèse soutenue dans cet écrit, où il s'agissait uniquement de prouver que la fameuse maxime, qu'un *honnête homme ne change jamais de religion,* est dans le fait un blasphème et une absurdité.

Vous souscrivez à cette proposition, mais vous me demandez, Madame, si deux religions (la latine et la grecque), ne différant que sur deux points très-peu importants, on ne peut pas dire qu'il n'y a réellement point de schisme, et que nous ne différons que par l'idiome.

Ceci particularise tout-à-fait la question ; je tiens pour accordée la thèse générale qu'un honnête homme doit changer de religion dès qu'il aperçoit la fausseté de la sienne et la vérité d'une autre ; toute la question se réduit donc à savoir si cette obligation tombe sur le grec comme sur tout autre dissident, et si la conscience ordonne dans tous les cas un changement public.

La distinction des dogmes plus ou moins importants n'est pas nouvelle ; elle se présente naturellement à tout esprit conciliant, tel que

le vôtre, Madame, qui voudrait réunir ce qui est divisé; ou à tout esprit alarmé, qui peut-être encore comme le vôtre, voudrait se tranquilliser; ou, enfin, à tout esprit arrogant et obstiné (bien différent du vôtre), qui a l'étrange prétention de choisir ses dogmes, et de se conduire d'après ses propres lumières.

Mais l'Église Mère, qui n'aime que les idées claires, a toujours répondu qu'elle savait fort bien ce que c'était qu'un dogme faux, mais que jamais elle ne comprendrait ce que c'était qu'un dogme important ou non important, parmi les dogmes vrais, c'est-à-dire révélés.

Si l'empereur de Russie ordonnait, par exemple, que tout homme voulant se rendre de l'amirauté au couvent Newski, serait obligé de tenir la gauche des arbres de la Perspective, sans jamais pouvoir passer, ni dans l'allée même, ni dans la partie droite de la rue, il pourrait sans doute se trouver une tête fausse qui dirait : C'est un ukase, je l'avoue, mais il n'est pas important; ainsi je puis bien marcher à droite. A quoi tout bon esprit répondrait : Mon ami, tu te trompes de deux façons. D'abord, comment sais-tu que cet ordre n'est pas important, et que l'empereur n'a pas eu, pour le publier, des raisons qu'il n'est pas obligé de te confier? (Observation pour le dire en passant, qui est péremptoire lorsqu'il s'agit d'une ordonnance divine.) D'ailleurs, s'il n'importe pas que l'on passe à droite ou à gauche de la Perspective, il importe infiniment que personne ne désobéisse à l'empereur, et surtout que personne ne mette en thèse qu'on a droit de désobéir, lorsque l'ordre n'est pas important; car chaque individu ayant le même droit, il n'y aura plus de gouvernement ni d'empire.

Je conviens donc, si vous voulez, qu'il importe peu avant la décision qu'on croie que le Saint-Esprit procède du Père et du Fils, ou du Père par le Fils; mais il importe infiniment qu'aucun particulier n'ait droit de dogmatiser de son chef, et qu'il soit obligé de se soumettre dès que l'autorité a parlé, autrement il n'y aurait plus d'unité ni d'Église.

Sous ce point de vue l'église grecque est aussi séparée de nous que l'église protestante; car si le gouvernement d'Astracan ou de Saratoff se sépare de l'unité, et qu'il ait la force de se soutenir dans son indépendance, il importe fort peu qu'il retienne la langue de l'empire, les usages de l'empire, plusieurs, ou même toutes les lois de l'empire; il ne sera pas moins étranger à l'empire russe, qui est l'unité politique, comme l'empire catholique est l'unité religieuse.

L'Église catholique ne met en avant aucune prétention extraordinaire. Elle ne demande que ce qui est accordé à toute association quelconque, depuis la plus petite corporation de village jusqu'au gouvernement du plus grand peuple. Que dix ou douze dames s'assemblent pour faire la charité ou visiter les malades, la première chose qu'elles feront sera de créer une prieure, et c'est encore une vérité à la portée de l'homme le plus borné, que plus la société est nombreuse, plus le gouvernement est nécessaire, et plus il doit être fort et unique, de manière que tout grand pays est nécessairement monarchique; pourquoi donc l'Église catholique (c'est-à-dire universelle), serait-elle exempte de cette loi générale ou naturelle? Son titre seul nécessite la monarchie, à moins qu'on ne veuille que, pour la moindre question de discipline, il faille consulter et même assembler les évêques de Rome, de Québec, de Moscou.

Aussi les paroles par lesquelles Dieu a établi la monarchie dans son Église sont si claires, que lui même n'a pu parler plus clairement.

S'il était permis de donner des degrés d'importance parmi des choses d'institution divine, je placerais la hiérarchie avant le dogme, tant elle est indispensable au maintien de la foi. On peut ici invoquer en faveur de la théorie une expérience lumineuse qui brille depuis trois siècles aux yeux de l'Europe entière. Je veux parler de l'Eglise anglicane, qui a conservé une dignité et une force absolument étrangères à toutes les autres églises réformées, uniquement parce que le bon sens anglais a conservé la hiérarchie, sur quoi, pour le dire en passant, on a adressé à cette église un argument que je crois sans réplique. Si vous croyez, lui a-t-on dit, la hiérarchie nécessaire pour maintenir l'unité dans l'Eglise anglicane, qui n'est qu'un point, comment ne le serait-elle pas pour maintenir l'unité dans l'Église universelle? Je ne crois pas qu'un Anglais puisse répondre rien qui satisfasse sa conscience.

Pour juger sainement du schisme, il faut l'examiner avant sa naissance; car dès qu'il est né, son père, qui est l'orgueil, ne veut plus convenir de l'illégitimité de son fils.

Supposons le christianisme établi dans tout l'univers, sans aucune forme d'administration, et qu'il s'agisse de lui en donner une; que

diraient les hommes sages chargés de ce grand œuvre ? Ils diraient tous de même, soit qu'ils fussent deux ou cent mille. C'est un gouvernement comme un autre, il faut le remettre à tous, à quelques-uns, ou à un seul. La première forme est impossible ; il faut donc nous décider entre les deux dernières, et si l'on s'accordait tous pour une monarchie tempérée par les lois fondamentales, et par les coutumes avec des états-généraux pour les grandes occasions, composée d'un souverain qui serait le pape, d'une noblesse formée par le clergé épiscopal, et d'un tiers-état représenté par les docteurs et par les ministres du second ordre, il n'y a personne qui ne dût applaudir à ce plan. Or, c'est précisément celui qui s'est établi divinement par la seule force des choses, et qui a toujours existé dans l'Eglise, depuis le concile de Jérusalem, où Pierre prit la parole avant tous ses collègues, jusqu'à celui de Constantinople, en 869, où la dernière acclamation fut à la mémoire éternelle du pape Nicolas, jusqu'à celui de Trente, où les Pères, avant de se séparer, s'écrièrent de même : Salut et longues années au très-saint père, au souverain pontife, à l'évêque universel.

Or, dès qu'un gouvernement est établi, c'est une maxime aussi vraie et plus évidente qu'un théorème mathématique, non-seulement que nul particulier, mais encore que nulle section de l'empire n'a droit de s'élever contre l'empire même, qui est un et qui est tout.

Si quelqu'un demandait, en Angleterre, ce qu'il faudrait penser d'une province qui refuserait de se soumettre à un bill du parlement sanctionné par le roi, tout le monde éclaterait de rire. On dirait par acclamation : Où donc est le doute ? la province serait révoltée ; il faudrait publier la loi martiale, et y envoyer des soldats ou des bourreaux.

Mais la révolte n'est que le schisme politique, comme le schisme n'est qu'une révolte religieuse ; et l'excommunication qu'on inflige au schismatique n'est que le dernier supplice spirituel, comme le dernier supplice matériel n'est que l'excommunication politique, c'est-à-dire l'acte par lequel on met un révolté hors de la communauté qu'il a voulu dissoudre (*excommunié*).

On raisonne souvent sur et même contre l'infaillibilité de l'Eglise, sans faire attention que tout gouvernement est infaillible, ou doit être tenu pour tel.

Lorsque Luther criait si haut dans l'Allemagne : Je demande seulement qu'on me dise de bonnes raisons, que l'on me convainque, et je me soumettrai ; et lorsque des princes même applaudissaient à cette belle prétention, non-seulement Luther était un révolté, mais de plus il était un sot, car jamais le souverain n'est obligé de rendre raison à son sujet, ou bien toute société est dissoute.

La seule mais bien importante différence qu'il y ait entre la société civile et la société religieuse, c'est que, dans la première, le souverain peut se tromper, de manière que l'infaillibilité qu'on lui accorde n'est qu'une supposition (qui a cependant toutes les forces de la réalité) ; au lieu que le gouvernement spirituel est nécessairement infaillible au pied de la lettre. Car Dieu n'ayant pas voulu confier le gouvernement de son Eglise à des élus d'un ordre supérieur, s'il n'avait pas donné l'infaillibilité aux hommes qui la gouvernent, il n'aurait rien fait ; il aurait fait moins que ce que font les hommes pour perpétuer leurs chétives institutions. Or, tous les chrétiens partent du principe que l'institution est divine. Comme elle ne peut manifestement durer que par l'infaillibilité, soutenir que son gouvernement a pu se tromper, c'est très-évidemment soutenir qu'elle est divine et qu'elle ne l'est pas.

Que disait votre Photius dans la fameuse protestation qu'il écrivit au 9e siècle, contre la décision du concile de Constantinople ?

« Nous ne connaissons ni Rome, ni Antioche, ni Jérusalem, ni tous les autres juges, quand ils jugent comme ils font en cette assemblée contre le droit de l'équité, contre la raison naturelle et contre les lois de l'Eglise ; nous ne connaissons d'autre autorité que ces lois. »

Que disaient les législateurs calvinistes de l'Angleterre, au XVIe siècle ?

« L'Eglise de Jérusalem s'est trompée, celle d'Antioche s'est trompée, celle d'Alexandrie s'est trompée, et celle de Rome s'est trompée même dans les matières de foi ; les conciles généraux ont erré de même ; il n'y a donc de véritable règle que la parole de Dieu. »

Vous voyez, Madame, que le schisme est toujours le même ; il peut bien changer de langue, mais jamais de langage.

Et, pour sentir la beauté de son raisonnement, transportez-le dans l'ordre politique ; imaginez des hommes qui disent : Nous ne connaissons ni juges, ni magistrats, ni tribunaux d'aucune

espèce, tant qu'ils jugent, comme ils le font souvent, contre les lois de l'empire ; nous ne connaissons d'autres juges que ces lois. La police s'est trompée, les siéges se sont trompés, le sénat s'est trompé, le Plenum même s'est trompé : il n'y a donc de véritable règle que la parole du législateur. Nous avons un code ; dans toutes les discussions possibles, il suffit de l'ouvrir pour savoir qui a tort ou raison, sans recourir à des juges ignorants, passionnés et faibles comme nous.

Nul homme de bonne foi ne contestera la rigoureuse justesse de cette comparaison.

Ainsi donc le schisme heurte de front les principes les plus evidents de la logique : il est contraire aux lois fondamentales de tout gouvernement, et ridiculement inexcusable.

Il est bien vrai que, lorsqu'il est consommé, il devient juste et raisonnable aux yeux du révolté. Ah ! je le crois ; quand est-ce qu'on a entendu la révolte dire qu'elle a tort ? C'est une contradiction dans les termes ; car du moment où elle dirait : J'ai tort, elle ne serait plus révolte.

N'a-t-on pas vu Photius s'adresser au pape Nicolas I[er], en 869, pour faire confirmer son élection, l'empereur Michel demander à ce même pape des légats pour réformer l'Eglise de Constantinople, et Photius lui-même tâcher encore, après la mort d'Ignace, de séduire Jean VIII, pour en obtenir la confirmation qui lui manquait ?

N'a-t-on pas vu le clergé de Constantinople, en corps, recourir au pape Etienne, en 886, reconnaître solennellement sa suprématie, et lui demander conjointement avec l'empereur Léon, une dispense pour le patriarche Etienne, frère de l'empereur, ordonné par un schismatique ?

N'a-t-on pas vu l'empereur romain Lécapène, qui avait créé son fils Théophile patriarche, à l'âge de seize ans, recourir, en 933, au pape Jean XI, pour en obtenir les dispenses nécessaires, et lui demander le pallium pour l'Eglise de Constantinople, une fois pour toutes, sans que chaque patriarche fût obligé de le demander à son tour ?

N'a-t-on pas vu l'empereur Basile envoyer encore des ambassadeurs, en 1019, au pape, pour en obtenir le titre de patriarche œcuménique à l'égard de tout l'Orient, comme le pape en jouissait sur toute la terre ?

Etranges contradictions de l'esprit humain ! Les Grecs reconnaissaient sa souveraineté en lui demandant des grâces ; puis ils se séparaient d'elle parce qu'elle leur résistait ; c'était la reconnaître en l'abdiquant.

Et prenez bien garde, Madame, qu'en rejetant cette souveraineté, ils n'ont pas osé l'attribuer à d'autres, pas même à leur propre église, si fière et si dominatrice ; de manière que toutes les églises sont demeurées *acéphales*, comme dit l'école, c'est-à-dire sans aucun chef commun qui puisse exercer sur elles une juridiction supérieure pour les maintenir dans l'unité, tant la suprématie du pape était incontestable.

Il résulte de ce beau système, qu'on veut bien un empire de Russie, mais point d'empereur de Russie ; ce qui est tout-à-fait ingénieux.

Plus d'une fois, Madame, il vous sera arrivé comme à moi d'entendre dire dans la société, avec une gravité digne de la plus profonde compassion, que ce n'est point l'église grecque qui s'est séparée de la latine, mais bien celle-ci qui s'est séparée de l'autre.

Autant vaut dire précisément que Paugatchoff ne se révolta point contre Catherine II, mais qu'au contraire Catherine se révolta contre Paugatchoff.

Qu'on accumule toutes les raisons alléguées pour justifier le schisme des Grecs, l'orgueil de l'Eglise romaine, les abus, les innovations, le despotisme, etc., je donne le défi solennel à toute l'église grecque en corps de m'en citer une seule que je ne tourne sur-le-champ, avec une précision mathématique, contre Catherine II, en faveur de Paugatchoff.

C'en est assez, Madame, si je ne me trompe, pour vous faire comprendre la ridicule fausseté du principe sur lequel repose le schisme, il me reste une tâche encore plus importante, c'est de vous en faire apercevoir les suites funestes que vous êtes bien éloignée de connaître dans toute leur étendue, comme je le vois par la question que vous m'avez fait l'honneur de m'adresser.

On ne juge un poison que par ses effets ; la vésicule qui recèle le venin de la vipère est fort petite, et le canal qui le verse dans la plaie à travers la dent est presque imperceptible sans la lentille du microscope ; cependant la mort y passe commodément. Le monde moral est plein, comme le monde physique, de ces passages imperceptibles par où le mal s'élance dans le domaine de Dieu, qui est celui de l'ordre ; alors l'orgueil a beau crier : Il

n'y a point de mal, tout va bien. Laissons dire l'orgueil, et voyons les choses sans passion. Pour connaître toute l'étendue du désordre, il faut d'abord connaître toute l'excellence de l'ordre qu'il a détruit.

Si vous comparez en masse toutes les églises séparées avec l'Eglise-Mère, vous serez frappée de la différence : celle-ci se distingue par trois grands caractères qui sautent aux yeux les moins attentifs, *la persuasion, l'autorité et la fécondité.*

1° La persuasion. La devise éternelle de l'Eglise est le mot du Prophète : « J'ai cru, c'est pourquoi j'ai parlé ; » sûre d'elle-même, jamais on ne l'a vue balancer : le doute, comme l'a fort bien dit notre célèbre Huet, n'habite point la cité de Dieu ; et l'on peut faire sur ce point une observation de la plus grande importance, c'est que, dans les communions séparées, ce sont précisement les cœurs les plus droits qui éprouvent le doute et l'inquiétude, tandis que, parmi nous, la foi est toujours en proportion directe de la moralité. Comme rien n'est si contagieux que la persuasion, l'enseignement catholique exerce une force prodigieuse sur l'esprit humain. Animé par sa conscience et par ses succès, le ministère ne dort jamais ; il ne cesse d'enseigner, et, je ne sais comment, son silence même prêche. Brûlant de l'esprit du prosélytisme, on le voit surtout enfanter certains livres extraordinaires qui n'ont rien de dogmatique, rien de contentieux, qui semblent n'appartenir qu'à la simple piété, mais qui sont pleins de je ne sais quel esprit inexplicable, qui pénètre dans le cœur et de là dans l'esprit, au point que ces livres opèrent plus d'effet que ce que les docteurs les plus savants ont produit de plus concluant dans le genre démonstratif.

2° L'autorité. A la fin du sermon sur la montagne (l'un des morceaux de l'Ecriture-Sainte où le sceau divin est le plus saillant), l'historien sacré ajoute ces mots remarquables : « Or le peuple était ravi de sa doctrine, car il n'enseignait pas comme ses docteurs, mais comme ayant la puissance. » Examinez la chose de près, madame, et vous verrez que ce divin législateur a transmis ce privilége (autant du moins que le souffre la nature humaine) au ministère qu'il a établi sur la terre.

Prenez place dans l'auditoire du plus humble curé de campagne ; si vous y avez apporté l'oreille de la conscience, vous sentirez à travers des formes simples, peut-être même grossières, que le ministre est à sa place, et qu'il parle comme ayant la puissance.

Ce caractère est encore un des mieux aperçus par la conscience universelle, qui est infaillible. De là vient que la religion catholique est la seule qui alarme les autres et qui ne soit jamais parfaitement tolérée. Il y a dans cette capitale (1) des prédicateurs arméniens, anglicans, luthériens et calvinistes bien plus contraires que nous à la foi du pays : qui jamais s'est embarrassé de ce qu'ils disent ? Il en est bien autrement des catholiques ; ils ne peuvent dire un mot, ni faire un pas qui ne soit le sujet d'un examen, d'une critique ou d'une précaution ; car toute religion fausse sait qu'elle n'a de véritable ennemie que la vraie.

3° La fécondité. Comment cette religion, qui est fille de Dieu, ne participerait-elle pas à la puissance créatrice ? Considérez-la depuis son établissement, jamais elle n'a cessé d'enfanter. Tantôt elle travaille à étendre ses limites ; aucune peine, aucun danger ne l'effraie ; elle fait chanter ses hymnes aux Iroquois et aux Japonais, et sans des entraves que lui jettent d'aveugles gouvernements, dont elle se venge en les déclarant sacrés, on ne sait où s'arrêteraient ses entreprises et ses succès : tantôt elle travaille sur elle-même, et s'enrichit chaque jour de nouveaux établissements tous dirigés à l'extension de la foi et à l'exercice de la charité.

En vous montrant les trois caractères de l'Eglise, j'ai dit ce qui manque aux communions séparées. Je m'arrêterai un instant sur ce point essentiel, en vous montrant d'abord ce qu'elles ont de commun.

La conscience est une lumière si profonde et si éclatante que l'orgueil même n'a pas la puissance de l'éteindre entièrement. Or, cette conscience enseigne à tous les hommes qu'il serait souverainement déraisonnable de s'arroger le droit de se séparer d'une Eglise quelconque, et de refuser ce même droit à un autre. Si le Grec a cru avoir de bonnes raisons pour méconnaître la suprématie de Rome dans le onzième siècle, de quel front condamnerait-il le protestant, qui a usé du même droit dans le seizième ? de quel front même condamnerait-il son propre frère qui refuserait de croire leur mère commune ? Ce sentiment seul frappe de mort toutes les églises séparées

(1) Saint-Pétersbourg.

ou ne leur laisse qu'une vaine apparence semblable à celle de ces arbres pourris qui ne vivent plus que par l'écorce. Elles se tolèrent mutuellement, à ce qu'elles disent: et pourquoi non ? dans le fond cependant ce beau nom de tolérance n'est qu'un synonyme honnête d'indifférence. Jamais, depuis leur séparation, il ne leur est arrivé de faire des conquêtes ; à peine ont-elles osé l'entreprendre, ou si elles l'ont fait, elles n'ont obtenu que des succès tout-à-fait insignifiants. Le ministère, dans ces églises, n'a pas l'autorité qui lui serait nécessaire pour annoncer la foi aux nations barbares, il n'a pas même celle dont il aurait besoin à l'égard de ses propres ouailles; et la raison en est simple, car, en s'examinant lui-même, il s'aperçoit, d'une manière plus ou moins claire, qu'il donne prise habituellement au genre de soupçon le plus avilissant, celui de la mauvaise foi dans l'enseignement.

En effet, dès qu'il n'y a point d'autorité infaillible pour tous les chrétiens, toute opinion se trouve renvoyée au jugement particulier.

Or, dans ce cas, quel garant le ministre de la religion a-t-il auprès de ceux qui l'écoutent pour leur certifier qu'il croit réellement ce qu'il enseigne, et quelle force d'ailleurs peut-il avoir auprès d'eux ? il sied mal à des révoltés de prêcher la soumission. Il se tait donc, ou il ne fait que balbutier. Bientôt il s'établit une défiance réciproque entre les enseignants et les enseignés. A la défiance succède le mépris, et insensiblement le ministère est repoussé dans les dernières classes de la société; il se tranquillise à la place où l'opinion l'a jeté, et les peuples ne tardent point à passer du mépris des docteurs au mépris de la doctrine.

Il peut y avoir dans ce genre des différences en plus ou en moins; mais le principe est incontestable; dès qu'il n'y a plus d'unité, il n'y a plus d'ensemble, et toute aggrégation se dissout. Il y a bien des églises, mais plus d'Eglise; il y a bien des évêques, mais plus d'épiscopat. Ces mots d'église orientale ou d'église grecque ne signifient rien du tout; il est faux que l'église de Russie appartienne à la grecque; où est le lien de la coordination ? Quelle juridiction le patriarche de Constantinople a-t-il sur le sacerdoce russe ? L'archevêque d'empire envoyé par l'empereur de Russie va prendre dans ce moment possession de l'archevêché de Moldavie; le siége de Constantinople ne s'en mêlera aucunement : si demain le sultan reprenait la Moldavie, il chasserait l'archevêque, et en introduirait un autre. Tous ces évêques ainsi indépendants d'une autorité commune, et étrangers les uns aux autres, tristes jouets de l'autorité temporelle qui leur commande comme à des soldats, tous ces évêques, dis-je, sentent fort bien dans leurs cœurs ce qu'ils sont, c'est-à-dire rien : et comment les estimerait-on plus qu'ils ne s'estiment eux-mêmes ?

Ainsi donc, Madame, plus de pape, plus de souveraineté ; plus de souveraineté, plus d'unité, plus d'autorité ; plus d'autorité, plus de foi : je parle en général, considérant seulement l'effet total et définitif. Voilà l'inévitable anathème qui pèse également sur toutes les églises séparées : par où vous voyez, Madame, ce qu'il en est de ces points de différence qui vous paraissent légers.

Mais je laisserais échapper la plus importante considération si je négligeais de vous laisser apercevoir un autre anathème particulier aux églises simplement schismatiques, et qui méritera toute votre attention. Il vaut bien mieux nier le mystère que d'en abuser : et sous ce point de vue vous êtes de beaucoup inférieurs aux protestants. Les sacrements étant la vie du christianisme et le lien sensible des deux mondes, partout où l'exercice de ces pratiques sacrées ne sera pas accompagné d'un enseignement pur, indépendant et vigoureux, il entraînera d'horribles abus, qui produiront à leur tour une véritable dégradation morale ; je ne veux point fouiller cet ulcère, ni même le découvrir entièrement; je me contente de l'indiquer.

Vous voyez, Madame, à quel point nous pouvons être considérés comme professant au fond la même religion ; et moi je crois que vous êtes catholique, précisément comme un citoyen de Philadelphie est Anglais. Je me félicite cependant de pouvoir terminer cette lettre par la réflexion la plus consolante pour vous et pour moi. Je me hâte de vous la présenter en peu de mots.

Je ne crois pas que, pour un esprit droit tel que le vôtre, il y ait beaucoup de difficulté sur la question principale : le doute et même l'inquiétude peuvent commencer à la question indiquée à la fin de la lettre qui a produit celle-ci : *Que faut-il faire ?* Or, sous ce point de vue, l'avantage du Grec sur le protestant est immense. Ce dernier ne saurait presque exercer son culte sans nier implicitement un dogme fondamental du christianisme : par exemple,

lorsqu'il reçoit la communion, il nie la présence réelle; de manière que s'il avait eu le bonheur de reconnaître la vérité, sa conscience devrait souffrir excessivement. Mais vous n'êtes pas dans le cas de vous reprocher aucune simulation. Vous croyez ce que nous croyons : c'est un acte que vous pouvez régulariser en y ajoutant le vœu sincère de manger ce pain à la table de saint Pierre. On pourrait imaginer un temps où la conscience se trouverait véritablement embarrassée, mais nous sommes loin de ces épreuves, et dans ce moment je ne puis que vous rappeler la fin de ma lettre à une dame protestante. La modestie, la réserve, et tout ce que nous appelons mesuré, étant les caractères distinctifs de votre sexe, il semble que certains partis extrêmes, certaines actions hardies et, pour ainsi dire, retentissantes, n'appartiennent guère qu'au nôtre. Les femmes ont suffisamment prouvé qu'elles savent être héroïnes quand il le faut, mais les occasions où elles doivent l'être sont heureusement très-rares; en général, le bruit n'est pas votre affaire, car vous ne pouvez pas trop vous donner en spectacle sans affaiblir une opinion dont vous avez besoin. Les devoirs, ainsi que les vérités ne peuvent jamais se trouver en opposition réelle; il y a entre eux une certaine subordination qui peut varier avec les circonstances. Quelquefois le martyre est un devoir, et quelquefois la simple confession est une faute : s'il est ordonné de braver la persécution, il est défendu de la provoquer. Enfin, Madame, on ne doit pas tout à l'autorité publique, rien n'est plus incontestable; mais il ne l'est pas moins qu'on lui doit quelque chose. Lorsque Naaman (4 *Rois, ch.* 5, v. 17, 19), général et favori du roi de Syrie, eut abjuré l'idolâtrie entre les mains du prophète Elisée, il lui dit :

« Jamais je ne sacrifierai à un autre Dieu « que le vôtre; mais il y a une chose pour la« quelle je vous supplie de le prier pour votre « serviteur. Lorsque le roi, mon seigneur, « entre dans le temple de Remmon pour ado« rer, en s'appuyant sur mon bras, si je m'in« cline, lorsqu'il s'inclinera lui-même, que le « Seigneur me le pardonne. » Le prophète lui répondit : *Allez en paix.*

Agréez, Madame, ces réflexions écrites très à la hâte. J'aurais voulu me resserrer davantage; mais croyez que j'ai bien le droit de vous adresser le mot si connu : *Je n'ai pas eu le temps d'être plus court.*

DEVOTI VITA.

Devoti (Joannes), præsul ac jurisconsultus Italus, natus Romæ anno 1744, vigesimo ætatis suæ anno juris canonici professor electus in collegio dicto *Sapientiæ,* anno 1789 Ananiensis episcopus, dehinc Carthaginensis archiepiscopus *in partibus,* insuper camerarius à secretis Pii VII pontificis, brevium ad principes secretarius, ac consultor congregationum *Immunitatis* et *Indicis,* inclytum apud omnes doctrinæ nomen reliquit, adeò ut ipsius opera Romæ et in toto fermè orbe catholico scholarum usu quotidiano versentur. Scripsit 1°: *De novissimis in jure legibus, Institutiones canonicas,* Romæ editas, 4 vol. in-8°, ac sæpiùs postea cum additionibus recusas; 2° *Jus canonicum universum,* 3 vol., quod quidem opus auctor morte impeditus Romæ anno 1820 perficere non potuit.

Brevia quidem selegimus ex Devoti Institutionibus canonicis, quæ ad hierarchiam spectant; quemadmodùm antea hæreseon, conciliorum, etc., materiam vix fermè ac summatim attigimus. Nobis verò propositum est hæc omnia longiùs tractare, cùm scilicet singula in *Cursibus* speciatim ad hoc reservatis expendemus; hæc tamen sufficere arbitramur, ne quid in nostro Ecclesiæ tractatu memorandum desideretur.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

TITULUS PRIMUS.

DE JURE PERSONARUM, DEQUE LAICIS ET CLERICIS GENERATIM.

Summa personarum divisio est, ut alii hominum laici, alii clerici sint. Qui divino cultui, et Ecclesiæ ministerio ab episcopo in eorum ordinatione, seu consecratione addicti sunt, clerici, reliqui fideles laici appellantur. Cleri dicuntur à Græco verbo κλῆρος, quod Latinè *sors* est, quoniam peculiari modo pertinent ad sortem, atque hæreditatem Domini; *laici* à Græco verbo λαὸς, quod Latinè populum significat, quoniam populum et plebem Ecclesiæ constituunt. Est et quoddam tertium genus personarum, quas ecclesiasticas vocamus, cujusmodi sunt monachi, ordinibus non initiati, moniales, et si qui sunt alii, qui quanquàm inter clericos relati non sint, fruuntur tamen privilegiis clericorum, ob peculiare vitæ genus, quod profitentur.

Spectant laici ad jus civile, ejusque legibus tanquàm reipublicæ cives subjiciuntur; sed ad Ecclesiam quoque pertinent, quia baptismo donati inter ejus filios cooptati sunt. Itaque in eos in rebus spiritualibus imperium exercet Ecclesia, iique gaudent bonis omnibus, quæ ex christianæ communionis vinculo proficiscuntur. Quinimò meritâ plectuntur pœnâ, et bonis privantur suis, si fidem deserant baptismo susceptam, seque conferant ad castra infidelium; si hæretici fiant, et sequantur errores ab Ecclesiâ damnatos, neque moniti resipiscant; si tanquàm schismatici Ecclesiæ, et ejus capiti Romano pontifici parere recusent; si ab Ecclesiæ sinu fuerint ejecti et excommunicati. In hos omnes Ecclesia suo utitur imperio et potestate, tanquàm extorres filios, et criminosos.

Qui inter Ecclesiæ filios recepti non sunt, ii nullo modo ad Ecclesiam pertinent, nisi fortè baptismum petierint, et fiant quasi candidati christianæ religionis, uti sunt ii quos cathecumenos appellamus. Hos rei christianæ elementa docet Ecclesia, tradit symbolum et signum crucis, instituit ad baptismi gratiam recipiendam. De laicis nonnisi pro re natâ et pro relatione, quam habent ad res sacras, agendum nobis est.

Omnis igitur sit tractatio de clericis, ex quibus efficitur hierarchia, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, quæque divinâ lege instituta est, ut haberet Ecclesia, qui ea præstarent quæ sunt ordinis, sive sacri ministerii, et quæ sunt regiminis, sive jurisdictionis. Quare universa clericorum potestas vel ad ordinem vel ad jurisdictionem pertinet, et alia est hierarchia, quæ ordinis, alia quæ jurisdictionis, seu regiminis appellatur. Singulos nos persequemur ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, atque omnem ordinis et juridictionis potestatem explicabimus. Sed antequàm de singulis dicere aggrediamur, noscenda sunt, quæ universos clericos generatim attingunt.

Principio soli clerici ecclesiasticam jurisdictionem habere possunt, sacrumque imperium, quo fruuntur erga illos, quos sibi jure subjectos habent. Hujus potestatis, quam spiritualem jurisdictionem vocamus, plura sunt capita, de quibus suis locis disseremus, cùm de jure personarum ecclesiasticarum, deque sacris magistratibus agentes, videbimus quæ sacri imperii pars quibusdam clericis, quæ aliis sit attributa.

Deinde certis fruuntur clerici privilegiis, quorum quædam personas ipsas, et quædam res eorum attingunt. Quæ ad personas pertinent, ea vel honorum sunt, aut juris, vel personalem exemptionem, et reliqua personalia clericorum commoda respiciunt. Honoris ac juris privilegia eò spectant, ut clerici nobiliorem occupent in templo locum, et præeant collegiis, atque corporibus laicorum, ut soli ecclesiasticas dignitates, et beneficia, ex iisque pensiones habere possint, et soli jus habeant utendi, fruendi redditibus rerum ecclesiasticarum et beneficiorum.

Jura exemptionis in eo sunt posita, ut neque publicis fungi muneribus, neque ad laicos judices venire compellantur, sed solùm ecclesiastico magistratui subesse debeant. Reliqua privilegia eò ferè revocantur omnia, ut in jus vocati à creditoribus, in id solum, quod est supra decentem eorum tuitionem, condemnentur; ut clerici filiifamiliâs plenum habeant dominium bonorum adventitiorum; ut qui in clericum violentas manus injecit statim expers ecclesiasticæ communionis, sive excommunicatus evadat.

Ad res clericorum pertinent realis exem-

ptionis jura. Propterea clericorum bona, quemadmodùm et bona ecclesiarum, immunia sunt ab oneribus, atque à vectigalibus, quæ à laicis imponuntur. Quàm rectè, quàmque meritò hæc sibi clerici privilegia vindicent, non semel principes declarârunt, eaque probârunt suis etiam legibus et constitutionibus. Æquum enim est, esse in civitate gratiosos, uti et apud ethnicos erant, qui sacris in rebus versantur, ac præterea compensanda sunt onera, quibus in sacris explendis officiis et ministeriis afficiuntur.

Tenentur præterea clerici particularibus quibusdam legibus, cujusmodi sunt, ut inprimis morum integritate, sanctitate vitæ, doctrinâ cæteris exemplo sint, ut parcè et frugaliter vivant, atque ut opes conferant ad pauperum levamen, non ad inanes sumptus; ut corporis cultu utantur, qui luxu simul careat et sordibus, ne contemptum aut invidiam pariant, ut non modò sceleris puri sint, sed omnem etiam aliorum offensionem, suspicionemque declinent; ut se abstineant à secularibus negotiis, atque muneribus, à feminis secum in unâ et eâdem domo retinendis, nisi arcta cognatio omnem suspicionem excludat, ab omni turpi lucro et quæstuosâ negotiatione, à choreis, comœdiis aliisque spectaculis, à ludis alearum, à venationibus, à seculari militiâ, à nutriendâ nimis eleganter comâ, ab armis deferendis, atque à cæteris ejusdem generis, de quibus agitur in titulo *de vitâ et honestate clericorum*. Nam eos servare oportet diligenter leges omnes, quæ pro eorum moribus et disciplinâ, ecclesiasticis canonibus latæ sunt, quæque aut in corpore decretalium extant, aut in bullis summorum pontificum, aut in decretis concilii Tridentini, quæ dicuntur *de reformatione*, aut in provincialibus, diœcesanisque constitutionibus.

Tonsi item clerici esse debent, vestemque ferre clericalem, quæ duo in illis Ecclesiæ primordiis minimè servabantur. Clerici, æquè ac laici, tunicam, togamque Romanam gestabant, neque usus erat ullus tonsuræ clericalis, sed postea, seculo præsertim sexto, laici vestimentum illud brevius à barbaris in Italiam illatum usurpare cœperunt, clerici autem vestem illam retinuêre oblongiorem, propriamque Romanorum.

Per idem fortè tempus clericalis tonsura cœpit adhiberi. Triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit tonsuræ genus, pœnitentium monachorum, et clericorum. Pœnitentium tonsura omnium antiquissima, eam secuta est monachorum, qui pœnitentes imitari videbantur, postremò tonsura clericorum; sed hæc longè distat à reliquis, eaque nunc accipiendis ordinibus tam pueri quàm adulti initiantur, non solùm tonsis et circumcisis capillis ad instar coronæ, sed etiam raso summo capitis vertice, ut à laicis discernantur. Et hæc tonsura illa clericalis, quæ hodiè sumitur, antequàm ordines suscipiantur, cujusque ritus describuntur in Pontificali Romano.

Clericalis tonsura nullam tonso tribuit potestatem ad sacrificium spectantem, neque ullum confert ministerii genus; sed tamen eum latâ significatione clericum facit, hoc est, ita in ordinem refert clericorum, ut inter illos tonsus locum habeat in sacris conventibus, et linteatus divinis officiis intersit. Quo fit, ut privilegia, jura, immunitates clericorum tonsos etiam attingant, si vestes deferant clericales, eaque servent, quæ de vitâ et honestate clericorum sancita sunt. Hæc ad clericos universos generatim pertinent; nunc de singulis agendum est.

TITULUS II.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

Duplicem esse diximus hierarchiam, et duplicem clericorum potestatem, ordinis et jurisdictionis sive regiminis. Christus enim cùm Ecclesiam constituit, leges dedit societati hominum, quos frui bonis spiritualibus, et quos optimè regi voluit, ut deinceps æternæ felicitatis participes esse possent. Ut homines fruerentur bonis spiritualibus, creavit ordinis potestatem; ut optimè regerentur, potestatem jurisdictionis instituit.

Ex quo intelligitur quid sibi velit vis et ratio utriusque potestatis et hierarchiæ. Scilicet potestas et hierarchia jurisdictionis omnis est posita in regendis gubernandisque subditis, ac jurisdictio, quæ tota in hoc regimine ac gubernio consistit, haberi non potest, nisi subditi sint, qui regantur et gubernentur. Verùm hierarchia et potestas ordinis pertinent ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona christiano populo tribuenda, maximè sacramenta, quæ sunt hujus vincula societatis, eaque constat episcopis, presbyteris et ministris.

Quod attinet ad hanc hierarchiam, unus et idem est ordo, atque una eademque potestas omnium episcoporum, cùm neque metropolitæ, neque patriarchæ, neque ipse summus pontifex ordinem habeant ab episcopatu dis-

tinctum. Nam in iis quæ ordinis sunt, in episcopo inest plenitudo potestatis, quæ à Deo ipso per sese, sive *immediatè*, ut aiunt, ordinatione tribuitur. Quanquàm enim sacramenta hominum ministerio peragantur, vis tamen eorum à Deo ipso procedit; et ideò, cùm ab eo, qui habet potestatem, ordo ritè confertur, nihil impedimento esse potest, quominùs vis impressa sacramento consistat. Ex quo efficitur ut qui semel accepit ordinis potestatem, is legitimo quidem ejus usu prohiberi multis de causis possit, sed vis ipsa potestatis semper hæreat, adeò ut nequeat auferri coercerive ita ut non efficiat quod efficere divino instituto debet. Quare episcopus excommunicatus, hæreticus, schismaticus, cùm ritè confert ordinis aut confirmationis sacramenta, impiè quidem agit, sed rata firma confirmatio, ordinatioque est.

Verùm hierarchiæ et potestatis jurisdictionis longè dispar est ratio. Cùm enim ea pendeat ab imperio in subditos, neque hoc imperium in omnibus episcopis unum idemque sit, facilè intelligitur dispares eorum gradus esse oportere. Quare alia est jurisdictio episcopi, qui unam diœcesim regit, alia metropolitæ, qui provinciæ, alia patriarchæ, qui pluribus provinciis præest, alia denique summi pontificis, quem Christus toti Ecclesiæ præfecit, quemque esse voluit ejus caput et centrum unitatis, à quo cuncta Ecclesiæ membra cumpulentur.

Potestas hæc, quæ jurisdictionis dicitur, aut regiminis, non ita cohæret ordinis potestati, ut ab eâ sejungi non possit. Quanquàm enim Christus ad Ecclesiæ regimen episcopatum instituerit, non ex eo tamen efficitur, ut quisquis episcopalem ordinationem accepit, hoc ipso regendi munus possit exercere. Ita hæreticus ab hæretico, schismaticus à schismatico ordinatus episcopus habet ordinis potestatem, cùm servata sunt omnia, quæ servare oportebat; sed cùm nullos habeat subditos, quos jure regat, planè nullam habere potest regiminis aut jurisdictionis potestatem. Similiter episcopus è gradu dejectus cùm amiserit subditos, quos antea regebat, nullam ampliùs retinet jurisdictionem, quæ sine subditis esse nequit, uti nemo sine servis dominus, nemo sine filiis pater est.

Itaque ut episcopus et ordinis habeat, et jurisdictionis potestatem, utrumque habere debet, scilicet et ordinationem, et legitimam missionem, per quam ei certi assignentur subditi, in quos imperium exerceat. Quæ subditorum assignatio non divini, sed humani juris est, fierique debet ab eo, cui subsunt episcopi, et cujus potestas fertur in orbem universum. Quis autem, nisi summus pontifex, Ecclesiæ caput et princeps, hanc habet in totum orbem à Christo acceptam potestatem? Quare aut ab ipso, aut eo saltem consentiente et probante, unicuique episcopo missio tribuenda est; nimirùm certi sunt assignandi subditi, quos regat, atque ita omnes episcopi jurisdictionis potestatem consequuntur.

Jam ordinis hierarchiam nunc explicaturi primùm agemus de episcopis, quorum in eâ summus est gradus, postea de presbyteris et ministris, atque ita hæc hierarchia uno in conspectu posita habebitur. De his autem agentes explicabimus utramque potestatem, quæ ipsis inest, ordinis scilicet, et jurisdictionis; ne, cùm alterum persequemur genus ecclesiasticæ hierarchiæ, redire cogamur ad ea, de quibus superiori loco disseruimus.

§ 1. *De episcopis.*

Episcopus Græca vox est, quæ Latinè *inspectorem* significat, et quæ munus designat antistitis, ut populo sibi commisso præsit, ejusque mores speculetur. Hinc episcopi esse debet curare divinum cultum, et christianam defendere religionem; preces indicere; videre ne quid peccetur in rebus fidei, in divinis celebrandis officiis, in sacramentorum administratione; animadvertere in eos qui turbas excitant in re christianâ; inquirere diligenter in libros qui in lucem emittuntur, ne quis in iis obrepat error; sacras in templo conciones habere, quod munus ita proprium episcopi est, ut illud cæteri clerici sine ejus veniâ aut consensu exercere prohibeantur; fidei mysteria, et sacrorum Bibliorum sensum secundùm mentem Ecclesiæ populo aperire, eumque in officio scripto et sermone, continere.

Cùmque episcopale munus pertineat ad totam diœcesim, inducta est ejus visitatio, quam episcopus altero quoque anno obire debet aut per se ipsum, aut per alium, ubi justo impedimento tenetur. Quâ in re episcopus quidquid ad visitationem aut ad morum correctionem pertinet, agere debet sine strepitu judicii, neque ulla appellatio suspendit vim eorum quæ mandata aut decreta sunt. Verùm si solemnis judicii ritus servare placuit, per appellationem vis editæ sententiæ suspenditur.

Cuncta quæ in visitatione sunt gesta ac re-

perta, congregationi concilii significanda sunt, tum ut Ecclesiæ capiti, cui est à Christo commissa cura et administratio gregis universi, omnium particularium Ecclesiarum status compertus sit, tum ut cuncti episcopi suam cum sede Apostolicâ societatem et communionem ostendant. Iisdem de causis longâ consuetudine receptâ, et scriptâ etiam lege confirmata est visitatio sacrorum liminum Apostolorum Petri et Pauli, quam omnes episcopi variis temporibus expedire debent; nimirùm unoquoque triennio qui in Italiâ insulisque adjacentibus, in Dalmatiâ, finitimisque Græcorum regionibus commorantur. Cæteri verò episcopi, qui longiùs absunt, intra quatuor, aut quinque, aut etiam decem annos, pro diversâ locorum distantiâ. Pari lege hujus visitationis obstringuntur abbates, priores, præpositi, cæterique omnes, etiam cardinales, qui monasteria, aut ecclesias habent cum jurisdictione quasi episcopali, ac territorio separato. Qui definito tempore justis de causis suo munere fungi nequeunt, causas ipsas jurati docere debent, Romamque mittere procuratorem virum ecclesiasticum, qui huic legi satisfaciat.

Et quia rectè suo fungi munere episcopi nequeunt, nisi in diœcesi commorentur, sive resideant, idcircò eos residere oportet in episcopatu suo. Hinc episcopi, qui per sex perpetuos menses abfuerint à diœcesi suâ, privantur quartâ parte fructuum unius anni, quæ conferenda est in fabricam ecclesiæ aut in levamen pauperum; absentes sex aliorum mensium spatio amittunt aliam quartam partem eorumdem fructuum, tum gravioribus etiam plectuntur pœnis, si diutiùs absint, non festinantes reditum ad diœcesim suam.

Si quis tamen velit aliquantulùm abscedere, datur ei quoque anno spatium duorum, triumve mensium, modò id æquâ ex causâ fiat, ac sine ullo populi detrimento. Quòd si quis aliter abfuerit, quàm sacri canones abesse sinunt, beneficii fructus, donec abfuit, suos non facit, quod de omnibus cautum est generatim, qui curam habent animarum. Sunt autem justæ causæ, quæ Ecclesiæ pastores excusant à personali residentiâ, si nimirùm summo pontifici probatæ fuerint, *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas;* concil. Trid. d. sess. 23 de Reform.

Præstat episcoporum potestas divinâ institutione presbyteris, atque dividitur in ea quæ sunt ordinis, in ea quæ sunt jurisdictionis, et in ea quæ sunt legis diœcesanæ. Ordinis potestatem consecratione acquirit episcopus, semel acceptam nunquàm amittit, eamque alteri delegare non potest, ut rectè delegat potestatem jurisdictionis. Ab eâ manat regum, sacrarum virginum, altarium, ecclesiæ consecratio, ejusque post pollutionem expiatio, abbatum benedictio, collatio ordinum, et sacramenti Confirmationis, confectio chrismatis et olei infirmorum.

Ad potestatem jurisdictionis, quam episcopus adipiscitur post electionis confirmationem, refertur imperium, quod ipse habet in clericos atque laicos diœcesis suæ, in illos in universum, in hos verò quantùm attinet ad res sacras atque divinas. Quod imperium episcopi internum respicit, et externum forum. Pertinet ad internum forum potestas ligandi et solvendi in sacramento Pœnitentiæ, tollendi irregularitates et suspensiones quæ ex occulto crimine procedunt, excepto homicidio voluntario, servandi sibi jus dandæ veniæ in quibusdam criminibus.

Spectat ad externum forum potestas legislativa, judicialis et criminalis. Itaque episcopus leges condit pro bono regimine suæ diœceseos, vocat ad synodum diœcesanos, beneficia confert, nisi quæ Apostolicæ sedi sint reservata, nova instituit, et interdùm antiqua in unum conjungit, ecclesias visitat, animadvertit in crimina clericorum, eosque gradu movet, tribunal habet, in quo judicat causas ecclesiasticas et mixtas, atque etiam civiles, in quibus clericus rei partes sustinet; pœnas indicit adversùs eos qui sunt pœnâ digni, publicos pœnitentes arcet ab ecclesiâ, eosque restituit.

Ad legem diœcesanam pertinet jus exigendi synodaticum, sive cathedraticum, hoc est, tributum in honorem cathedræ episcopalis præstandum, item jus exigendi procurationem, quartam funeralium, quartam decimationum, et cætera, de quibus suis locis disputabimus.

Episcopi jurisdictio fertur in totam diœcesim; sed quidam tamen beneficio sedis Apostolicæ ab eâ sunt exempti, quo privilegio potissimùm fruuntur regulares. Verùm etiam in loca et personas exemptas suam interdùm episcopus jurisdictionem exercet, tanquàm Apostolicæ sedis delegatus. Nam ejus jurisdictioni subsunt exempti in iis quæ contra hæreticos sunt instituta; ipse confert apostolicâ auctoritate beneficia quæ à prælatis regularibus idoneo tempore collata non sunt; anim-

advertit in parochos exemptos, qui debitis diebus divinum verbum populo nuntiare neglexerint, atque in omnes qui hæreses prædicaverunt; itemque in regulares qui ab se non impetratâ facultate confessiones secularium, aut ab se non approbati monialium confessiones excipiunt; quique prædicant in ecclesiis suorum ordinum, vel non petitâ ab se benedictione, vel se contradicente, vel sine suâ veniâ in alienis ecclesiis; et qui graviter delinquunt in administratione cujuslibet sacramenti.

Similiter visitat, et cùm deliquerint, punit et corrigit regulares extra claustra degentes; qui verò intra claustra degunt regulares, ac palam extra claustra delinquunt cum cæterorum scandalo et offensione, rogatu episcopi, atque intra tempus ab eo definitum, à præposito suo meritis plectendi sunt pœnis, atque eorum quæ gesta sunt, certior est faciendus episcopus, cui secùs integrum erit in criminosos animadvertere. Rursùs in censuris et interdictis episcopi jussu evulgandis atque servandis, diebus festis, eorumque ritibus custodiendis, et in cæteris ejusdem generis regulares omnes, quanquàm exempti episcopo obnoxii sunt.

Sed et alia sunt capita delegatæ jurisdictionis, quam episcopus in exemptos habet. Nimirùm inquirit in obreptionem et subreptionem gratiæ, per quam aliquis liberatus est à pœnâ quæ ab se inflicta fuerat, et visitat capitula exempta, nullo etiam ex canonicis ad consilium adscito, quos sibi adjungere, extra visitationem, in causis exemptorum capitulorum debet. Denique omnes ecclesiæ seculares, quæ in diœcesi sunt, etiam exemptæ, monasteria quoque commendata, abbatiæ, prioratus, præposituræ, hospitalia, collegia, et sodalitia, etiam laicorum ab episcopo tanquàm Apostolicæ sedis delegato visitantur, exceptis illis quæ sub immediatâ regum protectione sunt.

§ 2. *De presbyteris, diaconis, subdiaconis et reliquis ordinibus.*

Ab episcopis ad sacerdotes pergimus, universum deinde ministrorum ordinem explicaturi. Nobilissimum est officium, et nobilissima potestas sacerdotum novæ legis, qui Deo non vitulos, aut hircos immolant, sed lege à Christo latâ ipsum Dominicum corpus et sanguinem consecrant, atque offerunt in Missæ sacrificio.

Sacerdotes à sacris faciendis appellati sunt. Vocantur etiam *presbyteri,* Latinè seniores, magis tamen sapientiæ, quàm ætatis gratiâ. Omnis eorum potestas vel ex ordine, vel ex jurisdictione procedit.

Ex ordine trahitur infirmorum unctio, consecratio divini corporis et sanguinis, divini verbi prædicatio, potestas baptizandi et ligandi atque solvendi in sacramento Pœnitentiæ. Trahitur ex jurisdictione actus ipse, et jus exercendi hanc potestatem, quod ab episcopo accipitur, et episcopi arbitrio confertur, aufertur, laxatur, contrahitur, excepto mortis articulo, quo presbyteris liberam Ecclesia in morientem attribuit dimittendi peccata potestatem. Rectè hinc eorum munera describit Pontificale Romanum, cùm inquit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare et baptizare.*

Sed non hæc omnia à quolibet sacerdote fieri possunt. Quamvis enim sacerdoti in ordinatione assignetur titulus, sive ecclesia cui inserviat, non omnibus tamen assignatur populus, quem regant, et cui in rebus spiritualibus præesse debeant. Tituli assignatio facit, ut in eo Missæ sacrificium offerant, panemque eucharisticum populo distribuant, et quasdam benedictiones impertiant. Verùm quod attinet ad reliqua munera, quæ in Pontificali memorantur, aptum quidem ad ea facit presbyterum, et idoneum ordinatio; sed cùm respectum habeant ad populum, sintque indicia spiritualis in eum jurisdictionis et potestatis, hinc omnis presbyter, qui sibi populum subjectum non habet, facultate eorum jurium exercendorum, quam in ordinatione accepit, partim contra canones illicitè utitur, partim frustra omninò et inutiliter.

Ministrorum duplex est genus: alii majores, et sacri, alii minores, et non sacri appellantur. Sacri sunt diaconus et subdiaconus, qui sacri dicuntur, quòd inter missarum solemnia ordinibus initiantur, et suo funguntur munere supra gradus altaris.

Diaconi ab Apostolis instituti sunt numero septem, quem numerum diù Romana Ecclesia retinuit. Electi autem sunt non tantùm ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent. Explicat eorum munera pontificale Romanum his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare.*

Debent igitur diaconi episcopo et sacerdoti sacra facientibus ad aram stantes inservire; olim etiam Eucharistiam populo tribuebant, sed hodiè tribuere non possunt præsente presbytero, et nisi id necessitas flagitet. Eorum etiam est baptizare; sed eo jure uti ne-

queunt, cùm adest sacerdos, et cùm procul est causa necessitatis. Denique munus etiam prædicandi proprium est diaconorum, atque id non solùm respicit Evangelium, quod legunt in missis solemnibus, sed veram etiam divini verbi prædicationem, quæ ad institutionem spectant populorum. Verùm munus hoc prædicationis, ut presbyteri, ita etiam diaconi, sine episcopi veniâ et auctoritate exercere non possunt.

Omnia hæc sunt munera, quibus nunc diaconi funguntur. Olim et curam gerebant viduarum, virginum, orphanorum, pauperum, martyrum in custodiâ detentorum, quibus potissimùm providere debebant, ne quid deesset ad vitam necessarium; in vitam, moresque populi inquirebant, et crimina episcopo nuntiabant; oblationes accipiebant, nominaque offerentium, et sacra diptycha in ecclesiâ recitabant; communes preces indicebant; increpabant et corrigebant eos qui aliquid in ecclesiâ agerent, quod minùs decere videretur; finitis precibus, sacrisque peractis ab ecclesiâ, discedere jubebant populum, qui ad eam venerat.

Diaconis veluti subsidiarii accesserunt subdiaconi, qui diù fuerunt minorum clericorum numero, sed postea in Latinâ Ecclesiâ majoribus adscripti sunt, quod factum videtur undecimo Ecclesiæ seculo, Urbano II pontifice. Munus eorum est diacono in altaris ministerio opem ferre, parare vinum, panem, sacra lintea, et cætera ad sacrificium necessaria, episcopo, et sacerdoti manus in sacrificio abluentibus aquam effundere, in missâ Epistolam legere.

Majoribus succedunt minores ordines ministrorum; atque hi sunt acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarii. Nomina hæc, et officia, quæ his nominibus designantur, ad ipsum *Ecclesiæ initium* refert synodus Tridentina; sed cùm non definiverit quo id tempore factum fuerit, multi existimant, omnes minores ordines unà cum subdiaconatu, procedente tempore, Ecclesiam instituisse. Verùm cùm initio diaconorum partes essent, quæ labentibus annis minorum clericorum propriæ esse cœperunt, rectè sentiunt, qui minores ordines origine suâ, hoc est, quatenùs diaconatu comprehendebantur, ad ipsam hujus ordinis institutionem referunt. Tum, quòd diaconi pares non essent omnibus his muneribus obeundis, Ecclesia veluti partes quasdam ex diaconatu decerpsit, ac pro singulis proprios ordines instituit.

Summus inter minores clericos gradus est acolythorum, qui ita dicuntur, quasi apparitores, et pedissequi episcoporum. Eorum munus est ceroferarium ferre, ecclesiæ luminaria accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam subdiacono ministrare.

Proximum tenent locum exorcistæ, quorum est dæmoniacis manus imponere, malosque spiritus ejicere. Quæ functio communis olim erat omnium penè Christianorum, quorum adjurationibus dæmones urgebantur; sed cùm hæc depellendorum dæmonum facultas, aliæque *gratiæ gratis datæ*, quas theologi appellant, in illis nascentis Ecclesiæ initiis passim à Deo fidelibus concessæ, Ecclesiæ statu deinceps constituto, desiissent vulgo attribui, quòd pervulgatus earum usus minùs necessarius evasisset, certus ab Ecclesiâ factus est ordo exorcistarum. Hodiè ad malos spiritus adjurandos sacerdotes adhibentur.

Lectores sunt, qui ex sacris libris aliquid in ecclesiâ legunt. Quare olim apud eos sacri codices servabantur, et sæpè ethnicis eos postulantibus ab episcopis responsum constat: *Scripturas lectores habent*. Legebant autem è pulpito, sive suggesto, et antequàm initium lectioni facerent, silentium à diacono indicebatur verbo: *Attendamus*.

Postremum denique locum occupant ostiarii, qui acceptis ecclesiæ clavibus, aperiendis claudendisque januis, et arcendis infidelibus atque excommunicatis præficiuntur. Hodiè ecclesiæ fores passim laicorum custodiæ committuntur. Jamque ante tempora concilii Tridentini sanctorum ordinum à diaconatu ad ostiariatum functiones pluribus in locis fuerant intermissæ, quas propterea concilium revocari in usum juxta sacros canones jubet.

Atque hi sunt quatuor ordines, quos *minores* dicimus, reliquos tres *majores* appellamus. De simplici tonsurâ quæri solet, num ea ordinibus adscribi debeat, quâ de re inter canonistas atque theologos magna controversia est. Certè qui tonsurâ donati sunt, verè inter clericos recensentur, et ideò eorum utuntur privilegiis, uti demonstratum supra est, atque iis præsertim, quæ *fori* et *canonis* nuncupantur.

Non unum inter majores minoresque ordines discrimen intercedit. Majores clerici omninò castitatem servare coguntur, habentque onus recitandi divinum officium aut publicè in ecclesiâ, aut privatim domi, et qui illis initiantur, habere debent ex beneficio, aut ex paternâ

hæreditate et patrimonio unde honestè vivant.

Soluti sunt his oneribus minores clerici; verùm cùm ineunt matrimonium, sive illud ratum sit, sive consummatum, sive vires habeat, sive iis careat, modò consensus clerici non desit, non solùm impares fiunt ad ecclesiastica beneficia obtinenda; sed, quæ habent, etiam amittunt, quanquàm recuperent quidquid fortè ecclesiæ dederunt è patrimonio suo.

Minores clerici, qui beneficium non habent, ut fori privilegio fruantur, tonsuram vestesque clericales deferre, atque alicui ecclesiæ, mandato episcopi, servire debent, vel cum ejus veniâ in clericorum seminario, aut in aliquo probato gymnasio versari, quasi in viâ, per quam ad majores ordines perveniant. Qui tonsuram et vestes deseruêre clericorum, ad laicum judicem vocari possunt; verùm si velit episcopus, eos vindicare potest, ut adversùs ipsos judicium exerceat. Atque illud quidem fori privilegium obtinent non tantùm clerici cœlibes, sed etiam qui uxorem habent, modò unicam, eamque virginem duxerint, adscriptique ab episcopo alicui ecclesiæ sint, gerantque tonsuram, et vestes clericales.

TITULUS III.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

Demonstratâ jam ordinis hierarchiâ, nunc hierarchiam explicabimus, quæ jurisdictionis appellatur. Ea pertinet ad optimum Ecclesiæ regimen, quod ut rectè consistat, suos habere debet magistratus, sicuti suos habet civilis societas, qui imperium exerceant in illam hominum multitudinem, quibus societas constat, ne inter eos, si nemini pareant, necessariò magna perturbatio et confusio rerum omnium existat. Eâ de causâ creati sunt à Christo episcopi, qui non solùm spiritualia bona in homines conferrent, sed etiam essent præcipui christianæ societatis magistratus.

Sed inter hos magistratus unus esse debebat, qui cæteris præesset, societatemque universam regeret ac moderaretur. Id postulabat divina sapientia legislatoris, qui huic societati caput et principem daret, atque illa unitas tum fidei, quâ Christianos omnes convenire volebat, tum charitatis, quâ cuncta Ecclesiæ membra inter se eodem pacis et communionis vinculo copulari debent. Quæ enim esset hæc unitas, nisi unus esset toti Ecclesiæ propositus, qui illam tueretur et custodiret, quique omnes unâ fide, unâ charitate, unâ demùm Ecclesiâ conjungeret? Itaque Petro, ejusque successoribus summis pontificibus datus est hic primatus, ut per unum caput una esset Ecclesia, sive, uti loquitur Hieronymus, *ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

Apostolos misit Christus ad nuntiandum Evangelium in universum orbem terrarum, neque inter singulos provincias aut civitates distribuit. Sed ipsi deinceps, aucto fidelium numero, divisionem illam instituerunt, quam necessariam esse existimârunt, ut recta regiminis ratio constaret. Atque hinc prima est repetenda origo divisionis diœceseon, et origo etiam patriarcharum ac metropolitarum. Cuncta hæc ab Apostolis adumbrata, deinceps ab Ecclesiâ absoluta ac definitè constituta sunt.

Quare illa missio in orbem universum, propria et peculiaris fuit Apostolorum, per quos ubique nuntianda erat Christi religio; sed eâ populis nuntiatâ et patefactâ, certi sunt constituti fines, intra quos unusquisque episcopus jurisdictionem exerceat. Hinc patriarchis plures provinciæ et nationes, primatibus una natio aut regnum, metropolitis una provincia, episcopis diœcesis una data est. Horum quilibet imperium habet in illum terræ tractum, cui præpositus est. Sed ex his omnibus unum debet effici corpus, quale est Ecclesia catholica; effici autem nequit, nisi cuncta in unum conjungantur, conjungi verò non possunt, nisi omnia unum caput et unum commune centrum habeant.

Itaque omnes episcopi, qui suis præfecti sunt Ecclesiis, ceu membris, quæ omnia in unum collecta una catholica Ecclesia continet, curare debent, ut particulares Ecclesiæ, quas regunt, in unum confluant commune centrum, atque uni capiti subjiciantur. Sic enim Ecclesiæ unitas efficitur et conservatur, cùm omnia membra unum caput agnoscunt, et unum habent centrum, in quo conjunguntur.

Commune hoc unitatis centrum, et hoc omnium caput Christus Petrum constituit. Sed cùm ipse vitâ fungi deberet, Ecclesia autem usque ad consummationem seculi esset futura, alius, eo mortuo, constituendus erat, qui Ecclesiam universam regeret. Quis enim ovili perpetuo, cujusmodi Ecclesiam suam Christus esse voluit, temporarium pastorem datum putet? Itaque ad Petri successores transmissum est munus, et translata potestas, quod, et quæ Petro à Christo datum, dataque fuerat. Hi sunt Romani pontifices, qui ipsum tenent in Ec-

clesiâ locum, quem vivens tenuit Petrus, hoc est, locum capitis, et capitis non otiosi, sed præditi instructique potestate quam habere debet caput Ecclesiam regens.

Non enim Christus hoc caput constituit, ut vacuum et inane nomen haberet, sed ut totius Ecclesiæ unitatem custodiret. Ex quo efficitur ut ei dederit omnem potestatem, quâ opus est, ut suas impleat partes; cùm dici nequeat, Christum alicui dedisse munus, et non dedisse facultates, sine quibus munus ipsum exerceri non potest. Cujus rei consequens est, ut primatus, quem Petrus ejusque successores à Christo acceperunt, non tantùm honoris et dignitatis, sed etiam jurisdictionis esse debeat. Atque errant vehementer, qui cùm ignorare non possint, primatûs instituendi causam fuisse unitatem tot hominum et tot Ecclesiarum, ex quibus una efficitur Ecclesia catholica, aut nullum esse putant caput, per quod illa hominum et Ecclesiarum multitudo conjungatur, aut caput fingunt inane et otiosum, sine vi et potestate, quâ homines ad parendum cogat. Quemadmodùm si quis exercitum conficeret sine imperatore, aut imperatorem daret, qui umbratile haberet nomen, vacuum potestate et imperio, cui milites pareant, et per quod in officio contineantur.

Cùmque summus pontifex omnes, quas una catholica Ecclesia complectitur, diœceses, provincias, nationes cogere ad unitatem debeat, in omnes potestatem habeat necesse est. Ita ejus imperium, quod totam comprehendit Ecclesiam, fertur in omnes patriarchas, primates, metropolitas, episcopos, quoniam si quis esset eorum non obnoxius huic potestati, is impunè disrumpere posset unitatem, quæ à catholicâ Ecclesiâ disjungi non potest. Atque hæc ecclesiasticæ hierarchiæ ratio est, ut christiani omnes episcopi metropolitis, metropolitæ primatibus ac patriarchis, cuncti demùm Romano pontifici subjiciantur. Episcopi, metropolitæ, primates, patriarchæ et omnium princeps summus pontifex propriè efficiunt hierarchiam, quæ jurisdictionis appellatur.

Reliqui magistratus creati sunt, ut auxilio essent episcopis, atque in eos derivata est pars jurisdictionis, quæ integra ad episcopum pertinet. Hinc instituti coadjutores, ut episcopo impedito opem ferrent, chorepiscopi, ut præessent oppidis diœcesis, vicarii, ut episcopi vices gererent, cæteri demùm magistratus, quibus sub episcopo certa in populum potestas data est.

Quin etiam quibusdam clericis tributum est certum officium sine jurisdictione, quibusdam, præter officium, etiam honoris prærogativa, et hinc ortæ dignitates, personatus, officia, quæ omnia generali beneficiorum nomine comprehenduntur. Adjunctam habent dignitatem ea beneficia, quorum rectores, præsertim in cathedralibus, aut in collegiatis Ecclesiis, et quâdam fruuntur honoris prærogativâ, sive præeminentiâ et administratione ac jurisdictione, ideòque tametsi cum reliquis canonicis corpus unum conficiant, ab iis tamen propter hanc administrationem, præeminentiam et jurisdictionem distinguuntur. Personatum habere dicuntur ii qui solam habent honoris prærogativam sine administratione et jurisdictione; officium denique, qui administrationem habent, carent præeminentiâ et jurisdictione.

Generatim statui non potest, quæ beneficia inter dignitates, quæ inter personatus, quæ inter officia sint referenda, cùm unaquæque Ecclesia suas habeat consuetudines, et quam dignitatem in unâ Ecclesiâ obtinet archidiaconus, vel archipresbyter, in alterâ eam decanus, vel præpositus, vel primicerius obtineat. Itaque jurisdictio, præeminentia, munus, in omnibus Ecclesiis dignitatem, personatum, officium facit. Nos de omnibus agemus clericis, qui in Ecclesiâ vel munus habent, vel honoris gradum, vel jurisdictionem. Omnes enim referendi sunt ad hierarchiam jurisdictionis, quoniam omnes pertinent ad optimum Ecclesiæ regimen, quò hierarchia spectat. Illud tamen inter clericos, qui jurisdictionem habent, interque clericos, qui eâ carent, discrimen est, quòd hi tantùm ministri sunt, illi verò sunt etiam, post episcopos, in ecclesiasticâ hierarchiâ magistratus.

§ 1. *De summo pontifice.*

Ordiamur à summo pontifice, cujus in ecclesiasticâ hierarchiâ supremus gradus et summa potestas est. Is vocatur Papa à græco verbo πάππας, Latinè, *pater;* quod nomen initio proprium fuit omnium episcoporum; quin etiam sæpè ad minores quoque clericos translatum est. Sed jamdiù solus Romanus pontifex eo nomine designatur, atque eum etiam Chalcedonensis concilii Patres *episcopum universalem* appellârunt. Verùm hoc nomen, in quod arrogantia sedis Constantinopolitanæ audacter invaserat, recusavit S. Gregorius Magnus, contentus modesto nomine *servi ser-*

vorum Dei, quo ipse primùm uti cœpit, et quo nunc etiam summi pontifices utuntur.

Est autem summus pontifex jure divino Ecclesiæ caput et centrum unitatis, Petri successor, Christi vicarius, omnium Christianorum pater et doctor, atque habet in totâ Ecclesiâ primatum non dignitatis solùm, sed etiam jurisdictionis. Quare pontifex Christianos omnes honore antecedit, atque in omnes jurisdictionem exercet, cùm habeat *pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam..., plenam potestatem.*

Multa hinc jura sunt, quibus potitur Romanus pontifex, quia caput Ecclesiæ est, centrumque unitatis, quia primatum habet ordinis et jurisdictionis, quia regere et gubernare Ecclesiam universam debet. Nimirùm cùm unitas Ecclesiæ postulet ut una sit omnium fidei, morum, ac generalium capitum disciplinæ consensio, consequens est, ut hæc regi, administrarique Romani pontificis judicio et auctoritate debeat. Itaque earum rerum, quæ ad hæc cuncta pertinent, summus pontifex ab omnibus certior est faciendus, quò spectat jus petendarum, accipiendarumque relationum, ipseque de his rebus controversias judicat.

Atque in eo quidem judicio, quod pontifex *ex cathedrâ* emittit, hoc est, universalis magistri susceptâ personâ, in definiendis fidei controversiis errare non potest. Nam erroris expertem esse oportet, quem Christus Ecclesiæ præposuit, ut Christianos omnes cogat ad eamdem secum unitatem, præsertim in fide, adeò ut qui ab ejus doctrinâ discedit, hæreticus et schismaticus habeatur.

Jurisdictionis et potestatis, quam summum pontificem in universam Ecclesiam habere diximus, multa sunt capita. Nimirùm ipse leges ecclesiasticas condit, quibus universa Ecclesia teneatur, conditas, cùm opus est, relaxat, pœnis animadvertit in eos qui legibus non obtemperant, judicat graviores causas ecclesiasticas, habetque jus appellationum. Cùm enim recta earum ratio sit, ut ab inferiore judice ad superiorem provocetur, ac denique ad eum, ultra quem progredi judicium non potest, facilè intelligitur, in rebus ecclesiasticis appellandum demùm esse summum pontificem, qui omnium est princeps, et cujus judicium soli Deo subjicitur. Quòd si in rebus civilibus semper postrema appellatio ad eum fertur, penes quem est summa earum rerum potestas, cur non etiam in rebus ecclesiasticis postrema hæc appellatio dabitur ad summum pontificem, qui tanquàm princeps et caput Ecclesiæ summam in his rebus potestatem habere debet?

Ipse etiam superioris jurisdictione solvit, quos solvendos judicat, plenarias indulgentias largitur, generale concilium indicit, eique præsidet vel per se, vel per legatos suos, atque ejus decreta confirmat. Quis enim omnes vocabit episcopos, et eorum cœtui præsidebit, et constituta confirmabit, nisi qui omnium est caput, qui omnes in unum commune centrum unitatis conjungit, et sine quo neque episcopi universam Ecclesiam repræsentare, neque eorum decreta Ecclesiæ universæ decreta haberi possunt?

Et quoniam summo pontifici non solùm ovium, sed etiam pastorum gubernatio, totiusque Ecclesiæ procuratio commissa est, curam etiam et sollicitudinem habere debet episcoporum, qui particulares Ecclesias regunt. Quare ipse creat ac transfert episcopos, eorumque arctat et constringit potestatem, quam obnoxiam habet, eosdem propter crimina episcopatu dejicit, atque etiam restituit, episcopatus constituit, et plures in unum conjungit, aut unum distrahit in plures, cùm alterutrum postulat Ecclesiæ utilitas, cujus sollicitudo summo pontifici incumbit.

Sunt et alia pontificiæ potestatis capita, quæ omnia pertinent ad amplam illam jurisdictionem, quâ ubique fruitur summus pontifex, atque ad curam et sollicitudinem, quam habere debet, Ecclesiæ universæ. Ea sunt, ut Breviarium et Missale Romanum corrigat ac mutet, ut regulares ordines approbet, atque confirmet, eosdemque etiam justis de causis è medio tollat, ut insignes pietate viros albo beatorum vel sanctorum adscribat, ut propter amplam, quam habet in totâ Ecclesiâ, jurisdictionem, ubique terrarum pontificalia exercere solus possit. Cætera, quæ ad summum pontificem pertinent, suis locis opportuniùs explicabimus.

Atque ea, quæ diximus, jura sunt Romani pontificis in totâ Ecclesiâ, quoniam in totam diffunditur primatus, quem ipse habet tanquàm Petri successor, quique à Romanâ sede disjungi non potest. Cùm enim Christus primatum attribuerit Petro, atque iis qui Petro in episcopatu succederent, cùmque ipse sedem posuerit Romæ, ubi mortuus est, sequitur, ut tantùm Romani pontifices Petri successores sint. Quare primatus adimi Romanis episcopis,

atque in alium episcopum transferri non potest, quoniam si transferretur, hic non esset Petri successor; atverò nonnisi Petri successores, voluntate institutioneque Dei, Ecclesiæ principatum habere debent.

Sed summus pontifex est etiam episcopus urbis Romæ, archiepiscopus, et metropolita Romanæ provinciæ, primas Italiæ, patriarcha Occidentis. Nec prætereunda potestas *temporalis,* sive *politica,* quam habet in totâ ditione ecclesiasticâ, more principum cæterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas hæc, sive repetatur ex consensu populorum, sive ex principum donationibus, sive ex diuturnâ præscriptione, sive etiam ex onerosis contractibus, tam justum porrò est, tamque legitimum pontificium imperium, ut nemini potiora jura esse possint.

§ 2. *De cardinalibus et legatis.*

Explicandæ, exercendæque potestatis causâ pontifex habet curiam et senatum. Curiam conficiunt ministri, quorum alii suo funguntur munere in datariâ, alii in cancellariâ, alii in foro judiciario. Senatum autem constituunt cardinales, quo nomine appellantur *coadjutores et collaterales* summi pontificis, quorum est eum consilio juvare in Ecclesiæ regimine et administratione. Hoc nimirùm munus est, semperque fuit Romanorum cardinalium, quo probè stabilito et fixo, de verâ hujus amplissimæ dignitatis origine non obscurum, neque incertum judicium est.

Omnes Ecclesiæ suum semper habuêre senatum, et presbyterium conflatum ex presbyteris et diaconis, quorum consilio episcopus in regendâ diœcesi utebatur. Itaque et Ecclesia Romana semper habuit senatum suum, quique eum conficiunt semper præstare debuerunt senatibus cæterarum Ecclesiarum, uti his Ecclesiis præstat Romana, cujus illi *nobilissimæ partes et præcipua membra sunt.* Non igitur quòd cardinalium nomen reliquis quoque Ecclesiis esset commune, consequens est, ut idem esset gradus, eademque dignitas cardinalium, qui Romanæ et qui aliarum Ecclesiarum senatum constituebant.

Erat quidem Romanorum cardinalium officium, ut præessent locis sacris, hoc est, titulis, quos S. Evaristus pontifex in variis urbis regionibus constituerat, quoniam nimia populi multitudo per unum regi et curari difficilè poterat, ideòque et aliis opus erat Ecclesiis, in quibus Christiani convenirent, ut sacros agerent conventus, atque à sacerdotibus sacramenta perciperent. Sed quòd ii, præter hoc ipsum officium, etiam pontifici opem ferebant in regimine Ecclesiæ universæ, dùm contra reliqui cardinales tantùm curam cum episcopo gerebant peculiaris Ecclesiæ suæ, certè presbyteris reliquarum Ecclesiarum quàm maximè præstare debuerunt. Hinc dignitate sunt antelati ipsis episcopis, in quos, vacuâ sede Apostolicâ, auctoritatem exercuerunt; hinc non tantùm, ut cæteri, nomen acceperunt ab Ecclesiis quibus erant *incardinati,* sed etiam, idque potissimùm, ab Ecclesiâ Romanâ, cui erant addicti, quæque *cardo* est, centrumque et caput omnium Ecclesiarum; hinc demùm nunc cæteræ ferè Ecclesiæ deseruerunt hoc nomen, quo designatur amplissima dignitas eorum, ex quibus summi pontificis senatus efficitur.

Initio non alii erant Romæ quàm presbyteri et diaconi cardinales. Accesserunt postea viciniores episcopi, qui cardinales dicti sunt, posteaquàm Lateranensi basilicæ adscripti fuerunt, quique suo non desunt muneri episcopatûs, licet Romæ commorentur, ut summo pontifici opem præbeant in regimine Ecclesiæ universæ. Hi olim erant septem numero, nempe Ostiensis Veliterno conjunctus, Portuensis, Albanus, Prænestinus, Sabinus, Tusculanus et Sanctæ Rufinæ, seu Silvæ Candidæ; sed episcopatu sanctæ Rufinæ cum Portuensi conjuncto, sex hodiè recensentur.

Ornârunt plurimùm cardinales Innocentius IV et Paulus II, quorum alter dedit rubrum galerum, alter rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, aliaque honoris insignia, quæ primùm cardinalibus ex clero seculari data sunt, deinceps Gregorius XIV etiam regularibus rubrum pileum attribuit. Denique Urbanus VIII eos titulo *eminentissimi* honestavit. Incertus olim et varius eorum numerus fuit; nunc septuaginta esse debent, quem numerum definivit Sixtus V exemplo septuaginta seniorum, quos secum assumpsit Moyses, atque ex iis quinquaginta oportet esse presbyteros, diaconos quatuordecim, episcopos sex, ex vicinioribus, uti diximus, episcopatibus.

Solus pontifex creat cardinales. Eorum munus est, uti diximus, consilio juvare pontificem pro bono christianæ reipublicæ, Ecclesiam regere, donec ipsa illo caret, suffragium ferre in electione, quæ ab ipsis tantùm perficitur, summi pontificis, quod jus non habent

cardinales, nisi diaconatûs ordinem acceperint, aut eam facultatem nominatim à pontifice impetraverint. Suum verò munus explent cardinales aut in consistorio coram summo pontifice, aut in congregationibus, qui cœtus sunt cardinalium à pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda ac definienda. Harum singulis singuli præficiuntur cardinales, exceptâ congregatione Inquisitionis, cujus summus pontifex sibi servat præfecturam. Earum aliæ sunt ordinariæ, quæ scilicet perpetuò sunt addictæ certis negotiis expediendis, aliæ extraordinariæ, quæ pro certis rebus præter consuetudinem indici solent, quibus absolutis, dissolvuntur.

Habent autem cardinales in suis titulis amplam jurisdictionem in iis, quæ ad earum Ecclesiarum servitium pertinent; et *incompatibilia* retinent beneficia, quæ decent eorum dignitatem, et testamentum condunt per privatam syngrapham, missis testibus, quos jus civile desiderat; denique eorum *familiarium*, ut vocant, beneficia quis impetrare non potest, nisi ipsorum consensus accedat.

Serviunt etiam Romano pontifici legati, quorum est in provinciis, et regnis illius vices sustinere. Scilicet cùm summo pontifici cura sit à Christo commissa, gubernatioque Ecclesiæ universæ, ipse verò adesse ubique non possit, in locis, à quibus abest, partes suas per legatos implere debet. Itaque jus mittendi legatos in pontificio primatu penitùs affixum atque insitum est, et ideò Romani pontifices semper apud christianos principes suos legatos, et eos quidem jurisdictione præditos habuerunt.

Sunt autem legati vel *à latere*, vel *missi* vel *nati*. Legati *à latere* sunt cardinales, quos summus pontifex quasi è suo dimissos latere, cui semper adhærere censentur, aut ad supremos principes, aut in ditionis ecclesiasticæ provincias mittit. Hi supra cæteros legatos eminent, et eorum in provinciam adventu silet aliorum legatorum potestas. Utuntur apostolicis insignibus, absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum, et amplissimâ fruuntur potestate, quam describunt litteræ apostolicæ, per quos legationis munus accipiunt.

Sunt etiam legati *missi* non ex cardinalium collegio, et *nuntii* vocantur, quos sedes Apostolica mittit ad supremos principes, quique in provinciis et regnis, ubi legationis munere funguntur, explicant pontificiam jurisdictionem. Eorum potestas definitur litteris, quibus ipsis à summo pontifice officium commissum est, neque legato misso adhibetur fides, nisi is primùm litteras ipsas protulerit.

Sunt denique legati *nati*, quorum dignitati conjunctum est legationis officium, ita ut legati fiant, statim ac dignitatem consequuntur. Eo jure fruuntur episcopi Cantuariensis et Eboracensis in Angliâ, Remensis, Bituricensis et Lugdunensis in Galliâ, in Hispaniâ Toletanus et Bracarensis, in Germaniâ Salisburgensis, in Italiâ Pisanus.

§ 3. *De patriarchis, primatibus, metropolitis.*

Episcopis ordine pares, jurisdictione tamen et imperio superiores sunt etiam patriarchæ, primates, metropolitæ. Patriarchas quasi *patrum principes*, interpretatur Isidorus, et jus quidem patriarchicum Nicæno concilio antiquius est. Sed ejus nominis prima mentio occurrit in concilio Chalcedonensi, illudque primùm singulari quâdam ratione summo pontifici, deinceps etiam Alexandrino, Antiocheno, postque Hierosolymitano, aliisque nonnullis exarchis imitatione quâdam tributum est.

Post Romanum, qui summus pontifex est, atque Ecclesiæ præest universæ, multòque cæteris auctoritate ac dignitate præstat, duos agnovit Nicæna synodus præcipuos episcopos, qui recentiori ætate patriarchæ dicti sunt, Alexandrinum et Antiochenum. Accessit postea Constantinopolitanus, ac demùm etiam patriarcha Hierosolymitanus. Itaque quatuor hodiè sunt patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; regiones verò, quæ sunt in Europâ, atque in Africæ parte occidentali, Americâ, summo pontifici, tanquàm Occidentis patriarchæ subjiciuntur.

Nunc Orientalium patriarcharum sedibus barbarorum tyrannide oppressis, tamen sedes Apostolica patriarchas creat, qui Romæ commorantur solo insigniti titulo et nullâ præditi jurisdictione, ne insignium Ecclesiarum memoria oblivione deleatur. Quæ eadem causa est, propter quam creantur etiam episcopi *titulares*, quos episcopos *in partibus* appellamus, et quorum est episcopis opem ferre in iis quæ sunt ordinis episcopalis, præsertim cùm diœcesis tam latè patet, ut unus episcopus omnibus ubique muneribus obeundis idoneus non sit.

Potestatem, quam metropolitæ habent in suffraganeos, eamdem ferè à sacris canonibus

habent patriarchæ in metropolitas. Præcipua eorum jura et privilegia sunt, ut post summum pontificem et cardinales sedeant ordine dignitatis; ut metropolitis pallium concedant, posteaquàm ipsi à pontifice acceperunt; ut crucem præ se ferant per universum tractum sui patriarchatûs, nisi occurrat summus pontifex, aut ejus à latere legatus; ut à suis metropolitis ad eos appelletur.

Reliqui patriarchæ minores dicuntur, uti sunt patriarcha Venetus, Indiarum, Ulysiponensis. Hi non procul distant primatibus, ac medium tenent locum inter majores patriarchas ac metropolitas. Eorum potestas trahitur in omnes certi regni ac nationis metropolitas et episcopos; ipsi verò majori patriarchæ subjiciuntur, cujus intra fines episcopatum tenent.

Proximus post eos locus est primatum et metropolitarum, sed illi his antecellunt. Nam primates omnibus præsunt metropolitis, atque provinciis regni aut nationis, ubi primatum habent. Hujusmodi sunt antistites Bituricensis, Lugdunensis, Toletanus, Salisburgensis, Pisanus, aliique, quibus à metropolitis concessæ appellationes, et jus anteferendæ crucis datum. Sed hodiè tantùm primati Lugdunensi reliquum est jus appellationum, cæteri solam honoris prærogativam retinent.

Metropolita uni præest provinciæ et episcopis qui eâ comprehenduntur. Dignitatem hanc ante concilium Nicænum viguisse compertum est, multique sunt viri docti et graves, qui ejus originem repetunt ab Apostolis, à quibus hujusce dignitatis et juris non obscura relicta sunt monumenta, ut rectè status ecclesiasticæ hierarchiæ constitueretur. Metropolitæ nomen à metropoli procedit, quæ est urbs provinciæ caput. Qui in eâ civitate episcopatum gerebant, dicti sunt metropolitæ, ac deinceps etiam archiepiscopi, quod postremum vocabulum etsi olim latiùs pateret, tamen lapsu temporum translatum est ad eos qui provinciæ uni essent præpositi, quales metropolitæ sunt. Itaque ratio et mos hominum fecit ut metropolitica dignitas hæreret civitati quæ in provinciâ habebat principatum, et ad quam omnes confluebant, postea à sacris canonibus jura et privilegia dignitati consentanea fuêre attributa.

Metropolita jurisdictionem habet in omnes suæ provinciæ episcopos, quos suffraganeos vocat. Quare supplet eorum negligentiam, eosque vocat ad synodum provincialem, inquirit in absentiam, atque ad residendum compellit, negligentes ad officium cogit, jus dicit inter eos, qui à suffraganeorum judicio ad se provocant; denique in totâ provinciâ crucem præ se fert, insigne jurisdictionis suæ.

Majores tamen causæ criminales episcoporum, in quibus de eorum depositione agitur, ad judicium pertinent Romani pontificis, minores ad concilium provinciale. Olim metropolitæ lustrare etiam poterant diœceses suffraganeorum suorum, nunc non possunt, nisi causa in provinciali synodo cognita et probata sit. Atque hæc quidem omnia pertinent ad præfecturam et eminentiora jura quæ supra episcopos insunt in patriarchis et metropolitis. Nam ipsi habent etiam in diœcesi suâ jura episcopalia, quæ sibi cum reliquis episcopis communia sunt.

Omnes patriarchæ et metropolitæ, præter cætera pontificalia ornamenta, habent pallium, cujus origo à divisione ecclesiasticarum provinciarum videtur repetenda, eo præsertim tempore, quo sacerdotes à diaconis, à sacerdotibus episcopi, atque inter eos qui principem obtinebant locum, vestibus distingui cœperunt. Neque enim aliud, præter pallium, videtur occurrere ornamenti genus, quo episcopi inter se discernantur. Est autem pallium fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utrâque parte lineas in pectus et humeros impendentes cum sex sericis, nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur. Sumitur ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus; idcircò ex eodem Petri corpore sumptum dicitur, ac per ipsum plenior patriarcharum et metropolitarum potestas designatur. Olim à sede Apostolicâ suis vicariis, ut plurimùm, tribuebatur; nunc ab eâ datur omnibus patriarchis et metropolitis.

Solus Romanus pontifex, cujus potestas nullam habet definitam regionem, cujus terminis septa teneatur, pallio ubique utitur et semper; cæteri nonnisi intra fines suæ jurisdictionis et statis certisque diebus, cùm pontificalia conficiunt; scilicet die Natali Christi Servatoris, S. Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Palmarum, feriâ V in cœnâ Domini, in Sabbato sancto, in Paschate, et feriâ secundâ ac tertiâ post Pascha, Dominicâ in Albis, in Ascensione Domini, in Dominicâ Pentecostes, in festo Corporis Christi,

in Nativitate sancti Joannis Baptistæ, in festis omnium Apostolorum, ac quatuor diebus festis B. Mariæ Virginis, nimirùm Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in commemoratione omnium Sanctorum, in dedicatione Ecclesiarum, in præcipuis festis diebus Ecclesiæ archiepiscopalis, in ordinatione clericorum, in consecratione episcoporum et virginum, et in die anniversariâ, quam archiepiscopus celebrat suæ consecrationis, dieque item anniversariâ dedicationis Ecclesiæ.

Pallio ita est adjunctum munus archiepiscopale, ut eo nondùm accepto, ne archiepiscopi quidem nomen quis mereatur, neque synodum provincialem indicere possit, neque chrisma conficere, neque episcopos consecrare, neque alia obire munera sive metropolitica, sive episcopalia. Petendum est intra tres menses ab exactâ consecratione, et quidem enixis precibus, sive, ut in more est, *instanter, instantiùs, instantissimè*, à summo pontifice in consistorio cardinalium; petit per se ipsum, si in urbe sit, archiepiscopus, si absit, per procuratorem. Antequàm detur, exigitur juramentum fidei et obedientiæ erga summum pontificem; præsenti in urbe datur à primo diacono cardinali, absenti ab aliquo archiepiscopo, cui summus pontifex rem commisit.

Ita autem pallium adhæret personæ archiepiscopi, ut neque alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si quis iterùm ac tertiò ecclesiam mutet. Denique ubi archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium vel pallia, si plura accepit, humanda sunt. Singulari privilegio cardinalis episcopus Ostiensis, cùm Romanum pontificem consecrat, pallio utitur, et beneficio etiam sedis Apostolicæ quibusdam episcopis pallii usus concessus est.

§ 4. *De coadjutoribus.*

De episcopis nunc pro eorum jurisdictione rediret oratio; sed quoniam uno loco comprehendimus universam eorum potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, pergimus ad reliquos magistratus, atque ad ministros, quorum est episcopis in diœceseos regimine opitulari. Sit initium à coadjutoribus. Senio, aut malâ valetudine confectos episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros de gradu dimovere injustum atque inhumanum visum est. Ergo ab antiquis temporibus instituti sunt coadjutores, qui impedito antistiti subsidium compararent, ejusque vicem sustinerent. Primum coadjutorum episcoporum exemplum præbere videtur Ecclesia Hierosolymitana, ubi coadjutor datus fuit Alexander Narcisso Hierosolymitano episcopo, qui annos natus erat centum et viginti. Sed illustre pro cæteris est exemplum Augustini, qui Valerio episcopo Hipponensi, malæ valetudinis seniique causâ, coadjutor accessit.

Dantur coadjutores vel ad tempus, quamdiù scilicet vitæ usurâ fruitur prælatus, quem vis adversa morbi aut senectutis suum munus exercere vetat; vel perpetuò, qui nimirùm mortuo succedunt. Uterque coadjutor episcopis nonnisi à summo pontifice dandus est; cæteris beneficiorum rectoribus etiam episcopus coadjutores ad tempus constituit.

Nunc, qui episcopis dantur coadjutores sine jure futuræ successionis, dicuntur *suffraganei*, quales habent cardinalis episcopus Ostiensis, atque episcopus Sabinus, aliique præsertim in Germaniâ episcopi, quorum diœceses tam latè patent, ut his adjutoribus opus habeant ad episcopale munus rectè exercendum. Hi sunt episcopi insigniti titulo *in partibus infidelium*, uti sunt etiam episcopi coadjutores, qui jus habent succedendi. Utrique enim decorantur ordine episcopali, ut ea peragant quæ hujus ordinis propria sunt.

§ 5. *De chorepiscopis.*

Quemadmodùm episcopi, cùm, propter morbum aut ingravescentem ætatem, suo rectè munere fungi non poterant, in civitate coadjutores habebant, ita cùm nimis latè patebat diœcesis, in pagis atque oppidis longè dissitis habebant chorepiscopos adjutores et administros laborum suorum. Dicuntur chorepiscopi, quasi τῆς χώρας hoc est, *ruris* episcopi. De his quæri solet, num episcopi, an tantùm presbyteri fuerint; sed longè probabilior est sententia illorum qui eos meros presbyteros fuisse arbitrantur.

Chorepiscopi non unam ut parochi, sed plures singuli curabant Ecclesias, easque lustrabant; dabant litteras *pacificas,* quæ erant ex genere *formatarum,* clericis ruralibus in aliam diœcesim abeuntibus; minores ordines conferebant. Sed cùm intra suæ potestatis fines non se continerent, et jura invaderent episcoporum, satius visum est eam dignitatem extinguere ac delere, quod in occidente primùm factum est, Leone III pontifice; sed tamen etiam post Leonis ætatem mentio chorepiscoporum occurrit.

§ 6. *De prælatis inferioribus.*

Medium inter episcopos atque presbyteros locum tenent prælati inferiores, nimirùm antistites, qui expertes ordinis episcopalis, in sibi subjectas ecclesias atque personas jurisdictionem exercent. Non idem omnium eorum prælatorum gradus, neque eadem ratio est. Nam alii sunt ab episcopi potestate subtracti, qui certo præsunt generi personarum, intra septa alicujus ecclesiæ aut monasterii vel conventûs existentium, quales sunt superiores regulares et nonnulli prælati seculares, qui immediatè subsunt sedi Apostolicæ unà cum ecclesiâ ejusque clericis atque ministris, quibus præfecti sunt. Alii præsident clero et populo alicujus regionis, quæ tametsi ab episcopi potestate subtracta sit, tamen sedet in illius diœcesi, à quâ undique circumscribitur. Alii denique propriam habent quasi diœcesim à cujusvis episcopi diœcesi avulsam et separatam, in quâ jurisdictionem obtinent quasi episcopalem.

Omnium nobilissimi sunt prælati, qui separatam quasi diœcesim habent; nam hi propriè et verè *prælati nullius* dicuntur, atque inter ordinarios recensentur. Cæteri exempti quidem sunt ab episcopi jurisdictione, sed nullam habent quasi diœcesim ab illius diœcesi distinctam, in quâ ordinariam jurisdictionem exerceant. Itaque prælati *nullius* minùs propriè vocari possunt, cùm reverà in episcopi diœcesi sint.

Prælati inferiores vel seculares sunt, vel regulares; alii beneficio sedis Apostolicæ habent usum pontificalium, alii verò non habent. Omnium potestas oritur vel ex privilegiis summorum pontificum, vel ex præscriptione quæ hominum memoriam superat. Quare et amplior, et angustior est, uti fuerunt leges privilegii vel consuetudinis unde procedit. Generatim abbates regulares, qui in sacerdotio sunt, et solemnem ab episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus pro jure suo primam tonsuram et minores ordines conferunt, reliqui verò expresso privilegio opus habent.

Quod verò attinet ad jurisdictionem quasi episcopalem, multa sunt, quæ prælati inferiores, etiam cùm discretam et separatam quasi diœcesim habent, exercere non possunt, quanquàm in ipsâ jurisdictione insita et affixa videantur. Principio vetantur indicere et habere synodum diœcesanam, nisi expressam eà de re facultatem à summo pontifice impetraverint, eâque semper usi fuerint; et simili modo vetantur etiam eligere examinatores, ad parochiales ecclesias per solemne examen conferendas. Hinc vicinior episcopus in quasi diœcesi, quæ nullius reverà est, et episcopus diœcesanus in ecclesiâ exemptâ, quæ sedet intra fines suæ diœceseos, parochias confert, servatâ lege concursûs, quæ à concilio Tridentino constituta est. Par est ratio litterarum dimissorialium, quas illi dare nequeunt secularibus sibi subditis pro ordinibus suscipiendis, cùm horum omnium ordinationes pertineant vel ad viciniorem episcopum, si prælatus quasi diœcesim separatam habeat, vel, si ecclesia exempta sit, ad episcopum, cujus diœcesi continetur. De causis verò criminalibus et matrimonialibus rectè judicant prælati, quibus sua quasi diœcesis separata est; non item prælati exempti, nisi hoc privilegium obtinuerint vel à summo pontifice, vel per præscriptionem quæ ultra hominum memoriam est.

§ 7. *De capitulis canonicorum.*

Ecclesiasticam dignitatem hodiè etiam inesse constat in collegiis canonicorum tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum. Cathedrale templum dicitur, in quo episcopus suam habet cathedram, et quod princeps est cæterorum, quæ in civitate aut in diœcesi sunt. Cætera templa, quæ post cathedrale collegium habent canonicorum, collegiata appellantur.

Omnibus olim clericis commune fuit canonicorum nomen, quia scilicet adscripti erant *canoni* seu *matriculæ* ecclesiæ, cujus sumptu alebantur. Mediis autem seculis canonici dicti sunt clerici, qui communem et secundùm propriam regulam vitam traducebant. Hoc sensu Crodogangus Metensis episcopus primus, ut videtur, ætate Pipini regis canonicos instituit, clericos videlicet, quos, nullis emissis votis, in unam societatem coegit, quibusque regulam dedit. Quod vitæ institutum omnes penè Ecclesiæ acceperunt; synodus verò Aquisgranensis regulam edidit pleniorem, quæ ad canonicæ vitæ institutionem pertinebat.

Ita nati et brevi propagati canonici, qui sub certâ regulâ communem vitam traducebant. Sed cùm hæc regula, atque hæc communis vita consequentibus annis penè ubique desiisset, eam instaurare conati sunt viri insignes

pietate et doctrinâ, qui monasticis etiam votis suos canonicos obstringi voluerunt; quâ in re novi ab antiquis canonicis differebant, quibus suo se patrimonio non abdicare licebat. Cùm verò non omnes clerici communem illam, ac penè monasticam amplecterentur vitam, hinc aditus patefactus est canonicis, qui seculares appellantur. Nam regulares sunt, qui sub præposito communem vitam et votis adstrictam agunt, seculares verò, qui seorsim vivunt, ac perpetuis ecclesiasticis præbendis donati, suaque bona retinentes, servant canonicum institutum, quatenùs patitur vita singularis.

Sensim autem canonici seculares in omnibus cathedralibus, atque in pluribus etiam inferioribus ecclesiis locum habere cœperunt; eorumque cœtus capitula appellantur; quæ vel *cathedralia,* vel *collegiata* dicuntur, cùm nimirùm cathedrali, aut aliis inferioribus ecclesiis inserviunt.

Præcipuæ canonicorum partes sunt altari ac divino cultui inservire, et in ecclesiâ alternis choris divinum officium canere, quod, ut inquit synodus Tridentina, facere per se ipsos debent, non *per substitutos.* Cui muneri ut satisfaciant, debent canonici in suis ecclesiis immorari; sed tamen iis quoque anno datur spatium trium mensium, quo abesse possunt ab ecclesiis suis. Ultra tres menses abesse nequeunt, nisi qua justa causa eos procul esse cogat, veluti si absint curaturi res ecclesiæ, aut episcopi, aut daturi operam in aliquo probato gymnasio sacræ theologiæ, sacrisve canonibus. Ex justis causis absentes præbendæ fructus percipiunt, non item quotidianas distributiones, quæ tantùm in choro præsentibus accrescunt.

Honorantur autem canonici supra cæteros clericos, maximè si sint canonici cathedralis templi, qui præcipua quædam habent supra canonicos collegiatarum. Singuli canonici dignitatem non habent, quanquàm ad eam proximè accedant canonici ecclesiæ cathedralis, ideòque interdùm à sede Apostolicâ judices delegati constituantur, sed dignitas est penes corpus universum.

Potestas et jurisdictio capituli ecclesiæ cathedralis sese inprimis exerit, vacuâ sede episcopali: nam tunc ad ipsum omnis transfertur episcopi jurisdictio. Quod non alieno mandato, aut delegatione efficitur, sed potiùs nativo quodam et proprio jure, quod mortuo episcopo in presbyterio reviviscit. Ergo omnis ad capitulum venit ordinaria episcopi jurisdictio; atque ejus est judicare, condemnare, pœnas imponere, cætera demùm agere, quæ ordinariæ jurisdictionis sunt.

Quam potestatem capitulum exercet per vicarium capitularem, quem intra octo dies post obitum episcopi eligere debet, ne pluribus commissa negotia segniùs et difficiliùs expediantur. Elapso hoc tempore, jus eligendi transfertur ad metropolitam, et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit vel exempta, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitanâ, et propinquior episcopus in exemptâ vicarium constituit.

Tamen ubi ecclesiam suffraganeam, carentem capitulo, unà cum metropolitanâ vacare contigerit, electio vicarii suffraganei non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum pertinebit. Quòd si omnes vicarium eligere neglexerint, eum constituit Romanus pontifex, aut sacra congregatio episcoporum et regularium, ejusque facultates modò angustioribus continentur finibus, modò amplioribus explicantur. Quinimò cùm episcopo datus est ab Apostolicâ sede vicarius, is, etiam illo mortuo, officium retinet, neque tunc ob reverentiam supremæ sedi debitam locus est vicarii capitularis electioni.

Eligendus est vicarius capitularis ex canonicis, si qui inter eos doctores, licentiati, jurisque consulti reperiuntur. Rectè etiam eligitur postremus defuncti episcopi vicarius, vel extraneus, cùm nemo est ex canonicis, qui ad hoc munus gerendum aptus et idoneus habeatur. Ritè constitutus ex officio dimoveri non potest, nisi justa et sacræ congregationi episcoporum ac regularium probata causa sit; totamque accipit jurisdictionem, cujus nullam omninò partem sibi capitulum reservare potest.

Multa tamen sunt, quæ, dùm vacua est ecclesia, capitulum ejusque vicarius non facit, vel quòd non habet potestatem, vel quòd ei sacri canones modum constituerunt. Non facit quæ sunt ordinis episcopalis, quanquàm ad ea gerenda rectè exteros episcopos advocet; nec porrò facit, quæ ex delegatione, aut beneficio summi pontificis uni episcopo concessa sunt. Nihil quoque capitulum, sede vacante, potest innovare ac de juribus episcopalibus diminuere, quod proprium est omnium, qui rem gubernant, quæ ad interregnum venit, ut nihil innovent et nihil de juribus detrahant. Itaque, sede vacante, ca-

pitulum conjungere, aut divid re beneficia, atque aliquid alienare probibetur.

Ad beneficia quod attinet, capitulum, sede vacante, oblatum à patrono clericum rectè instituit, et rectè etiam confert beneficia, quæ conjunctim cum episcopo conferre deberet, non item beneficia, quorum libera collatio ad solum episcopum pertinet. Denique litteras dimissorias primo anno vacantis ecclesiæ capitulum rectè concedit iis quos beneficium vel acceptum vel accipiendum ordines suscipere cogit, non item reliquis, post annum verò omnibus indiscriminatim.

§ 8. *De dignitatibus, personatibus, officiis.*

Sunt è canonicis, qui dignitate, personatu, officio à cæteris distinguuntur. Hujusmodi sunt archidiaconus, archipresbyter, decanus, præpositus, thesaurarius, aliique, qui non solùm habent canonicatum, sed etiam quæ cæteris canonicis communia non sunt, aut certum munus, aut honoris prærogativam, aut cum honore jurisdictionem; et officia, personatus, dignitates appellantur. Non idem est in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis eorum numerus et ratio; ac longum esset de omnibus singillatim dicere.

Totum in his rebus conficit usus et consuetudo Ecclesiarum. Quare videndum est quid cuique in singulis datum sit muneris, quid honoris, quid jurisdictionis; et unusquisque, quæ sibi sunt commissæ, partes implere debet. In Italiâ primam dignitatem plerùmque obtinent archidiaconi, in Hispaniâ et Lusitaniâ decani, in Germaniâ præpositi. Nos de duobus nominatim agemus officiis, quæ omnes habent ecclesiæ cathedrales, ac de duabus dignitatibus, quibus summam post episcopum auctoritatem decretales attribuunt.

Officia sunt canonici theologi et pœnitentiarii. Utrumque instituit concilium Lateranense IV, quod habitum est Innocentio III pontifice; utrumque probavit synodus Tridentina, et utrumque omnes ecclesiæ cathedrales et collegiatæ in aliquo insigni oppido existentes habere debent. Est autem canonici theologi, quem theologiæ laureâ donatum esse oportet, sacras Scripturas explicare, aut clericos res theologicas edocere; quo munere cùm fungitur, præbendæ fructus et quotidianas distributiones percipit, perinde ac choro interesset.

Suppar est institutione theologo pœnitentiarius, cujus est audire confessiones, atque is similiter, dùm hoc agit, tanquàm præsens in choro habetur. Sit autem oportet sacræ theologiæ aut juris canonici laureâ insignitus, et annos saltem quadraginta natus, nisi aliud loci ratio et necessitas aut utilitas Ecclesiæ postulet. Neuter eorum habet dignitatem aut personatum, sed unusquisque sedet in choro, servato ordine collationis, possessionisque antiquioris, nisi quid aliud consuetudo velit: et utrumque officium, concursu adhibito, conferendum est.

Decretales recensent potissimùm inter dignitates archidiaconatum et archipresbyteratum, quibus post episcopum summam auctoritatem tribuunt. Archidiaconi ex ordine diaconorum erant, sed eorum principes, et ratione habitâ meritorum, ab episcopo, ut plurimùm, eligebantur. Ordine inferiores erant archipresbyteris, jurisdictione tamen superiores. Sed cùm absurdum videretur, non presbyteros presbyteris præstare, iis demùm est imposita necessitas presbyteratûs.

Amplissima olim erat potestas archidiaconi, qui episcopi vicarius erat à jure constitutus, et ejus etiam *oculus* dicebatur, propter latam administrationem et in rebus gerendis potestatem, quæ omnia ferè, exceptis sacramentalibus muneribus, comprehendebat. Is enim collector olim oblationum, redituum atque universæ pecuniæ ecclesiasticæ præbendas, partesque suas tribuebat clericis, pauperibus, ecclesiæ fabricæ; mittebat in possessionem eos qui beneficia acceperant; quos nôsset idoneos ad ordines et beneficia, episcopo offerebat: atque omnes ferè noscebat, definiebatque, causas fori episcopalis. Et licet initio archidiaconi hæc ferè omnia gererent mandato arbitrioque episcopi, tamen deinceps eò usque progressi sunt, ut propriam, atque ordinariam obtinerent jurisdictionem, quæ pridem erat delegata, ac jura etiam invaderent, quæ propria erant episcoporum.

Tantam hanc archidiaconorum potestatem episcopi tollendam aut minuendam curârunt; et nunc vix ejus umbra et imago superest. Synodus Tridentina archidiaconis, aliisque inferioribus prælatis judicium ademit causarum matrimonialium et criminalium, quas episcopo reservavit; ipsis verò reliquit jus visitandi ecclesias, quas antea visitare consueverant, modò id faciant per semetipsos, et cum consensu episcopi, cui debent intra mensem rationem reddere peractæ visitationis, atque integra acta exhibere.

Nunc omne archidiaconi munus eò redactum est, ut assistat episcopo, cùm generales ordinationes conficit, vocetque eos qui ordines suscepturi sunt. Cùmque archidiaconi nunc ampliùs non sint vicarii nati episcopi, tanta hodiè in singulis inest auctoritas, quanta vel episcopi mandato vel ecclesiæ statuto, vel diuturnâ consuetudine data est. Diaconatûs autem ordine insignitos esse oportet archidiaconos, eosque synodus Tridentina in omnibus ecclesiis, in quibus fieri potest, magistros in theologiâ, seu *doctores*, aut *licentiatos* in jure canonico esse jubet.

Archipresbyter est princeps presbyterorum, eâque dignitate donabantur interdùm qui ætate, interdùm qui sapientiâ præstarent. Si suo fungatur munere archipresbyter in cathedrali, sive in civitate, urbanus dicitur; si in minoribus oppidis, ruralis appellatur. Urbani archipresbyteri officium respicit sacramentorum administrationem, forique interni jurisdictionem; atque ejus præsertim est præsentis episcopi curam levare et vices agere absentis in iis omnibus quæ sacerdotalis officii sunt.

Ruralis est *imperiti vulgi sollicitudinem gerere et presbyterorum, qui per minores titulos*, hoc est, ecclesias *habitant*, puta parochorum, *vitam jugi circumspectione custodire, et quâ unusquisque industriâ divinum opus exerceat, episcopo renuntiare*, cap. 4 de Offic. archipresb. Nunc omnis archipresbyteri auctoritas pendet ex mandato episcopi, ex statuto ecclesiarum, ex consuetudine. Et cùm plerùmque archipresbyter adjunctam habeat curam animarum, hinc hujusmodi beneficia, in quibus hoc onus inest, nemo consequi potest, nisi saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit, atque idoneâ scientiâ et morum integritate commendetur.

§ 9. *De vicariis.*

Cùm archidiaconis adempta est ampla illa potestas, quam pridem à jure habebant, episcopi elegerunt vicarios, quorum auctoritas à suo arbitrio et voluntate penderet. Id verò factum est medio illo tempore, quod inter Gregorianam et Bonifacianam collectionem excurrit. Est autem vicarius, qui vices gerit episcopi, et *generalis* dicitur, quoniam ejus potestas fertur in diœcesim universam.

Vicarius non habet beneficium, sed habet munus, et muneri adjunctum honorem cum jurisdictione, cujus fines episcopi arbitrio constituuntur. Nam ut vicarius ab episcopo eligitur, ita omnem ab eo accipit jurisdictionem. Itaque episcopus suo lubitu potest aut electum vicarium removere, aut unum, vel plures, vel etiam nullum eligere, cùm ipse sine alienâ ope suo per se munere fungi potest. Ubi plures constituti sunt, iique *in solidum*, antefertur potestas ejus, qui primus negotium aliquod occupavit, ubi inter singulos divisa sunt officia, intra eorum fines continere se unusquisque debet.

In Italiâ unus constitui solet vicarius, cui committitur administratio rerum spiritualium et simul etiam contentiosa jurisdictio. Sed in Galliâ, aliisque ultramontanis regionibus officialis à vicario distinguitur. Vicarii potestas ea complectitur quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, officialis autem, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ.

Igitur Italiæ more transit in constitutum vicarium ordinaria episcopi jurisdictio, sed non transit potestas gerendi ea quæ peculiare mandatum postulant, et quæ uni episcopo servantur. Propterea sine speciali mandato non cognoscit causas criminales, in quibus in reum criminis graviùs est animadvertendum, non item, ut plerique sentiunt, causas matrimoniales; non confert beneficia, neque iis permutandis, uniendis, erigendis consensum impertitur, sed instituit præsentatos à patronis, et judicat causas beneficiarias de jure patronatûs, deque ejus quasi possessione; non visitat diœcesim, neque synodum cogit, excepto vicario Romani pontificis, cui licet habere synodum diœcesanam cleri Romani; non indicere collegium canonicorum, eique interesse, ac ferre suffragium potest; non absolvit à casibus episcopo reservatis, neque tollit irregularitates quæ ex occulto crimine procedunt; non denique concedit litteras dimissorias, nisi episcopus in longinquis regionibus diu commoretur. Eòque minùs vicarius generalis aliquid attingere potest eorum quæ sunt ordinis episcopalis.

Vicarii munus rectè obeunt omnes clerici tonsurâ initiati; sed ab eodem arceantur clerici conjugati, minores annis viginti quinque, parochi, canonici pœnitentiarii, et cæteri qui curam habent animarum, demùm imperiti; et ideò necesse est, quòd vicarius generalis vel sacræ theologiæ, vel juris canonici lauream obtinuerit; nisi aliunde viri peritia manifestò constet.

A vicario generali ad episcopum provocare non licet, cùm utriusque tribunal unum idem-

que sit. Expirat autem vicarii jurisdictio, vel si ipse eo munere sese abdicet, vel si ab episcopo removeatur, vel si ipsa episcopi jurisdictio aut obitu, aut pœnâ, aut alio quovis modo extinguatur.

Solent episcopi *foraneos* etiam habere vicarios in oppidis diœcesis suæ, qui mandatâ ab episcopo potestate fruuntur, quæ loco circumscribitur et plerùmque pertinet ad res peculiares. Hi propter locorum distantiam tribunal habent ab episcopo discretum et separatum, ideòque ab iis ad episcopum rectè provocatur. Eo munere fungebantur olim chorepiscopi, archidiaconi, archipresbyteri et decani rurales; sed translatâ archidiaconi potestate ad vicarium generalem, instituti videntur vicarii foranei, quos memorat Innocentius IV in concilio Lugdunensi, et Clemens V in Viennensi.

Sunt et vicarii, qui vel perpetuò, vel ad tempus constituti animarum curam administrant, quæ *habitu,* uti vocant, penes alios est propter ecclesiam parochialem, quæ ipsorum ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis conjuncta est. His certa fructuum portio ex ipsius ecclesiæ reditibus detrahenda episcopi arbitrio tribuitur. Sæpè etiam episcopus, cum simili fructuum portione, constituit vicarios vel ad tempus, vel perpetuò, qui parochi absentis, impediti, imperitive vices gerant. Vicarii perpetui propriam interdùm habent ecclesiam, quæ *filialis* dicitur, respectu habito ad matrem ecclesiam, quæ est titulus parochi, cui subjiciuntur.

Nec prætereundi vicarii nati, quorum potestas non ab arbitrio pendet episcopi, sed à lege, quæ illorum beneficiis illam perpetuò conjunxit. Archipresbyter et archidiaconus sunt vicarii nati episcoporum, et vicarios perpetuos, quorum nunc facta mentio est, vicarios natos parochorum possumus appellare.

Sunt denique vicarii apostolici, quos constituit sedes Apostolica, sive cùm metus est, ne diutiùs ecclesia pastore careat, sive cùm turbas et dissidia fore prospicitur in vicarii capitularis electione, vel cùm episcopus senio, aut aliâ de causâ suum rectè munus gerere non potest, vel demùm cùm episcopus ab administratione suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem hi vicarii interdùm cum charactere episcopali, atque hi creantur episcopi *in partibus infidelium,* interdùm sine hoc charactere; eorum verò potestas noscenda est ex litteris apostolicis, quibus suum officium acceperunt.

§ 10. *De parochis et reliquo clero.*

Inter eos qui episcopo opem ferunt in procuratione diœceseos, nobile inprimis est officium parochorum, qui semel ab episcopo constituti jure proprio concrediti sibi populi curam exercent. Per tria ferè priora Ecclesiæ secula nulla in ecclesiasticis monumentis eorum mentio est. Una in principe diœceseos civitate erat ecclesia, ad quam Christiani omnes non modò urbis, sed etiam vicinorum oppidorum die solis, hoc est, dominico, confluebant, et præsentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per diaconos mittebatur. Huic ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse præerat episcopus, qui suum habebat senatum et presbyterium, hoc est, illi addictos presbyteros, quorum erat episcopo dare operam in Ecclesiæ regimine et administratione.

Cùm aucto Christianorum numero, plures in unâ civitate ecclesiæ conditæ sunt, ad eas episcopus diebus dominicis mittebat ex ecclesiâ cathedrali presbyteros, quorum erat sacra obire munera, et præesse populo qui ad ecclesias illas confluebat. Verùm hi presbyteri non erant perpetui rectores harum ecclesiarum, cùm episcopus eos modò uni, modò alteri committeret ex clericis ecclesiæ cathedralis, eorumque officium finiretur tempore quod ab illo constituebatur. Itaque una tantùm in singulis civitatibus erat ecclesia, quæ propriè parochia, uti nunc est, dici posset, nimirùm ecclesia cathedralis; reliquæ minores ecclesiæ nulli separatim presbytero addictæ erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de ecclesiâ episcopi mittebantur.

Constitutæ sunt parochiæ primùm in vicis et villis, quarum incolæ cùm ad civitatem commodè ire non possent, eorum gratiâ ibi conditæ sunt ecclesiæ, quibus præpositi sacerdotes, qui populum illum regerent, muneraque ecclesiastica exercerent. Seriùs in civitatibus ortæ sunt parochiæ, neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cùm enim ea res tota ab episcoporum arbitrio penderet, alii citiùs, seriùs alii parochos in civitate constituerunt, uti major, minorve numerus Christianorum, eorumque utilitas, atque necessitas postulabat.

Præcipua parochorum munera sunt sacrificium pro populo offerre, divinum verbum

nuntiare, sacramenta administrare. Debet enim unusquisque parochus, sive dives, sive pauper, pro populo sibi commisso cunctis dominicis, festisque diebus sacrificium offerre. Licet tamen parochis, qui gravi inopiâ laborant, cum episcopi veniâ festis diebus accipere, quod à pio aliquo homine datum est, et pro eo missam offerre, modò infra hebdomadam pro populo rem divinam conficiant, quam féstis diebus conficere debuissent.

Debent etiam parochi non solùm pueros rudesque homines christianæ religionis rudimenta edocere, sed etiam cunctis saltem dominicis diebus, et in festis solemnibus sermonem ad populum habere de rebus divinis, eique explicare quæ ad æternam salutem omnibus sunt necessaria. Hùc etiam refertur munus nuntiandi festos dies, indulgentias, jejunia et cætera quæ emerserint, ecclesiæ præcepta, ne populi ignorantiâ violentur.

Denique eorum etiam est administratio sacramentorum. Quare Lateranense concilium non modò sancivit, ut Christiani omnes in Paschate à proprio parocho Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta suscipiant, sed etiam Tridentinum monuit, ab eo solo, exceptis Confirmatione et Ordine, generatim licitè suscipi sacramenta. Sed nunc cùm privilegia regularium et frequentes episcoporum concessiones quamplures extra ordinem sacramentorum ministros induxerint, ab iis etiam, modò se contineant intra fines concessionis, ea probè suscipiuntur, et jus parochorum redactum est ad paschalem communionem, ad viaticum, ad extremam Unctionem.

Cæteri clerici generatim satisfacere debent oneri quod conjunctum est beneficio quo fruuntur. Quidam eorum præpositi sunt sacellis, hospitalibus, aliisque locis; et hi curam gerunt præfecturæ quam exercent, suisque fruuntur juribus ac privilegiis, et capellani, rectores, gubernatores appellantur. Quidam autem nullum habent onus, præter quotidianam recitationem divinarum precum, quas *officii* nomine comprehendimus, et hi simplex beneficium habere dicuntur.

TITULUS IV.

QUIBUS MODIS POTESTAS ORDINIS ACQUIRATUR.

Omnes clericorum gradus et officia, atque universam singulorum potestatem sumus persecuti; proximum est ut videamus, quemadmodùm ipsi hanc potestatem consequantur. Initium capiemus à potestate ordinis, quam clerici acquirunt vel consecratione, vel ordinatione. Consecratio ad episcopos, ordinatio ad sacerdotes, cæterosque clericos pertinet.

§ 1. *De consecratione episcoporum.*

Episcoporum consecratio manibus impositis et divino invocato Spiritu maximè perficitur, quanquàm et alii ab Ecclesiâ ritus ac cæremoniæ adhibeantur. Nam recitatis initio litteris cancellariæ apostolicæ de collato episcopatu, consecrandus præstare debet Romano pontifici juramentum obedientiæ et fidelitatis, cujus formula in Pontificali Romano descripta est; deinde examen conficitur, super electi humeros atque cervicem imponuntur codices Evangeliorum, recitantur preces, funditur benedictio, caput et manus sacro chrismate unguntur, tum benedicuntur (nisi hæc omnia primùm benedicta fuerint) baculus pastoralis, annulus, mitra, chirothecæ. Accipit etiam episcopus, antequàm consecretur, crucem, quam ante pectus gestat.

Olim episcopum metropolita consecrabat, metropolitam senior episcopus provinciæ, cæteris tamen utriusque consecrationis causâ ad synodum vocatis, atque in principe vacantis ecclesiæ templo congregatis. Ibi enim coram populo atque clero consecrationem absolvere oportebat. Hodiè, posteaquàm summo pontifici sunt reservatæ ecclesiæ cathedrales, vel ab ipso, vel ejus mandato fiunt episcoporum consecrationes. Episcopi, qui Romæ consecrationem accipiunt, aut ab aliquo cardinali, aut ab aliquo ex quatuor majoribus patriarchis, qui in urbe commorantur, mandato summi pontificis consecrandi sunt. Cæteri verò episcopi, qui extra urbem consecrantur, suo arbitrio episcopum eligunt, cui datur mandatum apostolicum, ut eorum consecrationem absolvat, vel in ipsâ, cui præesse debent, ecclesiâ, vel saltem in provinciâ.

Tres adhibentur episcopi in consecratione; ea peragenda est die dominico, aut aliquo die festo Apostolorum, post actum superiori sabbato jejunium effusasque preces, horâ tertiâ, quâ scimus Spiritum sanctum è cœlo in Apostolos delapsum. Tempus consecrationi præfinitum est trium mensium, quibus elapsis, si episcopus consecrari neglexerit, perceptos fructus amittet, atque etiam ecclesiâ privabitur, si tres alios ultra menses consecrationem protraxerit. Consecratus verò acquirit ordinis potestatem, quam tamen metropolita et patriarcha solùm post acceptum pallium exercere

possunt; ejus matrimonium cum Ecclesiâ *consummatum* efficitur; et vacant beneficia, quibus ipse antea fruebatur.

§ 2. *De presbyterorum et aliorum clericorum ordinatione.*

Plures etiam cæremonias adhibet Ecclesia in presbyterorum ordinatione. Præcipuæ sunt, ordinandis manus imponere, preces super eos recitare, divinum Spiritum invocare, illorum manus oleo catechumenorum inungere, vasa demùm tradere pro sacrificio. Diaconis quoque, dùm ordinantur, manus imponit episcopus, funduntur preces, Evangeliorum libri traduntur. In ordinatione subdiaconorum, acolytorum, cæterorumque clericorum traduntur instrumenta, quæ ordinis cujusque sunt propria, missisque precibus eorum ordinatio perficitur.

Dignus ordinatione locus est ecclesia cathedralis, illaque certis statisque diebus fieri debet. Majores ordines die sabbati in omnibus quatuor anni temporibus, ac sabbato sancto et sabbato ante dominicam passionis inter missarum solemnia conferuntur. Qui extra statuta tempora sacros ordines suscepit, eorum muneribus fungit, et episcopus qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur. Minores autem ordines quolibet die festo de præcepto etiam extra missam, sed ante meridiem conferuntur; tonsura autem quocumque loco, horâ, die.

Gradatim præterea conferendi sunt ordines et qui ad majorem ordinem, neglectis mediis, ascendit, quem *per saltum promotum* dicimus, is, si dolo careat, tamdiù suscepti ordinis munus exercere prohibetur, quamdiù labatur tempus necessarium ad ordinem, quem omisit; et si non ministraverit, poterit cum eo episcopus, ut inquit synodus Tridentina, *ex legitimâ causâ dispensare.*

Sed et certa intervalla temporum, quæ *interstitia* vocantur, inter unum atque alterum ordinem debent intercedere, eaque non tantùm in majoribus, sed etiam in minoribus ordinibus servanda sunt. Vetus in Ecclesiâ est lex interstitiorum; et licet olim aliqui interdùm minores ordines impunè omitterentur, nunquàm tamen rectè quis poterat, nullo interjecto spatio, pluribus ordinibus initiari. Hodiè minorum ordinum interstitia episcopi arbitrio permissa sunt, quod arbitrium tam latè patere non debet, ut sine justâ causâ nulla adhibeantur. Quod attinet ad interstitia majorum ordinum, saltem unius anni spatium inter unum atque alterum ordinem debet intercedere, nisi aliud episcopo videatur ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem.

Ne autem clericus, cum dedecore sui ordinis, aut stipem quærere, aut sordidum aliquod munus exercere cogatur, nemo sacris est initiandus ordinibus, exceptis regularibus, nisi beneficium habeat, aut pensionem, aut patrimonium quod suppeditet ad cultum et ad victum, quodque nullis subjici oneribus, neque alienari potest, nisi clericus aliunde habeat quod suppetat ad decentem ejus tuitionem. Qui decepto episcopo falsum obtulit, aut simulatum patrimonium, suspenditur à susceptis ordinibus, donec illud integrum atque legitimum obtineat; et episcopus, qui sciens prudens clericum sine beneficio, aut patrimonio ordinavit, cogitur ei præstare necessaria ad vitam honestè transigendam, donec aptum atque conveniens beneficium consequatur.

Utque ordo clericalis turpitudine omni careat, et idoneâ scientiâ sit præditus, necesse est inquirere in vitam, mores, scientiam singulorum, antequàm ordines suscipiant, quod examen qui subterfugerit, prohibebitur obire munus ordinum susceptorum, si ordinandis se clam inseruerit, aut episcopum deceperit. Quin etiam si quis sacris se miscuerit officiis, cùm non esset ordinibus initiatus, spem ordinum amittet in posterum, atque ab ecclesiâ abjicietur.

Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani pontificis, episcopi in diœcesi suâ. Alienæ diœceseos hominem ordinare quis nequit, nisi ab ejus episcopo veniam acceperit litteris quas appellant *dimissoriales.* Dabantur olim hæ litteræ, ut clericus dimitteretur ab ecclesiâ cui erat addictus, atque ut alteri ecclesiæ adscribi posset; nunc dantur ut ordinetur ab episcopo non suo, sed is tamen, ut antea, pertinet ad suum episcopum, cùm hodiè tantùm suscipiendorum ordinum gratiâ clerici dimittantur.

Episcopus qui sine litteris dimissoriis alienum subditum ordinavit, anni spatio ordinum collatione interdicitur; ipse autem clericus susceptos ordines exercere non potest, nisi primùm à suo episcopo veniam obtineat. Diu in utrâque ecclesiâ proprius episcopus is tantùm fuit, qui aliquem primùm clero adscripserat. Nulla enim habebatur ratio originis aut domicilii; et cùm clericus relinquere non

posset ecclesiam cui adscriptus in ordinatione fuerat, ab ejus episcopo reliquos etiam ordines suscipiebat.

Sed deinceps non ampliùs prioris ordinationis, verùm *originis* et *beneficii* ratio haberi cœpit. Accessit recentiori ætate titulus *domicilii*, ac denique titulus etiam *familiaritatis*. Itaque certo episcopo nunc omnes subjecti sunt aut propter *beneficium*, quod aliquis habet in ejus diœcesi, aptum et conveniens ad decentem ipsius tuitionem; aut propter *originem*, cùm nimirùm ipse in ejus diœcesi natus est, non fortuitò, sed domo pridem à parentibus constitutâ; aut propter *domicilium* quod quis in ejus diœcesi perpetuum fixumque posuit; aut propter *familiaritatem*, cùm per triennium episcopo familiaris fuit, et cum eo commoratus est.

A quolibet episcopo, cui quis subest propter *beneficium*, aut *originem*, aut *domicilium*, aut *familiaritatem*, ordines suscipere potest, quin etiam, modò fraus absit, ordo unus ab uno episcopo et alius ab alio rectè suscipitur. Verùm cùm episcopus ordines confert jure *beneficii* aut *familiaritatis*, necessariæ sunt litteræ testimoniales episcopi originis et domicilii, per quas comperta sit vita, ætas, natales, mores clerici qui ordines suscepturus est. Regulares autem, exhibitis litteris dimissoriis sui superioris, ordinandi sunt ab episcopo, cujus in diœcesi situm est cœnobium in quo commorantur, non item ab alio episcopo, nisi certis monumentis ostendant, illum vel abesse, vel ordinationes non habere.

Certa etiam pro singulis ordinibus ætas requiritur, quâ in re varia fuit antiquæ Ecclesiæ disciplina (1). Nunc tonsura et minores ordines ante exactum septimum ætatis annum non conferuntur (1); subdiaconus autem nemo

(1) De ætate ordinandorum non eadem semper fuit Ecclesiæ disciplina, quod latè ostendit Thomassinus vet. ac nov. eccles. Discipl. part. 1, lib. 2, cap. 67 et seq. Diù viguit consuetudo, ut parentes Ecclesiæ offerrent infantes filios, qui in clerum cooptabantur, ac suo deinceps tempore per gradus ad superiores ordines evehebantur, cùm antea singulorum minorum ordinum officia exercuissent. Quo fiebat, sicuti observat cardinalis Bona, Rer. liturgic. lib. 1, cap. 25, § 18, t. 2, pag. 374, edit. Taurin. 1749, « ut rerum ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsâ penè « infantiâ enutriti. » Quam parentum oblationem tanti valuisse multi putant, ut filii etiam cùm puberes evaserant, deserere non possent illud vitæ institutum, cui parentes eos vel infantes, vel impuberes addixerant. Certè in concilio Chalcedonensi ex interpretatione Dionysii Exigui act. 15, can. 7, t. 4 conc. Labbei col. 1697, ed. Venet., habentur hæc : « Eos qui « semel in clero taxati fuerint, sive in monasteriis deputati, decrevimus neque ad mili- « tiam, neque ad honores seculi venire. » Pueros autem à parentibus oblatos in ipsâ infantiâ tonsos fuisse, ac lectoratûs ordine insignitos, adeò ut reverà in clero deputati dicerentur, non obscurè tradit concil. Toletanum. II, can. 1, t. 5, col. 878, coll. ejusd., cùm inquit, hos pueros, *mox* fuisse *detonsos et ministerio lectorum contraditos*. Quod etiam ostendit Cyrillus Scythopolitanus in Vit. S. Euthymii abbatis; Analector. Græcor. tom. 1, p. 8 et 9, Paris. 1688, ex quo intelligimus, ipsum Euthymium triennem Otreio Melitinensi episcopo oblatum fuisse, « qui susceptum puerum baptizavit, et « totondit, commissæque sibi ecclesiæ lectorem « fecit, atque in episcopio accepit et enutrivit. » Quibus ex locis, meo judicio, perspicuum est, pueros à parentibus oblatos statim tonderi, ac lectoratûs ordine donari consuevisse, quanquàm non ignorem, plures esse viros doctos, quorum in animis alia insidet opinio. Utut eâ de re sit, profectò si hæc parentum oblatio efficiebat, ut hi pueri reverà clerici fierent, non item efficiebat ut perpetuam castitatem servare cogerentur. Nam ipsis integrum erat, posteaquàm adoleverant, aut uxorem accipere, aut suscepto subdiaconatu sese perpetuæ continentiæ lege obstringere. Rem omnem explicat disertissimè laudatus canon 1 concilii Toletani II, cujus hæc verba sunt : « De his, quos « voluntas parentum à primis infantiæ annis « clericatûs officio mancipârit, statuimus ob- « servandum, ut mox cùm detonsi, vel mini- « sterio electorum contraditi fuerint, in domo « ecclesiæ, sub episcopali præsentiâ, à præpo- « sito sibi debeant erudiri. At ubi octavum de- « cimum ætatis suæ compleverint annum, co- « ram totius cleri plebisque conspectu, volun- « tas eorum de expetendo conjugio ab episcopo « perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo « inspirante, placuit..., primùm subdiaconatûs « ministerium habitu probationis suæ à vice- « simo anno suscipiant. » Quod cautum erat de omnibus, qui se clero adscripserant, ut cùm ad pubertatis annos venissent, vel *uxorem ducerent*, vel *continentiam profiterentur*, uti loquitur concil. Carthaginense III, can. 19, tom. 2 col. 1402 collect. indic. Poterant hi quidem minores clerici uxorem accipere, sed non poterant à clericatûs professione recedere, quod latè ostendit Thomassinus vet. et nov. eccles. Disciplin. part. 2, lib. 1, cap. 2, tom, 2, pag. 24 edit. cit. Dicam paulò post de pueris, quos parentes monasterio offerebant. Hujus autem disciplinæ de filiorum oblatione *moderationem paucis abhinc seculis inductam esse* monet Benedictus XIV, in litteris datis ad P. Hieronymum Guglielmi 15 decemb. 1751, quæ extant in ejus bullario tom. 3, Const. 54, § 3, pag. 240, edit. ann. 1754. Consule Morinum de sacr. Ordinat. part. 3; exerc. 13, de tonsurâ clericali, cap. 3; Bosquetum in notis ad epist. 136 Innocentii III, lib. 2, reg. 14, pag. 151; Martenium de antiq. eccl. Ritib. lib. 1, part. 2, cap. 8, art. 3, num. 2, tom. 2, pag. 6, edit. cit. Thomassinum vet. et nov. eccles. Discipl. part. 2, lib. 1, cap. 23 et 24, pag. 41, ibid.

(1) Nullam pro tonsurâ et minoribus ordi-

esse potest, nisi vigesimum secundum, diaconus, nisi vigesimum tertium, presbyter, nisi vigesimum quintum ætatis annum attigerit (1). Qui ante hanc ætatem, non impetratâ veniâ sedis Apostolicæ, vel ab alieno episcopo, sine litteris dimissoriis episcopi sui, ordinibus initiatus est, susceptorum ordinum munera exercere prohibetur, et si exercuerit, irregularis efficitur (2).

nibus ætatem expressè constituit synodus Tridentina, sed ea res episcopi arbitrio relinquitur, qui pueros ordinare poterit eâ ætate, quâ ipsos ad hoc munus aptos et idoneos judicabit. Generatim tamen post septennium minores ordines conferuntur. Vide Catalanum in Pontific. Roman. tit. 2, § 1, num. 9, part. 1 p. 28, et Fagnanum in cap. *Super inordinata* de Præbend. num. 27, ad ult.

(1) Concil. Trident. sess. 23, cap. 12 de Reform. De subdiaconorum ætate non eadem semper et ubique fuit antiquæ Ecclesiæ disciplina. Concil. Toletanum II, loc. cit., et Trullanum can. 15, col. 1354, tom. 7 cit. collect. Labbei, ætatem constituunt annorum viginti; concilium Melfitanum can. 4, col. 781, tom. 12 collect. ejusd., anno decimo quarto aut decimo quinto subdiaconos ordinari permittit. Hugo à S. Victore de Sacram. lib. 2, cap. 21, pag. 614, tom. 3 opp., edit. Rothomag. 1648, suâ adhuc ætate ante quartum decimum ætatis annum subdiaconatum dari non consuevisse testatur; et Clemens V, in Clement. *Generalem de ætat. et qualit. ordin.*, annum decimum octavum definivit. Diaconos verò ante annos 25, presbyteros ante annos 30 ordinari vetat c. 5 et 6, dist. 77.

(2) Ita sancitum est à Pio II, Constit. *Cùm ex sacrorum* 9, tom. 3, part. 3, pag. 109 Bullarii, edit. ult. Graviores, quàm quæ hâc constitutione comprehenderentur, pœnas indixit Sixtus V in cit. constit. *Sanctum* 140, p. 40, tom. 5, part. 1, sed eas sustulit, et antiquiorem Pii II constitutionem, cujus nunc facta mentio est, servari voluit Clemens VIII cit. Constit. *Romanum* 121, pag. 97, tom 5, part. 2 Bullarii edit. cit. Piana constitutio tantùm memorat ordines sacros, ex quo conficit Rigantius ad regul. 24 cancell. § 4, num. 22, eâ pœnâ tantùm illos esse plectendos, qui majores, non item qui minores ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora à jure constituta, vel sine litteris dimissoriis proprii episcopi susceperunt; quanquàm num. 24, fateatur, hos etiam clericos, cùm absit bona fides, à susceptorum ordinum exercitio esse suspendendos. Verum id quidem est, quod dicitur de Pianâ constitutione; sed Innocentius XII in cit. Constit. *Speculatores*, « eo ipso suspensos à susceptorum ordinum executione declarat clericos, » qui sine litteris testimonialibus proprii episcopi, tonsuram atque ordines susceperunt.

TITULUS V.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS ET OMNIA ECCLESIASTICA BENEFICIA ACQUIRANTUR.

Potestatem jurisdictionis acquirunt clerici vel ecclesiastico magistratu, vel delegatione. Qui jurisdictione utuntur suâ, et insitâ beneficio, quo fruuntur, ii propriè dicuntur gerere ecclesiasticum magistratum; qui non propriam et nativam, sed ab alio acceptam jurisdictionem exercent, ii delegationem habent, uti sunt vicarii, de quibus superiori loco actum est. Ecclesiasticum magistratum clerici consequuntur per electionem, postulationem, collationem, institutionem, quæ nimirùm pertinent ad beneficia juris patronatûs. Iisdem etiam modis omnia ecclesiastica beneficia acquiruntur.

§ 1. *De electione.*

Electio est idoneæ personæ ad ecclesiasticum magistratum, aut dignitatem vacantem canonicè facta vocatio. Ea propriè pertinet ad majores Ecclesiæ dignitates, ad summum pontificem, ad episcopos, ad prælatos sive seculares, sive regulares, qui aliis præficiuntur.

Romanum pontificem ab antiquis temporibus eligunt cardinales, de quo multæ sunt editæ constitutiones, quas servare oportet diligenter, ut res tanti momenti ritè rectèque expediatur. In hâc electione præcipua sunt, quòd post soluta justa funeri defuncti pontificis, per dies novem, cardinales die decimâ conclave ingrediuntur, posteaquàm missa Spiritûs sancti solemniter celebrata est. Postero autem die inchoatur electio, neque cardinales, qui in conclavi sunt, absentes expectare coguntur, neque absentibus licet suffragium suum alteri committere.

Cùm electio fit per scrutinium (nam fieri potest etiam per compromissum et quasi inspirationem, quos singulos eligendi modos paulò post explicabimus), non tantùm *scrutinium*, sed etiam *accessus* adhibetur. Nimirùm cùm publicato scrutinio, nemo electus deprehenditur à duabus ex tribus eligentium partibus, quas postulat electio summi pontificis, novum *in accessu* suffragium ferre possunt cardinales, et ita conficere justum numerum suffragiorum, quo opus est, ut canonicè electio absolvatur. Omnes qui præsentes sunt cardinales, exceptis iis qui in sacris constituti non sunt, jus habent ferendi suffragii, neque re-

pelli quis potest, quòd excommunicatus sit, suspensus, interdictus.

Episcopos in illis Ecclesiæ primordiis Apostoli ipsi constituerunt, inprimis autem Petrus caput et princeps omnium, à quo præsertim Occidentales Ecclesiæ originem repetunt. Verùm ampla illa, quæ in Apostolis inerat, potestas regiminis aut jurisdictionis, cum ipsis Apostolis expiravit, non ad eorum in episcopatu successores translata est; tantùm Petri potestas, cui cæteri suberant, ordinaria fuit, atque ad ejus successores deferri debuit. Itaque vitâ functis Apostolis, tantùm Petri successores Romani pontifices episcopos constituere potuerunt eodem jure quo Petrus ipse constituerat; atque hæc sanè fuit vetustissima Ecclesiæ disciplina.

Lapsu temporis, constitutis episcopatibus et ampliatis eorum regionibus, factâque provinciarum divisione, ut res omnis commodiùs expediretur, episcoporum electio metropolitis ac synodis provincialibus commissa est. Verùm posterior hæc disciplina nihil detrahere potuit de jure summi pontificis, ad quem initio pertinebat episcopos constituere. Itaque Romani pontifices etiam cùm à metropolitis synodisque provincialibus episcoporum electio perficiebatur, eâ in re sui jura primatûs exercuerunt, constitutis legibus quas temporum ac locorum ratio postulabat. Atque his quidem legibus factæ semper sunt episcoporum electiones, et verò factæ ab iis quibus hoc negotium summi pontifices commiserunt. Itaque si ea quæ in episcopis eligendis, à sede Apostolicâ immutata sancitaque sunt, perperam et injuriâ gesta dicamus, legitimam cum Protestantibus episcoporum successionem tollemus; at si catholici esse volumus, et legitimam hanc successionem agnoscere, profectò rectè omnia et jure facta habeamus necesse est.

Jam verò ad clerum delatis episcoporum electionibus, is porrò eligebat, seu potiùs aliquem designabat, præsente ac testimonium dicente populo, ne episcopus daretur invitis, utque in omnibus essent comperti mores ejus, qui eligebatur. Præcipuæ tamen erant in electione partes metropolitæ et episcoporum provinciæ, qui propriè eligebant episcopum, et qui suo lubitu rejiciebant postulatum, aut nominatum, ubi minùs idoneus videretur.

In Ecclesiis compluribus, potissimùm si quod erat periculum, ne qua in electione dissidia essent futura, metropolita ad viduatam ecclesiam mittebat episcopum visitatorem, cujus erat edocere populum, quid esset de eligendis episcopis à canonibus constitutum, et motus componere animorum, qui contrariis studiis raperentur. Ita clerici, monachi, laici cum episcopo visitatore certum hominem laudabant, atque inde decretum conficiebatur. Re perlatâ ad metropolitam, is, accitis provinciæ episcopis, aut eum, de quo canonicum decretum factum fuerat, episcopum consecrabat, aut si quid ei officere et obstare animadverteret, alium episcopum eligebat. Seculo tamen XII jus eligendi episcopos ad solos viduatæ ecclesiæ canonicos migravit, quod jus est decretalium Gregorii IX.

Tandem post Clementem V, Benedictum XII, cæterosque pontifices, episcoporum electiones sedi Apostolicæ reservatæ sunt. Avertenda nimirùm erant mala complurima, quæ in ipsis electionibus, ex ambitione hominum, ex dissensione studiisque partium oriebantur. Quibus rebus cùm remedium adhibere oporteret Romanos pontifices, factum est ut ipsi servarent sibi episcoporum electiones, ut Ecclesiæ consulerent, ut dissidia tollerent, ut favorem et gratiam arcerent, ut ratio haberetur una meritorum.

Neque verò summi pontifices aliquid de alieno jure usurpârunt, uti jactant homines in sedem Apostolicam malè animati, sed potiùs repetière jus suum, quod Ecclesiæ sollicitudo, ac ratio temporum repetere cogebat. Nam initio jus constituendi episcopos, uti demonstratum supra est, proprium erat pontificum Romanorum, qui deinceps eligendi potestatem concesserunt synodis provincialibus, clero, metropolitis, capitulis canonicorum. Cùm hi omnes concessâ sibi potestate abuterentur, cùm leges in electionibus observandas despicerent, cùm in iis ambitio, simonia, studia partium, cætera hujuscemodi dominarentur, consequens erat ut creatio episcoporum ad eum rediret, in quo jus hoc semper hæserat, et à quo potestas omnis in inferiores derivata fuerat. Ita *jure devolutionis*, justissimisque de causis integrata est vetus disciplina, per quam summus pontifex suo jure episcopos constituebat.

Initio Clemens V sedi Apostolicæ reservavit Ecclesias, quarum episcopi in Romanâ curiâ decedunt. Benedictus XII, præter episcopatus in curiâ vacantes, alias etiam fecit reservationes. Denique post editas regulas cancellariæ, generatim summo pontifici servata est electio,

et collatio omnium cathedralium ecclesiarum.

Ob hanc rem turbæ in Ecclesiâ factæ sunt, quas sustulerunt *concordata*, hoc est, pacta conventa inter sedem Apostolicam et potentissimos Europæ principes. Nicolaus V ita cum natione Germanicâ rem composuit, ut in Germaniâ episcopi à canonicis eligantur, servatâ summo Pontifici eorum confirmatione. Leo X, abrogatâ pragmaticâ sanctione, quam ediderat pseudo-concilium Basileense adversùs pontificias reservationes, Galliarum regi permisit nominationem idonei viri, qui tamen à summo pontifice in consistorio creandus esset episcopus ecclesiæ ad quam fuerat nominatus. Denique alia etiam inita sunt pacta, sive concessa indulta et privilegia regibus Hispaniarum, Lusitaniæ, Pannoniæ, aliisque principibus, qui nunc ad cathedrales ecclesias ditionum suarum vel nominationem habent, vel præsentationem, vel supplicationem, ut pragmatici loquuntur, pro viris idoneis et episcopatu dignis.

Pertinent hæc ad episcoporum electiones. Prælati autem cæteri, vel seculares, vel regulares, aut nominantur à principibus, ut eos pontifex confirmet, vel eliguntur à collegio illorum quibus præficiuntur.

Electio canonica esse debet, ut vim habeat; atque ut canonica sit, duo præsertim spectare decet, primum, qui eligere, alterum qui eligi possint. Omnibus, qui sunt è gremio capituli, jus est eligendi, et cunctos, qui eo jure frui possunt, vocare decet, ne si aliquis prætermissus est, querelam proponat suam ut electio irrita declaretur. Absentes vocantur per litteras, nisi in remotis locis commorentur; nemo invitus interesse cogitur electioni, et qui interesse nequit propter justum impedimentum, rectè suffragium suum committit uni ex canonicis, vel etiam extraneo, si capitulum consenserit.

Carent eligendi jure furiosi et amentes, in sacris non constituti, suspensi, qui personali interdicto, aut majori excommunicatione tenentur, canonici supra numerum, carentes ætate quam statuta postulant; denique prohibetur quis semetipsum eligere. Quidam etiam ad tempus amittunt eligendi potestatem, et hi sunt qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quæ electio nullius momenti est; præterea negligentes eligere intra tempus à jure definitum, et canonicam in eligendo formam contemnentes, et indignum scienter eligentes. Quæ potestas, pro eâ vice, quâ ii deliquerunt, devolvitur ad reliquos canonicos non delinquentes, et si omnes deliquerint, statim delabitur ad summum pontificem, si tantùm neglexerint, ad proximum superiorem.

Ut verò quis creetur episcopus, exiguntur justi ac legitimi natales, et sana religio, et morum virtus, et idonea scientia, et laurea sacræ theologiæ, jurisve canonici, aut publicum alicujus academiæ testimonium, quo ad alios docendos idoneus ostendatur. Excluduntur ab episcopatu minores annis triginta, irregulares omnes, criminosi, excommunicati, suspensi, interdicti, qui contra canonum decreta pluribus fruitur beneficiis, quæ incompatibilia dicuntur, qui alium habet episcopatum, nisi eo se abdicare paratus sit, qui saltem sex ante menses, quàm eligatur, sacros ordines non susceperit; denique qui scienter elegit indignum, eligi per triennium nequit.

Episcopi electio facienda est intra tres menses, ut plurimùm in templo cathedrali, et cùm vacua est ecclesia, adeò ut irritum sit quidquid vivo episcopo gestum fuerit. Lapso hoc tempore jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem.

Tribus autem modis, alio præterea nullo, electio perficitur, *per scrutinium, compromissum,* et *quasi inspirationem,* cap. *Quia propter* 42, de Elect. Fit *scrutinium* electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quæ certa et vacua conditione atque ambiguitate esse debent, eaque colligenda sunt *secretò,* ut plurimùm in scriptis *singillatim,* non à pluribus conjunctim, *justo ordine*, ut scrutatores invicem à se ipsis suffragia excipiant, deinde à cæteris secundùm ordinem et prærogativam gradûs, quem unusquisque obtinet, *diligenter,* ut vel ipsi vel iis præsentibus, tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, hoc est, patefaciant, ut electus censeatur, in quem major et sanior pars capituli consensit.

Major pars æstimatur, respectu habito ad omnes illos qui electioni intersunt, et ideò si eorum collegium constet, ex. gr., canonicis quindecim, nemo ritè electus habetur, nisi octo suffragia obtinuerit. Si desit justus hic numerus suffragiorum, nihil agitur, sed electio consequenti die iteranda est, ac tamdiù repetenda, donec quis à majori parte eligatur. Absolutâ et patefactâ electione, conficitur de-

cretum, quod subscribunt eligentes, quibus tunc omnis variandi potestas adimitur.

Alter modus eligendi est *per compromissum*, quando à capitulo, nemine dissentiente, uni, vel pluribus, etiam extra gremium capituli existentibus clericis, electio committitur. Potestas compromissariis data, re non integrâ, revocari nequit, et cùm ii, servatis compromissi legibus, idoneum elegerunt, in eum consentire omnes debent, eumque habere episcopi loco.

Denique *per quasi inspirationem* electio absolvitur, cùm electores omnes quasi divino Spiritu afflati in eum repentè feruntur, de quo antea vix cogitaverant.

Electiò ritè absoluta electo mox offerenda est, ejusque consensus petendus, quem intra mensem, ne cadat jure suo, debet emittere, et præterea intra menses tres à superiore petenda est confirmatio. Sed episcopi et cæteri qui à summo pontifice confirmandi sunt, intra mensem iter arripere debent ad sedem Apostolicam et ab eâ petere confirmationem vel per se ipsos, vel per idoneum procuratorem, sumpto tempore ad itineris longinquitatem necessario.

Ideò verò desideratur confirmatio, ut in electionis rationem, in mores, atque in merita electi sedulò inquiratur. Nam per eam episcopus consequitur jurisdictionis potestatem, quam si exerceat ante confirmationem, jus amittit ex electione quæsitum.

Olim confirmatio à metropolitâ fiebat, et cùm eam, ut plurimùm, statim exciperet consecratio, vix ab alterâ distinguebatur, adeò ut episcopus utramque simul potestatem et jurisdictionis, et ordinis, acquirere videretur. Verùm confirmatio et consecratio duo semper distincta fuerunt, ac semper firmum immotumque fuit, per illam jurisdictionis, per hanc verò ordinis conferri potestatem. Nunc primùm episcopi ab aliis electi, aut nominati, à summo pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur, uti demonstratum supra est. Cùm extra curiam Romanam electi mores, et cætera scitu necessaria expenduntur, *processus* conficitur vel à nuntio apostolico, vel ab ordinario, vel si hic desit, à vicinioribus ordinariis, et inde ad Urbem transmittitur, ubi, cunctis diligentissimè perpensis, in consistorio refertur ad summum pontificem, quæ *præconizatio* dicitur; deinde in altero consistorio judicium fertur, quæ dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod, consultis cardinalibus, à summo pontifice emittitur. Episcopi Italiæ atque insularum adjacentium coram summo pontifice à cardinalibus, prælatis, atque aliis sacræ theologiæ et juris canonici peritis viris diligenti atque improviso examine probantur, eorumque processus in urbe conficitur, antequàm episcopatum obtineant.

§ 2. *De postulatione.*

Cùm aliquis eligendus est, qui canonico impedimento laborat, ita ut ejus electio rata firma haberi non possit, rogare oportet eum cui jus est dandæ veniæ, ut vitium illud et impedimentum removeat. Quod fit per postulationem, quæ est petitio, à collegio electorum apud majorem potestatem facta, ejus, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest; ea verò respicere debet duntaxat illos quorum tolli impedimentum solet et potest, cæteri inutiliter postulantur.

Differt ab electione postulatio, quòd hæc gratiæ innititur, illa juri; hâc superiori offertur, qui idoneus non est, ut ab eo vitium et impedimentum avertat, illa qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quæ ritè facta est, electores consilium mutare non possunt, possunt in postulatione, antequàm ea superiori offeratur; electus consentire in suam electionem potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si eadem rata habeatur; denique electio à majori suffragiorum parte perficitur, postulatio, ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat.

In cæteris eadem est electionis et postulationis ratio; et qui eligendi, ii etiam postulandi jus habent. Præstat tamen electio postulationi, et ideò si pars capituli aliquem elegerit, pars verò postulaverit, tunc tantùm postulatio electioni præfertur, cùm postulantium numerus duplò major est numero eligentium. Postulatio autem, ut electio, examinanda est, et postulantes adire debent superiorem, qui jus habet confirmandæ electionis. Sed hodiè generatim omnes, quibus vel ætas, vel alius episcopatus, vel quidvis aliud impedimento est, quominùs eligi possint, à sede Apostolicâ veniam, sive, ut pragmatici vocant, *indultum eligibilitatis* impetrare solent.

§ 3. *De collatione.*

Collatio est modus alius, quo ecclesiasticos magistratus et beneficia adipiscimur. Definitur beneficii vacantis ab habente potestatem

liberè facta concessio. Summo jure collatio dupliciter differt ab electione. Primùm, quòd electio locum habet in beneficiis, quæ vacua viduam faciunt ecclesiam, uti episcopatus, abbatiæ, collatio in cæteris; deinde quòd electio fit à pluribus, uti sunt collegia canonicorum, collatio ab uno solùm rectissimè absolvitur. Sed moribus hominum et consuetudine factum est, ut quibusdam in locis dignitates etiam capitulorum electione tribuantur, atque interdùm electio dicatur ea beneficii concessio, quæ ab uno conficitur.

Collator est omnium beneficiorum suæ diœceseos episcopus; sed lex aliqua sæpè impedimento est, quominùs ipse certa beneficia conferre possit. Atque hùc spectant apostolicæ reservationes, per quas certorum beneficiorum collatio pertinet ad summum pontificem; hùc leges, consuetudines, fundationes, per quas certa beneficia vel ab episcopo cum capituli consensu, vel conjunctim cum eo, vel alternatim, vel à solo capitulo conferuntur. Quas fundationes, consuetudines, leges, quæ in unaquâque Ecclesiâ vigent, tenere, ac servare diligenter decet.

Sed summus etiam pontifex, cujus potestas fertur in omnes diœceses, omnium beneficia conferre potest; et ideò sibi meritò quorumdam collationes reservavit. Eo jure certè usus est S. Gregorius Magnus, quem suspicari non licet jus alienum invadere, et rem non suam arripere voluisse. Seculo præsertim XII jus hoc explicabatur per triplex genus litterarum, quæ conferendi ratio cùm minùs commoda videretur, satius visum est litteris consignare certas beneficiorum reservationes, ut omnes intelligerent, quorum collatio ad summum pontificem, quorum ad episcopos atque ad cæteros pertineret.

Tunc igitur stabilitæ sunt reservationes, quæ sanè sunt dissimiles ab affectionibus, et hinc alia sunt beneficia, quæ reservata, alia quæ affecta dicuntur. Affecta sunt ea quibus conferendis se miscuit, seu manus apposuit summus pontifex; reservata autem sunt, quorum collatio pontifici expressè servata est. Reverentia pontifici debita facit ut nemo conferre possit beneficium affectum aut reservatum, sed affecta beneficia pro eâ tantùm vice, reservata perpetuò à pontifice conferuntur.

Reservationes aliæ *juris corpore clausæ*, et aliæ *extra corpus juris* esse dicuntur. *Juris corpore* continetur reservatio, quam sancivit Clemens IV, beneficiorum, quæ per obitum in curiâ vacua fiunt. Quæ reservatio à Bonifacio VIII traducta deinceps est etiam ad beneficia, quæ obtinent legati, aut nuntii sedis Apostolicæ, ac cæteri omnes ad Romanam curiam venientes, vel ab eâ recedentes, si in locis curiæ finitimis, hoc est, duorum dierum in itinere distantibus ex hâc vitâ migraverint; itemque ad beneficia curialium, qui se in locum contulerint curiæ finitimum, ibique decesserint, aut curiam comitantes, dùm ea transfertur, in itinere mortui sunt.

Extra corpus juris sunt reservationes, quæ extravagantibus, quæ item bullis summorum pontificum, quæ denique cancellariæ regulis comprehenduntur. Principio Joannes XXII confirmavit, latiùsque explicavit reservationem quam fecerat Clemens V; tum sedi Apostolicæ reservavit collationem beneficiorum vacantium per prohibitam eorum multitudinem, sive pluralitatem. Postea Benedictus XII, superiora confirmans, reservata esse voluit beneficia, quæ vacua fiunt, ubi quis episcopatum est assecutus, ubi aliò translatus, ubi motus dignitate, ubi addictus curiæ decessit, postremò beneficia, quæ coram pontifice resignantur. Atque hæ reservationes sunt, quæ extravagantibus continentur.

Bullæ pontificum Romanorum multas habent reservationes. Nam ad eas spectant beneficia vacantia propter crimen hæreseos, beneficia recepta contractâ fiduciâ, sive, ut vulgò aiunt, *in confidentiam;* beneficia vacantia, vacuâ sede episcopali; ecclesiæ parochiales, quæ concursu delatæ non fuerint; beneficia eorum, qui offendunt litigantes, judices, causidicos curiæ Romanæ; itemque beneficia eorum qui simulato nomine subeunt examen, ut pro aliis beneficium obtineant, aut pensiones offerunt beneficii obtinendi causâ; denique beneficia vacantia ex resignatione, in quâ observatum non fuit præceptum, quod de eâ publicandâ à Gregorio XIII dictum est.

Magnus quoque est reservationum numerus in regulis cancellariæ. In 1 renovantur reservationes duarum, quas memoravimus, extravagantium *Ad regimen* et *Execrabilis;* præterea reservantur beneficia, in quibus conferendis non ea servata est ratio, quam synodus Tridentina constituit. In 2 reservantur omnes ecclesiæ cathedrales, et monasteria consistorialia majoris reditûs quàm 200 florenorum auri, et omnia beneficia, quæ vacua fiunt sede episcopali vacante. In 3 ampliantur reservationes extravagantis *Ad regimen,* et reservantur

beneficia, quæ aliquis resignavit, aut dimisit intra tempus vacationis et concessionis aliorum incompatibilium beneficiorum. In 4 reservantur majores dignitates post pontificales in ecclesiis cathedralibus, et principes dignitates in ecclesiis collegiatis excedentes reditus decem florenorum auri, non quidem omnes, sed quæ prima sit, sive decanatus, sive præpositura, sive alio quovis nomine appelletur; præterea dignitates conventuales regulares, quæ in commendam dantur et perpetuæ sunt; præceptoriæ, quorumvis ordinum non militarium; denique beneficia cardinalium et eorum qui vel summo pontifici, vel ipsis cardinalibus familiares famuli fuerint. In 5 omnia beneficia collectorum et subcollectorum fructuum cameræ Apostolicæ. In 6 omnia beneficia curialium in itinere decedentium, dùm curia transfertur. In 7 beneficia omnia cubiculariorum, atque cursorum summi pontificis. In 8 canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, officia, quæ sunt in tribus urbis ecclesiis, sancti Joannis Lateranensis, sancti Petri in Vaticano, et sanctæ Mariæ Majoris, itemque beneficia, quæ, absentibus cardinalibus, in eorum titulis vacaverint. Denique in 9 regulâ reservantur cuncta beneficia, quæ vacaverint in octo mensibus januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, novembris. Hodiè iis episcopis, qui in suis ecclesiis commorantur, beneficii et remunerationis loco libera (quam tamen postulare debent) sex mensium collatio permittitur, eo quidem tempore, quo resident, ita ut alternis mensibus cum pontifice dividant collationem, nisi ea beneficia vacent, quæ ex aliis capitibus ad pontificem pertineant. Relinquuntur autem his episcopis februarius, aprilis, junius, augustus, october et december; menses reliqui summo pontifici reservantur.

Inter reservationes harum regularum, cæterasque reservationes, quæ aut juris corpore, aut extravagantibus, aut bullis continentur, magnum discrimen est. Nam hæ perpetuam vim habent, illæ autem vim omnem amittunt, decedente pontifice, sed paulò post creationem ab unoquoque suscitantur. Quod non ita intelligendum est, ut vacuâ sede Apostolicâ liceat episcopo conferre beneficia omnia quæ in regulis cancellariæ reservantur.

Nam videndum est, cujus generis sit reservatio. Cùm adhæret rei, hoc est, beneficio, cujus generis sunt regulæ 1, 2, 3, 4 et 8, cùm item pertinet ad certam personam, cujus officium reservationem inducit, quò spectant regulæ 5, 6 et 7, etiam mortuo pontifice manet reservatio. Itaque nullum ex his beneficiis conferre potest episcopus, exceptis illis quæ curam habent animarum, quæque vacuâ sede Apostolicâ ab episcopo rectè conferuntur, ne quid interim, dilatâ collatione, populus accipiat detrimenti.

Quare propter obitum pontificis tantùm reservata esse desinunt beneficia, quæ ad tempus conferendi pertinent, quæque regulâ 9 continentur. Verùm hæc etiam beneficia ut rectè ab episcopo conferantur, expedienda est collatio, cùm vacua est sedes Apostolica; nam electo pontifice, confirmatisque regulis, amittit episcopus conferendi facultatem, eaque redit ad summum pontificem.

In conferendis beneficiis exigit sedes Apostolica unius anni reditus, si beneficia sint majora, sive consistorialia, ut archiepiscopatus, episcopatus et similia; dimidium autem fructuum unius anni, si beneficia minora sint, et ejus reditus singulis annis summam superent 24 ducatorum aureorum, quos vocant *de camerâ*, quæ annatæ et mediæ annatæ nuncupantur. Earum usus in ecclesiis quibusdam antiquissimus est; sed quo primùm tempore iisdem Romana Ecclesia uti cœperit, non satis exploratum est.

Hoc unum constat, pervetustum esse annatarum usum in ecclesiâ Romanâ, atque earum exigendarum causas esse justissimas, ac prope necessarias. Nam à Romanis Pontificibus multa et gravia ferenda sunt onera, ut opem ferant principibus adversùs hæreticos atque infideles, cujus rei monumenta certa in historiis extant, ut in longinquas regiones mittant viros ecclesiasticos amplificandæ causâ religionis, ut pauperibus atque ad Christi fidem venientibus opitulentur, ut denique rebus consulant Ecclesiæ universæ. Hinc cùm sæpè de annatis actum, quæsitumque fuisset, nihil adversùs eas constitutum est, firmæ immotæque sunt relictæ, omniaque explosa et rejecta, quæ contra ipsas proponebantur.

Etiam cardinales et legati *à latere* fruuntur jure conferendi beneficia, quæ vacaverint in eorum titulis, atque episcopatibus suburbicariis, aut in provinciâ, in quâ legationis munus exercent. Atque hi beneficia conferunt, quovis mense, cùm non obstringantur alternâ illâ mensium divisione, quæ profluit ex regulâ 9 cancellariæ; et legatus quidem *à latere* in provinciâ suâ primus occupare potest colla-

tionem beneficiorum, quæ ad episcopum pertinent, ita ut si ab utroque idem beneficium collatum sit, potior habeatur collatio, quæ antiquior est.

Omnes cardinales habent à summo pontifice facultatem, sive, uti vocant, indultum conferendi beneficia, quibusdam exceptis, quæ vacua fiunt in suis titulis, ecclesiis cathedralibus, diœcesibus, abbatiis et monasteriis sibi commendatis, laxato vinculo regularum cancellariæ. Verùm ut in suis titulis atque episcopatibus suburbicariis conferre ipsi beneficia possint, in curiâ Romanâ commorari debent, quoniam absentes eo jure carent, nisi illud peculiari beneficio summi pontificis impetraverint. In tribus autem basilicis sancti Joannis Lateranensis, sancti Petri in Vaticano, et sanctæ Mariæ Majoris, quæ inter cardinalium titulos minimè recensentur, cardinales archipresbyteri minora conferunt beneficia, etiamsi absentes à curiâ reperiantur.

Collatio, sive ab episcopo fiat, sive à summo pontifice, sive ab ejus legato aut cardinali, non vivâ voce, sed scripto fieri debet. Pontifex dat diplomata, quæ bullæ dicuntur, quæque à pluribus datariæ et cancellariæ ministris obsignantur. Earum aliæ dicuntur *in formâ gratiosâ*, aliæ *in formâ dignum*, aliæ demùm *in formâ commissoriâ*. Litteræ *in formâ gratiosâ* dantur ad clericum, qui sui episcopi exhibito testimonio beneficium obtinuit, eæque veram secum ferunt beneficii collationem. Litteræ *in formâ dignum*, quæ ita appellantur, quòd ab eo verbo exordiuntur, locum habent, cùm illud episcopi testimonium, ex quo pateat idoneum esse clericum, in medium allatum non fuit; propterea mittuntur ad episcopum, cujus esse debet certo clerico beneficium attribuere, postquàm ipse, facto periculo, dignus et idoneus repertus est. Denique *in formâ commissoriâ* conceduntur litteræ, cùm clericus illud quidem dedit episcopi testimonium, sed multa adhuc ab se narrata summo pontifici, ut beneficium consequatur, demonstrare debet coram designatis *executoribus*, vocatis omnibus quorum interest. Atque hæ litteræ non veram collationem continent, sed tantùm *mandatum*, ut aiunt, *de conferendo*.

Episcopus etiam publico instrumento, eoque ab ejus cancellario obsignato, complectitur beneficii collationem. Ubique mentio fit de naturâ atque reditibus beneficii, de tempore ac modo quo illud vacaverit, de meritis ejus qui idem postulat.

§ 4. *De institutione et jure patronatûs.*

Postremus modus, quo ecclesiasticos magistratus et beneficia consequimur, est institutio, quæ definitur beneficii concessio facta ad præsentationem ejus qui habet jus patronatûs. Quare duo hìc necessaria sunt, ut quis beneficium obtineat, institutio et præsentatio. Hæc ad patronum pertinet, cujus est designare et offerre clericum; illa ad episcopum, cujus est designato clerico beneficium tribuere, modò nihil obstet, cujus causâ repellendus videatur.

Est autem jus patronatûs jus præsentandi clericum instituendum ad ecclesiam, vel beneficium vacans. Quæ præsentatio nobilissimam facit ac præcipuam juris patronatûs partem, quanquàm ipsum et minora quædam jura comprehendat, uti sunt jura alimentorum, sepulturæ, sedis, processionis, thuris et cætera, quæ honorifica appellantur. Qui his juribus fruitur patronus dicitur, sive quòd patrocinium ecclesiæ præstare debet, sive quòd olim dominus fuerit earum rerum, ex quibus ecclesia ædificata est.

Propterea sacri canones templorum, altarium, beneficiorum fundatores, eorumque liberos et hæredes præcipuis quibusdam juribus, honoribus, et privilegiis donârunt, ut erga illos se gratos præberent, cæteri autem pari ad benè de Ecclesiâ merendum voluntate excitarentur. Hinc nomina et elogia fundatorum in ecclesiis recitata, sacrisque diptychis inscripta fuisse constat; hinc eorum nomina ecclesiis imposita; hinc datum jus designandi et offerendi clericum, qui beneficium adipiscatur; hinc reliqua concessa jura, quæ honorifica appellari diximus. Omnium tamen maximum et præcipuum est, jus offerendi, seu præsentandi episcopo clericum, qui institui et creari debeat rector templi, seu beneficii, ad quod præsentatus fuit; de quo quidem jure agendum, nobis hoc loco est.

Jus patronatûs vel est ecclesiasticum, vel laicale, vel mixtum. Ecclesiasticum est quod ecclesia, vel clericus habet titulo ecclesiastico; laicale quod ex bonis laicorum constitutum est, quodque ad aliquem pertinet laicali titulo: ex. gr., agnationis, hæreditatis; mixtum, quod ex ecclesiasticis et laicalibus bonis conflatum est, atque ita ad laicos et ecclesiam pertinet, ut non alternatim, sed simul ab utrisque fiat præsentatio. Laicus ad præsentandum habet quatuor menses, sex ecclesiasticus menses, uterque à die cognitæ vacationis. Laicus, cui

brevius conceditur temporis intervallum, quo præsentationem expediat, potestatem habet variandi, offerendique alium; ecclesiasticus eâ facultate caret, quoniam in eligendo clerico, quem offerat, et laico peritior esse censetur, et longiori deliberatione accuratius ferre judicium debet.

Lapso tempore, quod ecclesiastico aut laico patrono concessum est, neque exactâ præsentatione, transit ad episcopum potestas conferendi beneficium suo arbitratu. Mixtum autem jus patronatûs naturam utriusque sequitur, ac semper illud sibi vindicat, quod in altero fuerit optimum. Itaque est in eo tum variandi potestas, tum spatium sex mentium ad faciendam præsentationem, quorum alterum laicalis, alterum juris patronatûs ecclesiastici proprium est.

Est item jus patronatûs reale, quod inhæret rei, prædio scilicet aut castro, et cum re defertur ad ejus possessorem; et personale, quod non rei est adjunctum, sed certis adscriptum personis, hoc est, patrono, ejusque hæredibus aut descendentibus. Denique jus patronatûs est hæreditarium, quod simul cum hæreditate, sive legitimâ, sive testamentariâ, ad hæredes defertur, et agnatitium, sive familiare, quod transit ad eos qui sunt ex familiâ, sive agnatione; præterea mixtum ex utroque, quod etiam vocatur *ex pacto et providentiâ,* quodque ad eos defertur, qui sunt hæredes simul et successores legitimi, adeò ut nemo illud sibi asserere possit, nisi ostendat esse se hæredem, atque à testatore descendentem.

Acquiritur jus patronatûs per constructionem, si quis videlicet ære suo ecclesiam ædificavit; per fundationem, si quis fundum ad ecclesiam construendam præbuit; per dotationem, si quis dotem dedit aptam et idoneam, per quam consultum sit sumptibus quos ecclesiæ conservatio et ministri postulant. Qui hæc tria unus præstitit, is unus quoque patronus efficitur; at cùm alter ecclesiam excitavit, alter fundum et alter dotem dedit, omnes jus patronatûs consequuntur, modò cum episcopi consensu ædificata ecclesia fuerit.

Acquiritur etiam jus patronatûs privilegio summi pontificis et præscriptione. Quæ præscriptio si contra ecclesiam liberam sit, debet esse temporis, quod hominum memoriam excedat, et cum pluribus sociata præsentationibus, quæ exitum habuerint, potissimùm si qua sit suspicio, illud à viro potente usurpari potuisse. Tunc enim, præter quasi possessionem temporis antiquissimi, cujus initium in tenebris lateat antiquitatis, necesse est etiam probare titulum et evincere præsentationes perpetuas, saltem per annos quinquaginta, quæ omnes ad exitum perductæ fuerint.

Transfertur jus patronatûs cum re cui inhæret, si reale sit, et transfertur etiam contractu aut successione. Contractus donationem respicit, ac permutationem, quoniam jus patronatûs, nisi qua lex impedimento sit, donari permutarique potest. Donatio in privatum hominem collata indiget episcopi auctoritate, collata in ecclesiam aut monasterium non indiget. Quod etiam dictum volo de permutatione, quæ similiter cum privato homine absoluta opus habet episcopi auctoritate; atque hæc præterea rem aliam spiritualem, aut spirituali annexam desiderat, ut rectè perficiatur. Vendi tamen jus patronatûs nequit, nisi fortè vendatur fundus aut castrum, cui adhæret, quia tunc etiam jus patronatûs in emptorem transfertur. Verùm ex jure patronatûs, quod fundo adhæret, nulla pretii fieri debet accessio, quia tunc res spiritualis, vel spirituali annexa, quod fieri nequit, tacitè venderetur.

Successione transfertur jus patronatûs ad hæredes sive legitimos, sive testamentarios; et verò transfertur in solidum, quanquàm hæreditas inæqualiter dividatur, quoniam jus patronatûs dividi non potest. Quæ successio defertur in stirpes, hoc est, jure repræsentationis; et ideò pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos hæredes reliquerit, alter unum, duo illi hæredes unum habebunt suffragium ad faciendam præsentationem, quoniam ambo unicum tantùm patronum repræsentent.

Cùm autem inter plures patronos, aut unius patroni hæredes facilè dissidia litesque exoriantur, meritò, ut hæc removeantur, constitutum est, eos rectè posse inter se alternis vicibus dividere jus præsentandi. Quæ alterna divisio nisi facta fuerit, quoties facienda erit præsentatio, omnes patroni suum habebunt suffragium, sive vocem ad eam expediendam, et cùm omnium voluntas consentiens non fuerit, ille erit anteferendus, cui plura numero suffragia præstò sunt, nisi quid fortè obstet, propter quod repulsam ferre debeat; cùm autem paria erunt omnia, itemque cùm orta inter patronos dissidia intra menses quatuor composita non fuerint, episcopus beneficium conferet suo arbitratu.

Amittitur jus patronatûs, si patronus ecclesiam reparare et conservare recuset, si eadem incendio consumpta fuerit, vel motu terræ,

vel vetustate, aut vitio suo corruerit; si patronus suo se jure abdicet, aut alteri concedat, vel ecclesiam, nullâ sui juris factâ reservatione, collegiatam fieri patiatur, vel prædium vendat, cui jus patronatûs adhæret; si in hæresim inciderit; si ecclesiæ rectorem, aut clericum vel per se, vel per alios occidere, seu mutilare ausus fuerit, vel jura ecclesiæ usurpaverit, vel separatim jus patronatûs vendiderit; denique si præscribi permiserit.

TITULUS VI.

QUIBUS ECCLESIASTICI MAGISTRATUS ET BENEFICIA RECTE TRIBUANTUR.

Nunc videamus quibus ecclesiastici magistratus et beneficia rectè tribuantur; deinceps ostendemus quæ impedimento sint, quominùs ritè et rectè ordines suscipiantur. Illud initio tenendum est, vacua esse oportere ecclesiastica beneficia, ut ea rectè concedantur. Nam collatio, quin etiam promissio beneficii non vacantis, nisi fiat à summo pontifice, nulla est, et qui sciens prudens ad beneficium non vacuum institui se passus fuit, is ab ecclesiasticâ communione pellendus est. Deinde collatio idoneo tempore, hoc est, intra sex menses est expedienda, ne hoc elapso tempore jus conferendi devolvatur ad proximum superiorem; eaque non pretio fieri debet, non sub conditione, non alternatim, non impetrari per vim et metum, non per obreptionem et subreptionem.

Post hæc singulorum merita scrutanda sunt, et qui cæteris præstat, beneficium obtinere debet. Parœciæ conferendæ sunt per concursum, qui expeditur à tribus saltem examinatoribus synodalibus et coram episcopo, vel ejus vicario generali, ac beneficium ab episcopo deferendum est ad eum qui moribus, ætate, prudentiâ, doctrinâ cunctis antecellit, adeò ut irrita habeatur collatio, si minùs dignus cæteris sit antelatus. Reliqua beneficia, quæ adjunctam non habent curam animarum, tribuenda sunt etiam magis aptis et magis idoneis clericis; sed jura humana firmas habent hujusmodi collationes, quas minùs idonei clerici impetrârunt.

Legem concursûs editam à synodo Tridentinâ, ut ejus cursum atque exitum facerent expeditiorem, declarare et ampliare censuerunt summi pontifices, præsertim sanctus Pius V, Clemens XI et Benedictus XIV. Quamobrem qui à minùs æquo judicio episcopi et examinatorum provocat ad metropolitam, aut ad summum pontificem, is impedimentum inferre non potest, quominùs alter parochiæ possessionem obtineat; quanquàm appellationis beneficio delere possit repulsæ notam, et suam novo experimento virtutem ostendere.

Solutæ sunt hâc lege concursûs ecclesiæ juris patronatûs laicorum. Nam oblatum à patrono instituere debet episcopus, si eum, facto experimento sine concursu, cum examinatoribus in synodo designatis, idoneum inveniat. At patroni ecclesiastici inter approbatos ab iisdem examinatoribus, qui in concursu periclitati fuerunt ingenium et virtutem suam, debent digniorem eligere, atque eum episcopo offerre, ut ab ipso deinceps instituatur. Episcopus autem judicium patroni ecclesiastici in delectu et præsentatione dignioris omninò sequi debet, cùm nullæ sunt aliorum querelæ; at verò inquirit in judicium patroni, si quis de eo conqueratur.

His accedunt ea quæ à jure et quæ ab hominibus constituta observari necessariò debent ut ecclesiastica beneficia rectè tribuantur. Jure cautum est, ut qui beneficium consequuntur, 1° nullo canonico impedimento teneantur. Hinc à beneficiis repelluntur baptismo aut tonsurâ carentes; illegitimi, quibus tamen potest episcopus veniam dare minorum obtinendorum ordinum, et simplicium beneficiorum; hæretici, eisque faventes, et illorum filii ad secundum in lineâ paternâ gradum, in maternâ tantùm ad primum, si parentes in hæresi decesserint; conjugati, bigami, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares. 2° Ut habeant ætatem necessariam, quæ pro simplicibus beneficiis est annorum 14, pro dignitatibus et beneficiis, cum quibus conjuncta est cura animarum, annorum 25, pro reliquis dignitatibus, quæ nullam habent animarum curam, annorum 22, pro episcopatu annorum 30. 3° Ut initiati sint ordine, quem dignitas aut beneficium postulat. Ita sacerdotium adjunctum habent episcopatus abbatia, præpositura, parochia et dignitates quæ secum ferunt curam animarum, et quæ canonicorum collegio præficiuntur. Generatim tamen, nisi secùs cautum sit, vel statuto, vel lege fundationis, sancitum est, ut quilibet intra annum suscipiat ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet. 4° Denique ut eâ sint præditi doctrinâ quâ est opus ut rectè obeant munus quod in beneficio inest, utque insigniti sint laureâ sacræ theologiæ, jurisve canonici, si eam postulat beneficium quod consequuntur.

Nam eâ decoratos esse oportet vicarium generalem et capitularem, archidiaconum et cæteros qui primas habent in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis dignitates.

Sunt hæc jure tradita, quibus parere et quæ sequi debent, qui beneficia conferunt. Sed et observandæ, retinendæque sunt leges à fundatoribus constitutæ de ætate, meritis et qualitatibus beneficiatorum, quanquàm inde regula canonum, non quidem tollatur omninò, sed vel paulò lenior vel etiam severior evadat. Quare etiamsi vana sit lex, quæ ecclesiastica beneficia laicis adscribit; ea tamen retinenda est lex, per quam simplices etiam capellaniæ et canonicatus beneficia fiunt sacerdotalia, aut per quam beneficia quædam, quæ jure essent sacerdotalia, vel diaconalia, minoribus clericis conceduntur. Atque hæc, quæ de fundatorum lege dicimus, dicta etiam volumus de constitutionibus singularum ecclesiarum. Nam eas pari modo spectare et servare decet in iis quæ præcipiunt de canonicorum et cæterorum beneficiatorum qualitatibus. Illud postremò decet animadvertere, quòd non tantùm in conferendis beneficiis sacrisque magistratibus inspicere oportet gradum, ætatem, mores, doctrinam singulorum, sed etiam in ecclesiasticis officiis, quæ jure delegato mandantur. In quo tamen multùm valet mandantis voluntas atque potestas; præterea necesse est indolem atque naturam jurisdictionis, quæ commissa fuit, diligenter expendere.

TITULUS VII.

QUI PROMOVERI NON POSSINT.

Non aditus datur omnibus ad ordines suscipiendos, sed iis intercluditur, qui canonico impedimento laborant, et quos irregulares vocamus. Quem recentior ætas Ecclesiæ novo vocabulo irregularem dixit, eum Nicæni Patres *alienum à regulâ* appellârunt. Est autem alienus à regulâ, cui ecclesiastica regula impedimento est, quominùs aut clero adscribatur, aut evehatur ad ordinem superiorem, aut in suscepto ordine ministret. Ex quibus facilè educitur irregularitatis definitio. Non unum semper, pro variâ Ecclesiæ disciplinâ, fuit irregularitatis genus; sed hodiè irregularitates omnes vel ex crimine, vel ex vitio aliquo aut defectu procedunt.

Criminis puros Ecclesiæ ministros Apostolus, omnesque Græci et Latini Patres esse voluerunt. Quare olim quisquis pro crimine publicam egerat pœnitentiam, cùm non careret justâ reprehensione, quæ dedecet sacrum ministerium, quo clericos fungi oportet, ab ordinibus repellebatur. Nunc laxatâ severitate antiquæ disciplinæ, ea duntaxat crimina irregularitatem inducunt, quæ infamiam afferunt, ob maculam quâ inde criminosus adspergitur, vel quæ nominatim expressa sunt. Hujusmodi criminosi, qui nominatim à jure designantur, sunt seriò ac scienter baptismum iterantes, et qui palam baptismi iterationi ministerium impenderunt; simoniaci; ordinati per saltum; qui in ordine non suscepto ministrârunt; qui ad suscipiendos ordines non approbati, nec vocati obrepserunt; qui ordines susceperunt, aut eorum jam susceptorum exercuerunt munera, cùm majori excommunicatione, aliâve censurâ tenerentur; qui voluntarium atque injustum homicidium patrârunt. Quod pertinet etiam ad eos qui animatum mulieri partum abegerunt, sive id medicamentis, sive alio quovis modo effecerint; itemque ad eos qui consilium, mandatum, opem alicui dederunt ut hominem interficeret. Fortuitum verò homicidium, quod admissum est ab eo qui rei licitæ operam dabat, quemadmodùm et homicidium quod servato, ut inquiunt, *moderamine inculpatæ tutelæ,* aliquis patrare coactus est, suî ipsius defendendi causâ, aut quod commissum est ab amente, furioso, infante, irregularem facit neminem.

Defectus sive vitium, vel est corporis, vel animi. Vitio corporis irregulares sunt, qui non habent ætatem, quam pro singulis ordinibus sacri canones constituunt et quam superiori loco descripsimus. Sed potissimùm ad hunc locum pertinent irregularitates eorum qui insigni aliquâ deformitate notantur; et qui propter corporis impedimentum ordinis ministerium exercere non possunt. Ob deformitatem ordinibus prohibentur, qui ita deformes sunt, ut risum aut stomachum moveant, uti sunt illi quibus abscissæ sunt nares, aut oculus erutus, qui leprâ laborant, qui ridiculè pusilli, atque ita claudi sunt, ut sine fulcro incedere nequeant; non tamen illi quorum leve vitium est, uti si quis maculam habeat in oculo, aut ungulam digiti amiserit.

Ob impedimentum corporis irregulares habentur surdi, muti, cæci utroque oculo, vel sinistro solùm, quem oculum *canonis* appellamus, vel qui eumdem ita læsum habent, ut nonnisi indecorè conversâ facie, missæ canonem legere possint, paralitici, comitiali morbo laborantes, carentes aliquo membro, puta

manu aut pede, quin etiam digito ad frangendam hostiam necessario, pollice nimirùm, atque indice, qui pedibus stare et consistere non possunt, quibus volentibus virilia sunt secta, nisi id suasu medicorum, aut in cunabulis factum sit.

Vitium aut defectus animi irregulares efficit illos qui baptismum non acceperunt; et horum quidem ordinatio irrita est, qui cùm Ecclesiæ januam ingressi non fuerint, apti non sunt ad suscipiendos ordines et capessenda officia, quæ sunt Ecclesiæ filiorum propria. Qui carent sacramento confirmationis ordinibus initiari non debent; verùm si initiati fuerint, ordinatio rata firma est. Hùc quoque referuntur neophyti, hoc est, nuper baptizati, qui à majoribus ordinibus repelluntur, quoniam eos cita ordinatio in superbiam raperet; item in ægritudine baptizati, nisi postquàm convaluerint, suis operibus ostendant, se non metu mortis, sed studio pietatis et religionis baptismum suscepisse.

Pertinent etiam ad animum libertas, doctrina, lenitas, sana mens, fama integra, vacuitas ab omni sorde, atque ab omni incontinentiæ notâ. Sunt hæc bona animi, quæque his adversantur faciunt aliquem irregularem. Itaque irregulares habentur servi, nisi à domino libertatem fuerint consecuti, ordinati autem sciente domino ingenui efficiuntur; præterea, qui ad servos videntur accedere, tutores, curatores et cæteri, qui tenentur onere rationum reddendarum, nisi eas antea reddiderint, atque ita omnem fraudis suspicionem excusserint; item illitterati et indocti; denique qui alienum ab ecclesiasticâ lenitate declaraverint animum. Nam ministros suos, exemplo Christi lenes esse voluit Ecclesia; atque hinc inter episcoporum munera non illud postremum fuit, ut pro reis crimine damnatis intercederent apud magistratus. Itaque irregulares sunt qui aliquid conferunt ad necandum, aut mutilandum hominem, quanquàm is alterutrâ pœnâ meritò plectatur, veluti judices qui sententiam proferunt mortis aut mutilationis, modò eadem sententia ad exitum perducatur, item accusator, fisci patronus, testes in causâ sanguinis, et ministri omnes qui sententiam exequuntur, cunctique demùm, qui alienæ mortis aut mutilationis participes fuerint.

Quòd si clericus, qui civile habet imperium in suos, criminales causas alteri committat, eumque *justitiæ debitum exequi* jubeat, irregularis non est, quanquàm à judice mortis sententia proferatur. Ne quis autem ansam habeat ad vexandos impunè clericos, statuit Bonifacius VIII, eos irregulares non esse, cùm illatas sibi à laicis injurias persequuntur, modò verè atque ex animo declarent, se non ultores injuriarum agere, ut sanguis effundatur.

Sunt etiam, uti dicebamus, irregulares ii quorum mens sana non est, et hùc vocantur amentes, furiosi, energumeni et quotquot, vel naturâ vel morbo, mente sunt imbecilliores; præterea qui bonâ famâ non sunt, et hùc referendi hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii quorum pater avusque hæretici sunt, vel hæretici decesserunt, itemque adulteri, perjuri, falsi testes, lenones, et rei cæterorum criminum, quæ alicui infamiam inferunt. Crimina hæc aut nota omnibus, aut judicio probata, eorum reos ab ordinibus repellunt.

Vacuitas ab omni sorde eò spectat, ut ordines suscepturi nullum dedecus, nullasque sordes ex nativitate contraxerint. Eâ de causâ ab ordinibus arcentur illegitimi (1), nisi postea nuptiæ inter eorum parentes ritè concilientur (2), aut nisi religionem professi, monumento hoc pietatis natalium sordes eluerint, quia tunc rectè ordinibus initiantur, licet à sui ordinis præfecturis, nisi primùm eâ lege soluti fuerint, abstinere se debeant (3). Sed

(1) Hujus irregularitatis nullam antiqui canones rationem habuisse videntur. Nam can. 8 Nicephori confessoris apud Cotelerium eccles. Græc. monum. tom. 3, pag. 146, Paris. 1686, habentur hæc: « Qui ex concubinâ, aut bigamis, vel trigamis nati sunt, modò vitam exhibuerint sacerdotio dignam, ordinantur. » Consentiunt antiqui Patres, quorum testimonia Gratianus describit dist. 56; idque latè demonstrat Christianus Lupus in Synod. general. et provinc. tom. 4, cap. 12, dissert. 1, procem. pag. 36, edit. Venet. 1725. Irregularitatem hanc, quæ ex natalium vitio procedit, memorat Innocentius III lib. 1, ep. 444, tom. 1, pag. 460, edit. Paris. 1682; et ejus etiam antea meminerat decretum Urbani II can. 1, dist. 56, et canon synodi Pictaviensis in c. 1 *de Fil. presbyt.* Tam canon hic, quàm illud decretum pertinent ad exitum ferè seculi XI.

(2) Cap. 1 et 7 *Qui fil. sint legit.* Necesse tamen est, quòd inter parentes consistere potuerit matrimonium, cùm filii concepti sunt, ut postea per illud legitimi efficiantur. Vide litteras Benedicti XIV datas ad archiepiscopum S. Dominici, quæ extant in ejus Bullario t. 1, p. 276, constit. 113, ubi eâ de re solidè copiosèque disputatur.

(3) Cap. 1 *de Fil. presbyt.* Quæ autem servare oporteat, ut illegitimi regulare institutum rectè suscipiant, explicant Gregorius XIV, constit. *Circumspecta* 5, pag. 252, tom. 5, part. 1, et Clemens VIII, constit. *In supremâ*

et bonâ cum veniâ episcopi aut summi pontificis ordines suscipere potest illegitimus, atque etiam consequi ecclesiasticos magistratus. In minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus satis est venia episcopi; in ordinibus sacris, parochiis, dignitatibus, summi pontificis venia desideratur.

Atque hæc quidem venia non latiùs explicanda, sed certos intra fines cohiberi debet, et ideò cui data copia est suscipiendorum ordinum, non ei data etiam videtur copia obtinendi beneficii, nec cui permissum est unum beneficium, licet plura obtinere. Decet autem hujus veniæ cupidum cuncta narrare ac patefacere summo pontifici, et potissimùm significare oportet, num beneficium, quod illegitimus petit, situm sit in eâdem ecclesiâ, in quâ pater ejus ministrat vel ministravit. Difficiliùs enim in hâc ecclesiâ illegitimo beneficium permittitur, cùm sacri canones, ut omnis à beneficiis imago hæreditariæ successionis arceatur, et nulla sit reliqua memoria conjugii, beneficio potiri illegitimos vetent, aut aliquod obire munus in ecclesiâ, in quâ eorum pater dignitatem aut beneficium obtinuit. Imò nec filius presbyteri legitimus, scilicet ex justo conjugio susceptus ante ordinationem, sine veniâ sedis Apostolicæ proximè succedere potest in beneficio patris, nisi media persona intercesserit, in quam illud post patrem collatum fuerit.

Ob notam et suspicionem, quam præbuerunt, incontinentiæ, ab ordinibus arcentur bigami, qui scilicet plures nuptias contraxerunt. Triplex autem est bigamia : vera, interpretativa et similitudinaria. Vera bigamia est, quam modò descripsimus, nempe duplex conjugium; interpretativa, in quâ non re, sed interpretatione quâdam duplex matrimonium consideratur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam, aut ab alio corruptam, antequàm suo se immisceret conjugi; similitudinaria est, cùm quis solemni castitatis voto devinctus uxorem accipit, cumque eâ liberis dat operam.

Verùm hoc irregularitatis genus vulgò repetimus à conjunctione Christi cum Ecclesiâ, quam significare non potest bigami matrimonium. Propterea bigamus non habetur, qui alienam viduam, sed non compressam à viro accepit uxorem, nec qui plures feminas in incestum aut in stuprum illexit.

Irregularitates quædam perpetuæ sunt, quædam temporariæ, et hæ quidem statim desinunt sublatâ causâ unde procedunt. Ita qui caret idoneâ scientiâ, ætate, libertate, cùm liber est factus, cùm ætatem et scientiam adeptus est, rectè ordinibus initiatur. Perpetuæ irregularitates, quas induxit jus eccles., tolluntur veniâ sedis Apostolicæ; verùm in homicidio voluntario venia dari non solet, neque ei locus est, cùm quis animi aut corporis vitio non est aptus omninò ad suscipiendos ordines, atque ad obeunda munera quæ eorum propria sunt. In occultis criminibus solvit lege etiam episcopus, excepto homicidio voluntario.

268, pag. 409, tom. 5, part. 2 Bullarii, quæ constitutiones mitigant et relaxant severitatem constitutionum eâ de re à Sixto V editarum.

TITULUS VIII.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS ET ECCLESIASTICA BENEFICIA AMITTANTUR.

Amittunt sæpè clerici ecclesiastica beneficia, et amittunt jurisdictionem, quam acceperunt. Ordinis potestas semper in iis fixa hæret, uti hæret in animo character, qui semel impressus deleri non potest; licet interdùm aliquis hujus potestatis usu prohibeatur. Verùm potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, planè tollitur et extinguitur, cùm quis non ampliùs habet subditos, in quos illam exerceat.

Simili modo etiam ecclesiastica beneficia amittuntur. Cùm enim ea consistant in jure percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, in officio, in honoris gradu, in jurisdictione, facilè intelligitur hæc omnia tolli posse; iis verò sublatis, beneficia amittantur necesse est. Duobus autem modis beneficia et potestatem jurisdictionis amittimus; voluntate nostrâ, hoc est, per renuntiationem, translationem, permutationem; atque extra voluntatem nostram, ac pœnæ causâ, scilicet per depositionem, aut degradationem.

§ 1. *De renuntiatione.*

Renuntiatio, quæ et resignatio dicitur, definiri potest, ecclesiastici magistratûs et beneficii, ex auctoritate superioris spontè ac legitimè facta abdicatio. Ea vel tacita, vel expressa est. Tacita oritur ex facto ipso, atque à jure inducitur, cùm beneficiatus uxorem ducit, cùm regularis instituti professionem emittit, cùm beneficium consequitur, quod priori repugnat, sive, ut inquiunt, *incompa-*

tibile est. Tunc enim vacant beneficia, quæ simul cum nuptiis, cum regulari instituto, cum altero incompatibili beneficio stare non possunt. Expressa est, quæ fit verbis dimittendi animum declarantibus, sive ea ore sint prolata, sive comprehensa litteris conceptis formâ quâ à jure præscribitur. De his expressis renuntiationibus agendum nobis est, quæ olim non probatæ sacris canonibus, in more esse cœperunt, potissimùm Alexandro III pontifice, justis allatis causis.

Magistratibus et beneficiis se abdicare cuivis licet, etiam pontificatu maximo, uti Cœlestinus declaravit suo exemplo et constitutione, quam probavit Bonif. VIII. Sed tamen vires non habet renuntiatio, neque quis abdicatione suâ beneficium amittit, nisi se abdicet auctore eo, à quo illud obtinuit, excepto summo pontifice, qui supra se ex hominibus habet neminem. Hinc episcopi rectè haud renuntiant, nisi renuntiatio sedi Apostolicæ probata fuerit, ac nisi justas habeant renuntiandi causas.

Causæ sunt imbecillitas corporis, ob quam episcopus munera episcopalia exercere non potest; imperitia, ut regere nequeat ecclesiam; conscientia criminis, propter quod etiam post actam pœnitentiam munere carere debet; personæ irregularitas; pervicacia plebis, quæ cogi ad parendum nequeat; gravis offensio sive scandalum, quod nonnisi dimissâ ecclesiâ removeri potest.

Episcopus interdùm loco tantùm renuntiat, interdùm loco et dignitati. Qui loco tantùm renuntiavit, honorem retinet et dignitatem episcopalem, licet jurisdictionem exercere non possit, quoniam nullos ampliùs habet subditos; sed rogatus ab alio episcopo rectè exequitur in ejus diœcesi, quæ sunt ordinis episcopalis. Qui loco simul et dignitate se abdicavit, quanquàm retineat ordinis characterem, qui deleri non potest, nihil tamen agere potest eorum quæ ejus ordinis propria sunt.

Prælati episcopo inferiores, qui sacrum habent imperium et sedi Apostolicæ immediatè subjiciuntur, opus habent veniâ summi pontificis, qui eis copiam renuntiandi faciat. Dignitates, canonicatus, parochiæ et cætera beneficia, quorum collatio ad episcopum pertinet, coram eo dimittuntur. Curandum tamen est, ut intra unum mensem renuntiatio rata habeatur, et simul ab episcopo beneficii collatio fiat; nam nisi eo temporis spatio totum illud negotium expediatur, ad summum pontificem jus conferendi transfertur.

Beneficio renuntiamus aut purè ac sine ullâ reservatione, aut sub conditione, hoc est, cùm nobis aut aliis certam ex beneficio pensionem quovis anno servamus. Hujusmodi renuntiationes his obstrictæ legibus et conditionibus fieri nequeunt coram episcopo, sed pontificiam auctoritatem postulant.

Multa verò in his renuntiationibus quæ alterius commodo emittuntur, observanda sunt, ut eæ vim atque exitum obtineant. Præcipua sunt, ut qui beneficium resignavit, non decedat infra viginti dies post actam renuntiationem; ut si beneficium sit juris patronatûs, patronus assentiatur; ut beneficium non sit litigiosum, quia tunc tantùm in alterum litigantem conferri potest, neque item sit conjunctum, vel unitum, etiam antequàm unio exitum consequatur; denique ut beneficiorum episcopatu inferiorum resignatio publicetur intra certum tempus, certisque in ecclesiis, cùm populus magno numero ad eas confluit, secundùm formam quæ à Gregorio XIII constituta est.

Renuntiamus tam per nosmetipsos quàm per procuratorem, sive clericum, sive laicum, sive unum, sive plures, modò litteris consignetur peculiare mandatum, quo facultas resignandi et beneficii demonstratio contineatur. Factâ et probatâ renuntiatione, frustra renuntiantem pœnitet eorum quæ gessit, cùm omne amiserit jus in beneficio, quo se abdicavit et quod non nisi novâ electione, aut collatione recuperare potest.

§ 2. *De translatione.*

Translatio est modus alter, quo voluntate nostrâ beneficium amittimus. Definitur ecclesiastici magistratûs de unâ in aliam ecclesiam facta mutatio.

Episcoporum translationes, quasi spirituale adulterium, improbant antiqui canones; sed hoc ita intelligendum est, nisi justa adsit causa, et ita statutum fuit in synodo Romanâ habitâ ab Joanne IX, in quâ vindicata est memoria Formosi pontificis, qui relicto episcopatu Portuensi Romanum acceperat. Neque enim desunt exempla episcoporum pietate et doctrinâ præstantium, qui ob utilitatem aut necessitatem ecclesiæ episcopatum mutârunt, et in ipsâ Nicænâ synodo Eustachius Beræææ episcopus ad sedem Antiochenam translatus est.

Episcopi non nisi S. pontificis auctoritate

ad aliam sedem transferuntur. Et adeò quidem pendet à pontificis potestate translatio, ut si quis, eo ignaro, mutet ecclesiam, non novam modò, sed etiam veterem, quam regebat, amittat; et si pontifex episcopum ad majorem ecclesiam transferri permiserit, ad parem aut ad minorem transire non possit.

Transfertur episcopus vel utilitatis causâ, si alterius ecclesiæ regimini utilior habeatur; vel necessitatis, si ipse populo in odium acerbissimum venerit, si infestum ejus loci aerem ferre non possit, si præsens ecclesia ab hostibus eversa sit. Minorum beneficiorum rectores transfert episcopus, cujus in loco ea sita sunt, factâque translatione vacat beneficium, cùm sacri canones aliquem pluribus ecclesiis adscribi vetent, quâ de re alius erit agendi locus.

§ 3. *De permutatione.*

Renuntiationi et translationi affinis est permutatio, quæ definitur mutua beneficiorum dimissio, seu resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Episcopatus sine auctoritate summi pontificis, cætera beneficia sine veniâ episcopi, cujus in diœcesi sunt, permutari non possunt. Qui secùs fecit, sententiâ judicis beneficium amittit.

Episcopi esse debet, antequàm permutationem fieri sinat, cognoscere causas, propter quas petitur; videre ne qua fraus lateat, exigere consensum eorum qui jus habent conferendi, eligendi, præsentandi; curare ut permutatio publicetur, eaque serventur quæ Gregorianâ constitutione præscribuntur.

Dùm spirituale cum temporali non permutetur, omnia beneficia permutari possunt, etiam curata cum simplicibus, exceptis beneficiis unitis, quæ scilicet cedere debent in incrementum alterius ecclesiæ, reservatis S. pontifici, cujus consensu opus est, ut eorum permutatio rectè expediatur, denique litigiosis.

§ 4. *De depositione et degradatione.*

Pœnæ causâ ecclesiastica beneficia et potestatem jurisdictionis amittimus per depositionem et degradationem. Exemplo militaris exauctorationis, quæ, detracto cingulo, quod erat insigne militiæ, absolvebatur, etiam ecclesia suorum militum, hoc est, clericorum, exauctorationem induxit, quam degradationem vocamus, et in quâ clerico à summo ad infimum singulorum ordinum insignia detrahuntur. Nullum olim inter depositionem atque degradationem discrimen fuisse videtur; sed hodiè magnum inter utramque discrimen est.

Simplex depositio clericum perpetuò quidem arcet aut ab exercitio ordinum susceptorum, aut ab officio usuque ecclesiasticæ jurisdictionis, aut à beneficio, aut denique ab ordinis exercitio simul et officio et beneficio, sed non ei fori et canonis privilegium adimit, ideòque ipse, ut antea, subest ecclesiastico imperio, non laico subjicitur. At verò degradatio non tantùm clericum perpetuò privat ecclesiastico ministerio, officio, beneficio, sed eum etiam obnoxium facit laicæ potestati, à quâ post degradationem judicatur, atque in carceres detruditur, ut laicorum more sustineat pœnas, quæ sunt ejus sceleri à jure constitutæ.

Duplicem degradationem distinguit Bonif. VIII, *verbalem*, quæ etiam *depositio* dicitur, et *realem*, sive *actualem*, quæ propriè *degradatio* appellatur. *Verbalis* est ipsa sententia, per quam judex ecclesiasticus clericum de gradu dimovet, et laico foro addicit; *realis* autem est tristis ipse actus, seu funesta cæremonia, quâ episcopus clerico, contra quem est lata degradationis sententia, detrahit insignia ordinum singulorum, eumque seculari curiæ puniendum tradit, adjunctis tamen precibus, ut quàm mitissimè tractetur. Tum verò clericus omnia amittit ordinis privilegia, et quanquàm ejus retineat potestatem, quæ tolli non potest, eam tamen exercere nequit, amittit item omnia ecclesiastica officia, beneficia, jurisdictionem, et pœnâ plectitur, quam criminis sociam laicus judex putat.

Olim episcopi degradatio postulabat duodecim episcopos, qui præsentes essent, presbyteros sex, diaconos tres (1); sed hodiè criminales causæ episcoporum, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab uno Rom. pontifice noscendæ, finiendæque sunt. Reliqui autem clerici de gradu dejiciuntur ab episcopo, ad concilium accitis, episcoporum loco, totidem abbatibus, usum mitræ atque baculi habentibus, sive aliis in ecclesiasticâ dignitate constitutis, qui et sint ætate graves, et juris scien-

(1) Cap. 9 et 15 de Hæret., cap. 1 et 4 eodem in 6: Paulus IV, Const. *Cùm quorumdam* 5, tom. 4, part. 1, pag. 322, et Clemens VIII Const. *Dominici gregis* 298, tom. 5, part. 3, p. 1, Bull., quibus duabus constitutionibus specialim degradationis pœnâ plectuntur negantes mysterium sanctissimæ Trinitatis, vel Christum Dominum solâ Spiritûs sancti operâ conceptum, vel ejus mortem, vel semper integram Deiparæ virginitatem.

tiâ commendentur. Minores autem clerici solâ episcopi sententiâ degradantur.

Degradatio gravissimum pœnæ genus est, et ideò non infligitur ex omnibus criminibus, sed tantùm ex gravioribus, quorum causâ reus seculari curiæ puniendus traditur. Hujusmodi sunt crimen hæresis et apostasiæ cum pertinaciâ; falsationis litterarum apostolicarum; assassinii, ut vocant; aversæ veneris plus semel exercitæ; sollicitationis ad turpia in sacramentali confessione; celebratæ missæ auditæque confessiones sine ordine sacerdotali (1); patrati abortûs (2); falsæ, aut vitiatæ monetæ aureæ, vel argenteæ (3); furti sacrilegi sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum sacrâ pixide sive sine illâ quis sacram hostiam surripiat et apud se retineat, aut aliò transferat (4).

(1) Clem. VIII Const. *Etsi aliàs* 260, tom. 5, part. 2, pag. 395; Urban. VIII, const. *Apostolatus* 259, tom. 6, part. 1, p. 115, ed. cit.; Bened. XIV, const. *Sacerdos in æternum* 97, pag. 208, tom. 1. Cùm autem usu fori vigeret opinio damnandi ad triremes, aut ad carcerem perpetuum illos qui in carceres conjecti statim crimen suum confitebantur, Bened. XIV hoc beneficio frui vetuit illos qui crimen aperiunt carceribus detenti et coram judice constituti, ne curiæ seculari tradantur, uti patet ex Const. *Divinar.* 71, pag. 332, tom. 4.

(2) Sixtus V, const. *Effrenatam* 134, t. 5, part. 1, pag. 25. Sed cùm Sixtus suâ hâc constitutione animati et non animati partûs abortum eodem jure censeret, Greg. XIV, const. *Sedes Apostolica* 20, t. 5, part. 1, p. 275, Sixtinam illam legem tantùm ad abortum partûs animati pertinere voluit.

(3) Urbanus VIII, const. *In supremâ* 249, tom. 6, part. 1, p. 95, quâ constitutione comprehenduntur omnes qui in Italiæ duntaxat provinciis « aureas, vel argenteas monetas « tondere, fabricare, colorare, vel alias adulte- « rare, seu etiam quomodolibet adulteratas « scienter erogare, aut exponere præsumpse- « rint. » Atque hanc degradationis pœnam ab Urbano indictam Ben. XIV, const. *Ad curam* 65, pag. 310, t. 4, ampliavit ad eos qui idem falsi crimen admittunt in syngraphis, vulgò *cedole*, sac. montes pietatis urbis, aut mensæ nummariæ S. Spiritûs, quique eo in crimine suam dolosè operam præstant.

(4) Alex. VIII, const. *Cùm alias* 37, tom. 9, p. 97, quâ confirmata est vetustior constitutio Innocentii XI, et utraque postea confirmavit Ben. XIV, const. *Ab augustissimo* 93, pag. 190, t. 1. Inter graviora crimina, propter quæ clericus degradationis pœnam pendere debet, quidam recensent etiam contumeliam gravem, vel calumniam adversùs episcopum, vel conspirationem in ejus necem. Scriptum id quidem est in can. 18, cap. 11, q. 1, ex sententiâ S. Pii pontificis; sed hic canon eductus est ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris. Eo verò excepto canone, cujus nulla certa fides et auctoritas est, alius non extat juris pontificii locus, quo adversùs reum hujus criminis degradationis pœna constituatur. Quidam etiam maleficium seu sortilegium, cujus causâ mors hominum evenerit, degradationem secum ferre arbitrantur, idque se colligere posse censent ex const. *Omnipotentis Dei* 101, Gregorii XV, tom. 5, part. 5, pag. 97; verùm hæc constitutio nullum de clericorum degradatione verbum habet, uti observat card. Albitius de Inconstant. in fid. part. 1, cap. 32, num. 150. Quidam denique etiam polygamiam degradationis pœnâ puniendam existimant, cùm quis videlicet simulato nomine, vivâ uxore suâ, aliam ducit, quoniam hujus criminis reos seculari curiæ tradi jussit Urbanus VIII in const. *Magnum* 537, tom. 6, part. 2, pag. 107. Sed hæc constitutio non pertinet ad clericos, neque ulla degradationis mentio in eâ est. Sola igitur crimina speciatim expressa degradationis pœnâ plectuntur; cætera graviora crimina eidem pœnæ subjici possunt, cùm eorum rei planè emendari nequeunt, et postquàm alias gradatim sustinuerunt pœnas, per quas moniti resipiscere, et aliud sequi vitæ institutum possent, quæ communis est sententia omnium qui hanc materiam scriptis illustrârunt.

TITULUS IX.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS.

Hactenùs de clericis, quos *seculares* dicimus. Nunc agemus de regularibus, qui nimirùm, solemnibus emissis votis, regulare institutum amplexi sunt. Fuère semper inter Christianos, qui durius quoddam et asperius vitæ genus sequerentur vacantes jejunio, precibus, et meditationi rerum divinarum. Hi ab hâc exercitatione *ascetæ* (1) dicti sunt; quos semper

(1) Ascetæ nomen tractum est à Græco verbo ἄσκησις, quod *exercitationem* significat. Quisquis durioribus abstinentiæ ac virtutis regulis sese exercebat, asceta dicebatur. Quare asceta erat, qui à carnibus et vino abstinebat, ut corpus vexaret. Origenes contr. Cels. lib. 5, num. 49, opp. tom. 1, pag. 615, edit. Paris. 1733, canon apost. 43, apud Cotelerium PP. Apostol. tom. 1, pag. 449, ed. Amst. 1724; qui in divino cultu, atque in assiduis precibus tempus impendebat, et hinc Cyrillus Hierosolymitanus, cath. 10, num. 19, pag. 146, ed. Paris. 1720, Annam prophetissam ἀσκήτριαν, ascetriam vocat; qui duriorem agebat vitam, voluntariam amplexus paupertatem, et caduca despiciens, et hinc Hier. de Vir. illustr. cap. 76, opp. tom. 2, col. 902, ed. Veronæ 1734, Pierium *ascetam, et appetitorem paupertatis* dicit; et Athanasius, si verè est auctor Synopseos Scripturæ, num. 77, t. 2, opp. pag. 156, ed. Patav. 1777, Lucianum martyrem μεγάλον ἀσκήτην, magnum ascetam appellat, propter duritiem, cui sese in carcere assuefecerat. Quidam ex his ascetis duos, tresve dies jejunii agebant, nihil prorsùs cibi sumentes, et horum exempla sunt præsertim in Irenæo apud Euseb. lib. 6, cap. 24, pag. 236, edit. Cantabrig. 1720; Dionysio Alex. ep. ad Basilidem episc. apud Bevereg. Pand. can. tom. 2, pag. 3, Oxonii 1672, et Epiphanio adv. hæres,

habuit Ecclesia, et qui cum monachis confundi non debent.

Seriùs instituti sunt monachi, et prima eorum initia referenda ad ætatem Decii imperatoris. Nam eâ tempestate multi hominum, ut declinarent impetus eorum quos ethnica superstitio in rem christianam agebat, receperunt se in montes, atque in vicinas solitudines, ut ibi tutum haberent perfugium à vexationibus, et liberiùs pietati, considerationique, et contemplationi rerum divinarum dare operam possent. Genus hoc vitæ quibusdam eorum adeò jucundum fuit ut, etiam pace Ecclesiæ redditâ, mallent in desertis vivere, quàm redire ad civitates, unde discesserant.

Ex eorum numero fuêre Paulus et Antonius, quorum alter ab Hier. anachoretarum vitæ *auctor*, alter *illustrator* dicitur. Nullæ tamen coaluerant societates hominum, qui suam ad certas regulas vitam conformarent, et nullum conditum erat cœnobium (1), sed pauci tantùm et singulares homines, hùc illùc in desertis Ægypti dispersi, vitam traducebant, donec, pacatâ et tranquillâ Ecclesiâ, Pachomius quædam in Ægypti Thebaide monasteria ædificanda curavit (1). Ita monachi (2) eò sunt adducti, ut communem certisque obstrictam regulis vitam agerent, quod antea non fecerant.

Pachomii exemplum aliæ in Oriente regiones imitatæ sunt; ac denique sanctus Basilius monasticum institutum perfecit, deditque regulas, quibus deinceps omnes ferè orientales monachi paruerunt (3). In occidentem instituta detulit monachorum sanctus Athanasius, qui cùm Romam venisset, Romanis proposuit sancti Antonii vitam, ut eam sequerentur (4).

in Exposit. fid. num. 22, tom. 1, opp. pag. 1104, ed. Paris. 1622. Memorant etiam ascetas apostolicæ constitutiones lib. 8, cap. 13, pag. 409, apud Cotelerium PP. Apostol. tom. 1; atque iis ad sacram mensam accedentibus locum tribuunt statim « post lectores et cantores : Post hæc, inquit, sumat et communicet episcopus; deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores et ascetæ. » Erat autem hoc vitæ institutum proprium et marum et feminarum; illi ascetæ, hæ verò ascetriæ dicebantur, illudque omnium ordinum hominibus licere permittebatur. Non igitur cùm scriptores, qui tribus prioribus Ecclesiæ seculis floruerunt, ascetas memorant, intelligendi sunt monachi, qui seriùs institui cœperunt, sed intelligendi sunt omnium ordinum homines, qui in ipsis civitatibus, atque in mediâ hominum societate austeram illam vitæ rationem iniverant, quod rectè observârunt Valesius not. in Euseb. de Martyr. Palæstin. cap. 11, pag. 432, ed. Cantabrig. 1720; Cotelerius not. in Const. Apost. loc. cit., pag. 408; Pagius crit. in Baron. 318, num. 24 et seq. tom. 3, pag. 645 edit. Lucæ 1738; Holstenius præfat, ad regul. vet. monach. cap. 1; Papebrochius com. in acta Pachomii, maii 14, tom. 3, act. Sanct. p. 295.

(1) *Cœnobium* à *laurâ* differt. Nam *cœnobium* est unum domicilium, quod plures comprehendit in societate viventes, et omnia habentes communia; at verò *lauræ* nomine intelligimus solitudinem, in quâ plures sunt divisæ omnes ac discretæ cellæ, in quibus singuli separatim vivunt. Lauram memorant Evagrius et Epiphanius.

(1) Illustre est testimonium auctoris Vitæ S. Pachomii apud Henschenium et Papebrochium die 14 maii tom. 3; nam ita S. Antonius Sacchæum S. Pachomii discipulum alloquitur : « Quo ego tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat cœnobium.... postea pater vester (Pachomius) tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. »

(2) Monachi ita sunt appellati, quia solitariam vitam agebant; nam vocabulum tractum est ex Græco verbo μόνος, quod Latinè *solum* significat. Hinc illud Hier. ep. 58 ad Paulin. cap. 3, t. 1, col. 320 : « Sin autem cupis esse, quod diceris monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Qui societatem hominum fugientes privatis in cellulis vitam traducebant, *anachoretæ*, qui in cœnobio, *cœnobitæ* dicti sunt. Alia multa sunt monachorum nomina, de quibus omnibus singillatim dicere longum est, ac non necessarium.

(3) Basilius non novum aliquem ordinem instituisse videtur, sed potiùs suis legibus perfecisse atque ordinâsse, quos jam intitutos invenit. Sed cùm ipse præcipuus monastici instituti propagator fuerit, ejusque regulæ ferè ubique probatæ in Oriente fuerint, vulgò habetur Orientalium monachorum pater, uti Occidentalium S. Benedictus. Non desunt tamen, qui asceticos libros de Virginitate et monasticâ vitâ, non Basilio, sed Eustathio, Sebasteæ in Armeniâ episcopo, tribuendos putant.

(4) Marcellam nobilem mulierem primam Romæ monasticam vitam amplexam fuisse, atque institutam ab Athanasio, qui Romam venerat, ut Arianorum insidias declinaret, ex viris autem primum Romæ monachum fuisse Pammachium senatorem, narrat Hieron. ep. 66, col. 393, et ep. 117, col. 947, tom. 1. Vide Baron. ad an. 340, n. 7, t. 4, pag. 342, edit. Lucæ 1739, quem perperam reprehendit Muratorius *Antichità Italiane* diss. 65, qui primum Mediolani monasterium à S. Martino Turonensi institutum putat, antequàm ullum Romæ conderetur. Verum quidem est quod de monasterio à Martino Mediolani condito dicitur, idque disertè testatur Severus Sulp. de Vit. B. Martini num. 6, pag. 113, tom. 1 opp. edit. Veronæ 1741, et August. etiam Confess. lib. 8, cap. 6 opp. tom. 1, col. 150, ed. Venet., 1792, memorat « monasterium Medionali plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore. » At Martinus suum illud monasterium constituit, posteaquàm deserue-

Multa deinceps in Occidente condita sunt monasteria, sed denique sexto seculo S. Benedictus primùm Sublaci, quod est Æquorum oppidum in Latio, deinde in Monte Cassino monasteria posuit, et certam constituit regulam, quam postea cuncti ferè occidentales monachi secuti sunt.

Præcipua monastici instituti ratio erat, ut monachi, rerum omnium tractatione et cogitatione relictâ, animum ad divina intenderent, atque ut procul à populi tumultu viventes præpositis obedirent, sibique manuum labore victum quærerent, et corpus castigarent. Habebant tamen singula monasteria propriam ac peculiarem regulam; quædam scriptis legibus utebantur; quibusdam regulæ loco erat vivendi ratio, probatâ majorum consuetudine ac traditione; quibusdam autem abbatis voluntas, quæ explicabatur uti sese dabat occasio. Sed quoniam omnium regularum unum erat propositum, ut scilicet monachi, procul à curâ et sollicitudine rerum humanarum, divinis vacarent, idcircò rectorum arbitrio nova etiam in uno monasterio regula interdùm recipiebatur, et interdùm plures in uno eodemque cœnobio obtinebant regulæ, aut additis, aut demptis, quæ temporum ac locorum ratio postulare videbatur.

In tanto hoc regularum discrimine magna tamen erat inter omnes monachos consensio animorum, una societas, unumque corpus, nullâ prorsùs vestium diversitate discretum (1). Quare facilis ac promiscuus erat ex uno in aliud monasterium transitus, non modò Latinorum inter se, sed etiam Latinos inter et Græcos, quibus satis erat in novo monasterio stabilem, firmamque moram constituere. Verùm sanctus Benedictus monachos suos obstrictos perpetuò voluit regulâ, quam semel essent amplexi, atque ita sublatum est rectorum arbitrium, et monachis adempta libertas, quam pridem habebant mutandi regulam et monasterium.

Seculo XI instituti fuerunt canonici regulares, quorum multa sunt nomina, sed celeberrimi sunt, qui in Lateranensi basilicâ ab Alexandro II recepti, Lateranensium nomen acceperunt. Ex canonicis regularibus processit S. Dominicus, qui ordinem instituit Prædicatorum ad eliminandas hæreses Albigensium, publicisque concionibus pravos hominum mores corripiendos, quem ordinem probavit Innoc. III, et Honorius item III confirmavit. Eâdem tempestate suum etiam creavit ordinem cum lege summæ paupertatis, exemplo Christi atque Apostolorum, S. Franciscus Assisiensis, et eum etiam idem Honorius approbavit. Annis autem consequentibus alii instituti sunt ordines regulares, ut certa charitatis officia præstarent, atque ut clericis opem ferrent in iis quæ clericalis muneris propria sunt. Nec prætereundi ordines equestres et militares, qui præsertim à cruciatis, atque expeditionibus in Saracenos ortum habuerunt, et quos inter celeberrimi sunt equites Hierosolymitani, qui Rhodo pulsi nunc habent Melitam, acceptam à Carolo V, et in quos potissimùm Anastasius IV multa contulit privilegia.

Monachi olim ordinibus initiati non erant, et ideò si quis eorum gravioris criminis reus esset, plectebatur pœnâ excommunicationis, non suspensionis aut degradationis, quæ ad clericos pertinebant. Sed interdùm eorum aliquis episcopi beneficio inter clericos referebatur, præsertim ut in sacello monasterii rem divinam conficeret. Denique propter utilitatem Ecclesiæ receptum est, ut monachi

rat militiam, quâ functus fuerat sub Juliano Apostatâ, qui imperator creatus est anno 361. Verùm ante hoc tempus monasteria Romæ institui cœperunt, scilicet posteaquàm ad eam urbem accessit Athanasius, quod evenit anno 340. Si verum esset, quod affirmat Ferd. Ughellius Ital. sacr. tom. 4, col. 40, ed. Ven. 1710, ante an. 313 à Mirocle Mediolan. antistite monasterium conditum fuisse, nullum foret in totâ Italiâ antiquius monasterium. Ambros. ep. 63 ad Vercell. eccl. num. 66 opp. tom. 6, p. 213, edit. Maur. Venet. 1781, Eusebio Vercellensi episcopo eam laudem attribuit, quòd « primus in Occidentis partibus « diversa inter se conjunxit, ut et in civitate « positus instituta monachorum teneret, et « Ecclesiam regeret jejunii sobrietate. » Verùm Ambrosius nullum ab Eusebio monasterium institutum memorat; tantùm dicit eum, fretum exemplis Eliæ, Elisei ac Baptistæ in suis clericis monasticam vitam cum clericali conjunctam voluisse. Martinus, qui illud Mediolani monasterium instituerat, posteaquàm Turonensis episcopus creatus est, non procul à civitate sibi monasterium constituit, uti narrat Severus Sulp. in ejus Vitâ, pag. 17, tom. 1 edit. indic., ejusque operâ ita brevi propagatum est monachorum institutum, ut ad ejus funus ferè duo millia illorum convenisse scribat ipse Sulpitius ep. ad Bassulam cit. tom. pag. 56.

(1) « Verùm illo ævo, inquit Mabillon., cùm « unus esset monasticus ordo, necdùm in varias classes divisus, illa regularum diversitas, quæ uniformes censebantur, nullam inducebat ordinum diversitatem : uti nec modo « diversæ in eamdem regulam constitutiones, « quas variæ unius ejusdemque ordinis congregationes sibi præscribunt, unitati ordinis « haud officiunt. »

sacris initientur ordinibus; et ideò nunc passim monachi clerici sunt, exceptis illis qui famulatui ac vilibus ministeriis reservantur, quos vulgò *laicos* appellamus.

Regulares omnes, quatenùs clerici sunt, habent ea quæ sunt clericis communia; propterea fruuntur clericalibus privilegiis, iis præsertim, quæ *fori et canonis* nuncupantur. Quatenùs verò sunt regulares, habent ea quæ sunt regularium propria. Eorum quædam peculiaria sunt, et propria cujusvis ordinis, quædam communia universis.

Propria sunt ordinum singulorum privilegia, quæ in illos præsertim Romani pontifices contulerunt. Est etiam cujusvis ordinis proprium institutum et regula, quam semel ritè susceptam quilibet servare ac retinere debet (1). Communia autem non pauca sunt. Primum est, ut præter peculiarem regulam, quam profitentur, castitatem (2) etiam, obedientiam (3), et paupertatem servare debeant omnes regulares (4), iisque sese voto obstringere; alterum, ut quisque profiteatur ordinem ab Apostolicâ sede approbatum; tertium ut domus quæque regularium suos ministros habeat et præfectos, omnesque uni capiti, tanquàm summo moderatori, subjiciantur; quartum, ut quælibet regularium familia propriam habeat Ecclesiam, seu sacellum, ubi non solùm illi preces Deo fundant, sed etiam privilegio sedis Apostolicæ liturgiam celebrare, et plura sacra facere possint, quæ propria sunt ecclesiarum cathedralium et parochialium; quintum, ut regulares omnes sint exempti ab episcopi potestate, et sedi Apostolicæ subjecti (1), quod intelligendum secundùm mentem conc. Tridentini, et recentiores constitutiones pontificum Romanorum. Ac præsertim episcopi jurisdictio sese exerit in regulares animarum curam exercentes, qui in iis quæ ad hanc curam, et sacramentorum administrationem pertinent, illius jurisdictioni, visitationi et correctioni immediatè subsunt.

Professio regulæ facit aliquem regularem. Ea vel tacita, vel expressa est; tacita, quæ ex perspicuis, certisque actibus educitur (2), expressa, quæ fit palam ac publicè coram regularis familiæ moderatore; recitatâ formulâ professionis, adhibitis etiam aliis solemnitatibus, secundùm receptos ordinis cujusque ritus. Ut professio vim habeat, fieri debet post sextum decimum (3), et post exactum proba-

(1) Primus S. Benedictus mutandæ regulæ licentiam coercuit, ademptâ monachis libertate deserendi institutum quod semel susceperant; atque eum vel primum, vel inter primos fuisse, qui professionis formam modumque præscripsit, inquit Mabillon.

(2) Castitatis votum non tantùm in eo positum est, ut regulares domitas habeant libidines, ut Christianis omnibus commune est, verùm etiam ut se à nuptiis abstineant.

(3) Tria potissimùm in monachorum obedientiâ desiderat S. Bened. Regul. cap. 5 apud Holsten. cod. regul. tom. 1, pag. 118, scilicet ut monachi pareant suis præpositis *sine morâ, non tepidè, et cum bono animo.*

(4) Paupertatis, quam profitentur, causâ, nihil proprium habere possunt regulares, et si quid tale aliquis habuerit, invito vel inscio præposito, fracti voti reus utriusque suffragii jure biennio privabitur, et aliis etiam pro criminis gravitate pœnis mulctabitur; moriens autem nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra commune cœmeterium, cap. 4 de Stat. monach. conc. Trid. sess. 25, c. 2, de Regul. Atque hùc spectat regula, quòd quidquid acquirit monachus ad monasterium pertinet.

(1) Exemptionis ab episcopi jurisdictione, quam regularibus summi pontifices concesserunt, exempla sunt apud S. Greg. Magnum aliosque antiquissimos SS. pontifices, illaque sæpè, ipsis rogantibus principibus, attributa fuit; quæ omnia accuratè describunt Thomass., Bianchius. Multa etiam habes hujusmodi exemptionum monumenta apud Duchesne, Hist. Franc. tom. 1, p. 662, Ughellium Ital. Sac., Mabillon. Annal. Bened. Præcipuas verò, easque justissimas exemptionum concedendarum causas enumerat Petrus Blesensis ep. 68 ad Alex. III: « Scimus inquit, quòd ob quietem monasteriorum, et episcoporum tyrannidem, has « exemptiones plerùmque RR. pontifices indulserunt. » Earumdem querelarum contra episcopos, qui regulares vexabant, unde harum exemptionum origines repetit ipse Espenius, mentio est in conc. Toletan. IV, can. 51, et in conc. Tolet. IX, cap. 2. Graviter autem, et copiosè, præter eos quos supra descripsi, de regularium exemptione disputant Mamachius et Zaccaria.

(2) Tacitæ professionis exemplum est in eo, qui per quinquennium tacuit, cùm irritam emisisset expressam professionem, vel quia vi metuque coactus, vel quia nondùm justam ætatem attigerat. In cæteris tacita professio tantùm obtinet in iis ordinibus, in quibus in habitu professorum et non professorum nullum discrimen est.

(3) S. Basil., S. Ambr. et Alex. III ætatem postulant perfectæ et absolutæ rationis. Capitula Theodori Cantuariensis apud Harduinum t. 3 Conc. c. 1778, cap. 118, in maribus an. 15, in feminis 16 aut 17 constituunt; ipse Basilius annum memorat 16 aut 17; denique conc. Trid. sess. 25, cap. 15, de Regul., annum 16 exactum definivit. Vide Pallavic. Hist. conc. Trid. lib. 24, c. 6. Verùm Trid. Patres cùm ætatem constituerunt annorum sexdecim, minimè improbàrunt peculiares quorumdam ordinum constitutiones, quibus major ætas requiritur, quod et sac. Congr. concilii declarâsse, testatur Fagn. in cap. *Nullus* de Regul. n. 15,

tionis annum (1), eumque integrum atque perpetuum, gestato habitu, actâque vitâ toto illo temporis cursu intra claustra designati monasterii, in quo tirones instituendi sunt; debet esse libera, non extorta vi, metuque gravi (2), facta ab homine qui suæ voluntatis habeat arbitrium, non à servo invito domino, non ab episcopo, ignaro S. pontifice; non à viro qui sospitem habet uxorem, eâ dissentiente (3); denique regularis instituti nomine accipienda est ab eo, cui jus est accipere, ratamque habere professionem.

Cùm hæc omnia servata sunt, prohibetur quis in posterum deserere institutum, quod semel amplexus est, nisi aut arctius amplectatur, aut à summo pontifice veniam obtineat. Præterea nihil amplius acquirere sibi potest, et amittit beneficia, si quæ habet; dirimitur matrimonium ratum, non consummatum; tollitur patria potestas, et vis extinguitur simplicium votorum, quæ ante professionem emissa sunt.

Quòd si aliquid prætermissum est eorum, quæ servare oportebat, irrita est professio, et qui eam emisit, reclamare intra quinquennium potest; elapso quinquennio non potest, nisi ex justâ causâ fuerit à pontifice restitutus. Nemo autem audietur, qui regularem habitum dimisit, nisi primum eum denuò susceperit, ac redierit ad monasterium, unde discesserat. Nam qui habitum et monasterium suâ sponte deseruit, tanquàm apostata habetur, et punitur pœnis quibus puniuntur apostatæ, quales sunt illi qui prorsùs retinendæ religionis animum abjecerunt. Et quoniam regulares, antequàm vota suscipiant, suis sese bonis abdicare solent, eaque in alios conferre, idcircò constitutæ sunt certæ leges, ut eorum renuntiationes rectè expediantur. Nimirùm eorum obligationes ac renuntiationes non valent, nisi emittantur cum veniâ episcopi, aut ejus vicarii generalis intra duos menses proximos ante professionem, et tantùm post eamdem editam vim atque exitum habent, ita ut nullius momenti sint, nisi professio absolvatur.

Monachorum instar sunt moniales, seu sanctimoniales, feminæ scilicet, quæ solemnibus votis emissis sese Deo consecrârunt; et quæ certâ obstrictæ regulâ vitam ducunt in monasterio, sub regimine episcopi, et interdùm etiam regularium. Eâdem tempestate, quâ monachorum, etiam monialium cœnobia instituta sunt. Præcipua earum est clausuræ lex, quâ moniales egredi prohibentur è septis monasterii, nisi cogat exire vis major, quæ superat legum potestatem, ut magnum incendium, vel morbus lepræ aut epidemiæ; qui morbus, præter superiorem cui monialis subest, etiam episcopo cognitus, scriptoque probatus esse debet (1).

Cæteris verò eadem ingredi claustra vetitum est, sine veniâ episcopi et regularis superioris, si cui subest monasterium (2); atque

(1) Monasterium ingressi apud Orientales, in eo per triennium manere debebant, antequàm professionem emitterent, quod testatur Justinianus Novell. 5, cap. 2, idque à S. Pachomio institutum fuisse scribit Palladius in Lausiac. cap. 38. Idem jus in Occidente interdùm obtinuisse constat ex can. *unico*, dist. 53, et can. 3, cap. 10, q. 2, puta si non satis explorati essent mores ejus, qui professionem emittere debebat. Interdùm verò requirebatur biennium, uti patet ex can. 6, c. 19, q. 3. At S. Bened. regula annum præfinivit, quod probavit synodus Trid. loc. cit.

(2) Synodus Trid. sess. 25. cap. 18, de Regul., anathemati subjicit omnes qui invitam mulierem cogunt, « præterquàm in casibus in « jure expressis, ad ingrediendum monaste- « rium, vel ad suscipiendum habitum cujus- « cumque religionis, vel ad emittendam pro- « fessionem, » quique in eo facinore opem, consilium, auctoritatem, consensum præbent.

(3) S. Paulinus Epist. ad Celantiam cap. 28, vehementer improbat mulieres, quæ viros sine ipsorum consensu deseruerant. Conjugum verò, qui mutuo consensu voverunt castitatem, exempla sunt apud Socratem *Hist. lib. 4, cap.* 23; Heribertum Rosweydum *Vit. PP. lib.* 1, *cap.* 9, *lib.* 6, *num.* 3, *et lib.* 10, *cap.* 108; Victorem Uticens. *de Presec. Afric. lib.* 1, *pag.* 678, *tom.* 8 *Biblioth. PP. ed. Lugd.*

(1) Cùm S. Pius V tres hasce causas expresserit *magnum incendium, lepram, epidemiam*, hoc est, morbum contagiosum, quo cæteræ moniales infici possunt, quæsitum est ab interpretibus juris canonici, num alia etiam possit esse causa, propter quam monialibus exeundi è monasterio facultas concedatur. Latè eâ de re disputat Bened. XIV de Synod. diœc. lib. 13, c. 12, n. 26 et seq., ubi ostendit alias etiam ob causas cum veniâ sedis Apostolicæ moniales exire posse è septis monasterii, puta si qua earum gravi correpta morbo suasu medicorum locum mutare debeat, ut convalescat. Quod autem de incendio dicitur, id etiam pertinet ad aquarum inundationem, hostium impetum, monasterii ruinam, et similia, quæ subitam fugam postulant, cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta, ut inquit pontifex in cap. 3, § *Profecto* de verb. Signific. in 6.

(2) Conc. Trid. sess. 25, cap. 5, de Regul., licentiam postulat episcopi vel superioris, et ideò quæsitum est, num ingressuro monasterium regularibus subjectum satis sit venia regularis superioris. Sed tum ejus, tum episcopi veniam desiderari, ut quis hujusmodi monasteria ingrediatur, nisi diuturna consuetudo unius episcopi veniam postulet, plus semel

hæc venia concedenda est ex justis et necessariis causis, puta propter commune servitium, aut valetudinem, aut salutem animarum. Quæ salus ut benè considerata atque provisa sit, præter communem et ordinarium confessarium, debent moniales bis aut ter in anno extraordinarium obtinere, cui liberiùs intimos animi sensus patefaciant (1).

Monialium regimen, quod præsentem custodiam postulat, totum est permissum episcopis, vel ut ordinariis, vel ut sedis Apostolicæ delegatis, si monasteria exempta sunt, et sedi Apostolicæ immediatè subjecta, nisi vel à certis capitulis, vel ab aliis regularibus gubernentur. Verùm in his quoque monasteriis, quæ regularibus subsunt, episcopo, unà cum regulari superiore, quovis anno reddenda est gestæ administrationis ratio, et episcopus ipse malum administratorem ab officio dimovet, nisi ab eo monitus superior id pridem fecerit, atque etiam animadvertit in regulares, qui in bonorum monasterii administratione deliquerunt.

Atque hæc episcopi cura et sollicitudo in moniales, non tantùm sese explicat in illâ, quam diximus, bonorum administratione, atque in clausurâ diligenter custodiendâ, quæ tota est ejus juri commissa, ordinario in monasteriis sibi subjectis, delegato in exemptis (2), adeò ut rectè puniat ipsos quoque regulares, qui peccant in clausuram monialium sibi subjectarum (3); sed etiam in electione abbatissarum, quæ monasterio præficiuntur. Nam episcopo nuntiandus est futuræ electionis dies, etiam cùm monasteria subsunt regularibus, et ipse unà cum regulari superiore interesse ac præesse electioni potest (1).

Monialibus tempore præeunt virgines sacræ, quarum origo vel ab ipsis Ecclesiæ primordiis est repetenda (2). Eadem penè intra domesticos parietes illarum vivendi ratio, quæ postea monialium fuit. Eas episcopus, aut aliquis ejus mandato sacerdos præcipuo aliquo festo die solemniter in ecclesiâ consecrabat, eisque imponebat vestem, quæ sacrarum virginum propria erat.

Ut virgines, ita etiam ecclesiasticas viduas habuit Ecclesia, antequàm monachorum et monialium institutum agnosceret. Ex his autem viduis, ut plurimùm, eligebantur diaconissæ (3); quanquàm sæpè etiam perpetuas virgines eo munere functas fuisse constat. Earum origo abipsâ Apostolorum ætate repetenda est.

Non nisi viduis unius viri, quæ jam erant ætate provectæ (4), inter diaconissas dabatur

responsum est à S. Congr. concilii, uti patet ex lib. 14 Decr. lib. 15, lib. 16, lib. 17.

(1) Vide const. *Pastoralis* 56, Bened. XIV, ubi multa habentur de extraordinario confessario, qui non solùm universis monialibus, sive toti monasterio dandus est, sed etiam singulis, quæ illum ex justâ causâ petunt; prætere superiores regulares jubentur, saltem semel quotannis, monialibus sibi subjectis concedere extraordinarium è seculari clero confessarium, vel ex altero regulari instituto sacerdotem, iisque id negligentibus, episcopus efficere debet, quod regularis superior præstare debuisset.

(2) Conc. Trid. sess. 25, c. 5, de Regul., const. *Gravissimo* 12, Bened. XIV, tom. 3, pag. 57, ubi multa habentur de iis qui ad monasteria accedunt, ut cum monialibus colloquantur.

(3) Greg. XV constit. *Inscrutabili*, § 4. Atque hùc etiam spectat const. *Felici*, 492, Alex. VII, t. 6, part. 6, pag. 34, bullar., quâ sancitum est, ut superior regularis semel tantùm in anno visitationis causâ monasterii septa ingrediatur; quòd si necessitas eum pluries ingredi cogat, id ei tantùm licet, præsente episcopo, aut aliquo ecclesiastico viro, quem episcopus speciatim constituit.

(1) Cit. Const. Greg. XV, § 5. Monet tamen Bened. XIV de Synod. diœces. lib. 5, c. 12, num. 4, satius esse episcopo semel in synodo declarare animum suum, quòd ipse scilicet semper velit abbatissarum etiam exemptarum electionibus interesse, quàm id præstare singulis vicibus, quibus electio facienda est.

(2) Quemadmodùm fuerunt in Ecclesiâ ascetæ, antequàm essent monachi, ita fuerunt mulieres, quæ palam ac manifestò virginitatem vovebant, antequàm moniales instituerentur. Atque hæ sunt virgines sacræ, quas sæpè memorant Cypr. ac Tertull., et quas Sozom. lib. 8, cap. 23, pag. 355, appellat *virgines ecclesiasticas,* Socrates autem lib, 1, cap. 17, p. 47, *virgines in matriculâ ecclesiæ adscriptas.* quoniam descriptæ erant in Ecclesiæ libris, seu canone; atque hinc interdùm etiam *canonicæ* dicebantur. Vide Valesium not. in Sozom. l. 8, c. 23, pag. 355, Albaspinæum not. in conc. Eliberit. can. 13, p. 165; Cotelerium not. Const. apost. lib. 8, cap. 13, pag. 408.

(3) Quare interdùm diaconissæ *viduæ* dicuntur, et earum officium *viduarum* appellant Tertull. S. Epiph. S. Ignatius S. Hier., eamdemque ob causam eas Epiph. et conc. Laodic. πρεσβύτιδας *viduas seniores* vocat. Sunt tamen distinguendæ diaconissæ à viduis ecclesiasticis, quarum paulò ante facta mentio est. Non enim omnes hæ viduæ erant diaconissæ, quanquàm plerùmque ex illarum corpore eligerentur, quæ diaconissarum munus exercerent.

(4) De ætate diaconissarum Apost. 1 ad Tim. 5, v. 9, habet hæc : *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens.... si omne opus bonum subsecuta est.* Ad hunc Pauli locum respexit Theodosius imp. in l. 27 Cod. Theod. de Episc. et Cleric., cùm scripsit : « Nulla, nisi « emensis sexaginta annis, cui votivo domi « proles sit, secundùm præceptum Apostoli « ad diaconissarum consortium transferatur. »

locus. Munera earum erant sacerdoti feminas baptizanti præstare operam, ut sexûs pudori consuleretur eâ ætate, quâ baptismus per immersionem conferebatur, catechumenas ad rem christianam domi instituere, feminas ægrotas invisere, opem ferre martyribus et confessoribus carcere detentis, cùm ad eum diaconis aditus non patebat, stare ad januas, per quas mulieres ecclesiæ navem ingrediebantur (1), et suum in eâ locum cuique tribuere. His muneribus addicebantur diaconissæ per manuum impositionem (2), quæ tamen non sacramentum erat, sed Ecclesiæ cæremonia, ad instar benedictionis, quam mulieres illæ accipiebant (1).

Ipsam hanc ætatem annorum 60 memorant Tertull. S. Basil. et S. Hier. Sed labentibus annis Chalced. concilio sancitum est, ut diaconissæ quadraginta annorum eligi possent, quam ætatem probavit etiam conc. Trull. et Justinianus Novellâ 123, cap. 13. Ipse Justinianus Novellâ 6, cap. 6, in diaconissis ætatem requirit annorum 50, quam eamdem ætatem definit in l. 9, cod. de Episc. et Cler., si vera est lectio, quæ vulgò traditur. Nam Contius legendum esse putat non 50, sed 60, atque ita ab erroris et negligentiæ notâ liberat Tribonianum, qui certè liberari non potest, si retineatur vulgata lectio, quæ his est concepta verbis : *Nulla, nisi emensis 50 annis, secundùm præceptum Apostoli ad diaconissarum consortium transferatur.* Non enim *præceptum Apostoli* annos *quinquaginta*, sed *sexaginta* constituit. Contra sub Nectario patriarchâ Constantinop., fuisse Olympiadem diaconissam quadraginta annis minorem scribit Sozomenus. Ex quibus intelligitur, non unam semper eamdemque regulam fuisse, et multùm eâ in re episcopi arbitrio datum.

(1) Per januas autem intelligendæ sunt portæ interiores, per quas aditus patebat ad ligneos parietes, quibus mulieres à viris in ecclesiâ dividebantur.

(2) Diaconissas nullam manuum impositionem accepisse quidam putant; atque ex eorum numero sunt Baron. ad ann. 34, n. 283, et Vales, not. in Sozom. Moventur canone 19 conc. Nicæni, cujus hæc verba sunt : *Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, ut omninò inter laicos ipsæ connumerentur.* Quisquis tamen hunc canonem paulò diligentiùs expendat, facilè deprehendet, eum non ad omnes generatim diaconissas pertinere, sed ad eas tantùm, quæ habitum sine ullâ manuum impositione inter Paulianistas acceperant. Cæterùm ipse canon non obscurè declarat, reliquas diaconissas manuum impositionem habuisse, quòd rectè observârunt viri eruditi, præsertim Joan. Gaspar Suicerus, Arcudius, Christian. Lupus, Gabr, Albaspinæus, Car. Fabrotus apud Justellum, Gaspar Juenin. Nat. Alex. Reverà concilia et scriptores, qui de diaconissarum ordinatione loquuntur, manuum impositionem disertè memorant. Earum ordinatio can. 15 conc. Chalced. vocatur χειροτονία et χειροθεσία, *manuum impositio;* quo eodem vocabulo utuntur conc. Trull. et Sozom., cùm de Olympiæ ordinatione disputat. Auctor Const. apost. diaconissas ab episcopo ordinari jubet, cum manuum impositione certâque oratione, quæ ibi describitur. Apud Latinos etiam hujus manuum impositionis meminit concil. Wormatiense et Fortunatus apud Surium de Medardo episcopo dicit hæc : *Manu superpositâ consecravit diaconam.* Erat tamen hæc manuum impositio non sacramentum, sed Ecclesiæ cæremonia, quæ nullum imprimebat ordinis characterem, ad quem suscipiendum mulieres aptæ et idoneæ non sunt. Appositè S. Epiph. hæres. 79 : « Quanquàm verò, inquit, diaco« nissarum in Ecclesiâ ordo sit, non tamen « ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi « administrationem institutus; sed ut muliebris « sexûs honestati consulatur, sive ut baptismi « tempore adsit, sive ut inspiciat, si quid passa « sit, aut molestiæ pertulerit, sive ut cum nu« dandum est mulieris corpus, interveniat; ne « virorum, qui sacris operatur, adspectui sit « exposita, sed à solâ diaconissâ videatur. » Ritum à Græcis observatum in diaconissarum ordinationibus describit Jac. Goarius in Eucholog. Græc. de Diaconissis. De ordinandis autem tum Latinorum, tum Græcorum diaconissis agit Morinus de sac. Ordin. Diaconissarum consecrationes sec. XI memorat Joan. XIX, litteris datis ad episcopum Silvæ Candidæ apud Mabillon. Extat etiam apud Syros diaconissarum ordinatio, quam unà cum earum officio et potestate accuratè describit Assemanus in diss. Monophysitis num. 10, tom. 2 Bibl. Orient.

(1) Duo postremò sunt observanda, antequàm hanc de diaconissis tractationem absolvamus : primum est, quòd non uno et eodem tempore earum usus ubique sublatus fuit, quâ de re videndi sunt Bona Rer. liturg. lib. 1, c. 25, § 15, ibique Robertus Sala in not.; Morinus de sacr. Ordin.; Thomass. vet. et nov. eccl. Disc.; Juenin. de Sacram. de Ordin. in spec. Alterum est, quòd interdùm diaconissæ etiam dicebantur diaconorum uxores ante diaconatum ductæ, eodem modo, quo illæ, quæ uxores presbyterorum fuerant, presbyteræ, quæ episcoporum, episcopæ vocabantur.

INDEX RERUM.

FINIS TOMI QUINTI.

MIGNE,J.P. BQT
Theologiae cursus 507
completus. .M5
v.5.



